Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

25 P.

Universidad de Deusto
Biblioteca

F. LVYSII

LEGIONENSIS AVGVSTINIANI

THEOLOGIAE DOCTORIS,

& Diuinorum librorum primi apud Salmanticenſes interpretis explanationum in eoſdem

TOMVS PRIMVS.

SALMANTICAE,
APVD GVILLELMVM FOQVEL.

cIↃ. IↃ. XCIX.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quæ in hoc tomo continentur.

IN { CANTICVM CANTICORVM Triplex explanatio.
PSALMVM XXVI.
ABDIAM.
EPISTOL. AD GALATAS.

SVMMA PRIVILEGII.

PHILIPPI II. Hiſpaniarum Regis priuilegio, Fratri Luyſio Legionenſi Auguſtiniano, cautum eſt in decennium, ne quis has explanationes imprimat, nevé in Hiſpaniam importet alibi impreſſas, iniuſſu ipſius Luyſij Legionenſis: conſtituta pœna in eos, qui contra fecerint decem millia nummorum æreorum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

FRATRIS LVYSII LEGIONENSIS AVGVSTINIANI IN CANTICVM CANTICORVM.

Triplex Explanatio.

QVarum prima verborum interpretationes continet. Altera Deum amantis animæ progressus in amore complectitur. Tertia comprehendit Ecclesiæ militantis à mundi initio vsque ad finem sæculi, amoris cursum atque rationem.

Universidad de Deusto
Biblioteca

CENSVRA.

EXplanationem Canticorum Solomonis Luysij Legionensis Augustiniani Salmanticensis Academiæ doctissimi professoris legi sanè libentissimè, est enim eiusmodi vt magnopere, non solum sententijs aptissima quadam serie, quod erat in hoc opere valde difficile cohærentibus, sed etiam sermonis puritate, & elegantia antiquitatem illam cultam, & perpolitam redoleat. Quamobrem edendam censeo, perque manus, & ora hominum peruagari, cùm sit non tantum orthodoxa, sed ad pietatem permouendam, & verum religionis cultum amplificandum aptissimè composita.

Sebastianus Perez
Doctor Theologus.

ALIA CENSVRA.

HIS explanationibus nihil meo iudicio dedit hæc ætas, neque sanctius, neque elegantius, quas etiam nemine læso luculentiores, & vtiliores effecit apologia. Madriti. 3. Calen. Februarij. 1587.

Iuan Grial.

IOANNES GRIAL.

FElices animæ quæ nũc vel ad oscula primæ
Sponsi, ceu tactæ flore meri capita
Luditis exultim teneræ, & vos fœdera lecti
Expertæ, sancto non in amore rudes:
Et vos ò tanto correptæ numine, nulla vt
Pausa sit ardoris, curaue dissidij,
Omnis si immissis descenderit imbribus æther
Omnis si incumbat desuper Oceanus:
Tuq; ò quæ charo capiti pulcherrima tota es
Quæq; magis fusco fortè colore places:
Quamuis purpureus, quãuis & cãdidus ille est
Quamuis è multis millibus eximius:
Vos quoniam vestros ignes, vestrosq; lepores
Et fortunati gaudia coniugij
Nota esse, & latis incendia spargere terris
Vnde polo rursus plurimus ignis eat
Optastis; (superas namq; hæc auertier oras
Id cælo dulce est, dulceq; cælitibus)
Nectite serta meo varia de fronde Luyso,
Vnius haud placeat nam mihi frõdis honos.
Nam neq; Graiorũ syluas viridissima Tempe
Nec Laurum magnis præmia Romulidis

Universidad de Deusto
Biblioteca

Non oleam ve, hederāve neget præponere fronti,
Multa quoque è multis floreat herba iugis.
Sic tamen vt ferro quæsit modo tonsa recenti,
Et reparet læta brachia densa coma,
Siue ilex ea sit, siue altera fertilis arbos
Hac siet immites abstinuisse manus.
Ante omnes oneri nescit quæ cedere palma
Exerat argutas vndique læta comas.
Illa etiam antiquæ meminisse docebit Idumes
Illi etiam tenero viscera amore calent
Coniugiumq; suũ, amplexus atque oscula nouit,
Et mœret vacuo sola relicta toro.
Sed benè texetis formoso pollice serta:
Non deceat doctum laxa corona caput.
Nec nisi diuino hærebit madefacta liquore,
Non satis est halans floribus & folijs.
Spiritus accubuit quoniam bona gramina serpens.
Non semel, atque altis lubricus arboribus:
Pomaque corrupit, ramisque errauit opacis
Allapsu inficiens omnia sacrilego.
Balsama nec desint, thus, nardi & cinnama circum,
Myrrhaque, diuino & fumet odore focus.

Omnia

Omnia quæ postquam fuerint iam ritè peracta,
Cesserit & casto turba profana loco,
Tum ternis lustrate choris, tum dicite carmen,
Carmine si possit mergier inuidia.
Parcite quam sponsi seruat tutela sorori,
Parcite non æquis vocibus obstrepere,
Seu canat illa aliquid, seu vatum sensa priorũ
Expediat sponso non renuente suo.
Dignior haud vlla est, nobisve præire canendo
Aut mage perpetuos ducere docta choros.
At tibi quæ nobis decori es, perq; omnia dura
Pertendis signa hæc, & bona castra sequi,
Omnia iam cedãt, nec quisquã laudibus obstet,
Inque dies sponsi lenius afflet amor.
Lenius afflet amor, quod si hæc quid detrahet ætas.
Ingenti reddat fœnore posteritas.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PHILIPPVS RVIZ.

Libelle ſenſuum abditorum conſcie
Orationis eloquentis,& grauis
Fecundus idem fons vti aerea cadens
De rupe liquidum perſtrepit fugax iter:
Feſsis per æſtum grata pocula diuidens
Quonam ſub antro roſido ſedens Leo,
Vtrumque tempus impeditus laurea
Dictauit hæc tam pulchra, tam doctiſsima
Incana quæ miretur ætas poſtera.

SERE-

SERENISSIMO PRINCIPI ALBERTO

Auſtriæ Archiduci S. R. E. Cardinali,
F. Luyſius Legionenſis Auguſtinianus, S. P. D.

QVOD, & literarum ſtudia colis, & ſtudioſos literarum diligis, idq; præ te ipſe fers, & cunctis notum eſſe vis, in ſpem veni, Alberte Principum decus, ſi hos meos in Cantica Solomonis Commentarios tuæ celſitudini, quod nunc facio, dicaſſem, id tibi non ingratum futurum. Eoq; magis adductus ſum, id vt facere auderem, quòd memineram ſuperiore anno, cum obſequium tibi meum, atq; adeò me ipſum totum offerrem, quali me & vultus hilaritate, & verborũ comitate excepiſſes: quodq; ex Alphonſo Colomacubiculario tuo poſtea cognoueram, memoriam mei non abieciſſe te, ſed è tuo iſto faſtigio ad meam humilitatem nonnunquam deſpicere, & in tuis ſermonibus mentionem mei ſolitum eſſe interdũ facere. Præter hæc illud

illud etiam vidi, hæc ſcripta optimè conueni re tuæ perſonæ. Vt, qui ad Eccleſiæ imperiũ, vt omnes iudicamus, aliquando obtinendũ natus ſis, & à Deo electus, adamare iam nunc Eccleſiam inciperes ex his ſcriptis, in quibus videres tãto ipſam amore à rege omnium regum Chriſto eſſe adamatam, non ſolũ, vt dominus, atq; pater illius dici, ſed vt amator etiam, & ſponſus haberi: vtq; ea, ſua ex perſona ſcribi voluerit, quibus in amore nihil ſcribi potuit ardentius. Eſt enim verè diuina virtus amor, charitaſq; in homines vniuerſos effuſa. Cuius tu virtutis, quoniam ad eam natura factus videris eſſe, perfectionem, & abſolutionẽ facilè adſequêre huius lectione libri. Qui tibi dicatus, tuæq; celſitudinis tanquam numine tectus, non ſolum in publicum prodire iam audet, ſed etiam ſperat, atque confidit gratiorem ſe, quàm vnquam antea fuiſſet, cunctis futurum. Vale.

LE-

LECTORI.

CVM ſuperioribus annis rogatu cuiuſdam amici mei, qui Latinè neſciebat, Canticum Salomonis in Hiſpanum ſermonem conuertiſſem, addidiſſemque eodem ſermone conſcriptos breues in idem commentarios, quibus veram, & arcanam eius Cantici intelligentiam leuiter attingebam: verborum verò textum, & proprietates, atque ſimilitudinũ, quibus is liber abundat, rationes latiùs explanabam. (Nam petierat à me is, cuius cauſa id elaborabatur, ſe vt docerem, non quid arcani ſcripta illa continerent, nam audiuiſſe id à multis, & à ſingulis ſuo modo dicebat, ſed quo modo rectè quaſi conſtruendus eſſet ille verborum ordo, valdè, vt videtur, perturbatus, & inuolutus.) Itaque cum id confeciſſem, & ei, cuius rogatu confeceram legendum dediſſem, iſque paucis poſt menſibus reddidiſſet mihi librum meum, nullo illius apud ſe exemplo relicto, accidit, vt quidam meus familiaris,

è meis

è meis ſcrinijs,me inſcio eum accipiens,nõ ſolum ſibi deſcriberet,ſed deſcriptum à ſe exemplum alijs item deſcribendum traderet.Ex quo factum poſtea eſt,vt multis omnium ordinum hominibus eum librum probantibus,atque petentibus, breui is liber in plura exempla tranſfuſus,& per maiorem Hiſpaniæ partem ſparſus, in manus plurimorum peruenerit. Sed quoniã à rerum fidei iudicibus ſanctè erat interdictũ, ne quis ſacræ Scripturæ liber, vulgari ſermone conſcriptus legeretur : quidam non nimium amatores mei, cauſam in eo ſibi oblatã ad mihi incommodandum putarunt,eamque,& ſtatim, & auidè arripuerunt. Verùm illis iam controuerſijs,Deo pro me diſceptante,dijudicatis: meque ipſo poſt multos , & magnos labores, eiuſdem Dei beneficio,priſtinæ dignitati meæ, atque integræ opinioni aliquando tandem reſtituto : quò etiam in hoc omnium iudicijs ſatisfieret: vtque nihil relinqueretur,quod ſuſpicioni locum dare poſſet alicui,multi me horta ti ſunt, vt Latinè verterẽ eum librum, ipſumq; peruulgarem atque ederem.Quod & feci,coactus quodammodo, nec tam meam ſententiã, quam plurimorum qui mihi bene voluntiudicia ſequutus : iudicabam ipſe certè tam multis

hac

hac noſtra ætate non ſolùm nouos libros ipſis edentibus,ſed ad aliorum bene ſcripta carpenda excubantibus, & intentis, ſcribendi munus hoc tẽpore,nec nimis vtile eſſe alijs, & ijs ipſis qui ſcribunt eſſe valdè periculoſum.Sed, vt dicere cœperam , re ipſa penè conſtrictus Latinũ eum librum feci, Latinoq; addidi , quæ Hiſpano deerat,veræ,& arcanæ ſententiæ perpetuã, & copioſiorem explanationem. Quem nunc librum de amicorum meorum ſententia edere inſtitui, ſiue potius iam edo. In quo non diffiteor mihi eueniſſe , quod euenire neceſſe eſt omnibus, qui neceſsitate potiùs adducti,quàm voluntate aliquid ſcribũt, ſibi vt in multis eorum quæ ſcribunt,diſpliceant. Diſpliceo enim mihi in pleriſque.Nã dum cogitur, & aliò quã quò cupit mens vocatur,inuita ſequitur, & ob id parcè,atque malignè ſuggerit & ſententias, & verba.Sed quamuis mihi ipſe diſpliceam, tamen ſi cui bono,atq; pio aliquid in hoc libello placuerit : ſiq; certè, quod vnum maximè cupio, ex eo quis flammulam aliquã diuini amoris conceperit, id ſatis erit, vt non fruſtra, ſed vt cum maxima vtilitate arbitrer , ſuſceptum fuiſſe à me , hunc iſtius libri conficiendi laborem.

VO-

Universidad de Deusto
Biblioteca

VOTVM.

Quo mens plena Deo, quantoq́ exæstuat igne
Inq́ vicem quanto flagrat amore Deus,
Dum reſero interpres diuini carminis, olim
Numinis impulſu quod cecinit Solomon,
Supremo, ò virgo, penitus dilecta tonanti,
Ipſe amor è cuius proſiluit gremio,
Da ſenſus rectos: da verba decentia: poſſe
Da ſanctos ignes pectore concipere:
Scilicèt, vt magno perfunctus munere, laudes
Diua tuas grato carmine concelebrem.

CANTICVM CANTICORVM SALOMONIS.

SALOMON IN HOC CARmine, quod conſcripſit dictante Spiritu ſancto, mutuũ inter Deum, & homines amorẽ expoſuit, id eſt Chriſti, tũ erga Ecclesiã totã, tũ erga fideleis ſingulos amorẽ. Expoſuit autẽ non ipſos, aut Chriſtũ, aut Eccleſiã palã loquẽteis inducẽs, ſed introducẽs tãquã in ſcenã inter ſe amanteis coniuges duos, qui Chriſti, & Eccleſiæ perſonam ſuſtinerent, & mutua erga ſe charitate exprimerent ſummam illam, & cæleſtem coniunctionem amoris, quæ eſt inter Chriſtum, & Eccleſiam. Itaq; tota huius libri oratio, figurata eſt, & allegorica. Allegoricam dico, non ea allegoria, quam D. Paulo authore, inducunt Theologi, cum in ſacris literis, à literæ, quem vocant, ſenſu, allegoricum ſenſum diſtinguunt: ſed quam tradunt rhetores effici ex perpetua metaphora. Conſtat autem oportere, vt quod iſto modo figuratè, & allegoricè dicitur, id omne ducatur ex eius rei natura, è qua ſimilitudo transfertur, id eſt, ex ea re, quæ palàm adhibetur, alterius rei occultæ loco. Nam ob eam cauſam adhibetur, vt in eius ratione manifeſta, alterius rei latens natura ſimilitudine quadã, tanquam in ſpeculo, cõſpiciatur. Quare neceſſe eſt, vt ea res enucleatè, qualis ipſa eſt, aptis & verbis, & ſententijs, & omnino ſuis coloribus exprimatur: aut certè ſine cauſa adhiberetur. Deinde etiam conſtat, id genus ſcripta aliud ſenſus, atque ſententiæ palàm oſtentare, ac præ ſe ferre, aliud cõtinere intra ſe incluſum.

Orig. prolo. in can. Pſell. prolo. in can. Hiero. lib. 1. aduerſ. Ioui. Bernar. hom. 8. in can. Lyran. in c. 4. canticorũ. Grego. & Ricar. de S. Vict. præfatione in cantica.

sum. Diuidique ea omnia in sonum (non enim mihi occurrit in præsentia commodius aliud verbum, quo nominem id, quicquid est, quod istiusmodi scripta statim primò audita significare videntur: quanquam scio priscos Ecclesiæ scriptores historiam id, aut historicam intelligẽtiam nominasse, sed vocetur nobis verborum sonus) Itaque diuidi in sonum, & sententiã, vt sonus sit exterior ille, qui oculis obijcitur sensus: sententia verò latens, & occulta intelligentia ea, ad quam exterior sonus transfertur, quæ eadem dicitur, & est literalis intelligentia. Postremò illud etiam est manifestum, quanquam horum scriptorum vera sententia non sit illa, quam ipsa scripta ostentãt, quamque nominauimus sonum, sed ea potius, quam intra se occultant, & includunt, tamen quid, & quale sit id interius, quod latet, ex eo, quod patet, atque conspicitur, quærendum esse, & interpretandum. Quibus ex omnibus efficitur, eum, qui isthæc scripta interpretatur, si quidem suo muneri satisfacturus est: primùm exteriores illos sensus exponere debere: deinde ex eis interiores, & veros eruere, atque explicare. Ne, si ignorata, aut inexposita eius rei natura, vnde similitudo ducitur, ad interiora explicãda statim accesserit, quasi amisso duce aberret longè à vero, incidatque in absurda, & secum pugnantia quædam: quẽadmodum nonnullis harum literarum interpretibus accidisse videmus, & nostra, & nostrorum auorum ætate. Hãc certè nos in hoc libello interpretando rationem sequuti sumus. Itaque singulis in capitibus eius libri separatim de vtroque diximus: & ex vno ad aliud gradum cõstruximus nobis, & alterum comparauimus cum altero. Comparauimus, inquam, ita vt res rebus conferrem, non autem, vt aut singula verba, aut minutatim cuncta, quæ in allegoria dicebantur, referrem ad interiorem intelligentiam. Id enim neque necessarium factu est, nec verò semper fieri

Origen. homilia. 1. in cauti.

potest.

potest. Haud enim parum multa in hoc genere ponũtur, magis vt institutæ allegoriæ seruiatur, quàm vt inde trãsferatur aliquid ad id, de quo agitur. Quod nisi viderem doctis, & intelligentibus hominibus notum esse, non solùm magna D. Hieronymi authoritate probarem, sed etiam perspicuum facerem multis productis exemplis: cùm ex sacris literis, tum ex aliorum authorum scriptis. Id certè in hoc carmine non semel fit. Quod carmẽ cùm Hebræi Canticum canticorum vocant, id intelligi volunt, præstare ipsum cæteris canticis.

Hier. in Ezech. c. 29.

CAP. I.

OSculetur me osculo oris sui: quia meliora sunt vbera tua vino: fragrantia vnguentis optimis. Oleum effusum nomen tuum: Ideo adolescentulæ dilexerunt te. Trahe me, post te curremus. Introduxit me Rex in cellaria sua: exultabimus, & lætabimur in te memores vberum tuorũ super vinum: recti diligunt te. Nigra sum, sed formosa, filiæ Hierusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis. Nolite me considerare, quia fusca sum: quia decolorauit me Sol. Filij matris meæ pugnauerunt contra me, posuerunt me custodem in vineis: vineam meam non custodiui. Indica mihi quem diligit anima mea, vbi pascas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum. Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi post vestigia gregum tuorum, & pasce hœdos tuos iuxta tabernacula pastorum. Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te, amica mea. Pulchræ sunt genæ tuæ, sicut turturis: collum tuum sicut monilia. Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento. Dum esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter vbera mea cõmorabitur. Botrus cypri dilectus meus mihi, in vineis Engaddi. Ecce tu pulchra es, amica mea: ecce tu pulchra es: oculi tui colũbarũ. Ecce tu pulcher es, dilecte mi, & decorus. Lectulus noster floridus, tigna domorũ nostrarũ cedrina, laquearia nostra Cypressina.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PRIMA EXPLANATIO.

PRIVS de exteriore sententia dicam, posteriùs interiorem,& veram persequar. Igitur, vt dixi, hic inducuntur in speciem pastores duo, vir,& fœmina,& inter se amantes, & inuicem à se distracti: qua ex distractione, mœrore, atque desiderio malè affecta fœmina, languere fingitur, itaque dicere: *Osculetur me osculo oris sui*. Videlicet, sociæ vina illi, atque vnguenta adferebant,quò eorũ vel odore, vel hausto fugientem animam reuocaret:quæ illa respuens dicit: *Osculetur me osculo oris sui*.Quasi ita diceret: Amouete ista hinc;atque auferte,nihil enim ad me morbo liberandum ista faciunt.Desiderio viri mei langueo: nec,nisi eo viso, morbo liberari possum.Adsit ille modò;mihiq; osculorũ suorũ aliquid impertiatur,id mihi ad sanitatẽ recuperandã satis erit: nec,præter id,quidquam erit satis.Itaque:*Osculetur me osculo oris sui*.Hebraicè מנשיקות Mineshcoth, id est de,vel ex osculis,hoc est vno,aut altero osculo, atque adeò nonnullis osculis. Nõ enim,inquit, multa millia osculorum deposco: vel vno aut altero illius osculo iã penè amissam vitam recuperabo . Ducta est autem hæc omnis oratio non solum ex affectu,sensuque amantium, sed etiam ex natura ipsa rerum.Nam amãtium animi nõ tam secũ ipsi,quã cum ijs,quos amãt, versantur: quoque longiùs ab illis absunt, eò magis à se, & à suis corporibus discedunt: minusque vim suam illis impertiuntur,ex quo corpora ipsa macie attenuãtur,pallentque,ac viribus animi destituta languent.Qui languor corporis quoniam ex absentia,& aberratione,vt ita dicam, animi totus oritur, ideò corpora ipsa naturæ tacito sensu,suoq; nutu reuocare ad se animum suũ cupiunt.Is autem cum eo,quẽ amat, versatur,& apud illum habitat. Auent igitur eodem naturæ inductu amicos videre,arctequè cõplecti, & id animi sui,

sui,quod intra illos est,haurire quoquo modo possint,& ad se transferre. Quod quoniam iungendis osculis, animaque legenda videtur maximè posse effici,ex eo fit, vt in amore tanta sit osculandi,vel cupiditas, vel voluptas. Languet itaque sponsa ex amore:cuius languoris medicina omnis in deosculatione sita est. Rectè igitur id vnum flagitat,dicens:*Osculetur me osculo oris sui*.Rectequè cætera fomenta vina,flores, vnguenta à suis sibi oblata aspernatur,aut certè aspernari fingitur.Quare etiam adiecit:*Quia meliora sunt vbera tua vino*,aut,vt alij; *Amores tui*: quoniam verbum Hebraicum ad vtrunque est anceps: quanquam & ipsa vbera pro amoribus in sacris literis translatè ponũ tur.Et quod sequitur.*Fragrantia vnguentis optimis*.Non so lùm,inquit,vino præstant,sed vnguentis excellunt. Nec adeo cuiusquam animum aut vinũ exhilarat,aut vnguentorum odor oblectat, atque ipsa viri mei amore, atque blanditijs reficior,atque confirmor. Sed quod vetus interpres posuit: *Fragrantia vnguentis optimis*. Alij ex Hebræo non admodum diuerso sensu vertunt: *Odori vnguentorum*. Est enim præcisè dictum, & cum admirationis significatione quadam,quod ita commodè: Porro fragrantiam vnguentorum Deest autem,Quis dicendo assequatur, vt explicet? Ac si dicat:Amores quidem tui vino quantũuis generoso præstantiores sunt. Nam de odore, quem vnguenta, quibus es delibutus,spirant, quid attinet dicere? Nam:*Oleum effusum nomen tuum*. Tam benè, inquit, oles, vt non odoratus modò,sed vnguentum ipsum, ipseque bonus odor dicare,atq; nominêre.Nota est figura loquẽdi,cum ad alicuius in aliquo genere præstantiam declarãdam,illi nomen tribuimus,eius ipsius rei, in qua excellere dicitur.Sicut Christus Dominus Simonem, Apostolorũ principem,& Ecclesiæ firmamentum futurum, non aut saxeum,aut de petra natum,sed Cephan Hebraica voce Matt. 16.

appellauit, id est, saxū ipsum, atq; petrā. Quòd autē, oleū, hoc loco Hebræi vocant, id Latini vnguenta nominant. Ea autem sunt è floribus, herbisve, aut manu expressi, aut igne eliciti, aut sua sponte fluentes, aut alio quouis modo confecti liquidi odores. Quod verò additur: *Effusum.* Epitasin habet odoris longè, latèque fragrātis, vt spōsus nō modò dicatur ipse odor, sed latè fragrās, & ad omneis parteis permeans odor. Nam vnguēta, cū recluso eo, in quo sunt, vasculo, effunduntur, tum maximè ex se odorem emittūt. Sequitur. *Ideo adolescentulæ dilexerunt te.* Amplificat, quod de odore sponsi dixerat. Nam eò fit, inquit, vt omniū adolescentularum fœminarum amorem colligas: omnibus charus, & iucundus sis. Quæ oratio ex media vitæ cōsuetudine expressa est. Nam omnes fœminæ, & maximè puellæ, huiusmodi odorum, atque mundiciarum sunt natura cupidiores. Atque, vt mihi quidem videtur, Salomon pudori, atque decori seruit, cùm Spōsę tribuit ista verba: nimirum: *Ideo adolescentulæ dilexerunt te.* Nam his illa occurrit, tacitis aliorum iudicijs, seq; tacitè purgat. Videbat eā fieri posse, sibi vt crimini daretur, quòd virū suum ad oscula, & amplexus, præter id, quod pudicam decebat, petulantiùs inuitasset. Id ergò auditorū cogitationibus sibi obiectum, & quāuis re falsum, tamen in speciē satis probabile, & à proba fœmina haud quaquā contēnendum crimen omni ratione diluit. Nam & huc pertinet, quòd Spōsum nominauit suprà, oleū effusum, dicēs: *Oleum effusum nomē tuū.* vt quò maiorē boni vim in sponso videremus, eò minùs miraremur ipsam præ amore penè sui obliuiscī. Et nūc idē agit, cùm dicit. *Ideo adolescentulæ dilexerūt te.* Quis enim nō concedat illi: quæ viri sui suauissimos erat experta mores, ipsum vt effusissimè diligat: cùm videat eundē certatim diligi à puellis omnibus, ad quas modò odor illius aliquis peruenisset? *Trahe me, post te curremus.* Et hoc ad amorē ampli-

amplificandum valet, sicuti superiora omnia. Nā primū his verbis docet, se amore ità languere, vt suis ipsa pedibus consistere nequeat. Deinde demōstrat, sic se ab eodē amore affici, sicque incendi, atque inflammari viri sui desiderio, vt quamuis languido, & imbecillo corpore, ipsum vel currentem sequutura sit. Languor quippè iste corporis, & in languido corpore ardens istud studium sponsum insequēdi, & ab amore effecta sunt, & sunt ipsa eximij cuiusdā amoris illustria argumenta. *Introduxit me Rex in cellaria sua: exultabimus, & lætabimur in te, memores vberum tuorum super vinum: rectè diligunt te.* Commemorat se compotem esse factam eius ipsius, cuius desiderio ardebat. Non quòd re ipsa cōpos effecta fuerit: sed quòd rei desideratę imago, quę illius animo obuersabatur, efficiebat, vt futura, & optata bona pro prę̄sentibus haberet; ex desiderātium, videlicet, more, atque affectu. *Introduxit*, inquit, id est, introducet, ex proprietate sermonis Hebraici: in quo sæpè præterita pro futuris ponuntur ad significandum eorum, vel quæ prædicuntur certos euentus, vel quæ desiderantur, non frustrandos fineis. *Rex.* Personę, quam agit oblita, regem illum vocat ex Hebræorum item loquendi consuetudine, qui in amore huiusmodi appellationibus vtūtur, mi frater, mi rex. *In cellaria sua.* Id est, in intimas ędeis: aptū, scilicet, ad amori vacandum locum: ex quo existit, quod sequitur: *Exultabimus, & lætabimur in te.* Quibus verbis significatur lætitię genus quoddā eximium, è mutuo amātium colloquio, & congressu exortū: non illud quidē caducum & leue: sed stabile, & manens, suique memoriam in animo impressam relinquēs. Et idcircò addidit: *Memores vberū tuorū.* id est, amorū tuorū *super vinum.* Atq; eius, inquit, gaudij, atq; lętitię, quā è tuo cōgressu pceptura sū: quę-q; omni suauitate suauior, & iucūdior futura mihi est, dulcissima memoria hęrebit pectori meo semp. Id qđ nemo

Iere. 22.

mirabitur eorum,quibus tu propiùs es cognitus. Nemo, inquam,eorum,quibus tua ſuauitas morum,tuaq́ue præſtans virtus nota ſit.Te,enim *recti diligunt*, aut quemadmodum in Hebræo dicitur,*rectitudines diligunt*.Te gratię, te omnes lepòres circunſtant:quidquid aut à fortuna optabile,aut ab induſtria præſtans,aut à natura excellens ineſſe in homine poteſt, omnis laus, omne decus, egregia omnis,& diuina indoles in te vno elucēt:nec elucent modò,ſed eluxerunt ſemper.Nam præteriti tẽporis voce dicitur,*Dilexerunt te*.quaſi ita dicat:Nõ aduentitia hæc tua eſt, aut recens,ſed à puero inolita,& innata virtus. Quãquam hic verſiculus, etſi optimè ille quidem à Hieronymo ex Hebræo in Latinum ſermonẽ expreſſus eſt,tamen poteſt, quoniamHebraica hoc loco ad plures ſententias ſunt ambigua,alio modo non incommodè verti:iſto,ſcilicet, Memorabimur:ſeu potius, in memoriam reuocabimus. Id enim propriè ſonat נזכירה Nazchira. Igitur in memoriã reuocabimus: & diſtinctione hic adhibita. Amores tui præ vino,hoc eſt, vino ſunt magis optabiles: quia recti, ſeu rectitudines,diligunt te. Ita vt tota iſta oratio tribus articulis conſtet,in quorum primo(nam duo reliqui perſpicuam habent ſententiam) itaq́; in horum primo quãuis breuiter & præciſè poſito(qualia ſunt ferè omnia,quę amantes dicunt)quiddam continetur, valde illis familiare.Nam qui inter ſe amant,quoties id euenit, vt ex interuallo ſe aſpiciant,poſt illa,quæ in primo congreſſu dici ſolent,protinus ſubijciunt,atque exponunt vterque alteri, quæ ipſis dum à ſe mutuò diſtracti aberant,vel triſtia,vel læta euenerũt.Itaq; quoniam poſuerat id, quod certa ſpe perceperat futurũ,ſuũ vt ſponſum aliquãdo videret,ſubijcit protinus,quæ hos amantiũ cõgreſſus natura ſequitur, cõmemorationẽ illã mutui, erga ſe animi, atque ſenſus. Ideoq́; dixit,Cõmentabimur,ſiue in memoriã reuocabimus,

mus,quas ſcilicet,moleſtias inuicẽ diſtracti pertulerimus, qui æſtus animorũ noſtrorũ fuerint,quantoq; laboraueri mus,tũ deſiderio,tũ metu.Sequit̃, *Nigra ſum,ſed formoſa filiæ Hieruſalem,ſicut tabernacula Cedar: ſicut pelles Salomonis.* Ad cætera,quæ de hac fœmina,cuius ſub ficta perſonavera res agitur dicta ſunt,illud nunc adijciamus:facie illam quidẽ perliberali fuiſſe dici,cæterũ ſubnigro colore, quales ferè eſſe ſolent omnes,quæ ruri vitã degunt fœminæ: igitur quia ſe talẽ agnoſcebat,ne quis fortè putaret, ſe in eo quod de ſponſi ſui erga ipſam amore iactabat, credula ſpe,atq; inani decipi,nec vero credibile eſſe, vt eo colore fœminã quiſquã tã ardenter amaret: vtq; ne ſui iactatione,atq; fiducia iſta,riſum cuipiam moueret:propterea his aliorum de ſe iudicijs occupatione occurrens, & colorẽ ſuũ purgãs docet,cũ ea coloris culpa egregiũ formæ decus,cæterarumq́; ſui corporis partiũ venuſtatẽ cõpenſari debere:ſibiq́; vſu venire idem,quod tabernaculis Arabũ, quos ſacræ literæ Cedar appellant,à Cedar Iſmaelis filio, eius gentis authore: qui Arabes quia ſubinde domicilia, atq; ſedes mutant,vaganturq; ſemper,tẽtorijs plurimum vtuntur.Ergo ſibi accidere ait quod Nomadũ tabernaculis:talemq́; ſe eſſe qualia ea tentoria ſunt,quibus in caſtris reges vti ſolẽt:quorũ quidẽ tẽtoriorũ ea pars quæ imbri, atq; ſoli exponitur coriacea ferè eſt,quo cœli iniurias perferre melius,atq; facilius poſsit:at interior altera opere Babylonico picta,tũ multo auro diſtincta, multiſq; gẽmis, cõtuentiũ oculos perſtringit,& ſplẽdore,& ſpecie: atque quemadmodũ nemo ſanus ea ex exteriore ſpecie deſpiciat,ſic ſe ait à ſuo ſponſo ex vno colore, nequaquã pẽdi, magiſq; ipſum reliqua totius corporis pulchritudine allici,quã deterreri nigrore.Qua in re Salomõ mirè expreſsit fœminarũ ingeniũ,quæ ſi quid in ipſis eſt, quod amatorũ oculos poſsit offendere,id ſolicitè occultãt,aut ſi occulta

re nequeunt ſtudioſè,& accuratè defendunt,quod ipſum planius fit ex eo quod ſequitur. *Nolite me conſiderare,quia fuſca ſum:quia decolorauit me ſol,filij matris meæ pugnauerunt cõtra me,poſuerunt me cuſtodem in vineis:vineam meam non cuſtodiui.* Nam defendiſſe ſatis colorem ſuum ſuperiori oratione videri poterat,& cum hac leui nota reliquam formæ elegantiam compenſaſſe,ſatiſque aliorum ſuſpicionibus occurriſſe pulchritudinis ſuæ cõmemoratione, & expoſitione illa. Sed quod alijs ſatis eſt,ipſi nõ eſt ſatis:ſatis vt appareat quid illam mordeat. Itaq; vrget idem, & hanc ſui coloris quaſi maculã eluere ſtudens affirmat,id quidquid eſt mali,non innatum malum eſſe,& eiuſmodi,quod deleri nequeat:ſed dum ruri in cuſtodiendo agro occupatur, & ſolem nuda facie excipit,id contraxiſſe dicit: additq; tali vitæ generi,non tam ſponte ſua vacaſſe ſe,quam iniuria ſuorum:in quo præclarè à Salomone ſeruatum eſt perſonæ decorum. Nihil enim,quæ ruſticam vitã ageret,cur nigra eſſet,cauſari poterat aut veroſimilius,aut ſuæ perſonę magis aptum,quam ſi ſe ſole peruſtam diceret. *Indica mihi quem diligit anima mea,vbi paſcas,vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum.* Redit tantiſper dum colorem defendit intermiſſus amor,atq; ex interuallo,vt fit, redit intentior. Nam dilationis iam,atq; moræ impatiens ſponſa continere ſe ipſam domi diutius nequit,& morantem ſponſum expectare:ipſa potiùs illum quærere ſtatuit. In quo amoris vis declaratur,cuius eſt is ardor, vt quæri ſe aut rogari ab alio minimè poſtulet,ſed occurrat ipſe potius,ſuaq; ſponte ſe amicis offerat iniuſſus, & inuocatus. Quare ſponſa quanuis ſibi, & languenti, & perblandè ipſum vocanti,neq; ſui videndi copiam ſpõſus fecerat,neq; reſponſum vllũ reddiderat,non tamen ob id, aut irata ab amando deſiſtit,aut ſibi factam iniuriam queritur, aut de priſtino ſuo amore aliquid remittit, imò hoc acrius ad aman-

amandũ accenditur:itaq; omnia accipiens in bonã partẽ, nec vero illud ſaltem ſecũ reputans decere ſe,vt pote fœminã,conueniri à viro potius,quàm virum ipſam conuenire,tãtum cognoſcere auet,quibus ille in locis verſetur: nam periculũ eſſe ait, ſi locorum ignoratione in aliorum paſtorum caulas errore fortaſſe inciderit, ne pudori ſuo videatur parũ cautè conſuluiſſe. Quanquam hæc ſponſæ oratio variè accipi poteſt:vno modo quaſi ea purgare ſe apud ſponſum velit,de ceſſatione ſua, quod illum hactenus ſequuta non fuerit: non id culpa ſua factum dicens, ſed ignoratione locorũ,in quibus ille verſabatur:quaſi ita dicat. Vtinam,aut tu id mihi renuntiaſſes,aut per me ipſa ſciſſem,quibus in locis verſarere iam diu eſt,quod vnà te cum eſſem. Quare quòd me hactenus domi cõtineo, nec te ſequor, atq; conuenio non deſidiæ deputare debes,ſed ignorationi:timeo enim,ne ſi ignara loci in quo es,te quę ſitum eam,& tempus inaniter conteram,& riſum moueã cæteris paſtoribus ſodalibus tuis, in quos errore viæ fortaſſe incidam. Altero modo,quem magis probo, vt hæc oratio ab animo tam longas moras nõ ferente proficiſcatur, contineatq; non tam purgationem deſidiæ aliquam (huius enim ne color quidẽ in tali,tãq; ardenter virũ amãte fœmina hærere vllus poterat)quam votũ, & deſideriũ eò veniendi,quo ſuus eſſet vir:& vbi terrarũ ageret,ob id ipſum,cognoſcẽdi. Nec vero quis miretur, aut abſurdum putet,ab eo qui abeſſe fingitur, id ſponſam quæſiſſe: nam qui amãt dulci quodã,& ex amore ducto errore cęci quid rerũ natura ferat ſæpè parũ attendunt. Itaq; quos diligũt videre,eos & præſentes alloqui ſibi videtur: iã eoſdẽ quęrunt abſentes,nec vbi gẽtiũ ſint rogati poſſunt dicere,ſcire tamẽ valde cupiũt. Iã illos qui abſunt,& à quib⁹ magnis locorũ ſpatijs diuiſi ſunt percõtantur,& rogant, multaq; huiuſmodi,& diçũt,& faciũt re quidẽ abſurda, amori tũ

conue-

conuenientia,atque apta,quo ex more hæc omnis ora tio ducta videtur,eadem abſentem ſuſpirat virum, eadem alloquitur preſentem,& à quo voces ſuas audiri non poſſe videt,ab eo petit vt ſibi roganti reſpondeat,ſeq́uedoceat ea paſcua,in quibus verſatur,quò ſine aberratione,ſineq́; pudoris aliqua iactura celerrimè ad ipſum veniat . Vnde ſequitur. *Ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum* . Id autem eſt,ne dum locorum ignara te requiro , aberrē per diuerſa loca,atque aliū ex alio de te rogans, omnes ſodalium tuorum caulas circumeam cum dedecore , & probro.Iam quod Latinus interpres vertit vagari , & in Hebræo eſt עטיה Hotiaa anceps verbū eſt,quo & vagari , & pallio tegi Hebræi ſignificant:quare alij vertunt , ne ſim cooperta , & pallio amicta apud greges ſodaliū tuorum. Coopertam autem cùm dicunt,meretricem intelligi volunt,ex cultu,quo meretrices eo tempore vti ſolitas legimus:nam quæ corpus vulgabant ſuum,pallio amictæ,& capite inuoluto,in biuijs,aut alijs id genus locis,quo com
Gene.38. meabant frequentes viri reſidentes virorum ad ſe aditus præſtolabantur.quod Thamar feciſſe dicitur,quæ tali cultu ſcortum mentita Iudæ ſocero ſuo impoſuit.Igitur ſiue hoc,ſiue illo modo,timet ſponſa,aut aberrationem , aut probrum,aut certè vtrumque,& probrum,& aberrationem. Atque hactenus illa:nam quæ ſequūtur ſponſi ſunt, qui rogatus iam adeſſe fingitur,atque ita dicere. *Si ignoras te,ô pulcherrima inter mulieres,egredere,& abi poſt veſtigia gregum tuorum,& paſce hœdos tuos iuxta tabernacula paſtorum.* De quo poſtremo loco rogat⁹ fuerat ſpōſus ad id primo loco reſpōdēs tradit ſpōſæ facillimā rationē ſui inueniēdi:ea autēeſt,vt hœdos,quoslacte depulſos domi incluſos reliquiſſe,vti paſtores facere ſolent,fingamus neceſſe eſt,ipſa ducter in paſcua.Etenim illi naturæ inductu veſtigia matrū agnoſcēt,eaq́; ſequēt es ſe ad illas cōferēt,id eſt,ad ea loca per-

peruenient,in quibus ipſe ſponſus paſcit reliquum gregē. *Si ignoras te*, illud, te,abundat ex proprietate ſermonis Hebraici , nec vim accuſandi habet , ſed nominandi magis. Hiſpanè aptè diceretur,Si no te lo ſabes:Non enim ſponſam ille arguit,quod ſe ipſa ignoret, nec illi rationem tradit qua ſe ipſa agnoſcat. Nam id quàm ab huius loci ſententia ſit alienum , ſeries ipſa rerum ſuperiùs memoratarum abundè docet. Quo tantum loco ſponſus cum grege eſſet,ſe id ignorare ſponſa dicebat,non quæ, aut qualis ipſa eſſet addubitabat. ad id igitur ei reſpondit, dicens. *Si ignoras te egredere, & abi poſt veſtigia gregum tuorum.* Id eſt, ſi tu quibus in locis ipſe verſer ignoras, egredere poſt veſtigia gregum tuorum. Quanquam & poſsit fortaſſe hoc iſto modo diſpungi:ſi ignoras, te ô pulcherrima inter mulieres egredere, vt ſit, te egredere,vt alibi gaudet ſe tellus, & apud Ciceronem,ſe emergit,& Poëta.Diuerſi ſe erumpunt radij.Porrò Hebraicum עקב Haquab,hoc loco plātæ extrema pars eſt ea quæ calcaneo proxima , impreſſaq́; pulueri veſtigium efficit.Egredi verò poſt veſtigia hœdorum,quod hic dicit,illorum eſt veſtigia legere,ac ipſos ponè ſequi. *Et paſces hœdos tuos iuxta tabernacula paſtorum.* Nā inquit, eos tu ſi ſequaris eo peruenies , quo ipſos naturæ inductus , & matrum amor perducet, ibiq́ue eos paſces, vbi ego reliquū omne pecus paſco, id eſt, ad me, id quod vnum optas , ſine errore peruenies, & addit. *Equitatui meo in curribus Pharaonis aſsimilauite,amica mea.* Ipſo primo ſpōſæ,ac deſiderato aſpectu delectatus ſponſus , & amore incenſus in hæc verba erupiſſe aptè fingitur. *Equitatui meo.* Ad verbum. *Equæ meæ.* Præſtant equi inter omnia animātia apta membrorum , & totius corporis compoſitione, atque figura, ineſtq́ue illis elegans quiddam, atque generoſum, idq́ue cum molli flexu crurum,tum elatione ceruicis,oculorumq́ue alacritate,tum ſpiritu ipſo, atque hinnitu

Universidad de Deusto
Biblioteca

nitu prę ſe ferunt: quę eadem in equabus, quàm in equis ſpecioſiora ſunt. Valet ergo hęc ab equabus ducta ſimilitudo ad declarandũ liberale illud, & ingenuũ, & elegans, quod elucebat in ſponſę facie, atq; corpore. Nec verò id nouum, aut abſurdum eſt elegantem fœminam adoleſcẽtem pręſertim, & viri expertem equę aſsimilari: notum namque eſt illud Lyrici,

Quæ velut latis equa trima campis
Ludit exultim metuitque tangi.

In curribus Pharaonis Id eſt, aduectis ex AEgypto ex regum eius gentis nota appellatione ipſam gentẽ ſignificans. Nominat autem currus AEgyptios potiſsimum, quia AEgyptij currus ea tempeſtate propter eorum egregium artificium in pretio habebantur. ad hęc alebantur in AEgypto ad vehendos currus equi pulcherrimi. Nam vt conſtat ex lib. Regum, Salomon ijs, cùm equis, tum curribus abũdabat. Sed recedit à paſtoris pèrſona, quã inducit, cũ equos, & currus cõmemorat. recedit ſanè, ſed vt, quod ſępius in hoc carmine animaduerti debet, id nũc ſemel dicatur. Sciri debet, qui in hoc carmine partes viri agit & ſi plurimũ ſub paſtoris perſona inducatur loquens, tamen ipſum interdum perſona detracta induci: nam curru, equiſq; iugalibus inuehi, regij potius, quam paſtoralis moris eſt. Nec verò vnus Salomon hanc in ſcribendo rationem tenuit, omnes potius ſcriptores quicunq; probati, atq; elegantes habẽtur, idẽ faciunt in allegoria, eãq; variãt, atq; diſtinguũt iſto modo, vel vt ſatietati occurrãt, quã perpetuus verborũ tranſlatè poſitorum vſus afferret, vel vt orationi lumẽ inferant: ſeq; ipſi interpretẽtur. Quod allegorię genus cõmiſtũ Fabius vocat ac frequẽtiſsimũ eſſe dicit, Itaq; de eo ait. Quo in genere & ſpecies ex accerſitis verbis venit, & intellectus ex proprijs. Sic ille cum exorſus fuiſſet ita,

Nondum ſubacta ferre iugum valet

cer-

3. lib. Reg. cap. 10.

ceruice, nondum munia comparis æquare.

Addidiſſetque

Circa virenteis eſt animus tuæ
campos iuuencæ, nunc fluuijs grauem
ſolantis æſtum, nunc in vdo
ludere cum vitulis ſalicto
Prægeſtientis.

Poſtea citra figuram. *—iam proterua*
Fronte petet Lalage maritum.

Et Virgilius Iulij dictatoris necem in Daphnidis perſona deplorans, cùm perſonæ decorum ſeruaſſet ferè in omnibus, in illo tamen.

Daphnis & Armenias curru ſubiungere tigres
Inſtituit, Daphnis thyrſos inducere Baccho.

Receſsit à decoro: propriè enim, & literatè poſuit, quòd à Cæſare, quo de agebat, factũ eſt. Is enim ſacra Liberi patris è Armenia Romã tranſtuliſſe dicitur. Idem vbi apũ prælia, atque mores, ducta à re militari, & Romanorum acie, atque caſtris tranſlatione perſequitur, alternis propè verſibus nunc in metaphora inſiſtit, nunc propriè loquitur, tranſlatè illud *—namque morantes.*

Martius ille æris rauci canor increpat & vox
Auditur, fracto ſonitus imitata tubarum.

Literatè, quod ſequitur.

—trepidæ inter ſe coeunt penniſq; coruſcant.

Rurſus tranſlatè.

Et circa regem, atque ipſa ad prætoria denſæ miſcentur

Propriè porrò *—concurritur æthere in alto*
Fit ſonitus magnum miſtæ glomerantur in orbem

Sine Metaphora illud

Nec verò à ſtabulis pluuia impendente recedunt
Longiùs, aut credunt cælo aduentantibus Euris.

Redit ad inſtitutam allegoriam

Sed

Sed circum tutæ ſub mœnibus vrbis aquantur
Excurſuſque breues tentant--

Sed, vt hos omittã, ſacri profectò ſcriptores, id quod magnus ille Chryſoſtomus verè animaduertit, quoties allegorias adhibent, adhibent autem illas ſæpiſsimè, nullus enim tropus in ſacris literis eſt allegoria crebrior, eas aut interpretantur ipſi, aut ita diſtinguũt proprijs notis earũ rerum, de quibus verè agunt, itaque temperant, vt facile prudens lector, quæ ſit earum ſententia aſſequatur. Quod vt doceam, exempla nonnulla proferam. Interpretantur ipſi, vt Eſaias in illa vineæ allegoria. Nam eam poſtquam perfecit, omnibus artis, & ingenij coloribus adhibita breui interpretatione, è veſtigio ipſam declarauit dicens, Vinea Domini domus Iſraël eſt, & vir Iuda germen eius. Et Ezechiel vates ſimiliter quod de gemina aquila, deque vinea ab altera illarum conſita, verſus alteram autem ſarmenta emittente, miris allegorijs inuoluit, reſerauit, & aperuit mox his verbis. Neſcitis quid iſta ſignificent. Ecce veniet Rex Babyloniæ in Hieruſalem, & quæ ſequuntur. Diſtinguũt etiam eas allegorias interdum proprijs notis rerum, de quibus verè agunt, ne quis aut dubitandi, aut ineptè interpretandi locus relinquatur, earumque allegoriarum plura ſunt exempla, ſed illud eſt in primis nobile, quod eſt apud Ezechielem, quo loco populi Iſraëlitici ingratum aduerſus Deum animum, & impios mores vates deſcribens, fœminam quandam inducit, in eum qui ſe ab infantia aluerat, & adultam vxorem duxerat, & præterea affecerat multis, ac magnis beneficijs ingratam, & infidelem. Nam cum accommodatè ad perſonam inductam, allegoricèque dixiſſet. In die ortus tui non eſt præciſus vmbilicus tuus, & aqua non es lota, neque ſale ſalita, & paulò infra. Et tranſiens per te vidi te cõculcatã in ſanguine tuo, & dixi tibi cũ eſſes in ſanguine tuo, dixi inquã, tibi in

Chryſoſto. in c. 6. Eſa.

Eſai. 5.

Ezech. 17

Ezech. 16.

in ſanguine tuo viue. Citra allegoriam adiecit. Et multiplicatam quaſi germen agri dedi te, & multiplicata es. Et ſtatim ad allegoriã rediens. Grãdis, inquit, effecta es, & peruenisti ad mundũ muliebrem: vbera tua intumuerũt, & pilus tuus germinauit, & eras nuda. Tũ illa. Et veſtiui te diſcoloribus. Deinde velut oblitus perſonæ fœmineæ addidit. Profeciſti in regnũ, & egreſſum eſt nomẽ tuum in gentes. Rurſus allegoricè. Et habens fiduciã in pulchritudine tua fornicata es, & expoſuiſti fornicationes tuas omni trãſeunti. Iterũ propriè. De auro meo, & argento meo quod dedi tibi feciſti tibi imagines maſculas. Sicq; ad extremũ vſq; ex vtroq; genere figurato, & proprio orationem ſuã temperat. Item in prouerbijs Salomon, ad illa quæ figuratè dixerat: Bibe aquã de ciſterna tua, & fluenta putei tui, & habeto eas ſolus, neſint alieni participes tui, & ſit vena tua benedicta: proprie, & literatè addidit id, ex quo facilè intelligeremus, quid illis tropis occultè, & verecũdè ſignificatũ eſſet. Itaq; ait. Lætare cũ muliere adoleſcentiæ tuę, cerua chariſsima, & gratiſsimus hinnulus, vbera illius inebriẽt te omni tẽpore, & in amore illius delectare iugiter. Sed exemplorũ modus iã ſit, eoq; reuertamur vnde digreſsi ſum⁹. *Pulchræ ſunt genæ tuæ, ſicut turturis: cellũ tuũ ſicut monilia.* Perſeuerat in laudãdo ſponſæ formã nõ ſolũ naturali, & ſuo bono præſtantẽ, ſed etiã cultu ipſo cõmendabiliorẽ redditã, quod ipſum elegãtis formæ argumentũ eſt. Nã quæ forma excellũt fœminæ, & incultę placẽt, & cultę nitẽt, quod cõtra accidit incõcinnis, & deformib⁹. Quã quam hoc loco ב & ג Hebraicorũ elementorũ ſimilitudo cauſam varię interpretationis attulit, alijs ità transferentibus, pulchræ ſunt genę tuę ſicut turturis, alijs in turturibus, ſed vtrouis modo ſe habeat iſta res, illud certum eſt, mundi muliebris partes quaſdam, & certi generis fœminea ornamenta his nominibus turturum, & monilių ſigni-

Prou. 5.

significari, quę autē illa, aut qualia sint explicare nō est facile: Nā quidā Hebraicū תור Thor, quod vetus interpres turtur vertit, catenulas ex auro prenues esse, volūt quidā perexiguas gēmas, pluresvno filo insertas, quidā sigilla perexigua turturū ex auro, argēto ve scitè facta. Memoria teneo signa fœminarū perātiqua vidisse me, quorū capiti inerat mitra cætera ad Grecū morē efficta, nisi quod à mitrę margine, ab ea parte marginis, quæ tēpora attingit fila perplura ducebātur, quę ad genas vsq; pertinebāt. Quod ornamēti genus nō solū est perātiquū, sed Palæsthinis id atq; Syris fœminis olim fuisse vsitatū ex eo cōijcio, quod Arabes, qui nostra tēpestate Africā obtinēt, plurimū vtūtur ijs, siue filis, siue licijs, nō solū in penulis, quas è lana, & serico cōficiūt ad imbres arcēdos, sed etiā in tyaris lineis, & prælongis, quas multiplici flexu capiti circūdāt. Verosimile autē est, ist hæc mitræ marginibus fila pendentia, è lino intorto vulgò fieri solita, ditiores verò, & nobiliores fœminas aurea illa gestasse, aut p illis vsas fuisse tenuib⁹ ex auro catenulis, aut margaritarū itē tenuiū, & filo insertarū plurib⁹ ordinibus, quorū ad extrema addita essent sigilla turturum aurea, & perexigua, idq; ornamētum vocari Hebræis תורים Thorim multitudinis numero. Hæc cū scribebā didici à quodā Arabe, cuius vtebar opera idē quod ego cōiectura ex antiquis signis descripsi fœminei capitis ornamentū, aut certè illi valdè simile, nunc in vsu esse Arabib⁹ fœminis, vocariq; ab illis patria lingua Humal hazē. Esse autem vittā lineā acu pictā longā octo digitos, latā tres: eius ab altero margine duci plures ordines filo insertorum, aut orbiculorū aureorum, aut margaritarū tenuiū, aut mixtim vtrorumq;: eā vittā cæteris, quibus capita ornant, Arabes fœminas superaddere solere, religareq; arcto nodo, ita vt margaritarū ordines illi, qui è vitta pēdēt ad cilia ferè pertineāt, & frōti atq; tēporib⁹ inuolitēt. Atq; hæc de turtu-

ribus.

rib⁹. Monilia porrò quę Latinus interpres vertit, & Hebraicè מרוזים Haruzim dicūtur nomē, vt quidā volūt permutatione vni⁹ literæ à ארז Haraz deductū, è cedro torno elaborati minutissimi globuli pforati, & filo iuncti, quibus p torquib⁹ vtūtur fœminæ, esse dicūtur, ij nūc, vel è corallo, hebenove, vel è gagatis minutissimis fragmētis fiūt. Id igit colli ornamentū, hoc loco cedri multitudinis numero appellat: simili figura, atq; in Hispano sermone idē ipsum ornamentū vocitatur. Los corales, Los azauaches. Sunt etiā nōnulli, qui id nomē à verbo ארז Haraz quod attenuare significat deduci volūt, sonareq; dicūt Haruzim attenuata, aut minuta, vocari verò ea ornamēta attenuata, ppter exiguitatē, & tenuitatē earū partiū ex quib⁹ cōstant. Sequit. *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argēto.* Quod superius turtures hic murenulas verrit: nā in Hebræo vtrobiq; תורים Thorim legit. Ex quo intelligitur, vel ipso Hieronymo teste, turtures muliebre ornamentū esse, *Murenulas aureas.* Quoniā, vt video, inquit, genis tuis, atque ori decus addunt ista ornamēta: iā ea tibi ex auro atque argēto faciēda curabo, quo eis, & libētiùs vtare, & ornere magis. Atq; hæc spōsus. Cui spōsa. *Dū esset Rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* Alternis prope versibus sibi inuicem respōdent, & amore certāt inter se: idq; iure faciūt. Est enim turpe in amore vinci. Ergo remunerat spōsum nardo, vel potiùs promittit se remuneraturā, pro turturibus aureis, quas ab eo dono acceptura erat. Atqui vt virorū est aurū dare amicę, quo se ornet, sic fœminarū, vnguētis imbuere amatores suos, officioq; sasq;, & amātes erga ipsos se ostēdere; hoc pręcipuè officij genere. Aptè igitur Salomō vtriq; psonæ dedit, quod vtriusq; erat maximè propriū. *In accubitu suo.* Hebraicè מסבו Mesab quod orbē, aut circuitū sonat. Accipitur autē hic pro triclinio, sic ab Hebręis appellato: ppter eaquod antiqui cubātes, & thoris cubito innixi, atq;

Universidad de Deusto
Biblioteca

in orbem positi, cibum capiebant. *Nardus mea*. De nardo Plinius, & Dioscorides: Huius radix odore præstat, è qua vnguentum suauissimi odoris olim conficiebatur, cuius Galenus meminit, de quo vnguento etiam ille.

Nardi paruus onyx eliciet cadum.

Id vnguētum Græci ναρδινον vocant. Hebræi autē eodē, quo fruticē ipsum nomine appellāt נרד Nered, *Nardus mea*: suā nominat propterea q̄ eo vnguento, ipsa, vt omniū suauissimo, & odoratissimo maximè delectaretur. *Dedit odorē suū.* à cōsequentibus rē notauit: perinde igitur est, ac si diceret in te, mi rex, cum discubueris effundā Nardi pyxidem: dabit tunc Nardus mea odorē suum, id est effundetur: nā vnguēta cū effunduntur tunc maximè emittunt ex se se odoris vim. Sed cur in cōuiuio, & nō in cubiculo potius? quia seruit suę gētis cōsuetudini. Etenim Hebræis in more erat quos ad conuiuiū vocabāt antequā discumberetur, vel in ipso accubitu, vnguētis perfundere, maximè autē id faciebāt, cū aut magistratū, aut superiorē aliquē inuitabāt. Ita q; apud Ioannē, Maria in caput Dñi Iesu in triclinio sedētis nardi pretiosissimi vasculū infudisse dicitur. Et Christus ipse apud Lucam in. 7. nō sine tacita reprehēsione Simonis qui ipsum inuitauerat, & id officiū, vel fastu, vel negligentia prætermiserat, huius moris meminit dicens. Oleo caput meū non vnxisti: hęc autē vnguēto vnxit pedes meos. Sed addit. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur*. Proximè superiora grati animi indicia erāt, hęc autē tenerè amantem animū declarāt. Nō solū, inquit, vnguentis te perfundam meis, quod qui nō amant officio interdū, & gratificandi studio, & patrio more magis quām charitate aliqua inducti faciunt: sed quantum amant fœminæ rosam, quamq̄ illis charū, & gratum est è floribus corollas sibi, & fasciculos concinnare, quos ad nares admoueant, & sinu recondant: tam ipsa te, & præ

Ioan. 12.

præ oculis geto, & intra meum pectus, verissimo amore recondo. Nam neq; tu minus pulcher es quā rosa, neque ego patêre rosæ sin? potius, quam tibi pectus meū volo. Ducta est autem omnis hæc oratio ex communi more adolescentularū fœminarū, quibus plurimus est, atq; per gratus rosarum, atque florum vsus. Myrrhæ porrò fasciculus, qui dicitur, is è myrrhæ floribus atque solijs confectus, & concinnatus est intelligendus. Est enim myrrha humili stipite arbor in Arabia, & Syria maximè prouenies, cuius flores, atque folia suaui odore sunt. Sequitur, *Botrus cypri dilectus meus, in vineis Engaddi*. Eodē quo superiora sensu, etiā hæc dicūtur, nisi quod ipsa similitudinum geminatio, & eiusdem sententiæ repetitio ad amoris vim magis declarandā pertinet. Quid autē Copher sit, pro quo vetus interpres Cyprum posuit, quid vineæ Engaddi, incertum sanè, quando vetustate cum rebus ipsis, multorum etiam nominum cognitio obliterata est. Itaque alij aliud. Vetus interpres Cyprum vertit. Cypri autem nomine arborem eam intelligit, cuius meminit Iosephus non Cyprum insulam, vt quidam arbitrantur: alij Caphuram esse putant: alij genus palmæ quoddam. Qua in dissensione valdè est verosimilis illorum sententia, qui Copher Hebræis dici volunt id arbustum, è quo elicitur balsamum, quod est viti simile. Idq̄ue fit credibilius ex eo, quod additur. *In vineis Engaddi*. Nam Engaddi vrbs est ad mare mortuum, vt in libro Iud. scribitur, quo in loco vites quæ ferunt balsamum maximè prouenire Iosephus est author. capitu. 27. libri. 4. Iudaicæ captiuitatis. Ad hæc sponsus è vestigio respondet. *Ecce tu pulchra es amica mea: ecce tu pulchra*. Cōtentione non solùm laudandi studium accenditur, sed amor etiam ipse auctior efficitur: & quò plura hi coniuges inter se dicunt, eò plura dicere auent. Neque sibi ipsi satisfaciunt mutuoq̄ue in aspectu

defixi vtriq; ab altero gratior semper ad oculos species ve-
nit: mirantur quæ se inuicē magis, quo magis in se ipsi in-
tuētur: quæ ex admiratione ista sunt. *Ecce tu pulchra es amica*
mea, ecce tu pulchra Nō solùm inquit, pulchrè ornata, vt an-
te dicebā, sed tu ipsa per te, & tua sponte pulchra. Et quate-
sibi ita videatur declarat dicēs. *Oculi tui columbarum.* Memi-
nit oculorū in primis, quia in illos præcipuè aciē ipse ocu-
lorum suorū directā, & intentam habebat: & ex illorum
luminibus dulce ad se transferebat lumen. Ad hæc quia
hæc corporis pars magnū momētum habet ad pulchritu-
dinē in vtrāque partem, idcirco cōmemorat oculos, vel
solùm vel primū. Etenim turpibus oculis nulla quāuis ho-
nesta facies placet; pulchri autē, & gratè micantes ipsi per
se cōmēdare formam possunt. Columbæ autē, quarum
meminit, non Hispanæ, aut Italæ accipiēdæ sunt, quæ parū
certè oculorū pulchritudine præstant, sed quas Syria, aut
Palæsthina alit colūbas, ab ijs similitudo ista ducitur, quarū
esse dicūtur formosissimi oculi cum figura, tum splēdore.
Sed sponsa illi statim. *Ecce tu pulcher es, dilecte mi, & decorus.*
Sua illi verba resignat, nec sine corollario quidē, addidit
enim, & decorus. Pulchritudo in membrorum corporis
apta figura cū quadā coloris suauitate cōsistit: decor verò,
& venustas, & dulcedo (nā omnia ista Hebraico נעם Na-
him significantur) nō in partiū figura modo, sed in motu
etiam, & sermone, in q; habitu, cultu, aspectu, ac omni de-
niq; actione pernitur, idque recte concinnitas appellatur:
cōcinnique, & apti, & salsi, qui eo præstāti cōtra qui carent,
incōcinni, inepti, insulsi. Atque vt pulchritudo ea, quæ ex
membrorum apta figura existit, nisi hac cōcinnitate con-
diatur, insulsa planè sit ita cum ad eam hic sal accesserit, effi-
citur eiusmodi, nihil, vt ea fieri possit cōditius. Præstat igi-
tur vtraque laude sponsus, id est perfectè, & cumulatè pul-
cher est, idque ita sponsæ videtur: quod magis declarant

quæ

quæ sequuntur. *Et lectulus noster floridus, tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina.* Non solùm in-
quit tu pulcher es, sed lectulus etiam noster, nostraque do-
mus tota, à te pulchritudinem mutuantur: & ob id ipsum
quia tua sunt, florere mihi omnia videntur, atque aurea
esse: quod ex amantium loquendi consuetudine ductum
est, vt cætera omnia. Quamquam etiam in eo quod de le-
ctulo, & de eius amœnitate sermonem hoc loco spon-
sa infert, personæ, vt videtur, seruit. Nam vt virum natura
genuit ad exercitationem forensem, & extraneam: ita
mulieri domestica negotia curāda tradidit: viro ēm dedit
vt sub dio sæpe manēret, vtq; calores, atq; frigora pateretur, iniret itinera, subiret certamina pro re tū priuāta, tum
publica. Mulieris autem operam ad domesticā diligentiā
comparauit. Itaque inter cætera ad eius curam pertinere
voluit, domus vt munda esset, ac sordibus vacans, vt
abaci ornati, triclinia culta, omnia prænitentia, in
primis autem lecti strati perpulchrè. Nam is cul-
tus viros inducit, ad id, vt domi libentius mane-
re, atque esse velint. Illa certè, cuius mentio fit in pro-
uerbijs, eius ostentatione cultus virum ad secum vnà
commorandum inuitat. Atque hactenus verborum,
quem diximus sonum persequuti sumus, & quasi in *Prouer. 7.*
scena res ageretur, suas cuique personæ voces dedi-
mus, siue potiùs à Salomone datas sumus inter-
pretati: iam sub ijs personis, & corporeorum amo-
rum imaginibus, quid arcani, ac diuini lateat ag-
grediamur dicere pro eo quantum nobis Deus intelli-
gentiæ, ac sermonis concesserit. Est enim magna res,
& planè supra hominis vires, & denique eiusmodi, vt
vix possit intelligi, nisi ab ijs, qui eam non tam doctoris
alicuius voce quam ipsa re, & suauitatis experimento
à Deo didicerunt, de quorū numero nō esse me, & fateor,

& doleo. Sed qui nos in hanc scribendi, siue voluntatem, siue necessitatem induxit Deus, is, vti spero, scribentes adiuuabit, ea vt doceamus, quæ cum ipsi, cui vni gratum facere cupimus accepta, tum sanctæ Romanæ ecclesiæ, cui omnia nostra probari volumus, sint vtilia. Deo igitur auspice sic ordiamur.

ALTERA EXPLANATIO.

CONstare video ferè inter omnes, in his personis effictos animi iusti amores, & expressam imaginem vitæ spiritualis declarari, amorem inquam Dei erga suos, ipsorum item erga Deū prona, & incensa studia: quæ expiè acta vita oriantur, voluptates: quā sint dulcia virorū bonorū cū Deo colloquia, quā familiares cōgressus, aliaq; itē omnia, quæcunq; pertinent ad hāc vitæ rationem. Sed vtrum hîc singulorū tantum, an cōmuniter omnium bonorū ratio explicetur, id est, vtrum, in hoc carmine declaretur amor Dei erga singulos bonos, an potius erga ipsum cœtū, & conuentū bonorum, quæ Græco vocabulo ecclesia dicitur, in eo non omnes cōsentiunt, quanquam mea quidem sententia cur dissentiant causa nulla est: cū vtrunque nō solum verū sit, sed necesse sit esse. Nam & ratio totius semper ex partibus existit: & in natura ipsa qualis est descriptio vniuersi, talis est ratio singularū eius partium, proportione tamen cuiusque partis. Quare fateamur in his personis non ecclesiæ modo, sed cuiuslibet etiā pij, ac fidelis hominis imaginē inesse, & posse hoc diuinū carmē aptè referri ad vtrumque genus. Id quod priscis, & nobilibus scriptoribus placuisse video, quorū vestigijs libēter insisto. Sed quemadmodū hos probo, ita illos probare nullo modo possum, qui vtrumque interpretationis, & sententiæ genus dum simul sequi volunt, neutrum assequuntur; sed confundūt,

atque

atque miscent vniuersa: carminisq; huius partes quasdam ad Ecclesiam propriè pertinere volunt, quasdam alias de singulis pijs hominibus interpretantur, cum contra deberent, aut tantum in alterutro genere interpretationis insistere, aut vtrunq; exequi ad extremum vsque integrè, & non interrupto filo. Nec enim adduci possum, vt existimem, partem vnam carminis huius in vnam ecclesiā quadrare: partem aliam singulis iustis propriè conuenire: sed totum illud cum singulis, tum vniuersis verè accommodari posse arbitror: idq; factum à Deo credo, vt cū in vna ficta persona sui erga nos amoris imaginem expressisset, eamq; notis nobis rerum corporearum, & verbis & sententijs formasset, obiecisset q; oculis contiendā nostris: in eā nos intuentes, cū de Ecclesia, id est, de omnibus bonis cōmuniter, tum de singulis bonis propriè cogitaremus. Maneat igitur hoc, quod moueri non debet, in hoc carmine, non solū de vtroq; genere agi, sed totum ipsum, cū ad singulos, tum ad vniuersos communiter pertinere: illosq; errare, qui in eo, quod vnum atq; continens est, partitiones sine causa faciunt. Mihi porrò non est in animo de vtroque genere scribere in præsentia. Esset enim nimis lōgū, mihiq; id permolestum, qui ad has scriptiones, non vt alij, animi, aut oblectationis causa, sed necessitate quadam compulsus accessi. Non igitur agam de vtroq;, sed id exequar tantum, quod ad singulos pertinet: atq; ita exequar, vt demonstrem Dei amantem hominē per singulos amoris gradus ad summum vsq; euehi, atq; perduci: & quos progressus ille in amore facit, & quo ordine facit, eos, eodem ordine, & via, miroq;, & rerum, & sententiarum textu in hoc libello explicari. Nam quod nonnullis visum est non cohærere satis inter se partes huius carminis, nec certo aliquo ordine, atque vinculo iungi, sed ex diuersis tanquam centonibus constare totum, vtpotè consta-

tum è pluribus amatorijs sententijs magna diuini amoris mysteria explicantibus, verũ nullo certo copulatu inter se cohærẽtibus, id ego falsum puto, atq; eo magis puto quò magis attento animo singula, quæ hic dicuntur, considero. Initia profecto, & tanquã incunabula diuini amoris primo dicuntur: progressus deinde, & incremẽta: postremò ad supremũ amoris gradũ dicendo peruenitur. Et qui ordo rerũ inter ipsas est, idem carminis totius, eiusque sentẽtiarum existit. Nec est aliquid eorũ, quæ in hoc amoris tãquam stadio currentibus accidunt, vel in carceribus, vel propè careeres, vel in ipso spatio, vel cum ad metas est peruentum, quod non hîc suo quodq; loco ponatur. Idq; vt ita censeam multis, & magnis causis adducor, quas omnes si iam explicare vellem, carminis huius propè verba omnia hîc in ipso initio, & interpretationis introitu, percurrenda mihi essent, & interpretanda: confecissemq; iustũ commentarium in ipso commẽtationis vestibulo, quod esset perabsurdum. Quare suis quæq; locis commodiùs explicabuntur: illud vnum modo. Cùm in hoc animi ad Deũ amoris ascẽsu sint tres gradus, è quorum infimo per medium ad supremum peruenire quisque potest, & verò multi perueniunt: quos gradus viri sancti, & horum amorum periti, & distinxerunt olim, & notauerũt proprijs nominibus. Nam qui in infimo gradu esset, eũ incipientẽ appellarunt: cũ idem ad vlteriora profecit, proficientiũ gradum tenere dixerunt: vbi autem ad supremum cuasit, iam perfectum ipsum nominantes perfectorum in gradu collocarunt. Igitur cum hæc ita sint, dico ad hanc triplicitatem vitæ, atque graduum diuisionem, hoc omne carmen à Solomone accommodatum esse: & illos tres gradus, quamuis nominibus eorum tacitis, re tamen ipsa atque vi positos esse ab eo in hoc carmine affirmo. Deum amare incipientis affectus, atque voces describuntur, à cap. 1. vsque

vsque ad capitis 2. partem illam: Vox dilecti mei. Ab eo loco ad illũ capitis quinti, vbi eadẽ verba, scilicet: Vox dilecti mei, repetuntur, proficientis in amore tota ratio declaratur. Reliqua verò carminis ad finem vsque, perfectorũ, in amore propria planè sunt. Itaque his tribus in locis, trina fit pulchritudinis sponsæ commemoratio: eaque laudibus celebratur ter. Primò parciùs, idq; à solo spõso: deinde vberiùs, cum ab sponso, tũ à nonnullis alijs: postremo effusissimè, & copiosissimè, & ab sponso, & ab omnibus. Ex quo intelligitur hîc amoris quosdã gradus describi, & quid intersit inter ipsos poni: tum quomodo à primo ad mediũ, ab eoq; ad summũ perueniatur doceri: huiusq; rei demonstrationẽ, verũ huius libri argumentum esse: eoq; tanquã in finem referri, omnem illius orationem, atque sententias. Quem nos finem præcipuè intuentes in eum, nostram interpretationem maximè dirigemus: ac primũ dicemus exordia amoris eorum, qui in primo, & infimo amandi gradu consistunt Spiritus sancti verba, & tanquã vestigia legentes, quorum initium hoc est. *Osculetur me osculo oris sui.* In animi ad Deum ascensu, vt diximus, sunt gradus tres: horum autem singuli plures, atq; varias res in se continent. Cõmune est omnibus, vt à vocatione Dei initium sumant. nã nisi Deus nos, aut viæ oblitos vocet, aut languentes in via atque residentes, ad institutum iter peragendum excitet, atq; adiuuet; neq; de principio iustitiæ iter aggredi, neque id ingressi in eo progredi postea possimus. Igitur vocemur à Deo necesse est, siue qui in peccatis residemus adhuc, vt noxium torporẽ à nobis repellamus, siue qui in bono aliquos iam progressus habemus, vt ad vlteriora, & meliora contendamus. Porrò qui vocati sunt, neq; ad eam vocem aures obturauerunt suas, amare Deũ statim incipiũt, ac esse cũ eo vnà quærũt. Deus verò hunc eorũ amorem, & desiderium sui, primùm obiecta

aliqua

aliqua re molesta, ac difficili probat. Etenim multi sunt, qui vocati audiunt, & cælestis dulcedinis primo gustu capti, atque inescati amore erga Deum ac desiderio accenduntur. Sumus enim natura omnes voluptatis appetētes, atq; auidi. At ijdem, si accidat, vt ob pietatis causam, subeundus sit illis labor aliquis, aut quidquam molesti perferendū mutata voluntate, ab instituto amore discedunt, Luc. 8. suntq; de illorum numero, de quibus Christus. Qui super petram, ij sunt qui cum gaudio suscipiunt verbum Dei, & in tempore tentationis recedūt. Igitur quos vocat Deus, & à quibus se diligi, atq; amari videt, eos primò probat, deinde pertentatos, atq; probatos fauore complectitur: eorumq; desiderio, atq; honestæ, & probabili voluntati obsequens, illabitur iucundè in ipsorum animos: ipsoque illapsu, eos tū erudit interioribus sermonibus blandis, & salutatibus: tum ingenti quodam gaudio, atq; voluptate perfundit. Hoc autem illapsu, & eruditione humana mēs maior efficitur: itaq; supranaturā elata suā ad corpus deficit, & ad Deum tota rapitur. Tot igitur rebus, nimirū vocatione Dei, amātis animi desiderio, eius probatione, illapsu interiori, amatorio, & dulci sermone, ac tandē raptu, siue, vt Græco verbo significantius dicitur ἔκστασι eorum singulorum, quos diximus, graduum tota ratio constat, atq; perficitur. Singulorum dico, ne quis putet ex ijs quædā esse propria eorū qui in primo gradu consistunt: quædam ad eos qui profecerunt, aut iam perfecti sunt pertinere. Vniuersa nāque in singulos gradus cadunt, expressiora illa quidem, & illustriora sunt in altioribus: omnia tamen in singulis inueniuntur, quod ipsum in hoc carmine non obscurè perspicitur. Nam cū omne id diuisum sit in partes tres, quarū singulæ singulorū graduum continent explicationē, omnia ista quæ diximus, è quibus vniuscuiusque gradus ratio cōpletur, in singulis partibus rerū corporum

rearum vocibus, & velaminibus mirè tecta describuntur, terque eadem omnia quamuis pluribus verbis, illustrioribusque sententijs in vna quàm in alia parte amplificata, & exaggerata magis: tamen eadem ipsa ter in hoc libro repetuntur, neque præterea quicquam aliud additur, aut commemoratur. Sequamur igitur hoc filum, quo nullo neq; magis certo, neque magis fido vti poterimus ad huius carminis tanquam labyrinthi ambages, & sinuosos flexus sine errore obeundos, eoq; fisi pedem in hæc adyta inferamus: quorum in vestibulo, ac primo limine imago nobis occurrit animæ recenter ad Deum amandum conuersæ, ipsumque desiderantis, ac se ex desiderio afflictantis, itaq; dicentis. *Osculetur me osculo oris sui.* Prætermissa vocationis Dei commemoratione, & expositione, hanc primam partem Solomon exorsus est, à desiderio amātis animi, quod meritò, ac iure fecit. Nam illa vocatio prima qua reuocatur ab impietate homo, non ad amantem fit, sed ad inimicum, atq; hostem, neque quia nos aliquid prius fecimus, quod gratum Deo, & acceptabile esset, idcirco vocamur, sed contra potius quia vocamur, quia que cælesti hausto lumine videre incipimus quàm præcipiti, & periculoso in loco versemur, nos colligimus ipsi, pedemq; ab impietate reuocamus, sicut scriptum est: Non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, & rursus: Quoniam Deus prior dilexit nos. Quia igitur qui ad primam iustitiam vocantur, nondum ipsi iusti sunt, aut Deū amant, sed ad id potius vocantur, vt iniusti esse desinant: Deumque amare verè & ex animo incipiant: ideo non decuit, vt in eo carmine, quod totum amatoriū est, quodque ad mutuos Dei, atque hominis inter se amantium sensus explicandos comparatum est, atque confictū eius rei mētio fieret, quæ ad eos propriè pertinet, qui Deo inimici sunt. Id enim si factum à Solomone fuisset, inducen- 1. Ioā. c. 4.

dus

dus etiam ab eodem esset, ac verbis fingendus homo, quales sunt qui vocantur, animo à Deo auerso, & in terram prono, atque defixo. Cõtineretque hic liber non tam animæ Deo nuptæ epithalamium, quam læsi, & violati amoris reconciliationem. Quare illa Dei prima vocatio, omninò hic inferenda non fuit, sed ex alijs, qui à Solomone conscripti sunt, libris, quique hoc carmen ordine præcedunt sumenda. Qui profectò libri toti, Prouerbiorum, & Ecclesiastæ libros dico, in hac vocationis ratione, atque doctrina multum versantur: idque maximè agunt, vt partim monitis, partim minis, atque terroribus homines à flagitioſa vita reuocent ad honestam. Itaque in ipso libri Pro-
Prou. 8. uerbiorum initio, aut paulò post initium diuina inducitur sapientia, omnia vrbis loca obiens: atque è loco edito intenta, & exaudibili voce clamitans, itaq; dicens. Intelligite paruuli astutiam, & insipiētes animaduertite. Ad hæc ancillas mittens, quæ suis verbis illis dicant. Si quis est par-
Prou. 9. uulus, veniat ad me: & insipientibus locuta est. Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis, relinquite infantiam, & viuite, & ambulate per vias prudentiæ. His igitur vocibus, & hortatibus qui paruerũt, quiq; ab erroris itinere, quod instituerant, pedes retrahentes suos in domicilium sapientiæ se cõtulerunt, & pulchritudinis illius amatores facti sunt: eos præceptis iam, atq; monitis satis instructos ab se dimittunt illi libri: traduntque Salomoni per Itabirium, atque Libanũ, perq; Carmeli myrteta ad Ierosolymam vsque, id est, per amoris gradus omnes ad culmen ipsum amoris hoc carmine perducendos. Atque quemadmodum hoc carmen libros illos sequitur: ita quod illis in libris perfectum iam est, hîc haud repetit Solomon, sed eo posito ad ea, quæ sibi perficienda restabant progreditur: assumitque hominem iam è superioribus suis scriptis satis edoctum, & ad Deum

Deum conuersum, id est, iam vocatum à Deo hominem, & ex peccatore iustum effectum: eiusque hominis, quæ deinceps vitæ ratio futura sit, quivè amoris cursus aggreditur explicare: non quasi de altero loquens, sed eum ipsum qui vocatus est sub ficta persona inducens loquentem, &, quod vocationem statim sequitur, aspirantem, & anhelantem ad Deum, cuius iam aliquem gustum in ipsa vocatione perceperat. Vocationem cum dico, eam, quæ interius in animo fit, intelligi volo: quæ tota diuini luminis infusione, & cælestis voluptatis sensu perficitur. Etenim Deus quos vocat, eò vocat, quòd illorum mentibus immittit lumen suum, facitque sicut scriptum est, lucem splendescere in tenebris: quodque præbet illis aliquem sui gustum, quo gustu efficitur, vt incipiat illis esse dulce, & optabile: quod antea non ad palatum modo, sed ne ad aspectum quidem admittebant. Sed iam isto dulcedinis, & voluptatis illicio inescata anima, quid dicat, audiamus. *Osculetur me osculo oris sui.* Præterita, inquit, mea studia condemnaui: quidquid ante hoc tempus dilexi, frustra me illud, & sine causa dilexisse professa sum: quod iudicaui suaue aliquid in vita, aut dulce esse, errore deceptam me iudicauisse dixi: verorum bonorum, tuique in primis dulcissimi amoris gustu priorum amorum omnem sensum amisi: fastidio illos iam, abominor, detestor. Quantum à veritate vmbra distat, aut potiùs quantum interest inter dulce & amarum, tantum tua bona illis bonis antestant. Illa vino similia, inanem lætitiam modo, & spes fallaces, & gaudia vana quædam afferunt: eosque qui ipsis indulgent dementes, & ebrios reddunt: illa caduca sunt turpia: misera: at vbera tua, amoresque tui suauissimi: promissa

Chryſ. ho. de turture.

Auguſt. in ſolilo. c. 1.

Universidad de Deusto
Biblioteca

missa tua,& ea quæ ex te sunt bona, vera, æterna, gloriosa,plena lætitiæ,plena honestissimæ voluptatis. Hæc sola appeto,solaque bona esse duco.Horum quoniam quadã ex parte,compos effecta sum, quoniamque ex turpi vita, & meretricia abs te erepta, magnoque abs te eodem in pretio habita sponsa tua esse cœpi, iam in thalamum tuũ introferri ardentissimè cupio,idque vnum suspiro. Nam quæ hactenus abs te accepi,ea non tam cupiditatem meã expleuerunt, quàm incitarunt & auxerunt desiderium. Quo enim plura ex te haurio,eo ad te magis sitio.Confirma igitur quod in me operatus es:tuum beneficium,atq; munus amplifica:possim te præsentem præsens amplecti: fas mihi sit dulci tuo ex ore legere sanctissimum illum spiritum,cuius iam nonnullam partem accepi, cuius communione viuo & spiro,cuius vel primus gustus tam dulcis mihi fuit,vt præ eius dulcedine vel ipsum vinũ, quod hominis cor lætificare maximè dicitur, hoc est, vniuersa ipsa mortalium studia,& quidquid terreni,ac falsi homines pro suaui,ac dulci habent,sordere mihi, & putere iã incipiat.Porrò non sine causa Solomon in ipso sermonis exordio tam multus est in vini,vberum,osculorum,amorum,id est,rerum,quibus voluptas,&dulcedo significatur commemoratione.Nam est id incipientium , de quibus nunc agitur,proprium,vt in ipso suæ ad Deum conuersionis initio,colliquescant voluptate toti,vt potè qui afficiãtur dulcedinis quodam genere maximè conspicuo,atque sensibili & ad corpus ipsum non solùm ad animum pertinente.Etenim ea tanquam esca capiuntur à Deo, captiq; aluntur eo vsque quoad tenera illorum vis, & quasi infans virtus sensim adolescens,ac viribus aucta maioribus solidioris cibi reddatur capax.Est enim illis pastus is omnium conuenientissimus, & aptissimus . Nam homines corporeis voluptatibus dediti, eisque diu , ac multum assue-

assueti haud facilè possent exuere,earum amorem , ipsasque contemnere,nisi alterius melioris illius quidem,sed non alienæ à corpore voluptatis sensu delinirentur . Ob eamque causam in sacris literis Deus voluptatis potissimum,& dulcedinis ostentatione peccatores ad iustitiam inuitat:vt est videre multis in locis.Gustate & videte quoniam suauis est Dominus.Iugum meũ suaue est , & onus meum leue. Quam magna est multitudo dulcedinis tuæ, quam abscondisti timentibus te.Et illud maximè. Torrẽte voluptatis tuæ potabis eos.Ex quo etiam efficitur , vt istorum erga Deum amor imperfectus , & parum purus sit.Habet enim adiunctum cum amorem quo se quisque, suasque res diligit immodicè: qui non solùm impurus amor est,sed impuritatis atque vitiorum omnium seminarium,atque caput.Itaque quoniam in virtute colenda, Deoque amãdo,qui istius gradus,atque ordinis sunt corporis illam dulcedinem,non solùm animi lætitiam,atque iucunditatem,id est,quod sibi gratum,atque dulce est, si minus præcipuè,tñ valdè cupidè sequuntur,atq; expetũt: idcirco id vt doceret,aut potiùs vt tacitè significaret Solomõ talibus exordijs vsus est.*Osculetur me osculo oris sui , quia meliora sunt vbera tua vino fragrantia vnguentis optimis , oleũ effusum nomẽ tuũ.* In quo,quid audis præter voluptatem,aut quæ efficiunt voluptatẽ? osculapetũtur,cõmemorantur vbera,prædicãtur amores,vnguentorũ mẽtio,atque vini fit:nec nisi voluptatẽ ex Deo capere spõsa,& ob id ipsum cum illo coniungi velle videtur.Sed videamus quod sequitur.*Fragrantia vnguentis optimis.* Tribuit odorem Deo, & vnguentorum fragrantiam,quo significet non solùm gustatu dulcem ipsum esse,sed etiam olfactu , hoc est, non solùm piorum hominum desideria dulcedine afficere solere, sed ad eorundem etiam mentes influere cum voluptate.Non enim solùm cum amatur delectat animũ,

Universidad de Deusto
Biblioteca

sed etiã cũintelligitur voluptate ipsum afficit, dũ videlicet ex omni natura fluẽtes suæ diuinitatis species, atq; significationes nobis odorandas obijcit. Odor nãq;, vt in ijs rebus, quibus propriè ineſt, ſic ad diuina tranſlatus, non naturam ipſam Dei ſignificat: ſed illuſtria eius naturæ ſigna, ſiue in naturis rerum expreſſa, ſiue extãria in ſacris literis. Attamen quãuis Dei natura odor nõ ſit, tamẽ iſto odore teſtatur Deus ſe nõ procul abeſſe à nobis. Quæ autẽ hîc odoris nomine ſignificãtur indicia aduentãtis, aut preſen
3. Reg. 19. tis Dei, ea in libris Regũ, ventorum, & procellæ, atque ignis nominibus declarãtur, cũ Deus ſcribitur viſus in monte Oreb ab Helia propheta, quorum nominũ ſingula ſuas habent, & arcanas ſignificationes, de quibus aliàs fortaſſe dicemus. *Oleũ effuſum nomẽ tuũ.* Rectiſsimè Deus oleũ effuſum nominatur, quo intelligatur eiꝰ naturæ ſe per omnia diffundẽtis poteſtas, atq; vis. Etenim ſi, vt modo dicebã, odoris nomen in Deo, nõ tam naturã Dei ſignificat, quã eius naturæ ſignificationes, & indicia nos illius admonẽtia, & non longè à nobis abeſſe ipſum teſtantia, cõſequẽs eſt Deum, qui tot ſigna ſui in omni natura impreſſerit, veriſsimè non odoratum modo, ſed odorem ipſum, atque adeo effuſum odorem appellari. Non enim poſſumus pedem ponere, niſi in aliquo illius veſtigio, quidquid intueamur, quocunque conuertamus nos, certatim ex omni parte confluunt, & in oculos noſtros incurrunt variæ, ac multiplices diuinitatis ſpecies: quæ nos commouent, & niſi ſimus planè ſtupidi accendunt amore Dei ſicut ſcri-
Pſal. 18. ptũ eſt. Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuũ eius annuntiat firmamentũ: Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat ſcientiam. Nec ſolũ in illuſtribus illis, & æternis naturæ partibus cælum dico, & ſtellarum lucentes globos clara ſpecies diuinitatis elucet, ſed etiã in ijs naturis quæ infimæ omnium, atque deſpectiſsimæ habentur, in terra,

terra, & in ijs quæ terra continentur & aluntur, magna bonitatis Dei veſtigia apparent, & exiſtunt. Sequitur. *Ideo adoleſcentulæ dilexerunt te.* Vox Hebrea עלמה Halma puellam innuptam, & viri expertem ſignificat: ducitur autem id nomen ab occultando. Nam עלם Halam Hebræis occultare eſt. Significat igitur alma ſi rem ſequamur adoleſcentulam: ſi etymon, quod ita eſt abditum, atque reconditum, vt non modo hominum vſibus, ſed ne oculis quidem pareat. Ex ijs igitur ſignificationibus, nimirum ex eo quod nomen ipſum ſignificat, & ex nominis notatione ipſa: (nam ex vtroque ſimilitudinum tranſlationes in ſacris literis duci ſolere, idque metaphoræ genus maximè proprium eſſe earum literarum, poſtea fortaſſe opportuno magis loco dicemus.) Igitur iuxta has duas rationes arbitror hoc nomine declarari duo piarum mentium genera ſagaciſsima omnium ad Deum odorandum, ex ijs quæ diximus ſignis, atque veſtigiis. Nam quemadmodum non omnia corpora æquè ſenſu valent, ſed pro corporis conſtitutione diuerſa, aut pro victus ratione varia, alij obtuſo ſunt, atque hebeti ſenſu ad olfaciendum, alij ſagaci, atque acri, ſic mentium, atque animorum variæ ſunt ſpecies: eiſdemque è rebus, alij parum, alij permultum afficiuntur. Sunt igitur in hac diuini odoris per omnes cœli, atq; terrarũ tractus ſparſi perci piẽdi, atq; ſentiẽdi facultate, atq; munere maximè præſtãtes, atq; ſagaces: primo eorũ mentes, qui puellarũ innuptarũ modo puri, & integri, & in ſemel ſuſcepto iuſtitiæ bono ſtabiles permanentes nullam maiorem labem ex quotidiano hominũ conuictu contraxerũt: deinde illorũ qui vitia, quibus aliquo tẽpore oppreſsi tenebantur, exuerũt tandem aliquando: & non modo ad bonam frugem ſe receperunt, ſed in portũ quietis longè ab hominum frequentia ſemotum etiam ſe contulerũt vitæ genus ſequen

Chryſ. hom. 14. in Marc.

Visitatio V. vt fruatur vox exultauit.

tes abditum,& ab hominum tumultu,& interpellationi bus liberum & secretum. Horum vtrorumque animi, tàm illorum qui integritate adolescentulis sunt similes, quam illorum,qui secretum illud vitæ genus sequuntur, in odorando,id autem est,in Dei significationes omnes, quamuis tenuissimè datas,præsentiendo maximè vigent. Etenim id vt possint, illis præstat ea animi puritas qua nitent:illaque tanquam mundities mentis vix nulla propè sorde maculatæ.Hi verò idem ferè consequuntur, fugiendis vt hominibus,humanisque studijs magnam sibi animo requiem, & curarum atque cupiditatum tranquillitatem comparet.Nam sicut corporibus obiecta specula,quo vel à natura,vel ab arte leuiora,& nitidiora effecta sunt, eo corporum illatas imagines absolutiores,& magis conspicuas reddunt:sic quorum animi,vel conseruata innocentia vitæ,vel comparata ex secessu mentis trãquillitate,quam purissimi sunt omnium,facillimè has naturæ Deum testantis atque prædicantis tanquam voces percipiunt.Et quemadmodum ipsi à naturali,& recto animi statu,vix vnquam discedũt:nec suam naturam peruertunt,atque deprauant peccato,aut iniquitate graviore aliqua:sic quidquid naturale est maximè cum illorum mente,atque sensibus congruit:seque ad illorum animos perfacilè insinuat,expeditissimeq; ab eis intelligitur.Nihil autem tam naturale est,quam vt quæ à Deo condita sunt, ipsum Deũ testentur cõditorem esse suum.Has igitur voces,& tanquam testimonia naturæ,quæ eorũ hominum, qui vitijs immerguntur,occupatas,siue potiùs obturatas aures,vel leuiter perstringunt,vel certè præteruolant,ipsoli quos diximus & maxima facilitate audiunt,& earũ hortatu vocũ ad Deum amandum,atque laudandum maximè inducuntur:& ex vniuersi inspectione eũ sensum percipiunt,qui omnium suauissimus est sensus,maximeque natu-

naturalis.Ijs namque verè candidi dies fluunt,ijs soles meliùs nitent.Sequitur.*Trahe me post te curremus.* Trahendi verbum Latinorũ vsu significationẽ habet cũ quadã violẽtia coniunctã.Nã trahere propriè significat motũ alteri inijcere,neq; duci se volẽti,neq; ductori parẽti:vnde est illud.

Fata volentem ducunt,nolentem trahunt.

Cæterùm vt ab hac verbi exquisita,& subtili interpretatione nonnihil hoc loco discedamus,res ipsa postulare videtur:atque eò magis quod verbum Hebraicum משך Masac,pro quo Latinus interpres posuit trahere in sacris literis motum magis amore à volente elicitum significat, quam vi expressum à nolente,quod illa sanè indicant. In vinculis Adam traham eos,in funibus charitatis.Item Ieremiæ illud:Idcircò attraxi te miserans.Nam ad significãdũ motum inuitis,& repugnantibus iniectum Hebræi verbis גדף Gadap,& סהב Sahab,potiùs vtuntur, & quidem cũ in motu violẽto duo sint,alterũ, qui mouetur vi ab altero sibi addita,& impressa moueri,alterũ inuito illi & repugnanti externã illãvim addi,& immitti,Latini id vtrũq; vno trahendi verbo satis significarũt:priùs autem illud à posteriori secrerum,id est motum inditum,& incitatũ ab externa facultate,quam facultatem is qui cietur,non inuitè suscipiat Hebræi משך Masac verbo propriè significant, Latini vno fortasse verbo non expresserint. His expositis facilè intelligitur quid sponsa dari sibi ab spõso,& concedi velit.Ardet illa quidem studio ipsum insequendi,sed eã vires deficiunt:itaque non induci vt velit sequi, sed vires sibi suffici vt possit,id verò cupit,atque orat.Nam quamuis non solùm quæ in posteris,& consequenti vsu,sed etiã quæ prima susceptione honesta sunt.Dei inductu à nobis, & instituantur,& perficiantur: nec solùm ad præclarè aliquid agendum,sed ad honestè etiam cogitandum,atque adeò ad primos, & interiores animi motus, ad cæle-

Osee.11. Iere.31.

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſtem ſalutem modo,& fœlicitatem pertinentes,vires no
bis Deus,& copias ſuppeditet,ſicut ſcriptum eſt. Qui dat
Ad Phil.2. nobis,& velle & perficere pro ſua bona voluntate:tamen
quemadmodũ nõ omnes ſe habẽt eodẽ erga pietatẽ mo
do,neq; eoſdẽ in virtute progreſſus faciũt omnes ſic nõ
petũt omnes eadẽ.Qui in peccatorũ,atq; carnis cœno de
fixi hærẽt,ij petant nõ ſolũ vt recti officij obitus atque dẽ
functio,ſed etiãvt ipſa rectè obeũdi,rectéq; agẽdiofficioſa
volũtas ſibi detur à Deo,nõ ſolũ vt ſalui ſint,ſed etiam vt
ſe ſaluos aliquando tandem verè,& ex animo velint:quo
niam in vtroque infirmi ſunt,& in rectè facto,& in rectè
faciẽdi honeſta volũtate(rectè factum, honeſtamque vo
luntatem cum dico eam intelligo in qua meritũ eſt bea-
tæ vitæ)itaque qui huiuſmodi ſunt ea petant ſi poſſunt: nã
id ipſum vt petere ſtudioſè, & ardenter poſsint eſt illis à
Deo tribuendum. Qui verò à peccati iugo liberati Deum
iam ſtudioſè amant,ſed quamuis amant, is eorum amor
varijs,& crebris curis,& difficultatibus impeditur, ita vt
quod animo ſatis comprehenſum habent, ad Deum ſi-
bi eſſe, & velis,& remis cõtendendum re ipſa præſtare,at-
que exequi vix poſsint.In quo genere ponendi ſunt ij,
quos incipientes vocamus,& quorum voces,atque ſen-
ſus hoc capite contineri, atque explicari iam diximus
(multa enim ex priore conſuetudine, atque vita ad pro-
grediendum in amore impedimenta in eorum carne, at-
que ſenſibus remanent: multi interiores, atque immites
hoſtes,qui honeſtarum actionum tanquam itinera obſi-
dent & infeſtant: plurima,eaque arctiſsima à cognatis, ab
amicis à domeſticis iniecta vincula,quæ illos quamuis in-
uitos,& ea omnia abrumpere cupientes,varijs tamen mo
dis implicatos,& irretitos detinent.) Igitur qui tales ſunt
ſpiritu prompti, carne autem infirmi: quique cum Pau-
lo dicunt,velle adiacet mihi,perficere autem non inue-
nio,

nio,non tã volunt induci ſe vt Deũ amẽt, quippe quẽ iã
ab eodem ipſo Deo amandi facultate accepta vero amo
re,& charitate proſequuntur,quàm orant,& omnibus vo
tis expetunt,vt illa,quibus ipſorum ad Deum curſus retar
dabatur,impedimenta,illa arcta vincula Deus ipſe diſſol
uat, vireſque ſuggerat ipſis languentibus,& parum adhuc
firmis,horumque propria vox iſta eſt.*Trahe me.* Quod au-
tem additur.*Poſt te curremus.* Id primum valet ad Chriſtia-
næ charitatis ingenium declarandum,quæ,quas ſibi dari
optat vires,atque copias,eas in illos vſus cõfert, qui pro-
priè ad amorem erga Deum alẽdum,& in maius prouehẽ
dum ſpectant.Non enim qui Deũ amat præſtare auet vl-
lis corporis aut animi dotibus,niſi quibus fiat inſtructior
ad amori nauandum meliorem operam. Deinde ineſt in
hoc Chriſtiani officij imago quædam, atque deſcriptio,
Deo ante tot annos per ſuum vatem Euangelici inſtituti
perfectionẽ docẽte.Etenim nõ ſolũ ſequiDeũ,ſed cõtẽro
curſu ipſum ſequi deſiderat.Atqui ſequitur Deũ qui Dei
præceptis tanquã veſtigijs,quibus ad Deũ peruenitur,inſi
ſtit:curſu autẽ ſequuntur,qui ad ſanctiſsima Chriſti conſi
lia mores ſuos inſtituentes opibus ſe,& honoribus ab-
dicantes,voluptateſque ſpernẽtes abijciunt à ſe huius ter
renæ vitæ non tam præmia, quam honeſti curſus im-
pedimenta, in quo Chriſtianæ religionis abſoluta per-
fectio conſiſtit. Sequitur. *Introduxit me Rex in cellaria
ſua.* Hic docemur quæ ſit eorum qui Deum iam
amant,& quanta erga ipſum fides. Illi enim quemadmo-
dum à charitate habent, vt vnà cum Deo ſemper eſ-
ſe cupientes dicant.*Oſculetur me oſculo oris ſui,* ita à fide vt
affirment,*Introduxit me Rex in cellaria ſua.* Id autem eſt tam
firmã illos fidẽ de veritate,& bonitate Dei concepiſſe, vt
neque aduerſis rebus fracti:neque temporũ diuturnitate
feſsi,neq; impiorũ commoti vocibus ijs, quibus,& mul-

tum,& sæpè in bonorum studia, atque spes cauillantur animum vnquam despondeant: nec verò dubitent quin ad optatos, & spe perceptos peruenturi sint complexus Dei,magnasque ex eo,& vtilitates,& voluptates percepturi.Non enim si cunctatur interdum Deus,idcirco perpetuò suos negligit:neque si vocatus non statim faustus, & salutaris nobis adest,ideò censendus est cõtempsisse nos, aut non exaudisse.Neque illi profectò quorum erga Deũ fides acris,& ardens est,quia illũ sæpè vocarunt, sæpeque suas preces fuderunt coram illo,precum autem & lachrymarum suarum nullum adhuc fructum retulerunt, idcirco desistunt à precando,ipsa potiùs dilatione accenduntur magis,tantumque absunt ab eo,vt aut spem abijciant aut animo cõcidant,vt sicut ignis vẽtorum flabris paulatim accensus,ad extremum flammarum ingentes globos voluit,sic illorũ fides ipsis difficultatibus,atq; ipsa Dei tãquam cunctatione sensim aucta,atque crescens in eum tãdem modum ipsorum animos afficiat, vt sæpè id quod sperãt,bonũ pro adepto habeant:speque quàm re non secus læti dicere non dubitẽt. *Introduxit me Rex in cellaria sua.* Idque adiungant quod sequitur. *Recti diligunt te.* quasi ita dicẽtes.Idcirco amaris,atque diligeris,quia tametsi differas interdum,nunquã tamen frustraris vota tuorum:imò, verum si dicimus,ne differs quidem,sed cum maximè nostri oblitus videris,tunc ad benefaciẽdum obseruas, & ad opitulãdum nobis,quod maximè opportunum sit, atque aptum tempus,ac si minus citò quam ipsi cupimus,at nũquam non eo tempore , quo nos cupere oportet propitius,& salutaris ades.Quod si huius fidei rerum aduersarũ contentione auctæ exemplũ aliquod in sanctis viris quærimus,illud certè Dauidicum perillustre est.Is enim cum tantum abesset ab eo quod illi pollicitus fuerat Deus futurum , vt Iudæorum populis imperaret , vt regis inimicissi-

cissimi,& potentissimi iram metuens profugus, atq; ipso natali solo carens,de vita quotidie, nõ modo de fortunis cæteris periclitaretur,essetq; vel sua ipsius confessione valdè miser,atq; ærumnosus,vsq; eo non defecit,vsq; eo fide in Deum viguit,vt illo ipso tempore quò se maximè oppressum malorum multitudine, atque magnitudine videbat,& prædicabat,non dubitaret,& regnum sibi polliceri,& eos vanos atq; mendaces appellare, qui ipsius fortunam in melius verti posse negarent: itaq; scribere de hac sua,& fuga, & spe, Credidi propter quod loquutus sum, ego autẽ humiliatus sum nimis, ego dixi in excessu meo, omnis homo mendax.Cum inquit,patriam fuga linquẽs aditum mihi ad meliorem fortunam intercluisse,& omnem bonam spem abiecisse ita videbar alijs, actum vt de me iam esse dicerent,dixi,omnis homo mendax: mentiri illi quidem certè possunt,& verò mentiuntur, tua autem promissa rata,& firma manebunt. *Introduxit me Rex in cellaria sua.* Sed quænam sunt ista cellaria quærat aliquis,ad quæ pias mentes Dominus introducit? Hic quanquam non est necesse vt similium inter se omnes partes conueniant,tamen rectè dicemus, ijs cellarijs eas significari res, in quibus exhibet se visendum,& contemplandum Deus, aliqua illustriori ratione. Atq; vt præteream cæleste templum,quod est Dei proprium domicilium,id enim est maximè interius penetrale,in quo, qui introducuntur non imaginem aliquã Dei, sed ipsum qualis est, Deũ aspiciũt, sed vt hoc præteream,quoniam ad id nemini patet aditus in hac vita,tria reliqua cellaria sunt,triaque penetralia, in quæ dum hîc viuitur,introduci à Deo incipientes solent, ad gaudia ex ipso capienda .Incipientes inquam,nam qui robustiores iam ac perfectiores sunt, interdum corporis omni sensu deposito,mente obeunt, altiora quædam & cælestis,ac intelligibilis lucis magis plena loca. Igitur mi- *Psal. 115.*

nores versari solent interiùs,& iucundè cum Deo ab ipso intromissi:primùm ad rerum naturæ inspectionẽ, deinde ad cognitionem sui ipsorum:postremò ad earum rerũ contemplationem,quas Christiana disciplina,ac literæ cõtinent.In primo genere elementorum vires, temporum vices,ortusque,atq; altus animantium,cælique in primis atque syderum species,atque motus continentur rati, atque constantes:alterum constat ex corporis, atq; animi, & eorum partium omnium,& earum singularum muneris & officij,tum etiam ex summi boni cognitione:ad tertium atque postremum pertinent legis Dei,non eius modo quæ natura indita, atque innata est hominum mentibus,sed illius potiùs,quæ sacris literis traditur, & rerum à Deo hominum causa gestarum, quarum historia eisdem in literis continetur,inspectione,& intelligẽtia.His namque in adytis,& tanquam penetralibus domus Dei(penetralibus inquam,nam etsi harum rerum nonnullæ oculis, & sensibus subiectæ nostris,in primo limine huius,de quo agimus domicilij, inque ipso eius vestibulo esse videantur,tamen re ipsa ita abditæ sunt, itaque sunt difficiles ad intelligendum,quomodo quidem à pijs hominibus intelliguntur,vt opus sit à Deo intromitti nos,atq; duci, quò fructum aliquem ex earum inspectione capiamus.) His itaq; in cubilibus incredibile dictu est pij homines, quot, & quantas voluptates percipiant,vt gaudeant, vt sermones familiares cũ Deo conserant,vt erudiantur ab eodem ipso,vt deniq; in eius dulci fœliciq; cõplexu acquiescãt. Qua in re vel vnus Dauid,quem cælestis spiritus per omnia diuini domicilij quamuis interiora loca perduxit, testis est satis locuples.Nam de spectabili cæli, mundiq; specie,rerumq; naturæ & varietate,& admirabilitate, vigesimum primum, & centesimum tertium Psalmos scripsit. Humanæ verò naturæ præstantiam breui quidem illo,sed magnis

magnis sensibus pleno carmine est complexus: is autem est Psalmus octauus. Postremi porrò ita sæpè meminit, vt ferè nihil aliud concrepent illius scripta omnia, quàm studij,& meditationis in lege Dei laudem, & commendationem. Atqui est quædam horum penetralium inter ipsa distinctio.Nam sunt alia alijs interiora, atque diuina magis,tum pro eo,quantum quisque nostrum in virtute profecimus,magis nobis patent, quanquam sunt omnia illa eorum, qui in primo amoris gradu consistunt propria loca: non quod alij vegetiores nunquam eo introducantur,sed quod imbecilliores, propterea quod parũ adhuc à commercio corporis recesserunt,necesse habent commoueri,atque pelli hac rerum sensibilium imagine. Atque ob eãdem causam arbitror cellaria nominari multitudinis numero.Nimirùm quia incipientes, vt qui sint rudes,& infirmi,nisi multiplici doctrina instruantur, nisique varia eruditio exhibeatur illis, vix possunt induci ad Deum,vti æquum est,diligendum. Nam illi perfecti vnũ habent,vt antea dixi,idq; altius & multo istis interius penetrale.Itaq; hoc ipso in carmine inferiùs cap.2.quo loco in amore proficientium persona,& oratio explicatur:spõsa non iam in cellaria intromittitur, sed in vnam cellam, eamq; vinariam.Ex quo intelligimus illos, proficientes, scilicet,atq; perfectos,quippe quorum animi vires multo magis quàm superiorum vniuntur,atq; cõspirant in amorem Dei,minus multis egere rebus,quibus prouocentur ad amandum:tũ eosdem frui contemplationis Dei quodã magis dulci,magisq; vno genere,quàm priores. Quid? num à me ista finguntur,an potiùs ex ijs exemplis,quæ nobis suppeditant sacræ literæ petuntur,atque ducuntur?Iudæi quandiu per deserta Arabiæ loca perrexerunt, quoniam AEgyptiæ vitæ,atq; morum residens in illorum animis recens memoria efficiebat, vt crebrò respectarent

ad

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad AEgyptum: quoniamque in amando Deum erant plane rudes, atque tyrones, quot & quam varijs modis inducti sunt ad id, vt colere Deum ex animo, atque amare vellent? quam illis Deus exhibuit curam multiplicem? quot patefecit aditus, quibus tanquam intrare in amorem possent? Primùm per mare rubrum sine ratibus, incolumes illos transuexit, AEgyptiorumq; ingentes copias, quæ ipsos insequebantur eodem summersit mari. Deinde noctu flamma, interdiu fumo, ac nube, eorum castra præcedens vasta eremo, atq; inuia pro duce illis fuit. Eosdem per continuos quadraginta annos cælesti aluit, atq; suauissimo cibo: & quod fidem superare videtur, toto eo tempore vestes eorum vsu, aut vetustate consumi non est passus: Ad hæc aridissimo, ac maximè sterili loco, atq; adeò è rupe magnam aquæ vim, qua illi vterentur, elicuit. Eodemque postremò pertinuit, quod mons Sina tremere, quodque montis cacumen ignibus ardere visum est: quodque ipse Deus palã vulgo est auditus loqui, leges æquissimas ferēs. At posteaquam ijdem illi in terram ipsis promissam sunt inducti, & officij obseruantiores effecti, Deus omnes rationes prouidẽtiæ suæ erga illum populum, veluti coegit, atq; contraxit in vnum locũ, quem in locum è tota prouincia conuenire omnes voluit, quicumq; vel sacrificare ipsi vellent, vel in dubijs rebus ipsum consulere. Iam quando illius populi status cum nostro, id est, cum Euangelica lege collatus, pueri illi, & imbeciiles, vt Paulus scribit, nos firma ætate viri, quod ad cognoscendum, & amandum Deum attinet censendi sumus, quantò paucioribus nos, quã illi ad pietatẽ, vel cæremonijs prouocamur, vel legibus erudimur, vel ritibus instituimur? nosq; ipsi quãto simpliciore, ac veriore, ac magis vno modo amori Dei vacabimus, eiq; adhærebimus, cũ ad perfectã virtutẽ euecti, in eã ciuitatem recepti fuerimus, quã scribit Ioannes, auro illam

Galat. 4.

Apoc. 21.

illam quidem & gemmis exædificatam, omniq; ex parte beatissimam, sed ita vacuam ab omni operosa, & varia colendi Deum ratione, vt ne templum quidem in ea sit, quoniam ipse Dominus templum illius est? Ex quo intelligitur perfectos homines minus multis egere rebus, quibus rebus ad amandum excitentur, & moueantur, ac multiplicia ista cubicula ad insinuandum se in amorem Dei imperfectorum esse propria. Sed quo propriè afficiatur modo hominis iusti animus, quidve illi accidat, vbi ad isthæc cubicula semel est admissus, si roges: ex ipsa sponsa statim audies. *Exultabimus*, inquit, *& gaudebimus in te, memores vberum tuorum super vinum, recti diligunt te.* Primũ enim exultat, hoc est, effertur gaudio, non sine commotione corporis, ac sensuum gestiente quadam lætitia, quod proprium exultantis esse videatur corpore commoueri, atq; exilire. Idq; fit notius ex eo verbo, quod huic voci in Hebraico subijcitur רנן Guil enim non sine gestu corporis, atque etiam læto vocis sono, atque plausu fit, quo de genere canit Propheta: Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum. Itaq; exultat primũ. Etenim tũ dulces lachrymæ per ora fluunt, tũ ducuntur eximo pectore ardentia suspiria, tum piæ querelæ audiuntur, tum deniq; ardere sibi videtur homo totus, atque æstuare: correptus videlicet ab ipso numine, seq; haud capit ipsa mens. Itaq; exultat, deinde gaudet, id autem est, Deo paulatim progrediente, suamq; vim in hominis animum penitus insinuante, omnesque illius vires sibi subijciente, tandem inferiores illæ, & corporeæ facultates, quæ se dudum ad insolitam numinis præsentiam commouerunt, venerabundæ silescunt, & quietem iussæ agunt: mens verò ipsa coniuncta cum suo bono, & magna ab eodem luce perfusa hauriat ex ipso, cum tranquillitate summum, & defæcatum gaudium: & post commotionẽ, vt scriptum est, succedit sibilus

Psal. 83.

3. Reg. 19.

Universidad de Deusto
Biblioteca

sibilus auræ tenuis: dicitque & ipsa interdum fœlici illo gaudio ebria: Domine bonum est nos hic esse. Sed quoniam vitæ huius ratio id nō patitur, corporis videlicet, cuius tuēdi munus, atq; cura ipsi incūbit, vocibus ipsam interpellātibus, & à Dei tanquam complexu diuellentibus, ac distrahentibus, id vbi fit, vt aciem oculorum suorū ad hæc humana referat, & cogitationum suarum partem aliquam corpori impertiatur: illud tamen obseruat quod sequitur. *Memores vberū tuorum super vinum.* Defert enim secum dulcem memoriā vitæ fœliciter modo actæ cūDeo, ac hæsitās, multaque aduersa reuertens, crebroq; ad litus respiciens fluctibus curarum committit se illa quidē, sed ita cōmittit, vt, siue secum agat aliquid, siue cum alio contrahat, propositā ante oculos habeat eius pulchritudinis, & ordinis, quē in Deo conspexit effigiē, quo ex eo exemplari, quo ad res ipsa patitur, exemplum aliquod ad actiones suas transferat: idque vnum semper agat, bonum vt illud, quod vidit, quodque adamauit in omni sua actione exprimat, atque imitetur. Namque is demum probandus est, qui hæc interiora cum Deo colloquia sequitur, eisque vacat, non tam vt oblectet se se, quam vt exempla inde sumat, quibus, vel suam, vel aliorum vitam regat, quique ex hoc beatæ contemplationis tanquam otio, ad vitæ obeunda munera redit paratior, & instructior: & id est quod sequitur. *Recti diligunt te.* id est, ex eo quod diligunt te, ac tecum colloquuntur, familiariterque versantur, recti efficiuntur, & quod bonū in te cōtemplati sunt, & cuius memoriā retulerunt secum, id ad actiones deducunt. Sequitur. *Nigra sum, sed formosa filia Hierusalem, sicut tabernacula Cedar, sicut pelles Solomonis.* Quod sæpè iam diximus, incipiētium voces, & ingenia hoc capite poni, id, vel ex hoc loco, facillimè perspicitur. Nā qui sunt huiusmodi, primum multa retinēt de ante acta vitiosa vita, quibus recens

cens inductus pietatis color in illis quodammodo obscuratur, & inficitur: propensiones, scilicet, in malum, multas plurimas vulnerum cicatrices: nonnulla item vlcera, ad sanitatem illa quidem propè perducta, sed non planè sanata, aut omnino puris vacua, & quod maximū est, remanet adhuc in eis, vetus ille, & domesticus hostis, domitus potiùs, quam extinctus. Itaque rebellat interdum, & incēdia miscet. Quibus rebus fit vt, & formosi, & nigri sint formosi propter nouam vitā, nigri propter veteris reliquias, quas in se habēt: quare isti meritò dicūt. *Nigra sum, sed formosa filia Hierusalem.* Id est, quamuis nigra ob proximè actæ vitiosæ, & prauæ vitæ reliquias, quas nondū prorsus abieci: formosa tamen, propter charitatem Dei, quæ cordi meo diffusa est: propterque illius gratiæ communionem qua proximè accedo, ad diuinæ pulchritudinis similitudinem. Quæ oratio ex superiori oratione consentaneè orta est. Etenim desiderio, & spes, & timor natura agnatus est. Nam, qui in magno desiderio sunt, ijs natura occurrit, primum vt mente pertractent, vtque metuant omnia illa, quæ sibi quo minus id quod cupiunt assequantur, impedimento esse possunt: deinde, vt ijs opponant alia spem efficientia, eorumq; oppositione, metum extenuent, ac bene sperare sibi iubeant: eodemque ex desiderio, & cōtrahūtur metu, & eriguntur spe. Quia igitur superiùs, in hac spē sæ, & persona, & imagine inductus est homo, ad Deum amandum proximè conuersus, & eius potiundi desiderio ardens, & sibi de illo omnia fausta, & læta promittens: ideò aptè, & conuenienter nunc idem inducitur, quæ suæ persuasioni, atque cupiditati putabantur obstare, ea, & metuens, & extenuans. Nam dum anhelabat ad Deum, subijt illius animum præteritorū peccatorum, eorumque fœditatis recordatio: ex quo graui perculsus metu labascens, ac loco propè motus, de spei gradu

Orig. hō mili. 1. in can.

penè

Universidad de Deusto
Biblioteca

penè deiectus est: sed exoritur rursus ab eodem ipso desiderio excitata, & roborata spes, qua sibi vere persuadet, non tam se ex peccati reliquijs, quæ in ipso remanserunt, deformem esse, quam ex gratiæ, & donorum Dei splendore formosum: siquidem ea dona in se habeat: nam vtrùm habeat, de eo nemo iustus planè certus est: suspicatur tamen se habere, multis, & magnis coniecturis ad ita opinandum inductus, audetque dicere. *Nigra sum, sed formosa.* Et quamuis nigra, multò magis formosa: nec tam ob nigredinem despicienda, quàm ob decorem, atque pulchritudinem amore, atque fauore prosequēda. Verum enimuero isthæc sceleris admissi, & vlceris atque fœditatis, id est, malæ propensionis ex peccato relictæ, commemoratio, cuiusuis iusti animum, quamuis recuperata diuina gratia sanum iam, & valentem, angit tamen ipsum, atque cruciat: quod omne peccatum ab animi natura, atque indole sit alienum. Quapropter discessisse ipsum à se aliquando, suamque naturam deprauasse, vbi meminit, nimis dolet inimisque miratur, se potuisse eorum amore aliquando capi, quæ iam tantopere auersetur, & horreat. Itaq; tanti mali causam inquirit: qua inquisitione cognoscens omne illud malum existere à corpore, & à sensibus corporis, quibus cum affinitate ipse est, & fœdere naturæ coniunctus, de eorum violentia, atque iniustitia conqueritur: & prauè à se factorum culpam in eos ipsos sensus, qui culpæ suasores illi & authores fuerunt, deriuat. Vbi autem ista querimonia, & criminis deriuatio? *Nolite*, inquit, *me considerare, quia fusca sum, quia decoloravit me sol: filij matris meæ pugnauerunt contra me, posuerunt me custodem in vineis, vineam meam non custodiui.* Qua in oratione, peccata vnde oriantur demonstratur, ita apta similitudine, atque translatione verborum, nihil vt putem commodiùs potuisse dici. Id quò magis perspiciatur, pauca quædam de animæ partibus

partibus, deque illarum inter ipsas mutuo ordine altiùs repetamus. Animi humani tres sunt, siue partes eas, siue vires, facultatesve nominari velimus. Vna quæ vacat corpori alendo, atq; curando, quæq; idcircò vegetabilis dicitur: communis nobis non cum animātibus modo, sed etiam cum stirpibus. Altera quæ corporum varias species, colores que, atq; sapores percipit, sentiens appellata, animantibus nobiscum etiam communis. Tertia rationis, intelligentiæq; particeps, veri vna cultrix, atque amatrix, vt hominum propria, ita præstantior, atque excellentior cæteris omnibus, quæ est ratio, atq; mens. Est porrò earum vni cuique suum à natura attributum bonum, & tanquam de paterna, & communi hæreditate pars vnicuique data sua, apta videlicet cuiq;, atque conueniens, pro ratione cuiusque. Nam illi vegetabili parti primæ, atq; infimæ, bonum vtile datum est, quod excoleret: sic enim appellamus ea bona, quæ ad vitam, & alendam, & defendendam valent: quod esse diximus huius partis munus proprium. Altera, quæ huic succedit, pars sentiens, dulcedinis sensu mouetur, voluptatisq; est auida: itaque bonum delectabile ex paternis bonis, & tanquam prædijs, vnum prædium est sortita, in quo se iactet, atq; dominetur. Mēs verò, atque ratio, vt est omnium altissima, ita capitur, atq; alitur altissimo bono, id autem est bonum intelligibile, quod contemplationi propositum veritas est, ad regendas actiones translatum appellatur honestum: quod nihil aliud est, quam ad veritatis præscriptum moderata actio: cuius tantus est splendor boni, tamq; plena dignitatis species, nihil vt ea sit, neque pulchrius, neq; admirabilius. Atqui considerandum & illud est. Has animi partes, hæc bona, &, vti ea appellauimus, prædia, quæ à natura acceperunt, non accepisse instrumento vacua, sed instructa potiùs, & ornata omnibus ijs rebus, quæ ad opus faciendum necessariæ sunt.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Esse autem id instrumẽtum, partibus quidem multiplex, sed genere duplex. Eius enim vnum genus ijs, quæ noxia sunt, euellendis seruire: alterum valere ad ea asciscenda & capienda, quæ bona sunt, & vtilia. Esse enim duos animi motus ipsi à natura insitos, quorum alter fuga alter accessu constat: quibus vnaquæq; earum partium, quas diximus, ex eo agri quantũ cuiq; datum est, aut legit atq; demetit ea, quæ sibi conueniẽtia sunt, aut quæ sunt noxia & inimica reuellit, atq; abijcit. Sed quãuis sint omnibus animæ partibus isti motus cõmuniter dati, tamẽ eos non æquè in omnibus eminere, sed vna in parte ardẽtiores esse, obscuriores in alia. Itaq; aliâs alijs nominibus appellari. Nã in vegetabili, dicuntur cõtractio, & dilatatio, in sentiẽte odiũ, atq; cupiditas: in mẽte, atq; ratione voluntas, & quæ huic contraria est, nomineq; Latino caret, sed dicatur ea tamen nobis modo docendi causa: inuoluntas. Horum priores hebetiores reliquis esse, & magis obscuros, posteriores stabiles, & tranquillos: inter vtrosq; interiectos & medios odium nimirũ, atq; cupiditas acres natura, atq; igneos vbi semel corpori, atq; sensibus incubuerunt, eos commouere, atq; perturbare, itaq; inflammare, vt vel ipse ignis præ illis frigere putandus sit. Atq; huic diuisioni, descriptioniq; partium, illud etiam est adiungendum: eas omnes, quarum tamen singulæ singulis generibus datæ sunt, vni homini à natura fuisse attributas, & naturali quodam, & arcto fœdere inter se se amabilibus charitatis vinculis colligatas, atq; constrictas: atq; ne quid tumultus, atq; rixæ inter ipsas vnquam exoriretur, lege ab eadem natura lata, sancitum fuisse, vt minores illæ, & inferiores, vegetabilem, atq; sensilẽ dico, quippè quæ rationis, atq; arbitrij expertes ipsæ & ad seruiendũ omnino natæ sunt, rationi, atq; menti parerent: ratio autem ipsa non dominatũ modo in illas exerceret, sed patrocinium etiam earum, &

rum, & procurationem susciperet. Nam quoniam illæ cæcæ, & inconsultæ sunt, & impetu ferũtur in sua bona, quæ tamen ipsa neq; parare sibi possunt, neq; si iam parta sint, administrare ea vti decet, aut illis frui intra modum sciũt: ideò natura voluit, vt in mentis tutela essent, quæ primũ eis sufficiat copias naturaliũ bonorũ, deinde præscribat modum, quẽ in fruendo seruaturę sint, vt scilicet, eatenùs suis fruantur bonis, quatenus, nec sibi ipsis nimia copia, inopiave damnũ afferant: neque hominũ societati, atque generi, cuius in bono suũ ipsarum bonum continetur, aliquid incõmodent. Voluitque præterea, vt in ea rectione rationis, & quasi tutelæ administratione maxima honestaris vis inesset, vtque ex eo accenderetur maximum dignitatis lumen, quo vno bono mens ipsa capitur, ne labores suscepisse tantos illa, sine vllo præmio, sineque merce de vlla videretur. Ac fuit tempus quoddam, cùm has naturæ leges homo obseruabat, cũ, & sensus, & qui in eis existunt affectus rationi dicto audiẽtes erant, quocumque illos ratio duxisset: & ratio ipsa veluti in vigilia quadã corporis manens, & æquissimis imperijs regebat illud, & ab omni externa, & inimica vi tutum reddebat. Ex quo etiã factum est, vt omnibus animæ partibus inter se conspirantibus, & consentientibus, cum nulli tumultus essent in homine, nulla intestina seditio, sed omnibus in vnum collectis suis viribus, & totus, & semper sibi præsens adesset homo, facilè in reliqua vniuersa imperium obtineret. Cuncta enim illi tanquam iustissimo Domino, quiq; in se ipso ostendebat totius ordinis, atq; iustæ gubernationis clarum exemplum vltro subijciebantur summa, & facilitate, & voluntate, quo etiam tempore iustitiæ, temperantiæ, pietatis, ac reliquarum omnium virtutum chorus, terras obtinuit. Verùm malus dæmon nostro inimicissimus generi, eam felicitatem hominibus inuidens,

Universidad de Deusto
Biblioteca

passus non est, ea vt nobis, aut perpetua, aut etiam diuturna esset. Et quoniam videbat hominem à se superari non posse, quandiu secum ille consentiens, omnibusque è suis partibus aptus, & concinnus permaneret, coniunctionẽ illam & conspirationem, & mutuum consensum partiũ dirimere, & in mentis, atq; rationis regno seditiones atq; turbas concitare, in primis conatus est. Itaq; fraude armatus, & serpentis speciem, ob id ipsum quia astu, atq; dolo furtim obrepebat, indutus, hominemq; aggressus, illum induxit, noxijs, vt illis, & interdictis cibis vesceretur, eisque cibis ipse suum virus immiscuit, faceſque occultè subiecit, atq; ignem inspirauit. Quo ex cibi esu, venenique, atque ignis afflatu, hæ partes, quæ infimæ sunt in homine flammis statim correptæ, ac vehementer accensæ ruptis omnibus pudoris, atque modestiæ legibus efferre se se, atque liberiùs agere, fœdusque illud sanctum discindere, turbidæque, & tetræ ferum quiddam, atque belluinum præ se ferentes, & contra rationem rebellantes, ruere præcipites, ac turbare omnia cœperunt, ac tandem animi imperium per tyrannidem occuparunt. Nam ratio acriter primò repugnans, tandem illarum accensis cupiditatibus, & incredibili importunitate victa concessit: ac deposito regali cultu, & specie, obsequuta illis est seruilem in modum, ipsoque deinceps ex obsequio, atque seruiendi vsu, à naturali sua pulchritudine quotidie discedens magis, magisq; in deformem, & turpem habitum demutata, à fœliciſsimo statu, ad summas miserias est deuoluta. Atq; hæc prima nostri mali labes fuit, hæc humani peccati primordia: à primo quidem illo homine initio prodita, sed postea propagatione, & nascendi lege in omnem eius posteritatem deriuata. Simul enim cum carne, atque sanguine, quam ab illo nascendo ducimus, etiam contrahimus, non solùm labem in animo, sed etiam veneni illius

illius contagione infectum corpus, & ad malum pronos sensus, id est, fomenta quædam, & incendia peccati, ex serpentis afflatu nostræ naturæ iniecta & immissa: quę latent illa quidem interdum, atque occultantur, sed tempus atq; causam nacta se produnt, flammasq; ore vomunt: quibus inflammati, atque efferati sensus nostri, ac tandem præcipites acti, secum vnà rationem in consensum trahunt, ad omne dedecus, atque flagitium. Quæ idcircò à nobis enucleatiùs, & pluribus verbis sunt exposita, vt ij, si qui sunt, qui has literas vel ignorant, vel rudes putãt, admirari post hac incipiant, atq; adorare ipsarum, non solùm in sententijs diuinam vim, sed etiam in eloquendo aptiſsimam, & elegantiſsimam rationem. Nam quæ nos tã longa oratione vix explicauimus, ea paucis verbis, ijsq; translatis Spiritus sanctus hoc in loco perfectiſsimè complexus est. Nam in persona hominis à peccato, ad iustitiam translati inquit: *Nolite me considerare quod fusca*, vel fuerim antea vel nunc etiam *sim*, ob reliquias, scilicet, præteritæ vitæ, *Quia decoloravit me sol.* aut sicut in Hebræo est, *Quia aspexit me sol.* Nam Sol hoc in loco, est vis illa ignea malæ concupiſcentiæ nostris sensibus indita, & à capite humani generis in nos longo ordine successionis transfusa, cuius ardentiſsimis cupiditatibus, quasi Solis æstu quodã aduritur, nigraque efficitur hominis mens. Et quoniam id illi nõ sua propensione accidit, est enim honestatis, atq; iustitiæ appetens natura sua, sed aliorũ iniuria, atq; impulsu, id vt doceret statim subiecit. *Filij matris meæ pugnauerunt contra me.* Qui autẽ sunt isti filij? haud dubiè corporis sensus ipsi, illæq; partes animi, quas diximus eodem naturæ fatu cũ ratione fuisse generatas, & eidem tributas, quas regeret, sed dæmonis astu in fraudem impulsas, postea rebellasse. Nã illæ ab eodẽ parente ortæ, & vnà simul eductæ, aduersum rationem pugnãt, aut vt in Hebræo dicitur, excãdescũt, &

incenduntur,igne,ſcilicet,eo,quem ex ſerpente concepe runt:idq; eo vſq; faciunt,quoad cuſtodem illam ponunt in vineis,hoc eſt,in eis bonis,quibus ex bonis ipſæ fructũ aliquem lætitiæ,atq; iucunditatis percipiunt, efficientes vt ipſarum cupiditati ratio miniſtret. Hæc enim vis eſt huius cuſtodiæ,quam vocat,ſeruire mentem corpori,totãq; vacare ſeruitio ſenſuum:& quæ illis brutis,& infimis animæ partibus dulcia,& vtilia ſunt,ea ſola quærere,conficere,& amplificare. Qua ex cuſtodia id ſequitur,vt mẽs amittat honeſtatem,& dignitatem ſuam:& dum aliorum fundos colit,ſuum ipſius fundum ſentibus,& virgultis ſilueſcere patiatur. Itaq; elegantiſsimè & veriſsimè additur. *Vineam meam non cuſtodiui.* Illud nimirum honeſtum, cuius poſſeſsionẽ, atq; fructum amiſit, dum indulget ſenſibus. Quod ideò vocat vineam ſuam,non quòd tueri aliarum partium bona ad mentis curam non pertineat: ſed quod hoc ſit illi proprie attributum bonum. Vnde rectè in Hebræo pronomen geminatur hoc modo כרמי שלי לא נטרתי quod Latinè non incommodè vertas, Vineam ſemel,atq; iterum meam:eam inquam, quæ propriè vinea mea eſt, non cuſtodiui. Sequitur. *Indica mihi quem diligit anima mea, vbi paſcas,vbi cubes in meridie.* Creſcit ipſa tractatione rerum diuinarum animæ erga Deũ amor,ſeque ipſa melior ſenſim efficitur,quòd ijs,qui hoc amoris iter agunt,diligenter obſeruandum ſit, vt nunquam reſideant: nam cum quieſcunt retro referuntur: ſed vt curſum ſuum ad hoc ſponſæ exemplũ,fictum illud quidẽ,ſed tamen omnibus numeris abſolutũ ſemper dirigant. Nam quæ paulò antè duci ſe,atq; adeò trahi volebat, iã amantior, & valentior effecta,ipſum iter propè arripit:tantum impediri ſe dicit hominum exiſtimationis timore quodam,quẽ tamen ipſum deponet:atq; abijciet paulò poſt. Nunc tamen impeditur illo,quia quamuis profecit,tamen non eo vſq; profecit,

fecit,vt perueniret ad eam charitatem,quæ omnem pellit timorem. *Indica*,inquit, *mihi quem diligit anima mea*. Quid? parumne multa ſunt,quæ Deum indicent, atq; teſtentur, vt ipſe rogandus ſit,ſe vti in lucẽ prodat, atq; manifeſtet, ſui vt nos certiores faciat? Teſtatur quidẽ certe omnis natura Deũ eſſe,ſed quibus in oris pecus ductet,aut vbi loco rũ meridietur,neſcimus. Nã his trãſlationibus ea ſignificãtur bona,quibus bonorum hominum paſtus in hac vita conſtat,in futura verò requies,& accubitus: quæ altioris ordinis bona ſunt,quã vt ad ea natura duce aſcendere,aut peruenire poſsimus. Et ideò neceſſe eſt,ipſe vt nos doceat Deus,atq; eò deducãt,ſeq; nobis ipſe ac ſua iſta altioris ordinis bona cæleſtia, atq; diuina, maiore illato lumine oſtendat,& cognoſcẽda proponat. Quare quia ſemper ipſo doctore, atque duce in hac re indigemus,idcircò ſemper orandus nobis ille eſt,menti vt noſtræ indicet,quibus in locis oues ſuas ductet & paſcat. Sequitur. *Ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum*. Quamuis infirmitatis in amore,& imperfectionis ſit,quod timet,tamen dum ſic affectus animus eſt,iure ſibi cauet,ne dum pietatem,ac cęteras virtutes perſequitur,errore viæ in vicina, ac ſimilia virtutibus vitia incidat ne pro pietate,hypocriſin,pro religione,ſuperſtitionem,pro ſeueritate,crudelitatem ſectetur. Nam eæ,atque ijs ſimiles animi labes, falſa honeſtatis ſpecie conuelatæ virtutes mentiuntur, ac ſe pro illis haberi volunt, ductantque & ipſæ magnos perditorum hominum greges. Sequitur. *Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres.* Adeſt precanti Deus, qui propterea hîc potiſsimum, atque huic petitioni vltimæ reſpondiſſe dicitur, vt ex eo intelligatur, ex omnibus, quæ Solomon in ſponſæ perſona à Dei amatoribus dici, atque agi hactenùs expreſsit, nihil æquè gratum Deo eſſe, quàm quod domo, atque vrbe relicta demigrare in

Universidad de Deusto
Biblioteca

agrum velle, sponsa professa est, eius videndi, atq; fruendi causa. Nam id Deus à suis in primis petere solet, vt se terrenis curis subducant, seq; vindicent in quietē, & libertatē aliquam quò ipsi vni per otium vacent. Cuius rei in illo ipso Abrahamo, qui nationis piorum primus habetur parēs, exemplum proditum est. Ei enim dixit Deus. Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & faciam te in gētem magnam. Igitur quia hanc sponsæ vocem libentissimè Deus audiuit, ideo statim à Solomone sponsus inducitur respōdens, & sponsæ votis annuens: hoc est, in sponso Deus inducitur exhibens se præsentem atq; omnino se insinuās amanti animæ, & ad illius rogata omnia respondens: quæ iam ad eam partem pertinent, quam diximus ex illapsu, & doctrina constare. Quid autem respondet, aut docet? *Egredere, & abi post vestigia gregum tuorum, & pasce hœdos tuos iuxta tabernacula pastorum.* Sed qui pastores isti quæso, aut quæ eorum tabernacula, iuxta quæ hœdos suos sponsa pascet. Hîc si ex tabernaculorum natura rem interpretemur, necesse est intelligamus significari quasdam naturæ partes, sensu & ratione carentes: quarum tamen ex inspectione, & contemplatione inducitur homo ad cognoscendum, & amandum Deum: quale cælum est, & astrorum ignes, & mundi totius species, ornatus, atque descriptio. Nam isthæc proponi à Deo rudioribus, vt ex eorum inspectione salutarem pastum capiant, testis est regius vates, cum inquit, Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum. Sin autem nobis ipsi constare volumus, idque agimus, quod harum literarum, atque scriptorum interpretes agere omnino debent, vt hæc cum superioribus aptè cohæreant, vtque hæc spiritualis intelligentia cum illa corporalium rerum explicatione consentiat, & ex illa ducta omnino, & deriuata videatur, dicendū planè est, in his tabernaculis atque pastoribus conuentus bono-

Gen. 12.

Psal. 18.

bonorum ac piorum hominum significari, eosq; viros declarari, qui non modo ipsi pietatem colunt, sed voce, atq; vita alios ad eiusdem cultum inuitant, qui vnà nobiscum in hac vita versantur, diuisi videlicet ab illo beatiori cœtu, atque grege, quem verus pastor Iesus, beatis in locis reficit sempiternæ pastu voluptatis. His adde etiā eos, qui horum conuentuum, atq; cœtuum authores olim, & institutores fuerunt, qui quamuis vita functi sunt, vitæ tamen ipsorum atq; virtutis imago viget, ac viuit. quorū sunt incipientibus sequenda vestigia. quia vt sancti doctores tradunt, in ipsis vitæ spiritualis initijs, atque primordijs, dum animus in virtute rudis est, & inexperiens, & ad lapsiones facilis, magis expedit vna cū alijs eiusdem voti, atq; propositi hominibus viuere, quā solitariā vitam degere. Nā solitarium illud, & verè monasticū viuēdi genus aptū est solis illis, qui suas cupiditates satis iā edomitas, & cōpressas habent. Itaque perfectorum illud est, imperfecti verò, & incipientes in conuentu, atque grege bonorum se se ad virtutem exercere dēbēt, nec ipsi sibi nouam viam munire, sed inire veterem, atq; aliorū vestigijs, atq; itineribus tritam. Qua de re hîc non sine causa admonētur. Nam incipiētes vni ex omnibus solitudines amare maximè solent: statimque contemplationi Dei vacare volunt, & charitatis vno igne corripi, atque succendi. Quare qui huiusmodi sunt, hæc sibi à Deo dici putent, legāt vt prius gregum suorum vestigia: tabernacula pastorum adeāt: religiosis hominib⁹ se regendos permittant: cōmuniter cum bonis viris vitam degāt: habeant qui se ignaros viam doceant: qui languentes excitēt: morantes impellant: præfestinantes cohibeāt: reuocēt aberrantes, vtanturque aliorum oculis, cōsilio, rectione, vsq; eo quo ad cupiditatibus sedatis, & maioribus in animo collectis viribus, ipsi sibi præesse & in se dominari rectè possint: id cum effecerint, tunc secreta tutò, & bea

tas illas ſolitudines petant,ad quas ſolitudines inferiùs ijdem inuitantur,cum ſcilicet,ad proficientiũ iam,aut perfectorum gradum peruenerunt:nunc autem quando incipientes ſunt,ad paſtorum tabernacula commorari iubẽtur,alijſq; parere:ideoq́; ſequitur. *Equitatui meo in curribus Pharaonis aſsimilaui te amica mea.* Nam iſti eatenùs probãtur Deo,nõ ſi ferarum modo agreſtes,& indomiti vitã degant,ſed ſi iugo ſua colla ſubdi, frænum ore accipere, ac currui iungi,habeniſq́; torqueri,atque circumagi voluerint.Hisnamque rebus paratur atque alitur Chriſtianę humilitatis maxima illa,maximeq́; neceſſaria virtus,quæ tanquam fundamentum,atque ſolum eſt virtutũ reliquarum.Sequitur. *Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis.* Interiorẽ illapſum quo Deus efficitur quodãmodo præſens animę, duo ſicut ſuprà diximus,ſequuntur,eruditio,& voluptas: vel potiùs ipſius illapſus duplex eſt vis,vna erudiens,altera voluptatis efficiens.Vtrumq; porrò in homine operatur Deus,pro portione amoris, quo ab ipſo diligitur, & pro eo gradu,quem in amando obtinet is, cui ſe ſe infundit. Et quidẽ quod attinebat ad doctrinã eorum, quorũ nũc perſona agitur,proximè explicatum eſt:nunc quod ſequitur,alteram partem continet,quæ ad efficiẽtia voluptatis ſpectat.Voluptas autẽ maximè efficitur ex Dei,atque animæ inter ipſos dulci,& amatorio colloquio.Ea ergo nũc colloquia Solomon exponit, quo vno modo res tanta exponi potuit,ipſos,inducens mutuò ſe laudantes, & quam blandiſsimè compellantes ſe,eaq́ue dicentes,quæ dici nõ ſolent,niſi ab ijs, qui in rei amatæ ſinu infuſi voluptate nimia colliqueſcunt.Ac primo Deus. *Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis,collum tuum ſicut monilia.* Laudat nũc parciùs omnia,eadem poſtea cũ ad altiorẽ amoris gradum anima peruenerit,vberiùs laudaturus.Vera animæ pulchritudo,charitas in Deum eſt.Ea enim vna in cæleſtis naturæ habitum

tum demutati efficimur Deo ſimiles. Eſt autẽ charitas in incipiente imbecilla & exigua,quippe quæ adoleſcere tũc incipiat,& cupiditatibus carnis,quarum adhuc magna vis eſt in corpore tanquam quibuſdam ſpinis obſideatur.Cę terùm quamuis charitas minus proferat lumen ſuum in incipiente:tamen extant in illo atque enitent aliæ virtutes,illæ nimirùm,quæ animorum cultrices habentur, & ideò καθαρτικαὶ, id eſt purgatoriæ appellãtur:quoniã purgãdis animis adhibentur : quarum munus eſt quidquid ex corpore,& ex anteacta vita exiſtit, quod nocere,aut obſtare charitati poſsit,id reuellere,& tanquã agrũ ſic animũ ſarrire,quo radices altiùs agere in eo charitas&melius fruticari valeat.Quę virtutes,illuſtrãt illę quidẽ&cohoneſtãt animos noſtros,ſed nõ quaſi in eis ipſa pulchritudinis vis, & ſumma abſolutio ſit,ſed quaſi ornamenta accerſita, & exteriùs adhibita pulchritudinis conciliãdæ cauſa. Igitur qui hũc gradum amoris tenent,in ijs purgatorijs virtutibus,ſuam induſtriam potiſsimum probant:fiunt q́ue & ipſi ob haſce virtutes ſpectabiles,atque conſpicui, laudeq́;, & honore digni.Quod ipſum hîc ſignificatur ijs verborum inuolucris,quibus ſponſa pulchra eſſe dicitur, non tam propter membrorum aptam compoſitionem ; aut propter coloris ſuauitatem:ex quibus ipſum pulchrũ eſt: quam propter aſcita,& extrinſecùs adiuncta ornamenta. *Pulchræ ſunt genæ tuæ ſicut turturis.* Id autem eſt,licet adhuc parũ charitate valeas,parumq́ue amore mei incaleſcas,in quo vno ſumma animi pulchritudo cõſiſtit,licetq́ue plurimum terreni , ac tui amantis inſit in te adhuc , tamen iſti abs te ſuſcepti labores cupiditatum extinguendarum cauſa, vigiliæ iſtæ,iſta ieiunia,illi luctus acerbi , illique lachrymarum riui largiſsimi multũ veræ pulchritudinis,atque ſpiritualis decoris tibi addunt,atq; conciliant. Sed quid monilibus cum lachrymis,aut quæ huius tranſ-

lationis

lationis ratio potest esse? Hîc ad ipsa Hebraica nomina, pro quibus interpres,& turtures,& monilia posuit recurramus oportet:eaque vnde nata sint,& à qua significatione verborum deducta videamus. Igitur alterum nomen, id est,תור Thor,ab eo, quod est disponere,& in ordinem redigere ducitur,alterum ab eo quod est attenuare,& gracilem reddere:vtrumque autem quis est, qui non videat aptissimè cadere in vnam temperantiæ virtutem,cuius officij est carnem luxu exultantem attenuare,& cupiditates se turbidè efferentes compescere, & intra certum ordinem cogere. Temperantia porrò ad id efficiendũ illis vtitur,quæ commemorabamus ieiunijs,vigilijs, precibus,lachrymis, quæ partim ipsa ex se parit, atque producit,partim ab alijs virtutibus precariò sumit,& in suos vsus conuertit. Nec verò id solùm ex Hebraicorum nominum notatione probamus, sed multò etiam magis ex eorundem significatione, id est, ex ijs rebus, quas ad res significandas assumuntur. Nam turturum gemitus, atque querelæ nobiles sunt: ijs autem querelis in arcanis literis animæ vitia detestantis, ac præteritam vitam dolentis lamenta significari solere, sancti & probati scriptores tradunt: monilia verò, quæ collo circumiecta ipsum arctè constringunt atque circundant, haud ineptè referri possunt ad declarandum seuerum illud,& austerum vitæ genus, quod continentiæ legibus coercita,& quasi circumscripta omni immodica & superflua cupiditate,animum constringit,ac circumcirca concludit. Quod autem sequitur. *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento*. In eo Deus primum hunc suum amatorem admonet,vt perseueret in eisdem pœnitentiæ & temperantiæ operibus,vtque sibi ex eo virtutum genere maiora adiungat quotidie ornamenta. Deinde illi pollicetur effecturum,vt isti labores,& dulces,& fructuosi ipsi sint,

sint,auro videlicet,atque argento pretiosiores. Cuius spe promissi erectus ille,gaudioq; perfusus de præsentia Dei, è vestigio respondet. *Dum esset rex in accubitu suo,nardus mea dedit odorem suum.* Videlicet,ne quis ipsum ingratitudinis arguere posset, promittit pro virili sua parte vicem Deo relaturum:hoc est, effecturum boni exempli odore bono,vt à cũctis hominibus laudetur,atq; celebretur Deus. Sed cuius quæso rei odore? Nardi,inquit. Habet autem Nardus symbolũ pœnitẽtiæ ex charitate profectæ, & cũ charitate cõiunctæ. Ex quo intelligi potest quam inter se consentiant ista omnia. Nam quia iusserat Deus, vt in instituto pœnitentiæ & temperantiæ officio perseueraret, quiaque idem promiserat,se pro eo quantũ in eis virtutibus elaborasset magna præmia repensurum, ideo aptè hic quo de agitur iustus homo respondet,se nardo sua,eaque odoratissima perfusurum ipsum,id est se tandiu perseueraturum in cœptis pœnitentiæ,ac temperantiæ operibus,quoad non modo ipse bonus efficiatur, sed etiã alijs videatur talis esse:quoad,inquam,non solùm ipse eas sibi conciliet,& in se efficiat virtutes,easque comprehendat, atque complectatur intra se se,sed etiam eo vsque quoad multus & suauissimus boni exempli ex eis odor exiens,& ad alios perueniens eos moueat, atque excitet ad laudes Dei. Sed cur præcipuè purgatoriæ istæ virtutes odoratæ dicuntur? curve odoris nomen potissimùm attribuitur illis? Quia hominum oculis magis quam reliquæ expositæ cum sint,maximè eas homines præsentiunt, maximeque omnes admirãtur. Quod enim factu difficillimũ esse iudicat,id quisque admiratur maximè. Nihil autem difficilius existimatur,quam expertem voluptatis vitam in labore, & contentione animi semper ducere: propterea quod suis cupiditatibus vulgo omnes inseruiunt. Itaque si quẽ voluptates aspernantem,cultu tenui,atque victu vtẽtem,

san-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſanctiſq; laboribus vacantẽ vidẽt, vidẽt autẽ facillimè, ex meliore atq; diuino quodam genere hominũ illũ putant, Deumque ob eam rem laudant, quæ Deo eſt gratiſsima laus. Igitur hoc loco homo iuſtus pollicetur, ſe pœnitentiæ operum odore bono cunctos mortales ad Dei laudes excitaturum, eaque laudum voluptate, & tanquam dono Deum remuneraturũ; nec ab eo ſtudio edendi quotidie, ac proferendi ſibi vtiles, Deo gratos, cũctis hominibus ſalutares, & prædicabiles pœnitentiæ fructus vnquam deſiturum: ideoque adijcit. *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur.* & quod in eandem ſententiã ſtatim ſequitur. *Botrus cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi.* Nam Cyprum, id eſt, vt ſupra diximus, opobalſamũ corporibus illitum corrumpi ea prohibet, quod item myrrha facit, ideoque vtrũque aptè transfert ad ſignificandas pœnitentiæ, atque temperantiæ virtutes, quæ immodicis cupiditatibus obſiſtunt, eiſque animum corrumpi non ſinunt. Quarum virtutum tanquam faſciculis è myrrhæ & Cypri floribus concinnatis ſinus ſuos hic iuſtus refercit, quo oſtendat cordi ſibi illas virtutes eſſe, & quamuis amaras, gratas eas habere. *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra, & oculi tui columbarum.* Ex ſermone inſtituto cũ Deo, èque ipſo amandi actu, animus ipſe pulchrior, ac melior ſenſim efficitur: iamq; illius ſpecies ipſa per ſe, non ſolùm ob adiuncta ornamẽta placere Deo incipit. *Ecce tu pulchra es amica mea.* Pulchram, & amicam vocat, & ea re pulchrã, quia amica eſt: pulchram autem nondum ex omni parte, propter turbidos quoſdam motus, quos nondum compreſsit, ſed quod ad oculos attinet *Oculi tui*, inquit, *columbarum.* Quod in corpore oculi, id in animo ea vis eſt, quæ in vltimum, & extremum bonorum appetitu, & amore fertur: quæque à noſtris Theologis non prorſus inepto verbo intentio appellatur. Nam ſicut oculi ſunt in motu

tu duces, quibus ſine ingredi, ſine offenſione vix poſſumus, ita finis vltimi, extremique bonorum voluntate ducimur, atque dirigimur in omni vita. Nam neque inſtituere à principio aliquod opus, neque ſemel inſtitutum, id ritè exequi vllo modo poſſumus, niſi ea nos vis & inducat, & regat. Ex quo ea vna vel recti curſus, vel poſtremi erroris, aut omnis, aut certè præcipua cauſa cenſetur. Nam ſi ad id quod verè bonum eſt, ſemel appulſa in illud intuebitur, & ſpectabit ſemper, haud dubiè vitæ curſum in hoc ſæculi vaſto, & procelloſo mari, ad certiſsimam Cynoſuram dirigens hominem in portum felicitatis inducet: ſin autem pro vero bono falſum bonum complexa fuerit, naturam hominis, & naturæ conſentanea officia peruertens, illum præcipitabit in interitum. Verum autem hominis bonum Deus eſt. Hunc igitur qui ſibi pro fine conſtituunt, & in eius vnius amorem, atque cultum omnes ſuas cogitationes atque ſtudia referunt, ij quamuis interdum impediantur affectibus, quos nondum exuerunt, quo minus in omni ſua actione efficere, atque conſequi perfectè poſsint illud honeſtum quod cupiunt, quodque contendentibus ad Deũ vnicum, atque directum iter eſt: tamen multum valent ea ipſa voluntate animi in Deum tanquam in verum & ſupremum finem, eodem ipſos ad id adiuuante Deo, intenta & directa efficaciter. Nam ab illa habent, vt & boni & iuſti viri ſint: & vt Dei filij, & eius ipſius Dei naturæ participes nominentur. Non quod nihil deforme, nihilque quod reſecari debeat in illorum inſit animis, ſed quod huius partis vbi illa bene erga Deũ per gratiam affecta eſt, ea vis ſit, vt virtute, atq; efficientia reliqua rum omnium partium perfectionem & abſolutionem in ſe ipſa contineat, ſicut ſcriptum eſt: Si oculus tuus lucidus eſt, totum corpus tuum lucidum erit. Quare qui animus *Matt. 6.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

mus isto modo affectus est,appellatur sanè pulcher,sed ea tenus quatenus obtutu,atque intentu oculorum , id est, intentionis ipsius directione in diuinum lumen, ipsiusq; diuini luminis atque gratiæ communione,ignea & micã tia lumina columbarum refert. *Oculi tui*,inquit, *columbarũ*. Cui illa. *Ecce tu pulcher es dilecte mi & decorus*. Et quidem si ne exceptione vlla. Sequitur. *Et lectulus noster floridus , & ti gna domorum nostrarum cedrina, laquearia cypressina* . Variè hoc exponitur,lectuli nomine,alijs priuata cuiusque stu dia,alijs vitæ institutum,vnicuique hominum generi pro prium,alijs quiescendi in eo quod quis adeptus est, desi derium & cupiditatem intelligentibus . Nos omnes has sententias,quoniam in singulis illarum aliquid veri inest, exponemus.Qui priuata studia ad quæ quisque natura & inductione animi fertur,in lectulo intelligunt ita dicunt. Cupere omnes,præsertim eos qui in virtute haud multũ profecerunt,Deo gratum facere ijs in rebus,quæ ipsis itẽ gratæ sunt:nec tam Deum sequi velle,quam ipsum ad se trahere,ac deuocare cupere,eosque propriè dicere . *Ecce, tu pulcher es dilecte mi,& decorus,& lectulus noster floridus,& tigna domorum nostrarum cedrina , laquearia nostra cypressina.* Quibus verbis ita fatentur se affici diuinæ pulchritudinis amore,itaque coniungi cum Deo velle , vt tamen tacitè ad lectulũ suum ,& ad delicias suas ipsum inuitent,pertra hereque conentur ipsum ad ea quæ ipsis dulcia & grata sunt:hoc est cupiant,atque desiderent probare Deo suũ laborem in eis operibus, muneribusque obeundis , quæ ipsi munera atque opera obeunt cum voluptate. Altera sententia & interpretatio est,lectuli atque domus nomi nibus,trãslatè significari vitæ cuiusq; institutum. Etenim vniuersi homines,quo id assequantur,quod summè expe tunt,certum aliquod,& ad id,quod quærunt , aptum atq; conducens vitæ institutum , atque rationem sequuntur, eique

Hosarguit Bernard. in Can. ser mo.46.

eique vacant maximè atque incumbunt tanquam lectu lo.Qui diuitias amant,rem augent mercatura: qui hono res ambiunt,in populi aut principum gratia colligenda la borant:quos voluptaria iuuat vita, ij molle ocium,perse quuntur,ijsq; artibus vacant,quibus fœminarum amor fa cillimè conciliatur. At qui cælestis vitæ cum Deo degen dæ cupiditate tenentur,vitæ genus eligunt,durum,mona sticum,voluptatis expers , laboris plenum , in quo mini mum iucunditatis sit,laboris verò,& ærumnarum plurimum. Qua in vita & omnium quæ in vita iucunda sunt negatione,atq; fuga,Deum cum inuenerunt, non solùm id assequuntur,vt Deus illis qualis est,omni ex parte pul cher,& amore dignus appareat:neq; solùm id assequun tur,vt ex Deo inuento summas voluptates percipiant:sed etiam,vt illa ipsa quæ inueniendi eius causa subierunt ma la,labores dico illos, vigilias, ieiunia , dulcia illis & iucun da,& ampla,& optabilia sint,assequuntur, & ob eam rẽ dicunt. *Ecce,tu pulcher es,& decorus , lectulus noster floridus.* Id est,non solùm tu pulcher & decorus es,sed hæc etiam viuendi ratio tui inueniendi gratia susceptа , lectulus, in quam,hic,in quo sedemus,quiq; nobis peranguſtus quõ dam ac vix ferendus est visus,iam vel rosa ipsa mollior est, atq; gratior. Nec dubium est,non modo quin ita sentiant isti,sed quin re ita sit. Quod illi maximè experiuntur verũ esse,quibus res aduersæ aliquando euenerunt. Ij enim,si tamen(quod illos facere iustum est)moderatè ipsa mala ferunt,ac Deum æquo animo laudant,eiq; vni fidunt, eã in medijs malis ex Deo,qui iniuria oppressis semper ad est,consolationis,ac suauitatis sentiunt magnitudinem; vt iam non modo constanti & forti animo fortunæ damna perferant , sed vt pro bonis ea , & optabi libus rebus habeant , ex animoque , ac verè dicant. *Et lectulus noster floridus est , & tigna domorum nostrarum ce-*

drina, laquearia nostra cypressina. Tertia ac postrema ratio est ea, quæ ex lectulo ac cedrina domo, quietem in eo bono, quod quis adeptus iam est, intelligit, atque interpretatur. Quæ mihi ratio ob id maximè probatur, quod affert sentẽtiam, & interpretationem valdè cum superiori oratione congruentem & consentaneam. Nam consequutionem optati boni natura sequitur desiderium in eo quiescendi. Atqui sponsa, quod vnum optabat videre sponsum, atque alloqui, id iam assequuta dicitur: quid igitur restat, nisi vt quod assequuta iam est, eripi sibi nolit, vtque perpetuum sibi id, atq; proprium esse cupiat? Hanc igitur illius cupiditatem & natura consequens desiderium, hoc loco explicat Solomon, cum ipsam inducit domum suam & lectulum communem, quæ quietis atq; ocij sunt loca, laudantem & prædicantem. Nam dum laudat, tacitè significat quietem se amare iam, & ad eam votis omnibus aspirare. Et sanè cum omnibus qui labores subierunt, aliculus adipiscendi causa, insitum est, id postquã adepti sunt, vt cessare non nolint, tum id est maximè proprium eorũ qui multis, & ardentibus cupiditatibus circunsessi, pœnitentiæ labore, tanquam ferro, per medias hostium acies, viam sibi ad Deum aperuerunt, id est, incipientium, de quibus nunc agimus. Nam illi quo propter insolentiam, & Dei colloquia dulciora ipsis, & pœnitentiæ officia magis aspera accidunt, eò magis optant vacationem sibi, ac requiem aliquam laborum dari; eoque ægrius à iam degustato bono dulcissimo diuelluntur, & ad institutos pœ
Matth. 17. nitentiæ labores reuocantur. Cuius rei exemplum D. Petrus prodidit in se se. Nam quemadmodum ille cæsti, nec opinata luce, Christique latè splendentis plena diuinæ maiestatis specie perstrictus, nesciens quid diceret, aiebat, Bonum est nos hîc esse: sic istis ad primos Dei congressus amore diuino ebrijs, ac quasi debellatum iã esset, de sola

de sola pace cogitantibus, in mentem non venit, vt cogitent, restare adhuc in suo corpore multa ex veteri homine, inimica ipsis in quibus debellandis, necesse est vt elaborent Quare illis paulo post, id est, capite sequenti meritò dicitur, *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Cuius orationis, quæ sit vis dicemus, cum ad id loci peruenerimus.

TERTIA EXPLANATIO.

QVod initio huius libri, quando primum in lucem emisi ipsum, me facturum negaui, vt carmen hoc, quod & de singulis iustis hominibus scriptum est, & ad vniuersos communiter pertinet, vtroque modo explanarem, quòd operosum esse dicerem, & mihi futurum permolestum putarem, id libro bis edito, ipsum editurus tertiò nunc facio, suasu inductus quorundam amicorum meorum. Dicebãt enim, illi mihi, idque sæpè, me non satis integrè hoc explanasse Carmen videri, ni qua ratione de Ecclesia interpretandum esset, docerem: esse meum ad eas explanationes, quas edidi, hanc etiam explanationem adiungere, ne commentariolo isti accuratè, vt sibi videbatur, scripto, quod ad huius carminis præcipuæ sententiæ intelligentiam pertineret, id planè deesset Quibus non potui non parêre, vel quia mihi visi sunt æqua dicere, vel omnino quia erant amici, quorum ego & iudicia plurimi facio, & voluntatibus libentissimè obsequor. Itaque illis obsequutus, id aggredior nunc scribere, de quo scripturum me olim negaueram. Et quoniam, quæ de huius carminis argumento sentiam, ea à me latius explanari iidem volunt, quod ad illa quæ super hoc in initio perstrinxi, quidã nimis cæcutiunt, age de hoc primum, nõ solum latius, sed

etiam pinguiore Minerua, id vt omnes intelligant, differàmus. Variæ de hoc sententiæ sunt, de quibus singulis ordine. Quidam enim Solomonem sua tantum inductum voluntate, atq; iudicio ad hoc scribendum accessisse carmen dicunt, vt eo amores complecteretur suos. Eamque sententiam præter hæreticos, tenent nonnulli doctores Hebræi. Alij & ipsi fatentur hæc à Solomone de amoribus scribi suis, sed dicunt scribi Deo illum excitante ad hæc ipsa scribenda, vt eorum amorum, sicuti aliarum rerum quę Solomoni acciderunt, memoria extaret in sacris libris. Priores nec diuinas res hoc libro contineri volunt, nec id esse diuinum dicunt, cuius inductu conscriptus est hic liber: itaq; eum non esse habendum pro sacro censent, neque ab authore, neque ab argumento. Posteriores verò sacrum illum esse fatentur, quod ad authorem attinet, cuius præcipue impulsu, atq; ductu conscriptus est, tamen quod ad eius argumentum spectat, nihil in eo, aut spirituale, aut mysticum esse aiunt. Vt Esther liber, qui inscribitur, habetur sacer, etiamsi, vt videtur, nihil præter earum rerum historiam contineat quæ Estheri acciderunt, vt Assuero nupserit, vt Iudæorum gentem ab interitu vindicarit. Atq; hi quidem leuius peccant, quam primi, sed neutri sunt vllo modo ferendi. Illi quòd à Canone sanctarum scripturarũ contra Ecclesiæ iudiciũ, hunc librum eijciunt: hi quòd librum, quem frugi non putant, ei inserunt. Horum itaq; sententiæ Theodoretus mentionem fecit, eamque iure improbauit. Nam improbari debere liquet, primò, quia omnes Ecclesiæ scriptores, huius libri orationẽ mysticam esse cõcedũt, vt potè in qua aliud dicatur, aliud intelligatur, deinde quia libri qui sacri habendi sunt, ea tantùm continere debent quæ cælestia, & spiritualia sunt, aut ad eas res facilè referri possunt. Nã, vt Paulus scribit. Omnis scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad docendum, ad arguen-

Theod. in prol. Can.

2. Tim. 3.

arguendum ad corrigendum, ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus. Et hoc est causæ quare non omnia quæ priscis patribus acciderunt in sacris cõmemorantur scriptis, sed cum delectu quædam referuntur, quædam silentio obteguntur. Non enim illa omnia aut cæleste aliquid post futurũ præsignabant, aut ad spirituale genus aliquo modo referri poterãt. Ex quo planè efficitur, vt hic liber, si nihil aliud contineat præter meros Salomonis amores, ne scriptus quidẽ à Deo sit, itaq; sacer nullo modo sit, neq; ab authore, neq; ab argumento. Et ex eo rursus colligitur parum inter has sentẽtias differre & vtramq; in errore prope eodem versari. Sunt alij, qui Salomonem in hoc carmine de suis amoribus, vt apparet, agere & ipsi dicunt, sed addunt agere eo fine, vt suis amoribus recensendis, adumbret diuinos amores. Itaq; illum sumere ex se typos & imagines arbitrantur, quibus quantum Deus hominum amet genus significet. Quòd, quemadmodum Salomonis personam Christi personam retulit, & Salomonis imperiũ, Christi imperij imago fuit, & pleraque eorum quæ Salomoni acciderunt, eo acciderunt, vt eis quasi typis significaretur, & exprimeretur Christus, eodem modo existiment debere dici Salomonis, & filiæ Pharaonis coniugium imaginem fuisse coniunctionis Christi cum ecclesia, ac similiter amatorios sermones, quos cum illa, aut de illa habuit, imagines extitisse charitatis eius qua Christus ecclesiam complectitur. Quæ sententia etsi olim Hebræis probata fuerit, & nunc haud parum multis è nostris probetur, tamen eo mihi minus probanda videri solet, quòd Deum non satis fortasse deceat, earum rerum historiam texere quæ duo coniuges amatoriè fecerunt: etiamsi in ijs coniugibus imago insit Christi, & ecclesiæ. Quare aliorum sententia fuit, hæc à Salomone dici figurate de Iudæa, in qua

imperitabat ipse: & cũ ea prouincia ipsum in hoc libro lo qui tanquam cum vna aliqua fœmina, quam amaret. Itaque vt si esset fœmina ita ipsam describere, & membra fœminea ipsi tribuere, & membrorũ fœminei corporis nomina, eiq; rei argumento esse, quod Carmelũ, eius prouinciæ altissimus mons qui est, caput nominet, arcem verò eã, quæ in Libano versus Damascũ erat, appellet nasum, pro oculis autẽ habeat Hesebonis piscinas, formæ porrò eius prçcipuum decus in Hierusalem, & Thyrsa collocet, eius prouinciæ regijs, & nobilissimis vrbibus. Sic nouus quidam scriptor existimat. Qui si credit de hoc ita agi, vt hic liber prçter eius prouinciæ historiam ac descriptionẽ nihil aliud contineat, in eodem errore quo illi superiores versatur, sin autem arbitratur, vti illud arbitrari, atq; crede re existimo, historicè agi de Iudæa, mysticè vero de ecclesia, minus ille quidẽ errat, sed tamen in eo decipitur, quod propter pauca nomina partium eius prouinciæ huic carmini inserta, totum ei prouinciæ carmen accommodat, quod à vero longissimè abest. Nam sunt permulta in hoc libello, quæ ad eam sententiam detorqueri non possunt, etiam si fingendi licentia detur. Alij ergo ad id quod verũ est propiùs accedentes, quos & Theodoretus cõmemorat, rempublicã Iudæorum hic à Salomone sub persona fœminæ induci, & cũ ea ipsum tanquam cũ puella hos sermones cõferre censent. Sed vera sine dubio sentẽtia est, nullius amatorij sermonis re ipsa à Salomone habiti, aut cũ vxore sua, aut cũ aliqua alia fœmina historiã referri in hoc libro, sed historicum eius sensum eundem mysticum esse, eumq; totum versari in exprimendo, quantum eccle sia, atque Christus ament inter se, quos Salomon inducit sumpta persona coniugum inter se amantium, & suos calores blandissimis verbis conferentium. Et quidẽ Chri stũ, & ecclesiã induci, veteres ferè omnes affirmant: inducì autem

ci autem non nudos ipsos, id est, nõ quales ipsi sunt aperto ore sui animi sensa proprijs efferentes verbis: sine figura, & parabola, sed personatos potiùs, & ijs tectos personis, quas diximus, primũ perspicuũ est ex ipsa oratione libri, in quo nec Christus se Christũ nominat, nec ecclesia ecclesiã, sed vt cũ fœmina vna speciosa, sic cũ illa loquitur Christus. Deinde idẽ constat testimonio veterũ ferè omniũ. Theodoretus in prologo, id non solũ affirmat, sed & confirmat multis exemplis eã scribendi rationem, in qua aliud dicitur, & aliud significatur sacras valde decere literas asserens. Dionysius in epistola ad Titũ, huius libri orationem typicam, & symbolicam vocat, & sub eorum quæ videntur specie arcana quædã contineri confirmat: eãq; scribendi rationem etiã dicit rebus diuinis tradendis esse aptam, & ob eam causam ab scriptoribus vsitatam sacris. Athanasius in synopside ita inquit. Totus hic liber ad finẽ vsq; mysticè cũ allegoria ænigmatica conscriptus est, sen » sus enim dogmatum illius non est manifestus, sed in arca » no absconditus. Gregorius Nisenus, Atque in his, inquit, » quod depingitur apparatus est nuptialis, quod autem in- » telligitur animi humani cum diuinitate cõiunctio. Idem » affirmat Origenes in ijs homilijs, quæ sub illius circumferuntur nomine in prima & secunda. Etiam Bernardus ho milia prima in Cantica, inquit. Sacri amoris gratiam & » çterni connubij cecinit sacramenta, simulq; expressit san- » ctæ desiderium animæ, & epithalamij carmen exultans » in spiritu, iucundo composuit eloquio, sed figurato ta- » men. nimirùm velabat, & ipse instar Moysis faciem suam, » non minus forsitan in hac parte fulgentem. Et homi- » lia septuagesima quarta. Nos autem in expositione » mystici eloquij cautè & simpliciter ambulantes, gera- » mus morem sacræ scripturæ, quæ nostris verbis sa- » pientiam in mysterio, absconditam loquitur, & Deum »

» nobis insinuat notis rerũ sensibiliũ similitudinibus. Gre-
» gorius Romanus prologo in Cãtica Rebus, inquit, nobis
» notis per quas allegoriæ cõficiũtur sententiæ diuinæ cõsi-
» ciuntur, & dũ cognoscimus exteriora verba, peruenimus
» ad interiorem intelligentiam. Hinc est quod in libro, qui
» CanticũCanticorũ cõscriptus est, amoris quasi corporei
» verba ponũtur, vt à corpore suo anima per sermones con
» suetudinis suę refricata recalescat, & per verba amoris, qui
» infra est excitetur ad amorem qui supra est. Idem eisdem
ferè verbis affirmat Richardus de S. Victore in primũ hu-
» ius libri caput. & Beda in eodẽ loco sic inquit, Cantica Cã
» ticorum in quibus sapientissimus Salomõ mysteria Chri
» sti, & ecclesiæ idest regis æterni, & ciuitatis eius sub figura
» sponsi, & sponsæ descripsit. Itaq; de hoc, quin non solum
verum sit, sed etiam perspicuum & euidens nullo modo
dubitare debemus, dubitat certè nemo sanus. Sed vt mini
mè de eo dubitemus, tamen inest in eo quiddam nonnul
lorum opinione controuersum, & dubium quod inexpli
catum relinquere non oportet. Nam etsi constet Christũ
& ecclesiam sub personis duorum coniugum loqui, nihi
lominus tamen quæri potest: vtrum isti coniuges, quorũ
sub personis Christus & ecclesia loquuntur, ita loquãtur,
quomodo qui inter se amant loqui solent, id est. Vtrum
Salomon ijs personis quas inducit, eos sermones det, &
eas actiones attribuat, quas illis, vel mos dat, vel natura: an
potius nullam habens personarum quas externè inducit,
rationẽ, sed in id solũ intuens quod illis occultatur perso-
nis, ita eas loquentes faciat, sicut duo coniuges qui inter
se amarent loquuti nunquam sunt, sed ne loqui quidẽ pos
sent, nisi ab omni natura rerũ & recto loquendi more ab-
horrerent. Nã ita potius dicendũ esse visum nonnullis est,
bonis illis quidem viris, sed parum cerrè consideratis &
intelligentibus. Et argumenta quibus eorum confirmari
sen-

sententia posit hæc ferè sunt. Primò Abhorret à consue- I.
tudine communis sensus, vt fœminæ viros ad amandum
prouocent viri potius solicitant fœminas. at in hoc Canti
co initio eius, inducitur sponsa sponsi petens oscula. Igi-
tur huius carminis oratio non seruit personis, sed rebus,
quas occultant, personę. Deinde. in capite tertio huius li- II.
bri sponsa inducitur noctu egressa domo, & per vrbem
cursitans, & obuios quosque rogans de viro suo quæ mul
tũ absunt ab eo quod fœminis est in more. Ad hæc in ca-
pite octauo vbera sponsæ instar turris dicuntur esse. Ego, III.
inquit sum murus, & vbera mea sicut turris. at hoc cũ na-
tura ipsa non solùm cum more pugnat. Præterea in capi- IIII.
te quarto. Collum turri Dauidis, quæ ædificata est cũ pro-
pugnaculis, simile nominatur. & vbera instar duorũ hin-
nulorum capræ esse dicuntur. & capilli sicut caprarũ gre-
ges, quæ ascendunt de monte Galaad, quibus, vti constat,
& mos, & natura repugnat. Rursus in capite sexto confer- V.
tur cum Hierusalem vrbe maximè nobili, & dicitur for-
midabilis vt castrorum acies ordinata. nemo autem ama-
tor amicam suam laudauit isto modo. Item in capite septi VI.
mo. Nasus sponsæ sicut turris esse longus scribitur, quæ
est in Libano: & caput sicut Carmelus mons permagnus,
& oculi quales sunt piscinæ in Hesbon, quibus nihil alie-
nius dici potuit ab eo quod amatores loquuntur. Tũ prę- VII.
terea in capite octauo, optans inducitur puellus vt lactẽs
esset vir suus. Quis, inquit, det te fratrem meum sugentem
vbera matris meæ. Quæ autem id vnquam optauit fœmi
na? sed & acriùs vrgent. nam inquiunt, si ita loquerentur VIII.
hi sicut qui inter se amant loqui solent, consequens esset
vt Deus ad exprimendos cælestes amores duceret simili-
tudines è corporeis, & lasciuis amoribus: eosque nobis
contuẽdos subijceret, quò in eorũ imagine amores con-
templaremur cælestes. At hoc dici atque ferri nõ potest.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Primùm quia corporei amores non sunt apti ad similitudinem, plurimum enim diuini amores ab humanis distant amoribus. Deinde quia etsi essent, tamen minimè Deum deceret eorum amorum suorum declarãdorum causa imaginem fingere. Postremò, quia etsi deceret, verumtamen fingeretur cum maximo spectatorum periculo. Nam corporei ac lasciui amoris species luculenter descripta, & quamuis alterius amores intelligendi causa, oculis, vt eorum aciem in eam intendamus, obiecta, ignẽ malarum cupiditatum statim accendit: Et, vt Nazianzenus Gregorius oratione prima contra Iulianum prudenter scripsit. Quæ prudentia est per cœnum ad vrbẽ ducere, aut per saxa, & scopulos ad littus contendere? Instant
IX. præterea. Dionysius de huius carminis oratione agens scribit videri monstra quæ in eo dicuntur. Nam inquit, Τὰ γὰρ ἐκτὸς αὐτῆς ὁπόσης ἀναπέπλησται τῆς ἀπιθάνου καὶ πλασματώδους τερατείας, id est, quæ enim extrinsecus apparent plena sunt incredibilis & cõmentitij monstri. At nihil monstri in ijs
X. profectò esset, omnia si dicerentur ex eo quod aut amantium mos, aut amoris natura fert. Denique sic aiunt, Patres eos, qui hæc Cantica legunt, monent ne ijs animum adhibeant, quæ præ se ferunt, sed vt ad sublimiora & cælestia cogitanda totam mentem conuertant, illos hortantur: igitur non declaratur diuinus in hoc libro amor, ex amore corporeo similitudine ducta. Nam si declararetur necessè omnino esset oculos ad imaginem vertere. Quod enim ex imagine cognoscendum est, id cognosci nequit, imago nisi cognoscatur. Patres porrò id ad monere est verisimũ. Dionysius in Epistola supra citata. Μὴ γὰρ οἰώμεθα τὰ φαινόμενα τῶν συνθημάτων ὑπὲρ ἑαυτῶν ἀναπεπλάσθαι, id est, ne existimemus ea quæ apparent in eiusmodi scriptionibus ficta esse, & conscripta ipsorummet causa. Gregorius Nisenus in loco supra citato. ὥσπερ δὲ καλὰ

καλὰ τὴν γραφικὴν ἐπιστήμην ὑλικὰ μέν τισι πάντως ἐν διαφόροις βαφαῖς ἡ συμπληροῦσα τῶν ζώων τὴν μίμησιν, ὁ δὲ πρὸς τὴν εἰκόνα βλέπων τὴν ἐκ τῆς τέχνης διὰ τῶν χρωμάτων συμπληρωθεῖσαν, οὐ ταῖς ἐπικρωθείσαις τῷ πίνακι βαφαῖς ἐμφιλοχωρεῖ τῷ θεάματι, ἀλλὰ πρὸς δὲ εἶδος βλέπει μόνον, ὃ διὰ τῶν χρωμάτων ὁ τεχνίτης ἀνέδειξεν, οὕτω προσήκει καὶ ἐπὶ τῆς παρούσης γραφῆς, μὴ πρὸς τὴν ὕλην τὴν ἐν τοῖς ῥήμασι χρωμάτων βλέπειν, ἀλλὰ καθάπερ τι εἶδος βασιλέως ἐν αὐτοῖς καθορᾶν θεοπνεύστων καθαρῶν νοημάτων ἀναπλαττόμενον, id est, vt in pingendi artificio: etsi materies quædam eius ij colores sint, quibus eius animantis quod imitatur imaginem absoluit, tamen qui coloribus expressam intuetur imaginem, non hæret aspectu coloribus tabulæ illitis, sed formam intuetur tantum, quam expressit coloribus artifex; sic decet & in hac pictura non defigere oculos in verborum, è quibus veluti constat, coloribus, sed vt in imagine regis fit, in his verbis id contemplari, quod mundæ cogitationes effingunt. Gregorius Romanus similiter. Hoc autem nobis solerter intuendum est, ne cum verba exterioris amoris audimus ad externa sentienda remaneamus: & machina quæ ponitur vt leuet, ipsa magis opprimat ne leuemur. Atque his rationibus niti poterunt: & certè earum nonnullis nitũtur ij, qui imagines ex amore corporeo in hoc libro duci, ac fingi negant. Quas ego rationes diligenter perquisitas, idcircò collegi omnes, vt cum ad eas sigillatim respondero, nullus illis deinceps relinquatur, aut obloquendi, aut calumniandi locus. Quod vt plenius faciam, quædam altius repetam hinc ducto principio In sacra Scriptura quod inter omnes constare debet, quædam ponuntur planè, & simpliciter proprijs elata verbis, atque sententijs, quædam figuratè, & allegoricè. Nam vt magnus Dionysius in supra citata docet Epistola, duplex est Theologica traditio, vna aperta, & perspicua, & cognitu facilis, altera mystica, & occulta quæ eadem illi τελεστικὴ vocatur, & συμβολικὴ. Mysticæ

sticæ porrò, & allegoricæ traditionis duplex modus est, sicuti & ipsa duplex est allegoria, vna rerum, verborum altera. Rerum enim allegoria ea esse dicitur in qua res, quæ verè extiterunt, ponuntur, vt ijs aliæ posteà futuræ res, illis prioribus similes declarentur, & significentur. Quo modo veterum patrum pleraque facta scripta sunt, & sacris mandata literis, vt ijs alia illis quidem similia, meliora tamen, atque maiora posteà significarentur futura. Quale est quod Abraham duos filios tulisse dicitur, vnum de ancilla, alterum de libera. Gal. 3. nam ijs, vt Paulus aperuit, significatum est futura duo testamenta, seruitutis vnum, libertatis alterum Idque allegoriæ genus proprium est sanctarum literarum. Nam reliquis scriptoribus est inusitatum & incognitum. Lib. 8. c. 6. Allegoria autem verborum, quæ à Fabio inuersio appellatur, est ea, in qua aliud verbis, aliud sensu ostenditur: & fit plerumque è perpetua metaphora. Nam metaphora in vno, aut altero verbo translato posita est, allegoria verò pluribus verbis translatè Lib. 3. positis constat. de qua Cicero in Oratore sic dicit. Nam illud quod ex hoc genere profluit, non est in vno verbo translato, sed è pluribus continuatis connectitur, vt aliud dicatur, & aliud intelligendum sit. vt exempli gratia, si Rempublicam Romanam bellis agitatam ciuilibus fluctuare quis dixerit, metaphora est. Verbum enim fluctuandi à naui de qua propriè dicitur, ad Rempublicam translatum est: At si reliqua quæ irato, & vndoso mari naui propriè contingunt, idem ad Rempublicam transferat allegoria existet ea, qua Flaccus vsus est libri primi Carminum Ode decima quarta, sic dicens.

O nauis referent in mare te noui
Fluctus. o quid agis? fortiter occupa
Portum:

Portum: nonne vides vt
Nudum remigio latus
Et malus celeri saucius Africo
Antennæq; gemant, ac sine funibus
Vix durare carinæ
Possint imperiosius
Æquor?

In quo nauim pro Republica, fluctuum iactationes atque vices pro ciuilibus bellis, portum pro pace, & ciuium concordia venustissimè posuit. Atque hoc allegoriæ genus, etsi commune sit scriptis omnibus, tamen sacris est valde familiare literis. Plurimùm enim illæ hoc figuræ genere vtuntur: nec in eo obscuritatem vitant, quam vitandam Cicero præcipit, sed illam potiùs affectant quodammodo, itaque sacræ allegoriæ ad ænigmata interdū propriùs accedunt. In hoc certè genere tota huius carminis oratio versatur. Est enim perpetua quędam verborum allegoria, in qua sponsus pro Christo ponitur, sponsa pro Ecclesia, pro Ecclesiæ autem partibus, atque viribus fœminei corporis membra nominantur, caput, oculi, vbera. Sed est præterea aduertendum, in hoc allegoriæ genere, id & seruari deberi, & ab ijs, qui ipsum scitè tractant perpetuò seruatum esse, vt omnia quæ dicuntur conueniant cum re simili, id est, cum ea re quæ alterius significandæ causa adhibetur. Nam hoc seruandum esse primo ipsa omnino docet allegoriæ ratio. Allegoria enim, vt ait Cicero, effici tur cum sumpta re simili, verba eius rei propria deinceps in aliam rem transferuntur. Deinde colligitur ex eo fine cuius gratia adhibetur. Etenim id in allegoria quæritur, vt vna re, quæ nobis notior est describenda, alia quæ est illi similis, sed minus nota nobis aut magis explicetur, aut certe maiori cum delectatione tradatur: quod similitudo inter res diuersas perspecta natura omnes delectet. Quare si hu- *Lib. 3. de Oratore.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

si huius rei causa allegoria excogitata est, vt cũ delectatione vna re simili aliam demonstret, necesse est vt res similis qualis ipsa est, talis inducatur à nobis, vt exempli gratia, si sub imagine nauis res aliqua publica significanda sit, ea dicenda erunt quæ de naui propriè dici possunt, quæque illi conueniunt, vt Horatium fecisse videmus. Nam quia, ò nauis dixit, vẽtos addidit, & fluctus, & portum & remiges, & reliqua quæ ad rem nauticam pertinent. Aliter enim allegoria non illustrabit id quod obscurum est, illatione rei similis, sed obscurabit potius, eritque quod sic efficiatur monstri simile, vt

Humano capiti ceruicem pictor equinam
Iungere si velit, & varias inducere plumas
Vndiq; collatis membris, vt turpiter atrum
Desinat in piscem mulier formosa supernè.

Et qualia ægri somnia sunt, vt nec pes, nec caput vni reddatur formæ, tale quod ex eo existet erit absurdum, atque ridiculum. Vt si, exempli causa, quis vellet Cedri allegoria viri alicuius corporis, atque animi dotes describere, & Cedrum inducens ac nominans, velis, atque remis ornaret ipsam, tum ei puppim, ac proram daret, ac cætera subiungeret, nauis quæ sunt, eum sine dubio vti absurdum, ac recti sermonis ignarum iure omnes riderent. Postremò idem constat exemplo scriptorum omnium: ac de profanis scriptoribus quod obuia exempla sint, nullum proferam, sacros tantum nominabo. Esaias allegoria vineæ Reipublicæ Iudæorum rationes significans, ea dicit quæ natura, & more vineæ conueniunt, ait. Vinea facta est dilecto meo in cornu
Esai. 5. filio olei, & sepiuit eam, & lapides elegit ex illa, & plantauit eam electam, & ædificauit turrim in medio eius, & torcular extruxit in ea, & expectauit, vt faceret vuas, & fecit labruscas. Quid horum vineæ non conuenit? serit in

in cornu filio olei. id est, in colle oliuetis consito, hoc est, loco vinetis maximè apto, vt enim ille,

Bacchus amat colles -

Purgat locum ne fructificationi lapides officiãt: id quod ad vitium culturam pertinet. Vallat sepimento, quo vineæ tutandi causa muniri solent. Extruit in ea turrim, atque torcular, id est, loca vindemiæ faciendæ, & recondendæ opportuna. Denique quod vltimo addit. Et expectauit vt faceret vuas, & fecit labruscas, in eo etiam institutæ allegoriæ seruit. Nam vites cum valent ac vigent vuas ferunt, cum degenerant, atq; siluescunt, ferunt labruscas. Ezechiel in triceſimo primo Cedri allegoria regis Assur vires & potentiã describẽs, nihil itẽ dicit, quod Cedro nõ propriè & literatè conueniat. Ecce, inquit Assur Cedrus in Libano pulcher ramis, & frõdibus nemoro Eze. 31.
sus, & excelsus altitudine, & inter condẽsas frõdes eleuatũ est cacumẽ eius. In Libano, inquit, nã Libani mõtis cacumina Cedris cõsita erant, & libanotica Cedrus cæteris
præstabat omnibus. Addit. Aquæ enutrierũt illũ, abyssus
exaltauit illũ, & flumina eius manabant in circuitu radicũ
eius. Nã & hoc ad naturã arborũ pertinet. nã quæ irriguæ
sunt, proueniũt fœliciùs. Quare subijcit. Propterea est eleuata altitudo eius super omnia ligna regionis, & multiplicata sunt arbusta eius, & eleuati sunt rami eius præ aquis
multis. & quoniã in patula, & frõdibus plena arbore, auiculæ nidulari solẽt, etiã adiecit. Cũq; extẽdisset vmbram
suã in ramis eius fecerũt nidos omnia volatilia cœli, & sub
frondibus eius genuerũt omnes bestiæ saltuum, & cętera
quæ sequuntur. Idem nauis allegoria Tyrum describit, & Eze.
istas allegoriæ leges exactissimè seruat. Ait. Abietibus de Sanir extruxerunt te. Etenim nauibus ædificandis abies est aptissima. ex quo illud Poëtæ.

& abies casus visura marinos.

Addit

Universidad de Deusto
Biblioteca

Addit. Cedrum de Libano tulerunt, vt facerent sibi malum. Nam est maximè procera Cedrus, quæ prouenit in Libano. Pergit. Quercus de Basan dolauerunt in remos tuos. Aptè scilicet ad ipsarum naturam rerum. Nam remi è materia duriori qualis quercus est fieri debent, quod ijs » propulsa nauis fluctus secet. Et transtra tua fecerunt sibi è » ebore Indico; & prætoriola de insulis Italiæ: Byssus varia » de AEgypto texta est tibi in velũ vt poneretur in malo: » hyancinthus & purpura de insulis Elisa, facta sunt operi- » mẽtum tuũ. Habitatores Sidonij & Aradij fuerunt remi- » ges tui, sed nullum est huius, quam dico, obseruationis illustrius exemplum eo, quod in capite decimo sexto ponit idem propheta. Nam demonstraturus quanto amore Deus prosequutus fuerit Iudæorum Rempublicam quamque ipsa vicissim malam ipsi gratiam retulerit puellam inducit infantem, quam cum sui exposuissent alius quidam fouit, & vsque ad nubilem ætatem eduxit, ac tandem duxit vxorem. cui ipsa puella coniugij fidem vulgato corpore postea fregit: itaque huius allegoria, Synagogæ describit facta impia. ita tamen artificiosè vt nihil non ducat è rei similis quam sumit natura atque more. Quando Eze. 16. » nata, inquit, es, in die ortus tui non est præcisus vmbilicus » tuus. & aqua nõ es lota, neq; sale salita, nec inuoluta pannis: non pepercit super te oculus vt faceret tibi vnum de » his misertus tui, sed proiecta es super faciem terræ. Quæ certè omnia ijs infantibus accidunt, quos sui parẽtes abij » ciunt, atque exponunt. Et pergit. Transiens autem per te, » vidi te conculcari in sanguine tuo, & dixi tibi cum esses in » sanguine tuo: viue, & grandis effecta es. Quo significat se, pro eo quod accidere solet cum abiectam illam infantem & omni ope destitutam vidisset, pietate commotum nutriendam susce pisse, nutriuisseque tam diu, quoad peruenit ad ætatem nubilem, qua in ætate, quia fœminæ pubescunt,

scunt, & tumere incipiunt eis vbera, & mundicias amant, & congredi cum viris appetunt, id vt etiam imitaretur, adiecit. Et peruenisti ad mundum muliebrem, vbera tua » intumuerunt, & pilus tuus germinauit, & ecce tempus » tuum tempus amantium, & iuraui tibi, & ingressus sum pactum tecum, & facta es mihi. Itaque eam matrimonio » copulauit sibi. Et quoniam qui vxores ducunt, eas comptas, & lautas volunt: aurumque ob eam rem atque vestes, quî se ornent illis tribuunt, idcircò vt allegoriæ serui ret, id etiam expressit subijciens. Et laui te aqua, & vnxi te » oleo, & vestiui te discoloribus, & calceaui te hyacintho, » & cinxi te byssо, & indui te subtilibus, & ornaui te ornamento, & dedi armillas in manibus tuis, & torquem cir » ca collum tuum, & dedi inaurem super os tuum, & circu » los in auribus tuis, & coronam decoris in capite tuo. Et » habens fiduciam in pulchritudine tua fornicata es in no- » mine tuo, & exposuisti fornicationem tuam omni transeunti. Nam fide violata ad artes meretricias se conuertit. Meretrices autem, vt mos erat illius ætatis hominum, tuguriolo, aut tabernaculo constructo extra vrbem, & iuxta vias residebant. Quare addit. Et sumens de vestimen » tis tuis ædificasti tibi lupanar, & fecisti tibi prostibulum » in cunctis plateis, ad omne caput viæ ædificasti signum » prostitutionis tuæ, & abominabilem fecisti decorem tuũ, » & diuisisti pedes tuos omni transeunti. Quæ certè vniuersa ex eo ducuntur quod ijs accidit, quæ corpore quæstũ faciunt. Denique Christus ipse in ijs parabolis quibus vtitur, idem omninò seruat, vt ad eas siue personas, siue res, quibus parabolæ constãt, omnia accõmodatissimè dicat. Nam illæ parabolæ ad hoc allegoriæ, de quo agimus, genus sunt referendæ. Id patet in parabola de vinea, de decẽ virginibus, de conuiuio & inuitatis, de semine in terram iacto. Denique in parabolis omnibus. Quare hoc maneat

fixum in verborum allegoria, ea verba, quæ rei similis propria sunt, de re simili quæ sumitur semper dici, & ex ea ad aliam transferri. Quibus sic constitutis, quid ipse de proposita quæstione sentiam, ordine dicam per quædam distincta capita, quorum primum hoc est.

I. Personæ in hoc carmine inductæ, & sub quib⁹ loquunt Ecclesia, atq; Christus; sic loquūtur: vti ipsas personas loqui decet, ideſt, sicut qui inter se amāt, loqui solēt. Nā primò hoc carmē, vt supra demōstratū est, totū cōstat allegoria, dū sub persona viri ac fœminæ Christi, atque Ecclesiæ amores commemorat. Sed in hoc allegoriæ genere, ratione eius id exigēte, & fine cui⁹ causa institutū est, postulāte: & cōsuetudine sacrarū literarū suffragāte perpetua, quidquid dicitur, ijs psonis accōmodatur, quæ externè inducūtur. Igitur & q̄p hic dicitur, id omne duci debet, ex inductæ psonæ, id est ex psonæ amatoriæ ratione atq; natura. Præterea, hic cōmemorātur oscula, enarrātur suspiria, referūt suspiciones desideria amantiū inuicē cōgredi cupientiū exponūtur, laudes scribūtur, quib⁹ se mutuò celebrāt, inuitationes, blāditiæ, querimoniæ recitātur: & in eo hui⁹ carminis oratio ferè tota cōsumitur. Atqui hæc è corporeo amore omnia duci posūt, ac sine dubio talia sunt, qualia, quæ ijs, qui mutuò amāt, eueniūt. Igit etsi darem⁹ in hoc libello inesse aliquid, quod à more, & cōsuetudine amantium recederet, tamē ex eo statuendū nō esset de isto carmine: quādo constat eius pleraq; aptissimè cōuenire cū natura atq; more. Semper enim ex eo quod maximas partes cōtinet, latissimèq; funditur, tota res appellat. Et quidē qui cōtra sentiūt, id sentiūt quia vnus, aut alter hui⁹ carminis locus, nōnihil vt ipsis videtur, discrepat, ab eo quod fieri more solet, & è minima parte de tota re iudicāt, quo nihil fingi potest iniustius. Nā si id sibi cōcedi volūt, vt quod ex vno loco, paucisve locis argumentum ducunt, id validum

dum sit, & firmum, cur non concedāt potiora illa esse, & validiora argumenta, quæ nos ex tota re ducimus? Et si argumēto est ista non quadrare in corporeū amorem, quia pars eorū minima nō quadrat, sit argumēto aptè respondere, quia pars maxima aptè respondet. Constat sub imagine duorū amantiū Christi amorem cū Ecclesia in hoc carmine exprimi: constat Ecclesiā sub persona amatricis fœminæ induci: cōstat ei personę fœmineę, fœminei corporis mēbra tribui, oculos, genas, vbera, fœmora: Quī igit sit verosimile eis mēbris nō ea tribui, quæ ipsa decēt q̄p ad ipsorū cōpositionē, & speciē attinet? vt sicut psona fœminæ, conditionē Ecclesiæ, & naturā refert: & sicut fœminei corporis membra, partes Ecclesiæ referunt, eis membris persimiles, eodē modo eorūdem mēbrorū figura, & confirmatio, earū partiū Ecclesiæ, quarū ipsa mēbra imagines sunt, excellentiā, & absolutionē declaret. Et si in mēbris corporis nominādis cuncta Deus ad fœminei refert naturā corporis, ea scilicet nominās quæ natura corpori fœmineo mēbra insunt: cur in eisdē describēdis, atq; laudandis à natura, & à recti sermonis ratione recedet? Et si Ecclesiæ tribuit vbera, vt personę quā induxit; decorū & imaginē seruet, cur affingat eiusmodi vbera, qualia nec mos patitur, nec natura rerū esse permittit? Deniq;, quod sæpè iā dico, Deus ijs amantiū personis id agit, vt Christi, & Ecclesiæ amores declaret. Nā ni id ageret, nō amatorias viri, & fœminæ personas induceret, sed sumeret alias res similes. Igitur si per has personas id agit, eo q̄; eas inducit, sequitur tales induci ab ipso, quales qui inter se amāt, esse solēt. Aliter enim res absurdissima efficeretur, vt idē amatorias personas induceret ad suos in earum imaginem significandos amores: idēm illas ita formaret ac fingeret, nō vt duorum qui inter se amarent speciem præ se ferrent, sed vt duo monstra planè essent ab omni natura abhorrentia.

II. Deus in hoc carmine amorē ſuum erga Eccleſiā allegoria amorū humanorū declarat, vt ex ijs quæ nobis nota ſunt, diuini amoris nobis ignotam vim facilius perſpiciamus.

Hoc primùm ſequitur è proximè ſuperiori. Nam ſi his perſonis eas Deus actiones, vti docuimus, tribuit, & ea verba dat, quæ ipſis more, naturaq́ue conueniunt: etſi hæ perſonæ amatoriæ ſunt, vti conſtat, ijs certè quæ amantibus accidūt, hoc eſt, ijs, quę corporei amoris propria ſunt, cæleſtes deſcribit amores Deus. Prætereà idem ipſum iſto argumento conficitur. Propoſitum eſt Deo diuinos Chriſti amores hoc carmine allegoricè dicere: ſumit ergo ad id aliam rem ſimilem: at nullam potuit rem ſumere, aut ſimiliorem, aut notiorē nobis, quam eorum, qui inter ſe veriſsimè & ardentiſsimè amarent perſonas. Igitur amoris humani ſpecies hic ſumpta eſt ad diuinū declarandū amorē. Ad hæc. Si quid obſtaret, id certè eſſet, dedecere Deū, vt ad ſuos explicandos amores petat ſimilitudines à noſtris amoribus. At id minimè ipſum dedecet. Nam ſi Deo indecorum non eſt ſe tanquam hominem amantem, & Eccleſiam item tanquam amatricem fœminam in ſcenā inferre, vt ſe in hoc carmine infert: ſiq́ue ſe ſponſum dici, & illam nominari ſponſam nō timet, cur reformidet pro ratione aſſumptæ perſonæ loqui: hoc eſt, agere perſonam quam ſumit, & vt dicitur ſcenæ ſeruire? Nā ſi perſona non dedecet, accidentia perſonę propria indecora eſſe nō poſſunt. Sed quęro, diuini amores qui in hoc ſcribūtur libro, vtrùm ſcribantur propriè, an tranſlatè? Conſtat non propriè, tranſlatè igitur. At tranſlata verba ea propriè ſignificāt quæ ſimilia ſunt, id eſt, è quibus ſimilitudo trāsfertur, & huius Cantici verba corporeos amores propriè ſignificant, igitur ab his amoribus ducitur ſimilitudo ad ſignificandos diuinos. Quid? nonne Hebræi ab huius libri lectione iuuenes arcent, nec vllum niſi quadragenario maiorem

iorem ad eum audiendum admittunt? nonne etiam noſtri Romanus & Niſenus Gregorij lectores monent, vt cum legunt, ab eo quod verba præ ſe ferunt ſenſum auocent, & mentē ad ſublimiora conuertant? cur quæſo hoc? niſi quia amoris corporei imago ſumitur ad diuinum declarandum amorem? niſi quia nihil in hoc libro dicitur, quod non ex eo ducatur, quod accidit in humanis amoribus? niſi quia ea planè dicit, quæ in amore corporū dici ac fieri videmus. Deniq; idē ipſum veteres patres affirmāt. Dionyſius in ſupra citata Epiſtola, de hoc Cātico ita. καὶ τὰς τῶν ἀσμάτων προσύλους καὶ ἑταιρικὰς πολυπαθείας, id eſt, & illas Canticorum corporeas, & meretricias affectiones multiplices. Gregorius Niſenus in oratione ſecunda. εἰκόνα τινὰ τῶν κατὰ τῶν βίον ἡδέων, εἰς τὴν τῶν δογμάτων τούτων κατασκευὴν τεκμηράμενος· ἡ δὲ εἰκὼν γαμική τις ἐστὶ διασκευὴ, id eſt, » imaginem quandam eorum quæ in vna ſuauia, & voluptuaria ſunt, ad huius doctrinæ demonſtrationem molitur. imago autem illa nuptialis eſt apparatus. Et rurſus » in oratione tertia, καὶ τούτου χάριν τὸ σφοδρώτατον τῶν καθ' ἡδονὴν » ἀνεργούμενον, λέγω δὲ τὸ ἐρωτικὸν πάθος, τῆς τῶν δογμάτων ὑφηγήσεως αἰνιγματωδῶς προεστήσατο, ἵνα διὰ τούτο μάθωμεν ὅτι χρὴ τὴν » ψυχὴν πρὸς τὸ ἀπρόσιτον τῆς θείας φύσεως κάλλος ἐνατενίζουσαν τοσοῦτον ἐρᾶν ἐκείνου, ὅσον ἔχει τὸ σῶμα τὴν σχέσιν πρὸς τὸ συγγενὲς καὶ » ὁμόφυλον μετενέγκουσαν εἰς ἀπάθειαν τὸ πάθος, id eſt, & ea de cauſa quod in ijs, quæ cum voluptate fiunt, eſt vehementiſsimum, affectionem amoris dico, id expoſitioni doctrinæ ſuæ prætulit allegoricè, vt ex eo diſceremus oportere, vt anima in diuinæ naturæ inacceſſam intenta pulchritudinem, eam tantum amet, quantum corpus erga id quod affine ipſi & cognatum eſt, affici ſolet: transferatq; quod paſsioni obnoxium eſt, ad id quod paſsionis eſt expers. Et paulò infrà. τί γὰρ ἂν γένοιτο τούτου παραδοξώτερον, ἢ τὸ » ἀυτὸ ποιῆσαι τὴν φύσιν τῶν ἰδίων παθημάτων καθάρσιον, διὰ τῶν νομιζομένων ἐμπαθῶν ῥημάτων, τὴν ἀπάθειαν νομοθετούσαν, καὶ παιδεύουσαν »

„ id est, Quid enim magis præter opinionē fieri potuit, quā
„ efficere, vt à suis passionibus natura se, eis ipsis mundaret.
„ dum ijs verbis, quæ affectus, & perturbationes ebullire vi
„ dentur, docet, & instituit apathiam. Origenes prima Ho-
„ milia. Libellus hic epithalamij habens speciem in mo-
„ dum drammatis conscribitur. Dramma autem est, vbi
„ certæ personæ introducuntur, quæ loquuntur, & aliæ in-
„ terdum superueniunt, aliæ recedunt, aut accedunt, & sic
„ totum in mutationibus agitur personarum. Hęc igitur est
„ totius libelli species, & secundū hanc pro viribus histori-
„ ca à nobis aptabitur expositio, spiritualis autem intelligē-
„ tia, sicut in præfatione signauimus de Ecclesia ad Christū
„ sub sponsi, & sponsæ titulo. Et subdit. Introducitur ergo
„ nunc per historiæ speciem sponsa quædam, quæ suscepit
„ quædam sponsaliorū & dotis titulo digniſsima munera,
„ ab sponso nobiliſsimo, sed plurimo tempore moram fa-
„ ciente sponso, solicitari eam desiderio amoris sui, & con-
„ fici iacentem domi suæ, Psellus scriptor perantiquus, cu-
„ ius libri fragmenta quædam in suum librum Theodore-
„ tus retulit. Canticum, inquit, Canticorum, quod elegan-
„ ter admodum, & sub specie, ac figura quadam nuptia-
„ rum tradit humanæ animæ perfectionem. Sub figura in-
„ quit, & specie nuptiarum. at nuptiæ ad corporeos amores
„ pertinent, eisque constant. Gregorius Romanus, Hinc
„ est, ait, quod in hoc libello amoris quasi corporei verba
„ ponūtur, vt à corpore anima per sermones consuetudinis
„ suæ refricata recalescat, & per verba amoris, qui infrà est,
„ excitetur ad amorē qui supra est. Nominātur enim in hoc
„ libello oscula, nominātur vbera, nominātur genæ, nomi-
„ nātur fœmora, in quibus verbis nō irridēda est sacra Scri-
„ ptura, sed amplius Dei misericordia considerāda, qui dū
„ mēbra corporis nominat, sic nos ad amorē vocat: quiq;,
„ vt cor nostrum ad inuestigationem sacri amoris accen-
deret,

deret, vsque ad amoris nostri verba descendit. Sed vnde „
se loquendo humiliat, inde se intellectu exaltat, quia ex ser „
monibus huius amoris discimus, qua virtute in diuinita- „
tis amore ferueamus. Bernardus in Cantica, Si de carnali- *Bernar. ho*
bus sponsis, & eorum amoribus quæstio est, sicut literalis *mil. 75. in*
superficies præluſisse videtur. Et Homilia LXXIIII. Nos in *Cantica.*
expositione mystici eloquij cautè, & simpliciter ambulan „
tes geramus morem Scripturæ, quæ nostris verbis sapien- „
tiam in mysterio absconditam loquitur, nostris affectibus „
Deum figurat, & insinuat notis rerum sensibilium simili- „
tudinibus. Et in Homilia LXXIII. Hæc litera gustata car- „
nem sapit, sed enim quod in ea tectū est de Spiritu sancto
est. Idem Glossa affirmat, quæ ordinaria vocatur. Idem Ni
colaus Lyranus, idem alij sexcenti.

Deus in hoc carmine, etsi amoris corporei allegoria III.
suum erga Ecclesiam amorem declarat, tamen eam non
ducit ab amore lasciuo, sed ab honesto & pudico, qualis
coniugum est.

Dico itaque Deum, quamuis ex amore corporeo simili
tudines ducat ad suum exprimendum amorem: quamuis-
que vtatur ijs verbis, quibus, qui inter se amant, vti solent,
quamuisque ea, quæ in nostro amore accidunt, transferat
ad suum: nusquam tamen ipsum in hoc libro similitudinē
ducere ab aliqua lasciua, & turpi re, earum quæ in impudi-
co amore sæpè accidunt: nusquam verbo, turpe aliquid
quod significet, vti, nusquam amoris aliquid referre, quod
sit cum turpitudine, & lasciuia coniunctum, sed ex ijs, quæ
in amore contingunt, ea tantum sumere, quibus ingens il-
le quidē, ardensque, sed tamen pudicus significetur amor.
Hoc vel ex eo liquet, quia impudica dicere, aut eorum
aliquid in oratione ponere, etsi alterius rei significandæ
causa ponatur, tamen alienum videtur esse, non solùm ab
eo quod sacram Scripturam decet, sed etiam ab eo quod

Greg Nazianze. viri modesti & graues in suis scriptis faciunt. Qua de re Nazianzenus Grego. in supra citato loco rectissimè scribit. Δεῖ γάρ, ὡς γουν ἐμοί γε δοκεῖ τῶν θείων μηδὲ τὰς ἐνθέους, καὶ τὰς ἐμφάσεις ἀπρεπεῖς εἶναι καὶ ἀναξίας τῶν δηλουμένων, μηδὲ οἵαις ἂν καὶ ἄνθρωποι λεγομέναις περὶ αὐτῶν δυσχεράνειεν. ἀλλὰ ἢ τὸ κάλλιστον πάντως ἔχειν, ἢ μὴ τὸ αἰσχιστον. ἵνα τὸ μὲν τοὺς σοφωτέρους ἐυφραίνῃ, τὸ δὲ μὴ βλάπτῃ τοὺς πλείονας. id est. Rerum diuinarum mea certè sententia, ne demonstrationes quidem ipsas externasque species inhonestas esse conuenit, rebusque significandis indignas, ac denique tales, vt homines quoque ipsi eas de se prædicari permolestè laturi sint, verùm aut maximam pulchritudinem habere, aut certè à summa turpitudine abesse, vt hoc quidem eruditiores oblectet, illud autem vulgi animos minimè labefactet.

IV. Huiusmodi scripta allegorica duplicem sensum habent, vnum in promptu, quem verba præ se ferunt: alterum interiorem, & reconditum, ad quem omnis intentio scribentis dirigitur, qui sensus, & re, & nomine differunt.

Confirmo singula. Primùm huiusmodi scripta duos habere sensus, ex ijs, quæ diximus, sequitur. Nã si huius oratio carminis amantium sermones refert, vt in eorũ imagine ratio cognoscatur, & forma diuinorum amorum, necesse est, vt exteriùs vnum sonet, interiùs alterum significet. Quod vt clariùs cognoscatur, aduerti debet, ea vocabula, quæ plures significant res nõ ob vnam rationem aliquam, quæ sit rebus communis, id est, quæ ea significant, quæ Græci vocant Homonyma, differre ab ijs vocabulis, quæ translatè ponuntur, in eo quod res, quas significant, significant propriè, & ex æquo omnes: & ob eã causam quoties ponũtur in oratione ad vnum aliquod eorum, quæ significant declarandum, quæ ex huiusmodi verbis oratio constat, vnam tantum sententiam habet. Quia etsi è verbis plura significantibus constet, tamen constat ex illis quatenùs referuntur ad vnum eorum tantum, id est, quatenus, id vnum significãt, quod is qui loquitur animo comprehensum verbis explicare voluit, cũ quo, quia cognationẽ nullã habẽt res cęteræ quæ eisdẽ significantur verbis fit, vt nõ idcirco hæc posita in oratione censeantur, quia illud positũ est. Itaque è verbis plura significãtibus, vnius significati atq; sententiæ vna & simplex oratio cõficitur. Atquę trãslatè posita sunt vocabula ita significãt plura, vt eorũ vnũ in altero & ex altero significent. Nã in vno propriũ habẽt domiciliũ è quo transferũtur, & tanquã demigrãt in alienũ. Itaq; vnũ propriè & proximè, cætera trãslatè, id est, intercedẽte illo vno significãt. E quo efficitur necessario, vt quæ ex his vocabulis oratio constat, ea sententiam multiplicem habeat: habet enim, vt minimum sensum duplicem, vnum quem verba, ex eo quod propriè significant, præ se ferunt, alterum quem innuunt, ex eo ad quod transferuntur. Nam transferri verbum id, scilicet, est, similitudine eius quod propriè significat, aliud significare quod est simile illi. Quare poni in oratione non potest quin pro vtroq; ponatur. Itaq; vtrumq; nobis simul obijcit contuendum: alterum apertè, alterũ tectè, alterũ prope oculis, id vt videamus, alterũ animo vt taciti contemplemur. Vt exempli gratia, si dico animo fluctuare me, irrequieti maris, ac fluctibus agitati speciem, eorum qui audiunt sensibus offero, ac vnà declaro meum similiter agitari animũ, idque vnico verbo. Inest enim certè in omni allegoria, & metaphora tacita similitudo quædam. Qui enim se fluctuare dicit, hoc planè dicit, vt mare fluctibus, sic se agitari curis. In quo, vti constat, duas simul res mare, atque animum, fluctus, atq; curas, quarũ vna alterius imago est, in cõspectum adducit. Istos porrò vnius verbi duos sensus, ac translatè positarum vocum duas sententias multum inter se differre, ex eo perspicitur, quod externus ille sensus, quem vocabula propriè faciunt, non

est propriè sensus, non enim in eum is, qui dicit, propriè animum intendit suum, nam allegorica oratio, non earũ rerum declarandarum gratia conficitur, quas propriè significat. Itaque non est propriè sensus, sed est, vt ego illum nominare soleo, sonus quidam verborum, aut, vt Bernardus eum appellat, literalis superficies, aut literæ tenor, & cortex, est qui intelligentiam historicam eum vocitet, vt Origenes fecit, quanquam sicuti sensus propriè non est, sic historicus aut literalis sensus dicendus non erit. At alter interior verus orationis sensus est, nã ad eum qui dicit propriè refert se, & eius declarandi atq; explicandi causa suã orationem instituit, & ob id historicus est dicendus sensus, quia dicenti, aut scribenti est propositus propriè & præcipuè. Nam is dicitur historicus esse sensus, quem qui dicit, aut scribit explicare sibi propriè proponit verbis, siue proprijs, siue translatis. Itaq; is quem dico, & ad quem explicandum vocabula transferuntur historicus sensus erit, quia est scriptori propositus: atque idem rursus dicetur mysticus quia est interior, & figuratus, id est figuris, & imaginibus, cum verborum, tum rerum expressus: dicique etiam spiritualis possit ob eas circa quas versabitur res, quæ si ad animi diuinum cultum, & institutionem pertinebunt cælestem, quæcumq; de eis oratio habebitur spiritualis dicetur. Qualis est interior huius carminis sensus, qui vnà, & historicus est, quia scriptori propositus, & mysticus quia interioribus rerum & verborum figuris expressus, & spiritualis, quia pertinet ad erudiendum cælesti doctrina animum.

Absoluta huius Carminis, & similium scriptorum explanatio, duabus constare debet rebus: & nonnulla enodatione eorum, quę verba propriè præ se ferunt, & eorum ad quæ interius transferuntur explicatione luculenta, id est, propositione imaginis, & expositione eorum quæ signi-

significantur in imagine.

Hoc caput è proximè superiori deducitur. Nam si Carmen hoc & sono constat, & sensu, id est, si vnum sensibus obijciunt eius audita verba, & alterum interius significant: siq; è vno ad alterũ gradus fit & in vno latet alterũ, sequitur non posse ritè explanari nisi vtrumq; enodetur. Deinde ad quod explanandum, alterius adhibetur similitudo rei, id intelligi satis nequit, eius vnde similitudo ducitur natura non antè intellecta. Sicuti nec cognosci à nobis potest, quod per imaginem aut ex imagine cognoscendum est quandiu à nostris oculis imago abest. At, vt diximus, in omni allegoria similitudo inest tacita, igitur scripta allegorica vtroq; modo sunt explananda. Prætereà id fieri debere suo exemplo docent, qui hoc Carmen interpretati sunt, alius quidem alio copiosius, tamen eorum nemo est, qui non aliquid in vtroq; explanationis genere elaboret. Origenes in eis homilijs, quas supra citaui, pluribus in locis, antequam interiorem intelligentiam in lucẽ proferat, in explanatione externæ sententiæ versatur, id facit initio primæ homiliæ: & in eadem in illo, Meliora sunt vbera tua vino. & in illo. Vnguentum exinanitum nomen tuum. Et homilia secunda, in principio, in illo. Fusca sum & formosa, & in illo. Filij matris meę. Et in illo. Indica mihi. Et in illo. Equitatui meo. Et in illo. Pulchræ sunt genæ tuæ. Et in illo. Botrus Cypri. Et homilia tertia in illo. Tigna domorũ nostrarũ. Et in illo. Sicut arbor malus. Et in illo, Vox dilecti mei. Quo loco latissimè hanc, quã dico, externi sensus explanationem exequitur. Et homilia quarta in illo. Capite nobis vulpes paruulas. Idem sæpè Bernardus cum alibi, tum in homilia quadragesima tertia. & homi. 46. in illa verba. Lectulus noster floridus. & hom 47 in illa. Ego flos campi & homilia 49. in illa. Introduxit me rex. Et hom. quinquag. prima in illa. Fulcite me floribꝰ. Et

homilia

homilia quinquagesima secunda in illa. Adiuro vos filiæ Sion. Et homilia quinquagesima sexta in illa. En spectat per parietem nostrum. Et homilia sexagesima in illa. Ficus protulit grossos suos. Et homilia sexagesima prima in illa. Columba mea in foraminibus petræ, quo in loco hunc historicum declarans sensum, quædam valde amatoria commemorat, atque ijs positis subijcit. Hic literalis lusus, quid ni dixerim lusum? quid enim serium habet hæc literæ series? nec auditu quidem dignum, quod foris sonat, si non intus adiuuet spiritus infirmitatem intelligẽtiæ nostræ. Et homilia sexagesima quarta in illa. Capite nobis vulpes paruulas. Et homilia septuagesima tertia in illo. Reuertere similis esto. Et Nicolaus Lyranus similiter pluribus in locis, sed præcipuè in capite quarto in illud. Quã pulchra es, & capite quinto, in illud. Dilectus meus candidus, & rubicundus, & capite secundo in principio. Et noui quidam scriptores sexcentis in locis. Quod autem dico. Nonnulla enodatione huius externi sensus vti oportere, eo intelligi volo moderationem adhibendam esse in hoc genere, & eo parcè vtendum, nec nisi quando rei necessitas postulat. Primum enim non sunt alia è corporeo amore asciscenda præter ea, quæ verba propriè intellecta significant. Deinde ea ipsa non sunt nimis exactè exprimenda nec omnibus quibus possunt coloribus animanda, sed quatenus ad id ad quod transferuntur conducit. Postremò id solùm in hoc explanationis genere agendum est, non vt nimium extet, & emineat, sed vt appareat, & conspiciatur tantum imago ea, quæ ad alterius rei demonstrationem effingitur. Et quemadmodum qui variorum naturas animalium, quorum in tabella imagines expressas haberet, alicui demonstrare singulas cuperet, is primo tabellam produceret velumque amoueret, vt conspici, quod inerat posset, deinde

deinde in eis imaginibus elucentes singulorum animantium naturas latius verbis, & oratione explanaret: eodem pacto, qui hũc interpretatur & exponit librũ, primũ debet velũ amouere, quo hæc exterior nõnullis in locis occultatur imago, quod ad pri⁹ explanationis genus spectat deinde explicare pluribus verbis eius naturã rei quæ subest, & sub indicatur in proposita imagine, quod pertinet ad explanationis gen⁹ posterius. Hãc certè nos in hoc opere, sicuti polliciti eius initio sumus, sequimur interpretandi rationem.

Sed restat iam, vt ad ea respõdeamus, quæ obiecimus, quæ facilè refellemus si prius animum aduerterimus, hoc carmen, quod ante bis mille annos scriptum est, in peregrina lingua scriptum esse, ijs hominibus quorum, & mores, & iudicia, à nostris moribus & iudicijs valde diuersa erãt: & sæpè vsũ venire vt quæ in sermone vni probantur genti, eadem alteri, atque adeò eidem ipsi mutatis temporibus improbentur: tum in verbis singulis, tum in complexione mutua verborum: illudque omnino verum esse antiquissimos scriptores, qualis Homerus, Hesiodus, Orpheusque & reliqui, qui heroicis floruerunt temporibus, fuere, in similitudinibus, & translationibus, & eiusmodi alijs exornationibus orationis, magis adamauisse grandia & fortia quã delicata, atque mollia. Itaque ad id quod obiectum primo est, abhorrere à consuetudine vt fœminæ viros ad amandum prouocent, sicut fit in hoc libro, respondere debemus, id, si quid est, contra illos certè potius esse qui ista obijciunt. Nam abhorret sine dubio à natura, & consuetudine spiritualium amorum, vt quis Deum prior ad amandum prouocet, quia dubitari non potest quin ab ipso omne amandi, ac recti agendi principium ducatur. In amore verò humano, etsi frequentius viri, tamen etiam fœminæ non parum sæpè præludunt, cuius rei exempla scribuntur Esaiæ septimo, & Geneseos tricesimo

Esai. 7.
Gen. 39.

mo

mo nono. Quare in hoc, verũ si est dicendũ, nec recessum est à nostra consuetudine, nec inductũ aliquod exemplũ contra naturam gratiæ. Subintelligitur enim Deus ad sui amorem sponsam inuitauisse prius. Itaque quod illa ex abrupto sic incipit, *Osculetur me osculo oris sui*, in eo nõ tam ipsa aliquid dicere instituit, quã ijs respondet, quibus inuitata ab altero, & sollicitata prius fuerat, vti postea suo loco dicetur. Quod autẽ similiter abhorrere putatur, fœminã no II. ctu concursasse dici, sui viri quærendi causa, id inane profecto est, primum quia non abhorret. Nam & apud Tibullũ tale aliquid ausa dicitur nescio quæ fœmina. Deinde quia vt abhorreret ab eo quod fœminę faciũt, tamẽ abeo quod probati scriptores facere solent non abhorret, illi nãq; cũ aliquẽ vehemẽtius cõmotũ, ac perturbatũ inducũt, ea dicũt fecisse ipsũ, nõ quę, aut ipse fecit, aut fieri soleãt ab alijs, sed quæ res ipsa, & perturbationis vis illi sua debat vt faceret: sic Virgilius Gallũ, pro eo quantũ ex amore insaniebat aptissimè inducit, ea dicentẽ facere se, quæ fecit ipse quidẽ nũquã, sed vt faceret amoris hortabatur ægritudo ipsum,

Hic gelidi fontes, hic mollia prata Lycori.
Vir. ecl. 10 *Hic nemus: hic ipso tecum consumerer æuo.*
Nunc insanus amor duræ me Martis in armis
Tela inter media, & aduersos detinet hostes.

Postremò quia tota illa oratio nulla verborum ipsius fraude ita potest interpretari, non vt sponsa dicat quid ipsa fecerit, sed quid amore suadente secum, & cum animo suo vtrùm faceret agitauerit. Hæc enim sponsæ sunt verba. In lectulo meo per noctem quæsiui quem diligit anima mea, quæsiui, & non inueni, surgam, & circuibo ciuitatem per vicos, & plateas quæram quem diligit anima mea. Quæ certè magis sunt deliberantis quid facto opus esset, quam quod fecerit enarrantis. Nec obesse III. præterea debet, quod de vberibus turri similibus dicitur,

Non

Non enim simpliciter turri similia dicuntur, sed si murus sponsa sit, vbera eius ipsi esse vt in muro sunt turres. Ego inquit, murus, & vbera mea sicut turris, ideſt, si murus ipsa sum, vbera mea pro turribus erunt. Nam vt in muro turres eminent, sic in pectore fœmineo vbera extant: & proportione vt in muro turres, sic in corpore mammæ respondent. Quod autem rursus obijciunt de collo, IIII. quod dicitur turri simile: de mammis quæ hinnulos referunt: de capillis similibus capreis Galaad, eo obijciunt quod illa prauissimè & ineptissimè intelligunt. Non enim si collum turri simile esse dicitur intelligi debet, tam longum id esse dici, quam est alta turris: rectitudo enim turris in eo solùm non altitudo confertur. Itaque & nostri Poetæ sæpè turri eburneæ id comparant, & similiter hinnuli, quibus similia dicuntur esse vbera, non ipsi hinnuli intelligendi sunt, sed eorum potiùs capitula, in quibus similitudo mammarum inest non incepta. Ex quo & in Prouerbijs hinnulorum nomen ad vbera significanda transfertur, qua dicitur. Cerua charissima, & gra- Prou. 5. tissimus hinnulus vbera illius inebrient te omni tempore. Nec minus fœdè labuntur in capreis: non enim ipsas, sed earũ pilos Solomon confert, quo doceat speciosissimã sponsam præditam esse coma, id est, nigra. Nam orientalibus capilli nigri probantur. Illud porrò de vrbe Thirsa deq; Hierusalem tantum abest, vt alienum aut à longe pe- V titũ sit, vt ad id de quo agebatur nihil aptiùs dici potuerit. Nã quo quæso pacto melius spõsus exprimeret magnitudinẽ admirationis eius quã pulchritudo sponsæ faciebat, quam vrbes ornatissimas cõferendo? sicut enim illarum species vrbium pulcherrima erat, sic illi sua sponsa videbatur esse præter vsitatũ morem pulcherrima. In quo semper intelligendum est, non à magnitudine, sed à varietate pulchraque specie similitudines duci. Atque idem

dici

dici potest de acie ordinata, & instructa, nihil enim ea spectabilius esse potest. Quanquam in hoc, mihi vt videtur, non tam significauit quàm sibi pulchra sua videretur spōsa, quàm declarauit, quàm eius à se alienare animum, vehementer meruĕret, quem ad significandum timorem;

VI. acici instructæ conuenientissimè mentionem fecit. Nec est huic dissimile, quod de naso turri simili obijciunt, in eodem namq; semper luto hærent, qui ista obijciunt, ac in simili errore versantur. Non enim longitudo collata est, sed rectitudo atque species, quo significaretur nec polyposum esse nasum, nec tuberibus inæquale. Præterquam quod nasi vocabulum in his literis transferri solet ad totius oris atque corporis habitum, & ad animi elati, ac generosi significandam speciem, cum qua rectissimè specie turris ea confertur, quæ sita in Libano contra Damascum, & Palæstinam ornabat, & timorem Syris incutiebat hostibus Iudæorum. De Carmelo autem monte similiter dici debet, non agi de eo quantus esset is mons, sed quã esset pulcher & amœnus, habebatur enim pulcherrimus omniũ qui in Iudæa erāt, quòd nõ esset syluosus, vt eius regionis alij, sed vineris, atque oliuetis pulchrè consitus. Vndè

Esai 15. Esaias. Auferetur lætitia, & exultario de Carmelo. Et ali-

Esai. 35. bi Decor Carmeli, & Saron. Sed & dici etiam illud potest non poni id vocabulum eo in loco pro monte, sed significare quod est coccineũ, aut purpureum. Nam Carmel coccineum significat. Itaque coccineum dici sponsæ caput, vel quòd coccineo integeretur velo, vel certè quòd purpureo colore tinctam comam gestaret. Nam & is capillorum color in Oriente probatur, ex quo & nostra tempestate Arabes fœminæ eius coloris inducendi causa ligustri radice ex aqua capillos inficiunt. Ad aliud de eo

VII. quod desiderare sponsa præter consuetudinem dicitur, suus vt vir puellus esset infans, quid istis dicam non habeo

vsque

vsque eo mihi communi carere sensu videntur. Non dico in Hebræis haberi, à quibus isti literis, quo suæ insciti æ prætexant religiosissimè abstinent, itaq; non dico haberi in Hebræo, quòd istos in viam recti sensus posset inducere. Quis det sicut fratrē te mihi sicut sugentem vbera matris meæ, sed horum ipsorum quæ Græci continēt, & Latini codices, si modo ea qui legit iudicij aliquid habeat, non eam esse, quam isti putant sententiam dico, & affirmo. Quid quæso optat sponsa? Quid ait? Vtrùm vt puellus esset suus vir, an potius vt sibi eo vti tanquam puello liceret amicissimè, & coniunctissimè & in omniũ conspectu? hoc certè illa amore elata desiderat, vel desiderare venustè fingitur, quoad summum amoris peruenisse gradum significetur, in quo qui sunt in sinu suo semper & quasi in vlnis Deum gestare cupiunt, id reprehendente nemine, & videntibus vniuersis. Sed dicunt dedecere diuina scripta, ductis è lasciuo amore similitudinibus

VIII. vti, dedecere fateor, sed vti nego è lasciuo, sed è probo, & honesto. At ne isti amores aiunt, quamuis probi, ad diuinum declarandum apti sunt, quia plurimum ab illo distant. Distant præstantia, sed plurimis alijs in rebus sunt similes. Vterq; enim amor pulchri appetitus est. Vterque ex antecedenti cognitione oritur, vterq; nascitur ex communione aliqua & similitudine quæ in ijs existit, qui amant inter se, vterq; id agit vt eos penitus cõiungat, vterque amantem, in id quod amat transfert vtriq; adiuncta est cura placendi, & metus displicendi, vtriq́ue inest immutatæ voluntatis suspicio, in vtroq́ue querelæ sunt, in vtroq; blanditiæ. Itaq; alter alterum valde refert, & imitatur amorem, & in alterutro eorum alterius inest imago ea, qua nulla expressior esse potest. At vt ea imago perfecta sit, eo exprimendis rebus diuinis apta non est, quia est periculosa moribus. Esset periculosa nisi è probo du-

Pro Pumica & virg.

ceretur amore, nisi caueretur, vt homines carnis cupiditatibus dediti, ab huius libri lectione abstinerent, nisi præciperetur ne in ea contemplanda imagine gradus figatur. Et vt in colendis imaginibus solet caueri, atque præcipi, vt eas rectè qui velit colere vna animi intentione, atque motu in imaginem feratur, & in id quod refertur imagine, sic quorum benè institutus est atq; affectus animus, ij, cum hæc legunt, cumque istorum amorum imaginem sibi in conspectu proponunt, vno tanquam mentis aspectu, & imaginem, & quod in ea elucet aspiciunt. Sed objicitur Dionysius nobis qui monstra scribi in hoc carmine dicat. Sed qui obijciunt, quod cum bona eorum venia dictum sit, Dionysium non satis intelligunt. Dicit enim ille quidem in huiusmodi scriptis monstra quædam inesse videri, sed tamen non in eo monstrum ponit, quod eorum verba institutæ allegorię non aptè respondeant, vt isti stultissimè putant, sed in eo quod eorum propria significationeDeo tribuant, & affigant, quod plurimum abhorret à natura diuina. Id namq; Dionysium dicere perspicuum esse potest ex ijs quæ adducit exēplis. Monstrum enim est Dionysio vterum Deo tribuere, vt illi eum tribuit sacra Scriptura, quę dicit Ex vtero ante luciferum genui te, monstrum dare oculos, vbera, fœmora, monstrum pastorali figura ipsum in hoc Carmine inducere, quod & nos fatemur ipsi. At hoc semel admisso monstro ei monstro reliqua quæ subijciuntur, aptissime seruiunt. Etenim si vterū Deo sacra Scriptura dedit, & in eo monstrum fecit, quia à natura recessit, tamen in eo quod vtero generādi vim statim attribuit à natura non recessit rerum. Itaque monstrum non edidit, sed pro eo quod instituerat dicere aptè loquuta est. Est enim vteri generare, non autem numerandi aut differendi scientiam & facultatem tenere, quæ si illi scriptura tribueret, tum verè monstrum efficeret.

ceret. Vltimum quod obijciunt, contra eos ipsos valet, qui obijciunt, nisi enim quæ in hoc continentur Carmine è media amantium consuetudine & vita ducerentur, causa non esset, quare patres nos admonerent, caueremus animum adhibere ijs rebus, quas verba Carminis præferunt. Sed cum mouent ne adhibeamus animum, non præcipiunt ne in eas vllo pacto inspiciamus. (Nam inspiciendæ eatenus sunt, quatenus ad id ad quod referuntur conducunt.) Sed admonent ne insistamus, aut immoremur in eis: neue eas sic mente versemus, ac si propter se ipsæ & non alterius rei causa scriptæ essent, & nobis traditæ. Nam hoc illos dicere ex ijs, quæ scripserunt, perspicitur. Dionysius, Ne existimemus, inquit, ea quæ apparent, in eiusmodi scriptionibus ficta esse ipsorum met causa. Nisi nus non negat inspiciendos esse colores, quibus imago constat, quî enim ea posset conspici non visis coloribus? sed præcipit ne coloribus spectandis inhæreas. Gregorius Romanus. Intuendum, inquit, est, ne cum verba exterioris amoris audimus ad externa sentiēda remaneamus. Ne remaneamus præcipit, id est, ne hæreamus in ipsis, sed meliorum, ac magis sublimium rerum explicandarum, & cōtemplandarum causa scripta esse putemus. E quibus omnibus constat, & hoc Carmen allegoricè scriptum esse, ea allegoria, quæ nominatur verborum, & ea continere, quæ ijs personis, atque rebus quibus allegoria tractatur conueniunt: & eas personas duorum coniugum inter se amantium personas esse: & earum amoribus honestis & probis declarari amores Christi, & ecclesiæ: nec eos ex hoc Carmine rectè intelligi posse, nisi ea prius, quę illos refert, atq; exprimit cognoscatur imago: & ob id vtrumq; explicandū esse, & prius habita ratione posterioris, & qua tenus ad id intelligendū cōducit. Sed quādo de his omnibus constat, fortasse quis scire velit cuius ordinis, atq; cō-

Universidad de Deusto
Biblioteca

ditionis isti coniuges sint, qui inducuntur? vtrum regiam personam gerant, an potius priuatam? & si priuatam vtrũ vrbanam, an pastoralem & rusticam. Nam quibusdam suo iudicio doctissimis, aliorum ne mediocriter quidem doctis pastores induci non placet, quod sponsa de sponso. Introduxit me rex in cubiculum suum, & rursus, dum esset rex in accubitu suo. & sponsus de se. Equitatui meo in curribus Pharaonis. Quodque sponsus non semel Salomon nominetur. Respondeo, pastorales personas hîc ad allegoriam assumi. Id enim ex oratione ipsarum liquet personarum, è sermonibus quibus vtuntur, è similitudinibus quas adhibent quas omnes è re rustica sumunt. Diuerbia enim huius Carminis omnia colloquijs pastorum constant: de gregibus, de fontibus, de hortis, de pascuis sæpè loquuntur, amores spirant, quod ipsum est bucolici Carminis proprium: deniquе se ipsi, nullus vt dubitãdi locus sit reliquus, pastores nominant, illa. Indica mihi vbi pascas vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam post greges sodalium tuorum. ille. Si ignoras te ò pulcherrima fœminarum egredere post vestigia gregum tuorum: & pasces hœdos tuos circa tabernacula pastorum. Sed cur, quærat aliquis, potissimum assumpta est pastoralis persona? Primum sumpta est, quia apta est ad exprimendam amoris vim, tum quod pastores purè amant, tum quod eorum vitæ genus est valde aptum ad vacandum amori: ex quo Bucolicum Carmen in omni lingua ad referendos amores aptissimum & dulcissimum semper habitum est. Deinde quia qui his occultãtur personis ecclesia atq; Christus nulla re alia significarentur melius. Nam Christus se pastorem nominari gaudet Ego sum pastor bonus. Et in Psalmo. Dñs pastor meus. Et Paulus, Suscitauit magnũ pastorem Iesum. Cum enim tribus modis Christi cum ecclesia coniunctio figuratè in sacris significetur literis. Parabola agrico-

Ioan. 10.
Psal. 21.
Heb. 13.

agricolæ, & horti. Ego sum vitis vera, & pater meus agricola est. Parabola pastoris & gregis. Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ. Parabola duorum coniugum & eorum pastorum, vt fit in hoc carmine, hic vltimus præstat cæteris. Nam pastoris persona aptissima est propter causas quas diximus, & coniugalis ratio valde conueniens, quod coniugum amor sit omnium dulcissimus, ex quo eius imago à sacris scriptoribus ad Christum sæpè transfertur, vt in Paulo videre est, in Esaia, in Ezechiele, in Osea. Quod autẽ is pastor rex interdum nominetur, id dicendum est pertinere ad verborum amatorias blanditias. Sic enim qui inuicem amant cuiuscumq; illi ordinis sint inter se sæpe loquuntur: seque sic mutuò & blandè compellant. Sed & exuere personam interdum licet ijs, qui inducuntur personati: itaque eam exuisse dici potest Christus hoc loco: seq; & Solomonẽ, id est, pacificum, & regem, vti re vera est, nominasse. Quod si quis præterea scire aueat, ad quod scripti genus hoc Carmẽ pertineat is sciat, ad drammaticũ pertinere genus: idq; esse in quo Carminis scriptor nihil interfatur ipse, sed solæ personæ quæ inducuntur totam rem gerunt, vt in comœdia fit, atque tragœdia. Et sicut in tragœdia inducitur chorus, sic in hoc opere sponsi sodales, & sponsæ socias induci, atque fari, & chori partes agere, & tãquam in theatro fingi dicere Sed vtrum scena, id est, locus atque tempus quando ista finguntur agi atq; dici sit multiplex, de eo non idem probatur omnibus. Quibusdam videtur & locus multiplex & actio non vnius dici, quibus de tempore assentior, sed de loco non possum. Omnia enim Hierosolymis fingũtur agi, aut prope Hierosolymas, hoc est, in earum suburbijs. Quibus expositis, ipsum iam aggrediamur interpretari Carmen de Christo & Ecclesia, de qua qui id interpretantur in varias sententias diuiduntur. Na alij atq;

Ioan. 10.
Eph. 5.
Esai. 62.
Ezec. 16.
Ose. 1. & 2.

ij ferè Hebræi de Ecclesia ea quæ sub Mosis legibus vixit. Alij, ijque nostri de Ecclesia Euangelij, alij de vtraque. Quibus ego non accedo solum, sed aliquid addo amplius ad eorum sententiam. Nam profecto dum omnes huius Carminis partes consideró, & cura adhibita alias cũ alijs confero, mihi videor videre elucentem in eo duarum maximarum rerum duas imagines. Vnã amoris eius, quo ecclesia ab exordio vsq; ad finem mundi Deũ amat, amaturaq; est. Alteram eius charitatis, quam Deus per omne id tẽpus exhibuit, estq; exhibiturus Ecclesiæ Quare iudico omniũ qui vnquã fuerũt futurive sunt bonorum, ac fidelium hominum rationes, quod pertinet ad pietatem eorũ erga Christum, & ad gradum quem in virtute tenuerunt, tradi in hoc Carmine, hoc est, censeo in hoc libro explicari, quo pacto se Christus erga suam Ecclesiam gerat, ab eo tempore, quando illa in terris primũ esse cœpit, & eam sibi desponsauit ipse, ad id vsq; tempus, quando eandem in cælum sublatam accipiet vxorem. Itaq; totam Ecclesiæ militantis historiam, quod ad mutuum inter ipsam atq; Christum amorem attinet, his contineri & explicari scriptis existimo ac pro certo habeo. Quod vt sine errore & confusione cernatur animaduertere oportet, Ecclesiæ ætatem atque durationem in tria esse tempora dividendam: vnum naturæ, alterum legis, tertium Euangelij atque gratiæ. Primum ab Adami pertinuisse lapsu, vsq; ad lationem legis. Alterum à Mose vsq; ad Christum peruenisse. Tertium à Christo vsque ad finem sæculi. In primo tempore Dei cultores qui erant (eorum enim hominum conuentus Ecclesia dicitur) nullam habuisse diuinitus scriptam legem. In altero, qui vixerunt, legibus à Deo per Mosem latis paruisse. Ad tertium qui pertinent, à legum vmbris, ad Euangelij lumen, atque

que ad gratiam translatos gratijs redundantem conficere Ecclesiam. Primos imperfectiores fuisse secundis: secundos postremis. Igitur in horum trium primo tempore quod tanquam infantiæ tempus fuit, sic Ecclesiam Deus habuit, ac si esset puella modo nata atque tenera. In secundo ac si esset iuuencula aliquanto grandiuscula, In tertio, vt eam, quæ iam ad nubilem ætatem peruenerat. Nam quemadmodum cui puellæ infantula despondetur vt eam postea maturam viro, vxorem ducat, is ex ætate puellæ amoris sui erga ipsam rationem moderatur, & cum infantula se blandum ostendit, cum eadem iuuencula amantiorem, viro iam maturam eximio amore complectitur: sic Deus Ecclesiam, quam vt primum in lucem eduxit desponsauit sibi, maturo tempore, id est, in fine sæculi, matrimonium initurus cum illa, vario amore prosequutus est: & suæ charitatis erga illam incrementis, ipsius sequutus est cursum ætatis. Vt enim illa ætate procedebat, sic ipse semper aliquid addebat, ad amorem, vel certè ad ostensionem amoris. Huius igitur totius rationis, atque progressus imago, in hoc libro mirificè descripta extat. Vnde & ipse liber vt supra diximus, in tres partes diuiditur: in quarum prima Ecclesiæ in naturali lege constitutæ ratio continetur, in secunda legitimus eius status declaratur, tertia tota pertinet ad tempora gratiæ. Explicantur itaque tribus libri partibus, tres ætates Ecclesiæ. Explicantur autem non ita, vt omnia, quæ quouis modo pertinent ad Ecclesiam dicantur, sed vt ea tantum commemorentur, quæ ad sponsæ rationẽ attinent, id est, ad Christi erga ipsam & ipsius erga Christũ mutuum amorem. Nã declaratur qualis, & quanta fuerit singulis ætatibus Ecclesiæ &

eius in virtute præstantia, & Dei erga ipsam beneficentia. Et quoniam omnis ecclesiæ præstantia, in colendo Deum consistit. Colitur autem Deus charitate, atq; fide id est, recta de ipso persuasione & amore: beneficentia autem Dei erga illam in hoc maximè extat atq; eminet, quod eam tuetur in periculis, & consolatur in rebus aduersis: idcirco huius libri tota oratio versatur in eo, vt demonstret, quibus fuerit ecclesia in vtroque hoc est, in veri cognitione, & in studio boni in omni sua ætate culta virtutibus: quibusque adeò & præsidijs munita fuerit, & consolationibns subleuata & imbuta. Docet enim semper quidem ipsam in vtroque præstitisse: at nõ æque præstitisse semper, sed pro eo quod in ætate progrediebatur, sic in vtroq; profecisse magis. Itaq; qualia ista fuerint singulæ huius libri partes, quæq; pro ea ecclesiæ ætate ad quam spectat declarant, adeo vt quod in earum partium singulis, vel sponsam dicere, vel de sponsa dici conspicitur, siue querimoniam, siue inuitationem. siue laudem, siue precationem contineat, id omne quali ecclesia modo, vel Christum adamauerit, vel à Christo culta, & defensa fuerit significet. Hæc simul omnes huius libri partes continent, hæc eadem singulæ explicant, ordine inter ipsas, atque nexu mirifico: nec prætereà aliquid quod non eo facile referri possit commemorant. Quod explanatione fiet planum, quare iam sponsam ipsam audiamus, *Osculetur me osculo oris sui*. Prima huius cantici parte, vti diximus, ratio eius ecclesiæ, quæ floruit in naturæ lege describitur, erat autẽ illa ecclesia, vtpote recens nata, imbecillã, atq; tenera. Quare Salomon, eam vt adumbret, puellam hic inducit, pro ætatis simplicitate & cãdore sui sponsi oscula apertè petentẽ. Nã puellare ingeniũ apertũ est, & simplex & cũ primis desiderij impotens. Petit autem non ipsa vltro sponsum prouocans sed

ied aliàs ab eo adamandum inducta, & semel degustati amoris cupidine incensa. Nam amoris gustum aliquem antea percepisse docet, quod sequitur. *Quia meliora sunt vbera tua vino*. Nec enim ista dixisset, nisi iã cognosceret atq; experta esset, quã dulcia vbera sponsi essent. Quę omnia cum ipsa ad quam referuntur, re mirè conueniũt. Etenim Deus primus hominibus, & antequam peccarent, patefecit, & postquam peccarunt, & pollicitus est futurũ, vt ex ipsorum nasceretur Christus semine, idque illis verbis quæ continentur in Genesi. Inimicitias ponam inter te & mulierem, inter semen tuum & semen illius, tu insidiaberis calcaneo eius, & ipsum conteret caput tuum. Ex quo fiebat, vt eius promissi cogitatio & spes, in illius ætatis hominũ inclusa animis, & fœlicitatis paulo ante amissæ memoriæ, quæ vigebat in ipsis, magnũ in eis accenderet desiderium eius videndi hominis, qui ipsos liberaturus à miseria, & in cælum introducturus erat, idest, verbi diuini cum humana carne copulati vidẽdi, cuius desiderij indices sunt istæ voces, *Osculetur me osculo oris sui*. Nã modo experta fœlicitas, à qua deciderãt, acriorem efficiebat in illis hominibus malorũ morsum, & ob eam causam se restitui in eum gradum, quem amiserant, ardentius optabant. Itaque quod sibi promissum fuerat fore, vt per Christum restituerent, id illi lõgius differri non ferentes, cum secum, & cũ animo suo, collocuti priùs multa essent, quæ partim amissæ fœlicitatis dolor, partim eiusdem iterum consequendæ spes, & desiderium ipsis suggerebat, in has prorupisse voces finguntur. *Osculetur me osculo oris sui*, id est, præsta quod nobis es pollicitus: inter homines homo apparere iam incipe. Audacter ago, cõfiteor, sed promissa tua vt auderem, fecerunt. Cum tã mei amans es, vt mei causa carnem induere velis, meũ erga te amorem miris modis incendis. Non continuisti ipse intra pectus amorẽ

Gene. 2.

tuum, sed quantum amares me testatus es promissis largissimis, nō queo ipsa desideriū tui, quo discrucior, inclusum animo diutiº tenere. Rūpe omnes moras, id est, *Osculare me osculo oris tui*, hoc est, ori meo os tuū admoue, id est vt sępius interpreter, fiat caro verbū tuū, quod Ioānes simpliciter dixit. Itaq; prima Ecclesia, Christi vidēdi maximo incensa desiderio, quod in cēdebat in ipsa, tū promissę rei magnitudo, tū de amissa fœlicitate doloris acerbitas, petit his verbis maturitatē incarnationis eius, quā oscŭli vocabulo, figuratè & aptè significat. Nā sicut in osculo os admouetur ori, sic in incarnatione verbū Dei coniūgitur cū carne. Nec solū maturitatē petit incarnationis, sed vt ipse quidē arbitror, illud etiā Spiritus sancti vberius donū infundi sibi postulat, quo nō tantū peccati deletur culpa, sed etiā mala libido, cupiditatesq; ex ea prauæ, magna ex parte abolētur ac propè extinguūtur, in quo ipsius sāctitatis absolutio consistit. Nam id donū vix antea in terris visum, aut fortassè ne vix quidem antea visum in terris, post Christū natū & sublatum in cælū, larga manu fidelibus est collatū hominibus. De eo enim, vt existimo, scribitur. Nō erat Spiritus datus, quia Christus nondum erat glorificatus. Quare id donū qui petunt, simul etiam volūt verbū Dei vt caro fiat, quia verbum caro factū, id est, Christus, id impetrauit à Patre donum ipsum, vt copiosè in animos suorum effunderet. Est enim Christi propria effectioa tq; functio, suos non mūdare solum à peccatis, sed etiā ea inducere virtute, quæ cū veteris hominis ruina, & propè interitu, eximiā quandā afferat sanctitatē. Atq; quemadmodū proprium Christi est, id vt donū hominibus tribuat, sic omniū vota hominū, qui modo saluos se & incolumes esse cupiunt, eo sunt referenda, id vt bonū aliquando consequantur; quod in eo totius vitæ spiritualis absolutio, atque finis sit constitutus, Quæ cum ita se habeant, rectè atque

Ioan. 1.

Ioan. 9.

atque ordine Ecclesia in sui initio ad hanc spiritus cōmunionē aspirare dicitur, idq; bonū expetere, quod qui consequuntur vitā cælestem in terris viuunt, quod donū valdè quidē aptè osculorum significauit nomine. Na in osculo spiritus cōmunio quædā est. Qui enim se mutuò deosculātur, animā vterque in alterū transferunt. Id ergo illa Ecclesia donū flagitat, in quo omnē suæ libertatis atque salutis spem sitā esse videt, quodq; ob eā causam summoperè desiderat. Flagitat igitur vna simul, & incarnationē verbi, quæ in coniunctione oris cum ore aptissimè exprimitur, & communionē Spiritus sancti, quæ cōmunione animæ, quæ coniūctis existit osculis significatur. Sed & cur id tā studioſè efflagitet causam subijcit, dicēs *Quia meliora sunt vbera tua vino*. Id est, quia, vt paulò ante in paradiso constituta experimento didicerat, sciebat quam esset dulcis Deus, & quā amari dignus: idq; apertius iā cognoscebat, ex collatione ad terrena bona, quorū aliquē sensum perceperat è paradiso postquā eiecta fuit. Quæ terrena cūcta bona translatè vinū nominat, quod ebrios nos reddāt, & inani voluptate demulceant. Itaq; necessitudinis cū Deo pristinū vsum sibi restitui percupit: & quoniam id nisi per Christū sibi nō esse restituendū intelligit, oscula sibi dari à Deo petit, id est, verbū hominē, & hominū sanctificatorē nasci, ardētissimè optat. At quā accuratè, & allegoriæ, & sentētiæ seruiuit Solomō hoc in loco vberū vocabulum inferēs. Nā puellā qualis est ea quæ inducitur, vberū meminisse decet, & Dei erga homines in paradiso constitutos prouidentia, aptissimè vberum significatur nomine. Nam vt pueri vbera fugunt, eoque aluntur: sic illā cu-ratione & prouidentia Dei, homines modo nati, alti & educti sunt. Sed pergit, *Fragrantia vnguentis optimis*. Dixerat, maturitatem incarnationis, & communionē diuini spiritus optare se, eo quod, quam suaue esset verfari

semper

semper cum Deo, in paradiso experta fuisset: nunc autem aliam adfert causam, quare eandem illam maturitatē desideret: eaque est, quia scilicet rumore nōnulla acceperat de præstātia futuri Messiæ, qui rumor omnes bonas spes, longo interuallo superabat. Nā significauerat illi Deus futurum Messiam, nō solùm, qui ipsam à peccato liberaret, sed qui etiam reuocaret ad fœlicitatem longè amissa potiorem. Eam igitur promissionem & de Messia sparsam famam, translatè fragrantiam odoris vocat. (Fama enim cum odoratis rebus & alibi à Solomone confertur, qua dicit, Melius est nomen bonum, id est, fama quā vnguenta pretiosa) Et eam optimis præstare dicit vnguentis, id est, aliorum quamuis magnorum bonorum, opiniones omnes atque spes superare. Iure autem illa Ecclesia meminit odoris sponsi, quia illo tempore Christus, tenui rumore quodā, id est, obscuris promissis, & quasi de nomine tantum cognoscebatur. Quod autē dicimus fragrātiæ nomē ad bonum rumorem de Christo in vulgus sparsum significandum transferri, ipsa declarat sponsa, cum addit, *Oleum effusum nomen tuum, ideo adolescentulæ dilexerunt te.* Nam hic interpretatur quam superiùs fragrantiam nominasset. Itaque tota ista oratio sic potest distingui. Fragrantia tua, siue ex Hebraico ad verbum. Ob fragrantiam tuam, quæ præstat optimis vnguentis. Et antequam orationem absoluat, interserit. Nam oleum effusum nomen tuum. Ac mox redit ad superiora atque subijcit. Adolescentulæ dilexerunt te. Sensus vt sit. Ob fragrantiam tuam, qua res odoratissimas vincis, summo te adolescentulæ amore prosequūtur. Quod si quis, inquit me roget, quæ sit tua ista fragrantia, respondeo, Oleum effusum nomen tuum, id est, oleum latè fragrans, quod dico, fama nominis tui est, ipsumque etiam quo nominandus es nomen, Messias scilicet, hoc est, Christus, id est, oleo purfusus, atque vnctus.

Eccle.7.

vnctus. Adolescentulæ porrò istæ, quæ dicuntur amare sponsum odore quem ex se ille spirat inductæ, ipsam significant Ecclesiam, vt nonnullis videtur. Sicut enim Christus, idem & sacerdos & hostia: pastor, atque ouis vocatur, sic Ecclesia quod eius ratio multiplex sit, cēsetur multiplici nomine. Congruit autem, vt huius ætatis Ecclesia adolescentula nominetur, vt eius sic explicetur infirma ætas, id est, vt intelligatur eius in cognoscēdo Deum imperfectio atque ruditas. Sed alij sunt, qui harum nomine, gentes significatas volunt ab ecclesia alienas, sed aliquando in Ecclesiam venturas. à quibus gentibus Christi odoris suauitate permotis, id est, incitatis eius nominis celebritate atque fama, ipsum amandum aliquando esse illa oriens Ecclesia videbat. Sed quod sequitur. *Trahe me post te, curremus,* magis cū priori interpretatione cohęret. Nam in eo quod petit trahi se, satis significat se per id temporis infirmiorē esse in amando. Eadem enim posteà, charitatis maioribus collectis viribus, valētior effecta nō manet dū se sponsus trahat, sed ipsa illum omnibus vestigijs perquirit, *Trahe me,* inquit, Quidam hoc, non tā in optandi significato, quā in prædicendi quod futurum esset sensu dictū accipiūt, hoc modo. Vt video, inquit, & vt ipsa colligo ex tuis promissis, futurū est, vt me trahas, id est, futurū est, vt me nunc de altissimo fœlicitatis gradu deturbatam, & ad humum miserè allisam, aliquando ipse erigas, & tecum ex me ipse natus summè coniungas, quod cum acciderit. *Post te curremus.* id est, te sequemur contentissimo cursu. Quod & accidit tempore Euangelij: cuius temporis hominum erga Christum studium & ardorem hæc iam tum Ecclesia præuidens, istis verbis prædixit, Nec studium solùm præuidit insequendi, sed etiam sequentium innumerabilem multitudinem, ideoque verbi mutauit numerum. Cum enim primo in singulari dixisset, *Trahe me,* posteà

Universidad de Deusto
Biblioteca

stea intulit, *Curremus.* Quo doceret, innumerabiles futuros homines, qui natum in terris Christum sequerentur,
Ioan. 12. sicut apud Ioannem scribitur. Et ego si exaltatus fuero à terra omnia traham ad meipsum. Et si granum frumenti cadens in terra mortuum fuerit, multum fructum afferet. Conuertit enim ad amorem sui, mortuus, & à morte excitatus, & in cælum receptus omnes orbis nationes. Sed & illud non dici non debet, accessum hominum ad Christum per Euangelium, non sine causa cursus vocabulum nominatum. Nam qui Christum sequebantur, antequam ipse apparuisset in terra, lentè, & quodammodo pigrè sequebantur ipsum, prægrauati terrenarum impedimentis rerum: at postquam viderunt eum homines, & in eo-
Matth. 16 rum auribus vox illa eius insonuit, Qui vult venire post me abneget semetipsum, tollat crucem suam & sequatur me. Illaque in primis. Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos, hæc inquam postquam ad aures hominum peruenerunt, voces, innumeri ipsum omnibus terrenis abiectis ponderibus expediti & nudi, vt in cursu fit, maxima festinatione sequi cœperunt. Sed pergit. *Introduxit me Rex in cellaria sua, exultabimus, & lætabimur in te. Memores vberum tuorum super vinum recti diligunt te.* Hęc ex persona adolescentularum quidam dici volunt, sed meliùs iudicant, qui ad sponsam ea referunt. Rursus ea aliqui sic accipiunt, quasi subsit conditio supplenda, & subintelligenda isto modo. Etiam si introducat me Rex in cubicula sua, tamen exultabimus, & lætabimur in te. Quasi dicat. Malo diligi abs te, quam à Rege, idque pluris facio. Sed simpliciùs intelligatur sine aliqua conditione, *Introduxit me Rex*, id verbum, vel potest accipi vt est, vel intelligi positum pro futuro, priori modo significatur anteactæ in paradiso vitæ fœlicitas, estque perinde, ac si Ecclesia dixisset, Ego ipsa quæ trahi ab

ab sponso, nunc cupio, olim introducta ab ipso fui in cubiculum, id est, ad summas fui admissa voluptates. At ô vitæ commutationem miseram, vt breui id amisi bonum. Verum vt amiserim, tamen iterum recuperatura sum, *Nam exultabimus & lætabimur in te*, id est, futurũ est, vt meæ pristinæ fœlicitati restituar, id autem cum acciderit, *Memores erimus vberum tuorum super vinum*, id est, non mihi ex animo effluet eius voluptatis memoria, sed hærebit in ipso fixa semper, nec vllius alterius voluptatis sensu delebitur. *Nam recti diligunt te*, id est, nam rectum est, vt omnes te ardẽtissimo amore diligant. Sin autem temporis enallage, pro introducet, dictum est introduxit, sibi pollicetur Ecclesia quod optat, ex desiderij vehemẽtis natura. Nam quæ cupidè optamus, ea nos cõsequuturos fore facilè nobis persuademus. Optarat autem sponsa trahi ab sponso, id est, illa oriens Ecclesia suæ infirmitatis conscia, illis vocibus suum Christi videndi desiderium ostenderat. Quare nunc consentaneè sperare dicitur, quod optarat, id est, sibi promittere, forè vt ipsam aliquando Christus in sua cellaria introducat, nec eam sua fefellit spes. Introducta enim ab illo fuit postquam adoleuit, primo ad legẽ, deinde ad gratiam Euãgelij: estque demum ad vitam introducenda immortalem, quę sunt sponsi cellaria, ijs referta bonis, quibus solis benè beatèque viuitur. In quibus cellarijs qui introducuntur ita gaudẽt, & exultant, vt nullius alterius boni ampliùs meminisse velint; pro nihilo reliqua bona ducant, Vniuersa alia puteant ipsis ac sordeãt, sequitur. *Nigra sum sed formosa filiæ Hierusalem sicut tabernaculæ Cedar sicut pelles Salomonis.* Hebraicè. Nigra & formosa, &, pro sed, vti omnes interpretes hoc in loco consentiunt, At ἦν ἀπιθανότητα duabus similitudinibus mitigat, id est, nouitatẽ sentẽtię reddit probabilẽ duabus adductis, & cõmemoratis rebus, quæ extrinsecus deformia sũt, interi?

autem

autem valdè ſpecioſa. *Nigra ſum ſed formoſa,* dixerat illa Eccleſia ſe ſperare futurum, vt eam Chriſtus ad ſua bona introduceret, hoc eſt, in ſtatum reſtitueret amiſſo meliorē, ſed ei iſta dicenti metus ſubortus eſt, ex præſentis ſui ſtatus conſideratione profectus. nam cui perſuaderetur futurum, vt homines, qui modo maxima ipſorum culpa expulſi è paradiſo eſſent, & in maximas miſerias proiecti, è ijs miſerijs non ſolùm emergerent, ſed etiā ad vitam beatam peruenirent, id eſt, omnibus bonis circumfluerent. Iſti igitur timori occurrit, ſeque aduerſus ipſum confirmat, ſic dicens, *Nigra ſum ſed formoſa*, id eſt, etſi, in ſpeciem nigra ſim, hoc eſt, nudata ſim maximis bonis, & maximis miſerijs ſubiecta, tamen ob id de me deſperet nemo, nam & formoſa fui, & item futura ſum formoſa, nec id ſolùm, ſed & nunc ſum interiùs formoſa. Nam eſt aliquid in me, quod Deo placeat, ab ipſo mihi donatum Deo. Semper enim in Eccleſia fides atque charitas viguit, ſed quia ea obſcuriora, illo tempore & minus abſoluta, minus perfecta erant, ideò eius temporis Eccleſia ſe nigram eſſe fatetur. Sed pergit. *Nolite me conſiderare quia fuſca ſum, quia decoloraut me Sol, filij matris meæ pugnauerunt contra me, poſuerunt me cuſtodem in vineis, vineam meam non cuſtodiui.* Hebraicè ad verbum. *Ne deſpiciatis, quod ego ſubnigra, quia aſpexit me Sol filij matris meæ irati ſunt in me, poſuerunt me cuſtodem in vineis vineam meam, meam inquam non cuſtodiui.* Quibus, hæc ſponſæ inducta perſona, & illa oriens Eccleſia ſub ea perſona loquens, dum ſuum colorem defendit, ſe figuratè ad bene ſperandum magis atque magis confirmat. Nam inquit. Et ſi vt dixi, nigra ſim, non ſum tamen deformis, aliud in me apparet, aliud latet, quod item alijs in rebus accidit, quare nemo de me de ſumma cute iudicet, neq; ob id quis me deſpiciat, quod in rebus verſer ærumnoſis & miſeris. Nā ſpe valdè locuples ſum. Adde quod hęc meæ conditionis miſera

miſera ſpecies, nō mihi natura ineſt: non enim natura miſera ſum, ita vt exuere miſeriam nō poſsim, ſed fraude ad hanc vitæ atque ſortis indignitatem deueni, & fraudē exponit. Nam inquit, *Filij matris meæ.* Sic enim Angelos apoſtatas vocat, quod ab eodē Patre Deo vna homines, Angelique ſati ſint atque geniti. Illi ergo inquit, *Pugnauerunt, aut irati ſunt contra me.* Id eſt, odio in me atq; inuidia inflāmati, fraudis ſuæ machinas mihi admouerunt, meq; tandem ſuperarunt, ſuperatam èparadiſo præcipitarunt, præcipitatam & expulſam vinearum cuſtodiæ addixerunt, id eſt, in Solem & in puluerem eduxerunt me huius ærumnoſæ vitæ atque miſeræ. *Meam porrò vineam non cuſtodiui.* Quia beatam illam amiſi vitam, quam in paradiſo ducebā cæleſti ſimillimam. Et addit, *Indica mihi quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie, ne vagare incipiam poſt greges ſodalium tuorum.* Nam dixerat Eccleſia fratrum ſuorū fraude ſe in peccatum inductam, & ob id de paradiſo deturbatam, & cuſtodem atque cultricem rerum terrenarum effectam, ex ipſa vitæ conditione ærumnoſa contraxiſſe nigrorem; eamque miſeriā vitæ ſuæ, Solis atque æſtus nomi narat tranſlatis nominibus. Igitur quia ſe meridiano Sole torreri, hoc eſt, maximis vrgeri, ac peruri malis videbat, ad ſuum iterum ſponſum conuerſa, ab ipſo petit, ſe vt doceat quibus in locis ipſe meridietur, qua ſub vmbra medios æſtus declinet, vbi locorū miſeriæ atque laboris expertē vitam ducat, id eſt, petit, ardentiſsimis votis, vt ſibi maius infundat lumē, ſeque viā doceat, qua adipſum ſine errore perueniat, perſuaſa futurum, vt eum ad ipſum peruenerit, omni malorū ardore liberata, iam non amplius æſtuet, hoc eſt, vt iterum interpreter, petit vt ſe doceat quādo id aſſequetur, quod Chriſti accepto ſpiritu in ipſa aliquando efficiendum erat, vt refrigerata malarum cupiditatum libidine vna cū ſponſo ſub vmbra ſancti Spiritus

vitam fœliciſsimam degat. Ex deſiderij porrò magnitudine, mali à quo liberari deſiderat magnitudo intelligitur, id eſt, ex eo quod ſe in vmbra collocari, tam ardenter cupit, colligitur, quāto torrerentur illius ętatis homines malæ libidinis æſtu. Nā certè, vt ex ſacris colligitur literis, antequā aquæ terras inundarēt hæc mali vis maximè viguit. Itaq;, quia cuncta libidinibus ardebant, aquarum inundatione tantum incendium reſtinctum eſt. Ergo quoniam grauiſsimè illo vexabatur æſtu, quē arcere vnus Chriſtus ſuo ſpiritu poterat, idque ipſa ſciebat, dum ipſum de loco vbi meridietur rogat, tectè ſignificat ſe iam cupere in vmbra ſpiritus viuere: quod quoniā neſcit quando, aut quo modo aſſequutura ſit, id ſpōſum orat, vt ſe planiſsimè doceat. Itaq; ait. Indica mihi ô anime mi vbi paſcas, vel certè vbi paſces me, vbi accubare facies in meridie, id eſt, quo tempore, aut quibus modis effecturus ſis, vt ipſa ſub tui ſpiritus collocata vmbra, à malarum cupiditatum moleſtijs & ardoribus liberam tranſigam vitam. Nam quoniā omnis origo mali, ab animi perturbationibus ducitur, idcircò omnium Philoſophorum opinio fuit, in affectuum vacatione aut moderatione conſtitutam eſſe beatam vitam. Quia neque ſine honeſto, beatè, neque ſine moderatione affectuum honeſtè poterat viui. Itaque nulla ætas, fuit in qua non aliquis extiterit, qui ſe huius ſanctitatis, ac moderationis efficiendæ & comparandæ doctorem profiteretur. Huc enim omnes Philoſophorum referebantur diſciplinæ; huc omnium religionum inſtituta ſpectabant. Sed Eccleſia diuinitus edocta ſciebat, qui id pollicerētur eſſe plurimos, qui prętare poſſet pręter Chriſtum eſſe neminem, quare illum vnum rogat, ac viā ſcire cupit verita, ne errore eius in aliquem eorum qui ſe eadē tradere profitentur incidens decipiatur, deceptaque fidē ſuo ſponſo ab ipſa debitam more malarum violet. Hæc autem

autem dum commemorat, ſatis declarat, Chriſtum à ſe ſolito ampliùs iā amari, hoc eſt declarat, quantū ætate proceſsiſſet, tantū profeciſſe in amore. Nam ortus ſui initio hactenus amabat, vt domi ipſa reſidens oſculatura ſponſum eſſet, ſi adeſſet. Mox in amore proficiens, eo venire, quo ipſe eſſet cupiebat, ſi modo traheret ab ipſo. Nū cautē amore magis aucto viā inire ipſa vult illius conueniēdi cauſa, ſed rectè viæ ignoratione detinetur, id eſt, cūctatur quodāmodo & moras interponit, quā id eſſet exiguū lumē, quo ex Deo tūc illuſtrabatur declarans. Sed ſequitur, *Si ignoras te, ô pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi poſt veſtigia gregū, & paſce hœdos tuos iuxta tabernacula paſtorū.* Tandē enim ſponſus exoratus reſpōdet. Reſpōdet autē quid? vt ſi ſe conuentū cupit gregū veſtigia legat. In quo Deus illi Eccleſiæ quæ ipſius videdi deſiderio flagrabat oſtēdit, nō quidē ſe, nondū enim eius rei oſtendēdæ maturū tempus aduenerat, nec etiā ſui aliquā ſatis expreſſam imaginē, nā eā illi poſteà dedit quādo vixit in lege. (Ritus enim illi ſacrificiorū legitimi, & à Moſe traditæ ſanctiſsimæ cæremoniæ, Chriſtū ritè expreſſerūt.) Sed oſtendit ſui quædā indicia, obſcura illa quidē, ſed minimè tamē fallacia. Nam ea ſi ſequatur, ipſam indebito erga Chriſtū officio cōtinebunt, id eſt, in fide & amore. Nā præcipit, vt ſuorū gregū veſtigia ſequatur. Eſt autē eius præcepti vis duplex. Primū enim præcipit, vt in deſiderādo perſeueret, eoque tendat quo illā iſta ſua Chriſti videdi cupiditas ducit. Nam in hœdis cupiditatis ineſſe ſymbolū, eorūq; ob id nomē ad deſiderij cupiditatē ſignificandā transferri rectè poſſe, notum certè eſt. Nam & infrà vbera, hoc eſt, amores & cupiditates ſponſæ, hinnulis caprarū ſimilia eſſe dicuntur: & Poëtæ hœdos petulcos vocant, ab appetendo, vt Seruius in illo notat, -- *Hœdique petulci.* Deinde hortatur eam vt maiores ſequatur ſuos, id eſt, eos qui in ipſa principem

Universidad de Deusto
Biblioteca

locum obtinebant, quibus Christi venturi ratio aliquãto notior erat quam cæteris. Itaque in eorum fide & spe, si vna cum ipso aliquando esse cupit, vt acquiescat ei præcipit, vtque inibi agnos suos pascat, id est, suis desiderijs faciat satis. Sed pergit: *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea.* Ex hoc loco vsque ad primam capitis, quod sequitur, partem, certant laudibus sponsi inter se, & alternis propè versibus alter alterum laudat. Id autem pertinet ad docendum, quæ virtutis ornamẽta illa habuerit Ecclesia. Nam ex ijs quæ illa in sponsum confert, cognoscitur qualem ipsa de Deo rebusque diuinis cognitionem habuerit, quantumque præstiterit in eo virtutis genere quod in cognoscẽdo versatur. In eo autem quod ab sponso ipsa laudatur intelligitur, quid in illius moribus Christo placuerit, quæve eius & quãta fuerit in morali genere virtus. Igitur ait, *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilaui te amica mea.* Confert enim illam Ecclesiam sponsus, equæ eleganti, & ad currus agendos aptæ, in quo docet inesse in illa aliquid ferinum & animale, vt Paulus loqui solet, non tamẽ id indomitum, sed iugo rationis subditum. Nã vis animæ sentiens quæ nobis cum brutis communis est, illa ętate, eo magis vigebat, quo parcius illis hominibus, is quo illa sanatur cęlestis conferebatur spiritus, sed quamuis vigebat, tamen in viris iustis ratione ducebatur. Itaque eos laudat ab obedientia mandatorum diuinorum. Et præterea addit. *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis, & collum tuum sicut monilia.* Eosdem vt laudet à cultu externo quem Deo exhibebãt. Non enim illorum genas pulchras esse simpliciter dicit, sed pulchras in turturib⁹, id est ob ascititia & extrinsec⁹ adiũcta ornamẽta. In genis autẽ pudoris sedes est, in collo autẽ animi, aut submissio, aut elatio, significari solet, elatio, erecto, submissio eodẽ inflexo. Probat ergo sponsus pudorem & submissionem erga

erga Deum illius ætatis Ecclesiæ, quæ res ad religionis cultum spectant. Probat autem eas propter addita externè ornamenta, quo, scilicèt, doceat eum cultum, splendore externo fuisse præcipuum. Illius enim ætatis homines Deum colebant, magis externis ritibus magnificè, quam spiritus interiori veritate perfectè. Nam quamuis in Ecclesia semper interior Dei cultus fuerit, quo si externa destituatur cæremonia non admodum probanda est, tamen interior Dei cultus perfectus proprius est Ecclesiæ Euangelicæ, id est, Ecclesiæ quæ viget post Christum natum, vt testatur ipse apud Ioannem, qua dicit: Venit hora, & nunc est in qua veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate. Sequitur: *Murenulas aureas faciemus tibi verniculatas argento.* Quia laudauit illam Deus, quod se quam accuratissimè coleret, externis sacrificijs & cæremonijs, quæ ideò probarẽtur illi, quia Ecclesiæ collum, & genas ornabant, id est, quia eius animi erga se submissionem, & pietatem ostẽdebant; quiaque sicut collo vox interpres animi funditur, sic illis ritibus atque cultibus venturum nunciabat Messiã: & sicut genis atq; facie quisque dignoscitur, sic in illis cæremonijs Christi imago elucebat ea, qua agnoscebatur venturus. Quia igitur ob ea sacrificia Ecclesiam laudauit, quæ certè illo tempore valdè ipsam decebant, ideò nunc eidem promittit se aliquando daturum, ex hoc genere alia meliora ornamenta, aurea, scilicet, cum punctis argenteis, id est, argento mixto locis suis, hoc est promittit futurum, vt aliquando Mose interprete atque ministro, aliam cultus atque sacrificiorum rationẽ ipsi tradat exactiorem, ac veritati propriorem, qua magis ornata incedat ipsa, & ad veros suo tempore recipiendos cultus fiat aptior. Quibus consentanea sunt quæ sequuntur, *Dum esset Rex in accubitu suo nardus mea dedit odorem suum.* Nã eius promissi spe Ecclesia exhilarata, ei hoc versu

Ioan. 4.

gratè respondet, ac dicit sibi in animo esse eo tempore ipsum perfundere odoratissima nardo sua. Qua ambage verborum primum significat, sibi gratum esse quod promittitur. Deinde vicissim ipsa pollicetur cum id tempus aduenerit, se eos cultus exhibituram illi magna accuratione, & studio. Id enim est nardo sua ipsum perfundere in accubitu, aut in triclinio, id est, cum sacrificia fient. Nam sacrificium epulum quoddam est, vt Philo docet, & vt in Leuitici atque Deuteronomij libris scribitur, in quo vnà cum Deo epulabantur, & sacrificij, & qui sacrificia offerebant. Itaque hostiæ quædam pars Deo dabatur, eaque incendebatur super altare, quædam cedebat sacerdoti immolanti, reliqua hostia vescebantur qui eam offerebant. In hoc igitur cõuiuio Ecclesia dicit, nardum suam daturam odorem suum, quia in omni sacrificio ritu Mosaico adhibebatur thus, & bis singulis diebus noctu, atque manè adolebatur thymiama & thure confectum, & alijs aromatibꝰ præstantissimis, vti in Exodo dicitur. Sed & nardo significari solent bona opera, ea, quæ in oculos incurrunt hominum, suique exemplo alios ad virtutem accendunt, & quasi odore bono, quem ex se spirant lateque spargũt, oblectant vniuersos, quo sensu pollicetur Ecclesia, se ad ea sacrificia, eorum quando rationem, atque ritum acceperit, addituram pietatem animi, & bonorum operum illustria documenta, sine quibus iste Dei externus cultus imperfectus est; vti Esaias vates scribit. Et quoniam de odorata nardo sua mentionem fecit, eo tanquam admonita quam esset odoratus sponsus, de eo mentionem infert. Itaq; subiungit. *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter vbera mea commorabitur, Botrus Cypri dilectus meus mihi in vineis Engaddi.* Quasi dicat perfundam ego quidem, quod pollicita sum, dilectum meum nardo, quando accubabit pransurus, is licèt eo minimè indigeat. Est enim ipse

Philo de sacrif. Leu. 8. & 17

Deut. 12.

Exod. 3.

Esai. 1.

ipsè per se odoratissimus: miros ex se affiat odores, vsque eo vt neque myrrhæ flores, neque cyperus præstãtia odoris conferendi cum eo sint. Itaque hæc, qua de agimus, Ecclesia hoc versu laudat Christum ab odore, quem ille ex se spirat, ipsa, laudis ratione apertè demonstrans quantum in eo genere præstet. Nam de se illa cum ageret non tribuebat odorem sibi, sed nardo suæ; de Christo autem ait, ipsum instar myrrhæ atque opobalsami odoratum esse, id est, docet se si quid oleat nardo id effici, id est, effici alterius ope atque dono: Christum autem per se odoratum esse, imò esse fontem eius boni odoris, qui per omnia diffunditur, sicut scriptum est. De cuius plenitudine omnes accepimus. Quæ dicens, ijs ipsis rebus quibus explicat vim odoris, quem Christus spirat, vaticinatur arcana ratione, & nomen, & officium, & munus Christi. Nam id vnguentum, quo legis Mosaicæ ritu vngebantur reges & sacerdotes futuri, myrrha potissimum ex oleo constabat, cui adijciebatur cinnamomi & calami, & casiæ nonnihil, vt in Exodo scribitur. Itaque myrrha id oleũ figuratè significat. Copher porrò, vt quid sit, ignoretur, tamen cognoscitur duci à Caphar, idque Hebræis esse expiare, & ob id Copher expiamentũ significare posse, aut placamẽtum, aut amotionẽ peccati. Quare quod Christum fasciculum myrrhæ Ecclesia vocat, satis indicat fore, vt Christus illo sancto oleo delibutus, non modo ipse vngatur, sed & contineat congestũ in se, vt in fasciculo myrrha colligitur, quidquid ad hoc pertineat vnctionis genus, de quo Dauid in Psal. dicebat. Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ participibus tuis. Et quoniã, ab vnctione vnctus quis dicitur, vnctus autẽ Latinẽ qui dicitur Græcè nominatur Christus, ideò eũ fasciculũ myrrhæ nominãs prædicit Christum nominandũ: nec hoc solũ prędicit, sed etiã significat futurũ vt illa myrrhæ,

Ioan. 1.

Psal. 44.

id est, olei sanctissimi copia quæ in Christo est, ad mystici sui corporis singula viua membra, ita deriuetur, vt ea imbuat, & in eis hæreat atque resideat. Nam addit: *Inter vbera mea commorabitur.* Quia intra pectus ipsius vbi sedes vitæ est, id est, in eis Ecclesiæ partibus quæ maximè viuunt, atq; vigent ea vnctio reconditur. Disertè autē & pro sua conditione quam aptissimè dixit, *Commorabitur*, aut vt Hebrai cè dicitur לין id est, residebit, moram ducet, domicilium collocabit, ita vt, neque domo, vt ita dicam, pedem efferat, neque se in publicum det. Nam oleum cælestis gratiæ illius ætatis homines quo vngebantur, in animi ipsorum superiori ac magis intima parte tanquam in corde inclusum hærebat atque latebat, è quo loco, leges viuendi dabat inferiori parti, eiusque appetitiones atque motus regebat, non tamen se diffundebat in ipsa, aut vim explicabat in ea suam, ipsam sanctificans, aut omnes eius prauos motus elidens. At in quibus noui testamenti gratia exultat, & regnat, in ijs spiritus Euangelici vnctio in vtraq; animi parte diffunditur, & à capite, vt in Psalmo dicitur, vsque ad oram, deriuatur vestimenti, non solùm carnis cupiditatibus, eiusque perturbationibus modum statuens, sed eas ferè euellens ex animis: ita vt & rarò extent, & debiliter ac languidè se contra rationem efferant. Quod autem Ecclesia adiunxit de botro Cypri, aut Copher, in eo docuit fore, vt Christus esset, vt Ioānes scribit, propitiatio pro peccatis nostris, & non solùm nostris, sed etiam totius mundi. Atque is quoniam non vnius generis peccati expiamentum est, sed peccatorum omnium generum, quoniamq; ea non vna ratione expiat, sed varia atque multiplici doctrina, exemplo, morte, sanguine, interuentu, cura, assiduitate, officijs omnibus, ideò conuenientissimè non Copher modo, sed & botrus Copher dictus est. Botrus enim plurimis vuarum granis componitur.

Psal. 131.

1. Ioa. 2.

tur. Nec est sine causa additum, *in vineis Engaddi*. Is enim vicus, qui esse prope mare mortuum in tribu Iuda in libro Iudicum dicitur, eiusque vici ager, non longe à Hierosolymis aberat, qua in vrbe, hic botrus Copher, id est, piaculi atq; expiationis botrus de cruce pependit ita alto & sublimi loco, eo vt è loco despici posset Engadditanus ager. Sequitur, *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra, oculi tui columbarum.* Hæc sponsi, id est, Christi sunt, quibus ab Ecclesia laudatus ipsam vicissim laudat, atq; vt ea pro ætatis progressu magis in amore Christi & cognitione crescebat, sic spōsus Christus eam quoties de integro laudat, aliquid semper ad laudē addit. Supra illius cōmēdarat genas atque collū à monilibus, quibus ornabatur, id est, à cultu aduentitio & externo: nunc per se pulchram esse affirmat ipsam, idq; nō semel modo sed iterum dicit, quo verū esse magis cōfirmet. Præcipuè autē oculos cōmendat ipsius, quod est valde consentaneū ijs quæ proximè præcesserūt. Nam illis Ecclesia declarauit facultate videndi pollere se: vtpote quæ tanto antea & nomen & officiū venturi Christi præuiderit. Quibus etiam ostendit se iam non parum profeciſſe in cognitione & amore eius, in cognitione quod vidit ipsum myrrhæ fasciculū fore: in amore, quod collocare eum atque recondere inter vbera sua velle professa est, id est, in intimo cordis sui loco, sede scilicet, amoris propria. Itaq; quod sui in amore Dei & eius cognitione progressus id documentū Ecclesia ostenderat, id eo Christus nunc & pulchritudinem attribuit ipsi, & eius celebrat oculos, quos habere columbinis similes dicit: pulchritudinem attribuit propter amorem, est enim animi maxima pulchritudo in charitate constituta: oculos columbinis similes, propter vim fidei, qua ferè totam rationem venturi præuidit Christi. Atq; hęc certe ad illam mihi vidētur Ecclesiæ ætatem pertinere, quæ Abrahamum eiusque

tulit filios magnos sanè viros & rerum diuinarum ac præcipuè Christi venturi maiori cognitione præditos, tum ita amantes Dei, vt eius inueniendi & cum eo libere commorandi cupiditate incensi, natali relicto solo & longe à sua patria vitam pastoritiam ducentes, vnum ipsum in vita ducem sequuti fuerint, vti ij quibus esset dictum. *Egredere & abi post vestigia gregum tuorum, & pasce hædos tuos iuxta tabernacula pastorũ*, Id enim præcepit Abrahamo Deus
Gene. 12. qua scribitur. Egredere de terra tua & de cognatione tua, & faciam te in gentem magnam. Cui etiam de Messia futuro apertius & asseuerantius quam ijs qui se præcesserũt promisit, vt in eodem libro bis dicitur, In capite decimo
Gene. 15. quinto, Suspice cælum & numera stellas si potes, & dixit ei, sic erit semen tuum. Et in capite vigesimo secundo.
Gene. 22. Multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & sicut arenam quæ est in littore maris, possidebit semen tuũ portas inimicorum suorum & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ. Quibus ipse promissis fidem habuisse dicitur, & eam illi fidẽ reputatam fuisse ad iustitiam, vt recte conueniat eius ætatis Ecclesiam hoc loco bis nominatã esse pulchram, quia bis Abrahami, hoc est præcipuę eius Ecclesiæ partis, fides & obedientia explorata atq; probata fuit. Semel cum natale solum Dei iussu deseruit. Iterum cum mactare ad aram Deoq; offerre ipso eodem præcipiente Deo spem posteritatis suæ filium sibi charissimũ voluit. Rectèque etiam conueniat vt eius Ecclesiæ nunc imprimis prædicentur oculi, & columbini dicantur, quo significetur fidei cum animi simplicitate coniunctæ virtus, Abrahamus qua præstitit, & qua, ea, quæ nondum videbat, spe tanquam oculis hausit, animoque conspexit, Sed sequitur. *Ecce tu pulcher es dilecte mi & decorus, lectulus noster floridus, tigna domorũ nostrarum cedrina, laquearia nostra cypressina.* Vt in amibœo carmine, sponsa, quod ipsam laudibus

dibus affecit sponsus, ipsum vicissim laudat, suaq; ei verba resignat. Nam Ecclesia Dei prædicatione commendata probè cognoscens quidquid in ea pulchri sit, id à Deo totum habere se iure illi & vere respõdet, *Ecce tu pulcher dilecte mi & decorus.* Quasi ita dicat, quin tu potius dilecte mi pulcher es, per quem ipsa habeo vt pulchra sim. Itaque pulcheres, quod ad te attinet, & omni ex parte perfe-
ctis, decorus verò quod ad nos spectat, id est, suauis, & beneficus & in alios tuæ pulchritudinis splendorem diffundens, eosque ex te pulchros efficiens. Ex quo rectè sequitur, quod adiungit, *Et lectulus noster floridus*, aut vt in Hebræo dicitur, vernans, metaphora ducta ab arboribus cum primo vere folia atque flores edunt. Nam inquit. Quoniam suauis ipse & beneficus, & tuorum bonorum effusor es, ideo noster vernat lectulus. Nam lectulus figurate ad selectiores & mansuetiores Ecclesiæ partes significandas trãsfertur. In quibus partibus tanquam in lectulo quiescit libenter Christus. Dicitur porrò hoc loco satis aptè lectulus vernare ac florere, quia hæc intelligun
tur dici ab Ecclesia iã vlterius ætate progressa, & in Aegypto constituta, quando Iacobus vna cum filijs & nepotibus cò commigrauit annonæ coactus caritate. Nam illo in loco germinare Ecclesia multum cœpit incredibili hominum fidelium numero breui tempore aucta, vt in Exod. scribitur. Quod ipsum ea etiam significant quæ *Exod. 1.*
sequuntur. *Et tigna domorum nostrarum cedrina & laquearia cypressina*. Nam his inuolucris verborum Ecclesia illa subindicat se iam plures domos, id est, familias habere, hoc est, hominum magna copia frequentari. Harum domorũ ac familiarũ tanquã tigna & laquearia earũ capita atq; rectores erant: erantq; ijdem cedrini & cupressini: quod essent virtute magni, bonis moribus incorrupti, optimis benefactorum exemplis odorati, instar cedri atque

cupressi

Universidad de Deusto
Biblioteca

cupressi,quæarbores & proceræ sunt, & odore præstant, & cariem non sentiunt.Et quod de illis principibus dicimus, id commodè ad vniuersos qui in Ecclesia vllo vnquam tempore principem aut tenuerunt,aut tenent locũ trãsferre possumus.Nã ij profecto principes tigna sunt,atque trabes quibus Dei fulcitur & continetur domus,sunt que,hoc est,esse debent suo si muneri satisfacere volunt, tigna cedrina.Nam cedrus procera & leuis arbor est,odoris grati,corrumpi nescia,cuius qui liniuntur oleo, à scabie sunt alieni.Itaq; & illi esse debent, primum alto animo,& ijs omnibus virtutibus exaggerato:quas Paulus ad
*Tim.*1.c.3 Timotheum scribens recenset. Et quomodo in historia
1.Reg 10. Regum de Saul quando ascitus est ad regnum scribitur steterisse ipsum in medio populi,& superasse visum esse vniuersum populum ab humero & sursum:sic Ecclesiæ prælati virtute reliquos superabunt. Deinde leues erunt, id
*1.Pet.*3. est, non truces,& graues in imperando, neque vt Petrus scribit,dominantes in clero.Nam id regum est,non Ec-
*Luc.*22. clesiæ ministrorum quod Christus docet, qua dicit. Reges gentium dominantur eorum,vos autem non sic. Itaque ipse, vt exemplo suo formam imperandi exhiberet,
*Esai.*9. imperium suum ab Esaia dictus est portare supra humeros suos,vt prælatus Ecclesiæ aliorum ipse portet onera,
1.ad Tim. non autem alijs sit oneri. Ex quo Paulus Timotheo cum
2. dixisset;argue,obsecra,increpa,ne laxasse habenas acerbitati videretur,statim adiecit, cum omni patientia, & doctrina Præterea sint odorati,id est,odore boni exẽpli prę-
*Matt.*5. stantes. Nam ad illos proprie pertinet illud Christi. Sic luceat lux vestra coram hominibus,vt videant opera vestra bona,& glorificent patrem vestrum qui in cælis est. Itaque effigies in ipsis extare debet omnium virtutum,effigiesque conspicua, & in oculos cunctorum incurrens. Qua de causa vetus sic ornabatur sacerdos, vt quod bonum

num in vita est,id totũ suo ornatu referret. Ad hæc oportet vt cariem non sentiat,vtq; corruptionis sit expers, id est vt nullis affectibus seruiat,non liuore, non odio, non *Sap.*9.
cupiditate non amore,in imperando ducatur.Sed, vt quales illi dicuntur esse, quos proposuit Iethro Mosi genero suo,& vt Reipublicæ præficeret monuit,viri sapientes & timentes Deum,in quibus sit veritas,& qui oderint auariam,talis ipse sit.Nam carie non exedi,id scilicet,est, care *Exod.*18.
re auaritia,qua nulla caries animum peius exedit. Postremo eo oleo perungant suos vt ab omni eos scabie & rubigine procul arceant,hoc est liberent eos à morbis animi oleo ex se nato,id est,non mercenariorum opera, sed ipsorummet cura,vigilantia,rectione,quę ideo oleum nominantur,quia esse debent lenitate & mansuetudine temperata omnia.Nam & illa fœliciſsima arbos fata in cælestis vrbis medio iuxta flumen aquæ viuæ quod procedebat de sella Dei,vt est in Apocalypsi,tulisse dicitur duodecim,singulos singulis anni mensibus fructus eosq, salutares vsq; eo, vt & folia quibus integebantur salutaria cun- *Apoc. vlt.*
ctis essent,quo intelligeretur, muneris Ecclesiæ prælatorum,quorum illa arbor imaginem sustinet sine dubio esse, vt ex se folia medicinam facientia proferant, hoc est, pertinere ad ipsorum munus,non solum vt suorum malis medeantur ipsi,sed vt medeantur leni ratione, & tanquam adhibito arboris virentis folio viridi, quo nihil est lenius. Sed hæc hactenus.

CAPVT SECVNDVM.

EGO flos campi,& lilium conuallium.Sicut lilium inter spinas,sic amica mea inter filias.Sicut malus inter ligna syluarum,sic dilectus meus inter filios,sub vmbra illius,quem desideraueram sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.Introduxit me in cellam vinariam,ordinauit in me charitatem.

ritatem. Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Adiuro vos filiæ Hierusalem per capreas, ceruosque camporum ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam quousq; ipsa velit. Vox dilecti mei, ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles. Similis est dilectus meus capreæ hinnuloque ceruorum, en ipse stat post parietem nostrum respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos. En dilectus meus loquitur mihi, surge, propera amica mea, formosa mea, & veni. Iam enim hyems transijt, imber abijt & recessit. Flores apparuerunt in terra nostra, tempus putationis aduenit: vox turturis audita est in terra nostra. Ficus protulit grossos suos, vineæ florentes dederunt odorem, surge, propera amica mea, speciosa mea, & veni. Columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua decora. Capite nobis vulpes parvulas quæ demoliuntur vineas, nam vinea nostra floruit. Dilectus meus mihi, & ego illi qui pascitur inter lilia. Donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ, reuertere similis esto, dilecte mi capreæ hinnuloq; ceruorum super montes Bethel.

PRIMA EXPLANATIO.

EXequitur, quod exponere instituit amoris inter istos coniuges, atque laudum certamen. *Ego flos campi, & lilium conuallium.* Ambiguum est vtrius illorum hæc oratio sit, nam ex vtriusq; persona accipi potest, nisi quod ipsa rerum natura postulare videtur, vt eam sponsæ tribuamus. Nam se laudare fœminas magis quam viros decet. Quare mea quidem sententia, hæc cum proxime præteritis adnectenda sunt, & cuncta vno prolatu dici intelligenda, vt post lectuli flores, & post domus laquearia cedrina, quibus illa spōsum ad vna secū permanendum inuitat, adijciat nunc sponsa se etiam esse pul-

pulchriorem rosa, dicatq; continenti & nusquam interrupto spiritu. *Lectulus noster floridus est, & tigna domorum nostrarum cedrina, laquearia cypressina, & ego flos campi.* Vt, & lectuli amœnitate, & domus magnificentia, & sua ipsius pulchritudine & venustate ad se amandum sponsum prouocet, & alliciat. *Ego flos campi.* Quod flos interpres vertit, id in Hebræo est הבצלת Habaceleth, id porrò tradunt genus esse rosæ colore nigro quidem, sed specie venusta, & odore suaui: quod valdè quadrat sponsæ, quæ item nigra & formosa superius dicta est. Sequitur. *Et lilium conuallium.* Hæc sponsa quidē dicit, non tamen de se vt mihi videtur, sed de sponso potius suo. Quod pronomine addito planius dicas. Ego flos campi, & tu lilium conuallium. Pro lilio, in Hebræo est שושנת Susanot, ij verò sunt flores senis folijs. Conuallium verò epitasim habet: nam in conuallibus lætius hæc omnia proueniunt propter humoris maiorem copiā. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Hæc iam ex persona sponsi dicuntur, qui ab eo quod postremum in oratione sponsæ fuit, initium faciens, eam itē rum laudat, & quod lilio conuallium similis ipse dictus est, docet id sponsæ aptissime conuenire: nec id solùm vt lilio similis sit, sed vt inter spinas lilio: & sibi attributas laudes in spōsam retorquens auget eas, & amplificat. Nā quæ iuxta spinas nascuntur rosæ, eo pulchriores vidētur, eoque magis oblectant oculos, quo spinarū, quibus obsī dētur, horridior est species: nā horrore illo illustratur rosarū nitor. Itaq; dicit. Quod me lilio sponsa adsimilas, id in teplanè quadrat, quippè quę, & ætatis virore & specie, liliū omnino refers, vt quātū rosa ab spinis distat, tātū ipsa forma præcedas reliquas fœminas atq; vt lilia spinarū iuxta positarū appositu vidētur pulchriora, sic reliquę fœminæ tecū cōpositæ formę decus tuū illustrius reddūt. Cui

spon-

spōsa rursus. *Sicut malus inter ligna syluarum, sic dilectus meus inter filios.* Quantum, inquit, malus & amœnitate foliorū, & pulchra pomorum specie, aut ilicem, aut quercum superat, rigidas & incultas arbores, tantum meus sponsus elegantia formæ vincit reliquos. Et certè multum amœnitatis habet malus arbor cum folijs, tum pomis abundans. Nā folia præter quā quod figurā habēt valdè cōcinnā, viridi inficiūtur valdè amœno: pomis verò ex albo, aureoq; modice rubentibus nihil ad aspectū pulchrius fieri potest. Ex quo intelligitur maiorē laudē, quā quæ sibi tributa fuerat, sponsam in sponsum contulisse, vberiusq; illū laudasse: nā lilia, quorū similis dicta ipsa est, nullos ex se fructus edunt: malus verò vtroque excellit, & pomis, & specie. Quoniam porrò vsu sæpè venit, vt malus arbor, ijs qui ipsam intuentur amœnitate vmbræ, pomisque suis desiderium inijciat accedendi propius, & desidendi sub ipsa, inibiq́ue dum se æstus remittit commorandi, pomaq́ue ex ea carpendi: ideò in cœpta similitudine persistens, ac longiùs sponsa progressa commemorat, se in eandem voluntatem, atque cupiditatem inductam fuisse propius accedendi ad sponsum suum, eum vt vidit pomaq; ex eo carpendi, idq́ue ita fecisse. *Sub vmbra*, inquit, *illius*, in qua desiderabam desidere, scilicet, & quietem capere, *sedi*, id est, quod optabam obtinui, perfeci quod cupiebam. *Et fructus eius dulcis gutturi meo.* Hoc est voti mei compos effecta, quam summam optabam mihi dari illius copiam, consequuta sum. Atqui optarat non solùm alloqui, sed & deosculari, & amplecti. Id igitur factum ab se esse honesta verborum translatione significat. Nam viri sui optato aspectu commota, atque eiusdem sermone, atque blanditijs penitùs inflammata, media inter verba in complexus illius irruisse intelligenda est: intelligenda, inquam est; nō quia fecerit, sed quia fecisse fingitur, & ad eam rationem ora-

oratio eius accommodatur. Itaque adhærens viro suo, collūque ipsius arctè tenens, cupita legisse oscula intelligitur: & ipsos inter amplexus, atque oscula interruptis vocibus illa dixisse. Nam vt suo postea dicemus loco, eadem ista accidunt in congressu animæ cum Deo, cuius cōgressus imago hic exprimitur. Sed pergit. *Introduxit me in cellā vinariam.* Vini nomen, atque rem ad voluptatem significā dam transferri solere, superiùs dictum est. Cella igitur vinaria, summam quandam & exaggeratam voluptatē, vel potius cumulum atque conuentū voluptatum omnium significat: in eam porrò sponsam introduxisse dicitur spō sus, quia suū erga illam amorē, quibus potuit maximis documentis testificatus est, quare subdit. *Et ordinauit in me charitatē.* Eo enim introduxit illā in cellam vinariam, id est, in gaudij atque voluptatis domicilium, quia ordinauit charitatem, id est, maxima ipsam, maximeq́ue excellenti, atque conspicua charitate complexus est. Nam ordinandi verbum, vt in re militari vsurpatur cum ordinare acies, cumque ordines militum dicimus, sic hoc loco accipiendum est: vt ex Hebræa voce, cuius loco ponitur, intelligitur. Nā דגל Dagal proprie significat vexillum erigere, translatè verò eminere, aut insignem esse in re aliqua, vt in acie signifer eminet. Igitur suam erga sponsam charitatem ordinasse sponsus, cum dicitur, id numirū dicitur, nihil ad summum amorem fecisse sibi reliqui: magna & maximè illustria amoris documenta ostendisse: & tanquam sustulisse amoris signum quoddam, quod illa signum, vt strenui milites faciunt, intrepide sequuta facilè passa est quocunque voluit duci se, atque intromitti. Nam charitas quemadmodū ipsa nemini insidias facit, ita strui sibi ab alijs, haud quaquam credit. Charitas nihil timet, omnia sperat. Sequitur. *Fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo.* 1. Cor. 13. Ea est animi nostri imbecillitas & infirmitas, vt peræquè

gaudio, atque ægritudine lædamur. Itaque haud multo plures sunt, quos ægritudo conficit, quam quos effusa & immoderata lætitia extinguit, quod in amore maximè cernitur: propterea quod amor, vt in desiderando est omnium ardentissimus, ita in gaudendo est effusus, & immoderatus maximè. Quamobrem qui ardenter amant, crebro animo deficiunt, & propè exanimantur, nunc acri desiderio, nunc subita obiecta lætitia victi, neque ad sperandum fortes, neque ad lætandum valentes, sed ad vtrumque æquè imbecilles, & magis quã viri, fœminæ, quarum animi imbecilliores sunt, & ob id impotẽtius amant. Ex quo affectu ducitur hæc oratio. Nam magnitudine gaudij quod ex cõplexu sponsi hausit, victa sponsa est: & nimiæ lætitiæ vires corporis concesserunt. Itaq; exanimata, & inter sponsi manus collapsa, vel dum collabitur potius sibi deficienti, quibuscumque rebus possint, vt opẽ ferant, à suis comitibus petit, aut certè petijsse fingitur: non quidem se animo deficere simpliciter dicens, sed ea loquens quæ, quos animus deficit, loqui solent, quod est multo venustius. Ac profecto, vt hoc loco dicã, quod singulis propè huius carminis locis iure dici potest, incredibilis est, & maior fortasse, quam quæ vllo ingenio explicari possit, & harum literarum præstantia, & rerum naturæ inter ipsas consensio. Nam, vt de harum literarũ præstantia primo dicam, cum poësis nihil aliud sit, quàm pictura loquens, totumque eius studiũ in imitanda natura versetur: id quod quidam nostri poëtæ, qui amatoria scripserunt, parum certè attendentes cũ se putarent optimè dicere, ab optimi poëtę officio longissimè recesserũt. Verùm vt cœpi dicere, cum poësis naturam imitetur, eãque quodammodo loqui doceat, ac nihil aliud ad oblatum argumentũ afferat præter apta & decentia verba: cũque in eo vno poëta maximè elaborare debeat, vt quæ in-

sunt in re proposita, autquę pro illius rei natura inesse ipsi pareſt, ea sententiarum, atque verborum tanquam coloribus expressa, atque descripta ita exhibeat oculis conspicienda, vt non tam dici, quam agi videantur: vt quod de Ennio dictum est, si quæ ab eo dicta præclarè, & scripta sunt, eadem dicere musæ vellent, eas non alijs verbis, quã quibus Ennius vsus est, vsuras fuisse, idem efficiat ipse, suumque argumentum ita perficiat, eoque cuncta eloquatur modo, quomodo natura ipsa eloquutura esset, ei si loqui liceret: cum itaque omnis poëticæ præstantiæ, atque laudis gloria in hoc vno sit: affirmo in hoc amorũ argumento, & in hac duorum inter se amantium, mutui amoris expositione, Solomonem reliquos omniũ linguarum, atq; gentium poëtas, & oratores omnes, tam lõgè, tamq; multum superasse: vt si quæ illi scripserunt cum eius scriptis conferantur, statuendũ sit, in illorum literis amoris quidem inesse vmbram quandã pertenuẽ: solidam autem, & expressam, atque adeo viuam, & spirantẽ, atque agentem imaginẽ contineri in his Solomonis scriptis. Nihil enim eorum, quæ in amore accidunt à Solomone, vel est prætermissum, vel non ita dictum, quomodo dici optimè, & significantissimè potest. Nam quæ prima in amore sunt desideria, atque suspiria, eorum primo loco mentionem fecit: ijs adiecit colloquia præsentium mutua, verborumque blanditias, quæ natura desiderio succedunt: hæc sequuntur corporũ complexus, & animæ atque spiritus communio, quibus ex rebus incredibilis voluptas exoritur, & existit: & qua in re honestè explicanda alij vehementer laborare solent: itaque vel taciti totum eum locum prætereunt, vel præter decorem pudoris iacturam faciunt, eam Solomon ita aptè exposuit verbis translatis, & mali arboris similitudine inducta, vt quamuis rem ipsam oculis propè subiecerit,

honestas tamen, & verecundas aures nihil offenderit. Ac demum nequa in re deesset suscepto argumento, quia interdum contingit, vt ingenti voluptate liquescens, & in lætitiam effusus amatorum animus corpus destituat, quoniamque id non tam sæpè viris, quam fœminis accidit, quorum est ingenium imbecillius: ideo sponsam inducit ad extremum lætitiæ veluti oneri succumbentem, ac omnibus cum corporis, tum animi viribus dissolutis collabentem. Atque hæc ille omnia non commemorat vt facta, sed quo plus, & virium haberet, & suauitatis oratio, quasi agerentur exponit, personas ipsas agentes ea, atque loquentes inducens. Nec vero ad eorum expositionem adhibet à se excogitatas aliquas, & ingeniosè elaboratas, aut sententias, aut verba: sed è media hominum vita, atque consuetudine sumptas voces numeris dulcissimis alligat: vt non tam carmen panxisse videri possit, quam amorem ipsum, affectusque amoris omnes, & quæ in amore accidunt vniuersa excitasse, & motum illis, ac vocem dedisse, in cænamque introductis imperasse, suam vt quisque personam ageret, eaque diceret, quæ pro natura cuiusque apta cuique, & conuenientia essent: vt vel hoc ipso satis constet prodita hæc scripta fuisse à maiore facultate, atque vi, quàm est humana facultas. Atque hæc de præstantia harum literarum. Quod verò ad rerum naturæ consensionem attinet, quis non miretur, tam arctis similitudinum vinculis res genere, & natura plurimum distantes esse colligatas: tamque consonare inter se ea, quæ maximè dissentire videantur, humana scilicet, atque diuina, corporea & expertia corporis, vt ad cælestes amores, & eorum motus omnes exprimendos, nullis ex rebus propriores, atque expressiores similitudines, & imagines petantur, atque

atq; ducantur, quam ex humanis amoribus? Nam quamuis appetitus ille pulchri, qui est in vtroque amore, ardentior in vno sit, quam in alio: tamen pro ratione vtriusque eadem in vtroque amore exordia sunt, ab eisdem, aut à similibus rebus incrementa suscipiunt: similes ac fere ijdē motus, & affectus existunt in vtroque: progressiones deniq́ue vtriusque absolutionesque, & fines sunt prorsus pares. Atque vt pulchri ea species, quæ in corporibus cernitur, & qua vulgo notus amor excitatur, ab intelligibili, & incorporea pulchritudine ducitur, & participatur: estque tanquam vmbra quædam pulchri, quam ipsum veri pulchri veluti corpus in terras iacit, sic corporeus ipse, & terrenus amor diuinum, & cælestem amorem imitatur, & ijsdem, quibus ille vestigijs ingreditur. Itaque non solum quia huius amoris terreni, scilicet, atque humani natura, atq; ratio nota nobis est, Solomon, aut potius per Solomonem Deus eo voluit vti, ad insinuandum in animos nostros aliquam notionem amoris sui: sed quia inest in illo sui amoris imago ea, qua nulla esse potest, aut expressior, aut melior, idcirco eo vsus est. Idq; habuit causæ, quare tam exquisitè, tamq; omnibus suis partibus integrè cō stantem humani amoris effigiem in hoc libro perfecerit: nimirum, quia videbat nihil in illo amore præter lasciua esse, quod nō aptè, atq; commodè posset ad diuinos amores transferri. Ex quo erat consequens, vt quo plus in hac veluti imagine perficienda elaboratum esset, & quo plus in ea perpolienda curæ positum, adhibitis omnibus, & artis, & ingenij coloribus: eo apertior efficeretur, ac notior diuini amoris vis, atq; natura, cuius in lucem proferendæ, & illustrandæ causa omnia ista elaborabantur. Sed de hoc, quoniam aliâs dicemus, vel potiùs, quoniam toto opere sparsim dicendum est, nunc plura dicere supersedeamus, & eo reuertamur vnde digressi sumus. Animo,

inquit,destituor,nec lætitiæ vim ferre sustineo: accedite propius, flores date, vina spargite, fugientem spiritum quibuscumque potest reuocari rebus,floribus,vino,pomis reuocate.Et ad ipsum sponsum conuersa. Fulci, inquit,tua læua,languidum meum caput,vinci dextra occiduum corpus,meq; ruentem retine.Huiusmodi namque dici in animi deliquio solent,dicitque ea hic sponsa deficiens,aut certè fingitur dicere.Atque ea cum dicit, non solùm illam defecisse intelligimus, sed deficientem, collabentem,opem implorantem ipsam, eiusque iam decliue caput, & suffusas pallore genas penè videmus. Sed sequitur ex sponsi persona. *Adiuro vos filiæ Sion per capreas,ceruosque camporum,ne suscitetis,neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.* Animi deliquio somnus succedit, natura videlicet,id agente,quo ipsa quiete languidum reficiatur corpus. Igitur quasi ex deliquio in somnum sponsa incidisset,eam sponsus molliter in lectulo collocasse fingitur:conuersusque ad sponsæ socias eas adiurasse,quietem vt ipsæ agerent tantisper,dum illa somnum capit. Adiurat autem illas atq; obtestatur per capreas, ceruosq; camporum,propterea quod cum spõsa ipsa,tum sponsæ comites virgines inducuntur vitæ rusticæ deditæ,& venationis studiosæ ex illius gentis more: etenim de Tyrijs virginibus, quæ Palæsthinis vicinæ sunt,extat illud Poëtæ,

Virginibus Tyrijs mos est gestare pharetram.

Et quoniam ita communis ratio sermonis, atque vsus fert,vt à quibus aliquid obtinere volumus, eis prospera imprecemur in eis ipsis rebus, quarum studio tenentur, itaque ad militiæ deditum agentes,ita te victorem complectar,ad magistratus studiosum,ita te consulem conspiciam dicere solemus, & Poëta Lyricus naui qua in Græciam traijciebat Virgilius, quo ipsum incolumem Athe-

Athenis redderet,Pollucis benignum sydus,ac secundos ventos sic precabatur,

Sic te diua potens Cypri,
Sic fratres Helenæ lucida sydera,
Ventorumq; regat pater
Obstructis alijs præter Iapyga
Naute,quæ tibi creditum
Debes Virgilium--

Quia igitur ita consuetudo, atque ratio nostri sermonis fert, idcirco ceruorum, atque caprarum, quarum illæ venationi studebant mentionem infert,obtestaturq; spõsus sponsæ comites,pro eo quantum cupiunt,dumvenantur capreas sibi dari, quas certis ictibus iaculando conficiant, vti parcant cubantis sponsæ, & somno indulgentis placidissimam quietem rumpere.Atque hæc hactenus.Nam quæ sequuntur tanquam ex alio nata principio,noua argumenta amoris continent. *Vox dilecti mei, ecce iste venit saliens in montibus transiliens colles.* Dubium est,vtrùm hîc inducatur sponsa vigilans, & ea quæ sibi vigilanti euenerunt exponens, an dormiens potiùs, & somniorum visis affecta inter dormiendum id loquens, quod per quietem sibi videbatur videre, aut quod per quietem vidisset, quomodoque vidisset, id certè nunc dicens. Nonnullis placet, quod item mihi non displicet, noui argumenti hîc exordium poni, sponsamque induci commemorantem sponsi ad ipsam reditum. Nam postquam illa quieti se dedit, discessisse ab ipsa sponsus fingitur, & in agrum se contulisse, paulò post reuersurus. Adduntque ijdem non oportere, in ijs amatorijs sermonibus quærere quid rerum natura postulet, sed quid amantium vsus atq; ratio ferat. Etenim illam domi inclusam reuertentem sponsum, & montium

iuga cursu'superãtem videre,haud quaquam potuisse:sed desideranti illi, & de viri sui reditu cogitanti, redeuntis illius,& præfestinantis speciem vt fit, ad animum occurrisse:accidisse autem,vt ad cogitationem aptè euentus caderet,vtque ille rediret,cuius de reditu sponsa cogitabat, quemque iam aduentare animo præcipiebat.Nam eueni re sæpè,vt eorum quos amamus,& à quibus absumus pro ximos,& instantes reditus,species quædam veluti nuntiæ præcurrant, quæ nobis de amicorum nostrorum reditu nihil alioqui,aut cogitantibus,aut certi, exploratique habentibus de repente se offerunt, & subito desiderio nos accendunt,cupiditatemque nobis injciunt,& cogitandi de illis,& agendi,deniq́ue efficiunt,vt pro eo ac cupimus, iam se in viam dantes illos,iam iter facientes,maturantes, aduentantes,limenque ipsum superantes domus, sic animo quasi oculis videamus.Quod vtrum casu fiat, an rerum naturæ arcana consensione aliqua incertum sanè esse,quin autem fiat non esse dubitandum. Hancigitur rationem si sequamur priora illa. *Vox dilecti mei,ecce iste venit saliens in montibus transiliens colles.* quæ de aduentu spõsi sui ipsa sibi sponsa desiderando fingit continere debebunt.Posteriora vero,& quæ proximè illa sequuntur, nimirum. *Ecce ipse stat post parietem nostrum.* quid acciderit re ipsa, vel certè id quod fingitur accidisse explicabunt. Quod quo planiùs intelligatur ipsam loquentem inducamus, itaque dicentem. Nescio quid certè boni meus mihi præsagit animus,vtrum fallor,an sponsi mei vocem ego audio?certè audire mihi videor,ipsumque concitato cursu redeuntem videre At ò nunquam amantis animus fallax,en adest ipse, nec opinione falsa sum: adest certè, iamq́, ipsum limen domus superat, meq́, è ianua salutat: sed quò ille disparuit,quòve abijt?vt se occuluit postibus, vt rursus apparet, rursusque occulitur, vides vt caput intu-

intulit fenestræ, vt emicuit pulcher. Alijs videtur, quorũ nos sententiã libentius sequimur:propterea quod præteri tis præsentia aptè connectit, & ad ea quę in re euenire solẽt,se se valdè accõmodat: itaq; alij dicũt, quẽadmodum animi deliquiũ natura somnus sequitur,ita somno insomnia agnata esse,in ijs maximè, quorum animi grauioribus curis sollicitantur, quales sunt amantes omnes. Quare sponsam quæ hactenus dormire dicta est, nunc consentaneè fingi,dum dormit,audire ea,atque videre,quę cum vigilabat, versabat in animo, quæque optabat, atque cupiebat.Itaque omnia ista dormiẽtem ipsam secum egisse, ac loquutam fuisse affirmant, aut certè quæ per quietem egisset,atque vidisset ea nunc commemorari:pulchrèque quadrare,vt quæ superiùs inducebatur,se ipsa excrucians, quod suo sponso carebat, ea postea fingatur per quietem hauriens sponsi sui redeuntis, & aduentantis imagines eiusmodi,quales fingi à desiderante,& somniante solent, non quales re ipsa contingunt. Solomonemque ipsum adeò incubuisse dicunt, animumque intendisse in morũ, atque naturæ imitationem, vt quoniam dormientibus, non eadem,quæ vigilantes obierunt,occurrunt videnda, sed similia illis, aut affinia, aut aliqua ex parte coniuncta, idcircò verba, quæ vigilanti sponsæ, & magno desiderio flagranti carminis huius initio ipse dedisset: eidem dormienti nunc, & ex desiderio somniorum visis affectæ, nõ eadem quidem illa tribueret,sed eiusmodi daret,vt ex illis videri possint deriuata, atque deducta. Quæ eo verisimilius dici mihi videntur,quia mox capite sequenti,in lectulo per noctem sponsum suum quæsiuisse,nec tamen inuenisse illum sponsa dicitur:ex quo apparet, illam cubãtem nunc, & indulgentem insomnijs induci. Adde quod ipsa totius orationis ratio, ipsaque varietas, & inconstantia dictorum speciem, atque imaginem insomnij præ se fert.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Quod enim in somniorũ visis fit, vt multarũ rerũ imagini bus multis vna coëuntib⁹, atq; cõfusis, nec temporũ, nec locorũ, nec ordinis, aut naturę vlla ratio seruetur, sed præsentibus præterita coniungãtur, & plurimũ inter se loco distãtia conferãtur in vnũ locũ: eius in hac oratione perfectissimè expressa imago extat. Est enim videre in ea sponsam tecto quidẽ suę domus inclusam, agros tamen, & nemora peragrantem: iã videntẽ sponsum suum, iam ipsum quærẽtem, eodẽq; momẽto tẽporis, & in agro illũ, & secũ vnà domi esse dicentẽ: magnaq;, & propè mirabili celeritate, fenestras, agros, nemora, cãcellos, colles in vnũ conferentem: vt quanta visorum esse solet, tanta sit orationis huius, atque sententiarum varietas. Sed iam quid dicat, audiamus. *Vox dilecti.* Ex abrupto atq; præciſè, qualis dormiẽtium, aut subito gaudio affectorum sermo esse solet. *Ecce iste venit saliens in montibus transiliens colles, similis est dilectus meus capreæ hinnuloque ceruorum.* scilicet corpore solutus animus distantia æquè, atque proxima videt. *En ipse stat post parietem nostrum.* Vt maturant amantes ad ea quorum cupiditate tenentur dicenda, atque fingenda. Quot enim & quanta camporum, atque montium spatia, quantulo temporis spatio confecit? *En ipse stat post parietem nostrum respiciens per fenestras prospiciens per cancellos.* Quod non rectà ad sponsam ingressus sponsus, sed per rimas prospectasse dicitur, id ex amantium consuetudine, atque ingenio mirificè expressum est. Nam amatores interdum obuoluto capite ad amicas adeunt, quò nec opinatò postea se ostendentes ipsas maiori lætitia afficiant: interdũ verò ægrè se illis ostendunt, & quanquã videri volunt, nolle simulãt, ludosq; sibi ipsis mutuò de se præbẽt, pertentantq; sæpè & explorãt ijs lusibus vterque alterius amorẽ erga se mutuũ: ipsum deniq; amorem conditiorẽ, vt ita dicam, & dulciorem hoc tanquam sale reddunt, ex quo est illud.

--Et

--Et se cupit ante videri.

Prospiciens per cancellos. Propriè & simpliciter vertit, quod in Hebræo positũ est translatè, & eleganter. Nam ציץ ziz, propriè de rosa, & floribus dicitur, cũ è folliculis erũpunt. Vnde per similitudinẽ transfertur ad sponsum proferentẽ caput per fenestram. Nam vt flores cũ primò erumpũt lætiores, & nitidiores nobis vidẽtur, quàm cũ foliorũ orbẽ explicauerũt: nec apparent tũc toti, sed capitulorũ acumina tantum ostendunt sic omni flore, omniq; rosa pulchrior sponsus capur fenestræ intulisse, & roseum os aperuisse sponsæ visus est. *En dilectus meus loquitur mihi.* Et hæc audire sibi sponsa videtur. *Surge, propera amica mea, speciosa mea, & veni.* Quoniam plurimũ ipse ruri versatur eodẽ ipsam vocat, hoc est, ad vnà secum commorandũ inuitat. Quanquam quod sæpè admoneo, quæ hic dicuntur facta dictaue, ea neq; Solomon ipse cũ alio, neque pastores vllî coniuges inter se egerũt, aut dixerũt vnquã: sed è quotidiana vita sumpta, psonisq; ijs attributa, quas maximè deceret ea facere, ac dicere, ad Christi, & Ecclesiæ mutuos amores significandos sunt cuncta relata, *Surge, propera amica mea.* Hortatur vt sine cunctatione aliqua agros, & rura petat: nam ea loca & languentibus salubriora esse solent, & inter se amantibus multo gratiora: & quo faciliùs illi persuadeat primò blandissimè appellat illam, deinde nouo veris aduentu ruris amœnitatem exaggerat. *Surge,* inquit, vt decubuisse illam intelligas. *Iam enim hyems transijt, imber abijt & recessit.* Ne scilicet, aut frigus, aut noxios ægro corpori ventorum flatus causari posset, *Flores apparuerunt in terra nostra.* Descriptio veris à coniunctis, siue accidentibus, vernat tellus, ergo ver est, vt in illo.

Iam veris comites quæ mare temperant
Impellunt animæ Lynthea Thraciæ.

Tempus putationis aduenit. Ex Hebræo alij, tempus cantionis,

nis, vtrumque autem & verbo Hebræo significatur, & ve re fit. Nam vere appetente, & putantur vites, & vinitores dum opus faciunt cantillant: quanquam cantus omninò cum vere maximè coniungitur: Nouo enim solis accessu auctus sanguis cor animantium complet, & lætitia insolita afficit, ex quo canendi cupido sequitur, tam in hominibus, quam in volucribus, vnde in veris descriptione ille.

Ducunt in tenero gramine pinguium
Pastores ouium carmina fistula.

Vox turturis audita est in terra nostra. Nã hyeme ineunte turtures è Palæsthina discedũt, & calidiores regiones petũt: veris autem initio reuertuntur. *Ficus protulit grossos suos.* Ficus immaturæ quæ sunt, aut quæ non facile ad maturitatem perueniunt, grossi appellantur, easque Hebræi פגים nominant. *Vineæ florentes dederunt odorem.* Hebraicè, & vites minuta vua dederunt odorem. Nam cum à flore primo apparent vuarum botri granis minutissimis odorem ex se emittunt perquam suauem. Igitur quandò omnia vernant. *Surge*, inquit, *propera amica mea, speciosa mea & veni.* In agrum scilicet, quo isto quidem anni tempore nihil esse potest amœnius. Sed pergit. *Columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ, ostende mihi faciem tuam, sonet vox tua in auribus meis.* Iam cuius rei causa ipsam vocet aptè, & verecundè explicat similitudine ducta à columbis, quæ ex omnibus volucribus maximè in ter se amant. A columbis inquam non cicuribus, sed feris quæ in rupibus nidulantur, vaganturque per agros, quo magis omnia inter se consonarent. Nam ad idem vitæ genus rusticum, videlicet, vocabat ipsam: itaque dicit. Quod autem te in agrum voco, quo non ego modo, sed valetudo tua te, aëriſque ipsa, & locorum amœnitas vocat, telluſque ipsa floribus vernans, vineæque pampinis vestitæ iam, & latè fragrantes inuitant; itaque quod te voco, ideò voco, vt quantum colum-

columbæ, quæ rupes, & rura colunt, amori vacant suo, tantum nos ab omni cura vacui indulgeamus nostro. In agrum itaque veni, & mecum vna viuito ad exemplum columbæ, quæ sociam sequuta, eique assidens, ac mutua, atque dulcia murmura, & oscula miscens, in amore ætatem degit. Innuit porrò, atque quodammodo tacitè illã docet rationẽ eã, qua se amari ab ipsa vult. Nam colũbæ vt sunt maximè inter se amantes, ita fidei obseruãtes sunt maximè, & ob id ipsum suspicioſæ sunt mirũ in modum: quod potissimum in maribus cernitur. Peregrè enim reuersi, vt compares aspiciunt, statim nescio qua mala suspicione tacti grauiter commouentur: itaque tumet illis statim pectus, & raucum quiddam, atque iræ plenum frementes, caudaque humum ictibus crebris ferientes, vt & iratum animum, & sui impotentem facilè agnoscas, illas obeunt circumcirca, ac rostro ipso interdum acriter feriunt, læsæ pudicitiæ ipsi dum aberant, & violatæ fidei, ipsi vt suspicantur pœnas repetentes ab innoxijs. Quæ illæ omnia mira mansuetudine tolerant. Nam neque ab illorum aspectu se subtrahunt: neque longiùs abscedunt: neque quamuis grauiter percussæ referiunt ipsæ illos aliquando, sed eo vsque perferunt, quo ad ipsarum patientia marium ferocia victa, animum item illi induunt placatum & mitem, & irarum ac suspicionis obliti, de integro amicitiam ineunt, rostraq; iungunt, atque oscula mirabili charitate. Quæ omnia ad spiritualia, & diuina relata magnos significatus habent, vt suo postea dicemus loco: nunc satis sit vidisse, quam aptè columbarum natura, atque ratio ad amoris transferatur significationem. Sequitur. *Capite nobis vulpes paruulas quæ demoliuntur vineas, nam vinea nostra florut.* Non satis constat vter ista dicat: & quidẽ si sponsæ sunt hæc verba, vt esse ego certè puto, quanquã videri possit alicui parũ illa cohærere cum superioribus,

tamen

Plin. lib. 10. c. 34.

tamen verè multum cohærent, & ex illis ducuntur, res ipsa si quemadmodum se habet, attentè cõsideretur. Est enim familiare fœminis quo tempore se à suis viris maximè amari vident, de eo quod ipsis vel triste aliquãdo accidit, vel periculosum in futurum imminet agere, atque queri nullo sæpè agendi idoneo argumento ipsis oblato, & planè intempestiuè. Nam ab amore ipso, & ab experta erga se virorum suorum voluntate, atque charitate ad querelas huiusmodi inducuntur, & ijs illæ querelis quodammodo testificantur, & quàm ipsæ viros suos tenerè diligant, & quã se ab eis diligi, atq; amari credãt, vtque arbitrentur, atq; confidãt, præsidio illos futuros sibi. Igitur sponso vocanti, & inuitanti, & blãdissimis verbis testificanti amorem suum ob sequuta sponsa, & in agrum egressa nihil ad blanditias sponsi respondisse dicitur, sed præter id ex fœminarũ ingenio nimis aptè dixisse. *Capite nobis Vulpes paruulas, quæ demoliuntur Vineas, nam Vinea nostra floruit.* Nam ex eo intelligitur iam esse in agro. Est enim sacræ Scripturæ, quæ antecedunt significare facta esse ex ijs quæ sequuntur. Vineas florentes vidit, ergo in agro versabatur. In quo quoniam vinea quædam illius erat, eam vt vidit, & ei florenti, ac palmites agenti à vulpibus vinearum vastatricibus periculum imminere animaduertit, rectè fingitur prætermissis alijs id vnum orasse virum suum, daret operam eas vt caperet. *Capite*, inquit, *nobis Vulpes paruulas.* Iudæam regionem abundare vulpibus ex libro Iudicum, & Samsonis facto satis liquet: illas autem vinetis pestem afferre solere, omnibus est notum, idque maximè cum paruæ sunt: nam postquam adoleuerunt, maiores prædas agũt, ideoque paruas vulpes nominauit, easque antequam vineæ florere inciperent capi voluit: Nam postquam vites folia, atque palmites protulerunt, difficiliùs capiuntur, propterea quod ijs folijs, atq; palmi-

palmitibus se se occultant. Sed pergit. *Dilectus meus mihi, & ego illi qui pascitur inter lilia.* Hæc, & verno tempore, & sub auroram agi intelliguntur. Nam aurora appetente cum ager vernans amœnissimus est sponsam hortabatur sponsus, vt lecto surgeret, ac se in agrum conferret. Cùm autem hortatus esse illam dicitur eduxisse eam vna secum in agrum intelligitur, quo ipse cum grege pergebat. Quo in loco illa aliquantulum commorata, postea vitandi calores causa (nam ægro corpore calorem Solis ferre non posset) antequam dies æstuaret, domum reuerti velle fingitur, & dum reuertitur orare sponsum, vt quãdo ipsi pastus causa domum redire ante noctem nõ licet, id saltem sibi det, vt statim atq; adueſperascere cœperit, domum properet nulla mora interposita. *Dilectus*, inquit, *meus mihi, & ego illi, qui pascitur inter lilia donec aspiret dies, & inclinentur Vmbræ, reuertere, similis esto capreæ hinnuloque ceruorum.* & quæ sequũtur. *Dilectus meus mihi, & ego illi.* Vocandi significationem ista habent, ac si dicat, heus dilecte mi, meque ipse diligens, qui pascis inter lilia. Pascere autẽ inter lilia dicit, non quod lilia sint pascua, sed quia amantes fœminæ semper in ore habent rosam, lilia, gemmas, ebur, atque ijs alia similia. *Donec aspiret dies & inclinentur Vmbræ.* Id est, vsque ad vesperum diei. Nam pomeridianum, & vespertinum tempus, his significatũ verbis arbitror, non matutinum, vt quidã putauerunt Nã occidẽte Sole, lenes auræ plurimum spirare incipiunt. vnde ille.

Aspirant auræ in noctem, nec candida cursum
Luna negat.

Itaque auræ spirant cadente Sole, & vmbræ quæ corporum obiectu fiunt, quæque dum medium cæli tenebat Sol, stabant quodammodo, produci longiùs & moueri, atque adeò festinare videntur.

Et Sol crescentes decedens duplicat Vmbras.

Vnde

Vnde quod Latinus interpres vertit, inclinẽtur: Hebraicè נסו Nasu, dicitur, id est, fugiant. Dicuntur autem fugere vmbræ, occidente Sole, id est maturare, ex proprietate sermonis Hebraici, in quo fugere pro maturare ponitur, proque ocyùs moueri: quale est illud quod hoc ipso in carmine postea dicitur. Fuge dilecte mi, id est, matura: quod etiam Græci satis expresserunt interpretes: quippè qui hunc locum isto modo conuertunt καὶ κινηθῶσιν αἱ σκιαὶ. Quanquam & in Latino sermone fuga non semel vsurpatur pro matura profectione atque cursu. Ex quo ille.

Nona fugæ melior.

Et alibi.

Virgilius Georgi 1. & 3.

Ille volat simul arua fuga, simul æquora verrens.

Significatur igitur ijs verbis, vespertinum tempus à coniunctis, idque tempus, & non matutinum significari, & res ipsa, & instituti sermonis ratio poscebat: res ipsa, Nam sub noctem à pastu domum reditur. Ex quo ille.

Ite domum saturæ venit Hesperus ite capellæ.

Ratio instituti sermonis. Nam amantem fœminam & ex amore ægram, atque decumbentem, qualis hic sponsa fingitur, se noctu relinqui solam decebat vt nollet. Rogat igitur virum suum, vt, quoniam rei familiaris, atque pecuariæ causa in agro remanet, illud saltem sibi & amanti concedat, & ægræ, ruri ne pernoctet. Itaque ait. *Reuertere, similis esto capræ hinnuloq; ceruorum super mõtes Bather.* Id est, ipsum orat, vt simul atq; Sol ad occasum vergere cœperit, reditũ ipse maturet, iterq; arripiat, arreptumque conficiat summa celeritate; quomodo hinnuli festinant, atq; etiam præuertere ventos fuga solent, super montes, quos Bather, id est, diuisionis, aut scissurę vocat: vel quod regiones mõtibus disterminantur: vel quasi dicat, super scissuras montium, id est, vt hinnuli faciunt, quando se in montium scissuras, in quibus sua habẽt cubilia referre properant.

rant. Sed expositis iam huius capitis vocibus, veros earũ sensus exquiramus.

ALTERA EXPLANATIO.

EGO *flos campi & lilium conuallium.* Hæc, vt diximus, ad superioris capitis finem referuntur, eique adiungenda sunt, & ab sponsa dici accipienda, quæ videlicet, contenta eo amoris gradu, ad quem peruenit, manere in eo velit. Nam incipientes, vti diximus, quò magis præter eorum spem atq; meritum participes sunt effecti bonitatis, atque voluptatis diuinæ, eò citiùs suæ cupiditati modum statuere volunt: nam se ad summũ peruenisse facilè sibi persuadent. Ergo quia lectulus illorum iam floret, & quia eorumdem domus electa è materia cõstructa nitet, hoc est, quia vt ipsis videtur, arefacta radice peccati, pietas in ipsis germinare cœpit, floresque proferre, id est, vt iterũ interpreter, quia se collocatos vident in ea vita, quæ non solum honesta & Deo placens, sed grata etiam sibi est, & iucunda, iucunditas vt ea perpetua sibi sit, cupiunt atque optant. *Et lectulus*, inquit, *noster floridus, & tigna domorum nostrarum cedrina, & laquearia cypressina. Et ego flos campi.* Vt nihil sit, quare non perpetuò manere mecum velis, mihique stabile & proprium efficere gaudium hoc, quod è tuo colloquio & congressu percipio. *Flos campi.* Alij flos saturitatis, aut vbertatis, quod Hispanè aptè diceretur. Flor de buẽ año. Quod ideò verè, ac rectè dicitur, quia iusti, vt iusti, & probi ac Deo grati sint, non à se ipsi habent, sed præcipuè à cæli indulgentia, hoc est, ab eo, cuius de plenitudine omnes accepimus, suntque propterea flores vbertatis, id est, ab illa vberrimorum bonorum copia, quæ in Christo est, producti flores. At quid huic Christus respondet? *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Ita laudat, vt simul admoneat incipientem Deus, nimium citò ipsum

quietem appetere, & ab honestis laboribus vacationem: multa ei restare perferenda, antequam eò perueniat, quò se iam peruenisse falsò putat. Eatenùs ipsum esse pulchrũ, & iustum, si cum spinis, id est, cum ijs hominibus comparetur, qui cupiditatum aculeis cruentantur: nondum autem eò peruenisse, vt perfectis viris connumerari possit, aut conferri. Nam residere adhuc illum in infimo bonorum ordine, nec ad eum ascendisse gradum, in quo qui sunt, non iam ex comparatione malorum pulchri habentur, sed amatis puellis omnibus, concubinisque, id est, incipientibus, & proficientibus in virtute viris anteferuntur: turpe verò illi, & pernicioſum esse cessare velle, antequam ad eum gradũ perueniat. Cui in persona incipientium sponsa. *Sicut malus inter ligna syluarum.* Christo digna, & verè illi tributa laus: sed videamus quod sequitur. *Sub vmbra illius quem desideraueram sedi.* Declarat voluptatem eam, quam ex diuino illapsu percepit. Quanquam vmbræ ratio, atque nomen tam sæpè transfertur in sacris literis ad Dei gratiam significandam, vt nobis videatur arcanum aliquid, & cognitione dignum latêre in eo. Et quidem in vmbra, quòd cum gratia, & fauore Dei habeat communionẽ aliquã, ex quo vmbræ nomen ad gratiam significandam posit transferri, vnum ferè est, quod ad arcendos æstus valet: nam, quæ illi insunt cætera, leuitas, fugacitas, lucis vacuitas, cum eo de quo loquimur, nihil affine aut cognatum habent. Sed num aliquod in nobis incendium, aliquisve ignis conceptus latet? aut in legis Dei cultu, eiusque gratia, & fauore refrigerãdi, & æstus arcendi ineſt aliqua vis? Est certè vtrumque, & in nostris sensibus ex illo primo, & noxio serpentis afflatu magnum inclusum incendium, & in diuina gratia eius restinguendi facultas summa, modo illi ne obsistamus nos, sed permittamus potiùs vt in nobis explicet vires suas. *Et fructus eius dulcis*

dulcis gutturi meo. Consentaneè, scilicet, nam vbi id euenit, vt sub gratiæ Dei vmbra anima, quiescat, malarum cupiditatum ardore restincto, aut certè magna ex parte refrigerato, tum plenè percipit quanta dulcedinis magnitudo insit in amore Dei, ex quo etiam sequitur. *Introduxit me in cellam vinariam, & ordinauit in me charitatem.* Nam hæc iam ad ecstasim pertinent. Sed cùm eius duplex genus sit, vnum diuini luminis illatione constans, in quo luce cælesti perfusa mens & magnarum quarundam, & sublimium rerum cognitionibus occupata, aciem suam ad externa hæc & sensibilia referre nõ potest: alterum quod efficitur, atque existit abundantia ex Deo percẽptæ voluptatis, dico ad hoc posterius genus, quæ hîc dicuntur, pertinere: quod satis apparet ex eo, quod additur. *Et ordinauit in me charitatem.* Et continẽter. *Fulcite me malis, stipate me floribus, quia amore langueo.* Nã ex illapsu, hoc est, ex ijs seraphicis monibus blandis, & prædulcibus, quos cũ Deo anima habuit, sensim atque paulatim auctus amor penitus exarsit, & tanquam incendio quodam corripuit omnes animi vires, & in Deum conuertit ipsum totum: ex quo factũ est, vt non iam ampliùs corpus curare vellet, sed vacare vni amori cuperet, vnumque Deum arctissimè complecti, eique omninò adhærere: vnde sequitur. *Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Quæ proculdubiò diuinis amplexibus fruentis, inque Dei sinu quiescentis, nec modò amantis Deum, sed etiam in ipso amore voluptate colliquescentis, verba sunt. Itaque istius amatricis animæ quieti prospiciens Deus continuò subiungit. *Adiuro vos filiæ Hierusalem per capreas ceruosque camporum, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.* Qui vacantis Deo animi quietem, & sanctum illud & fructuosum bonorum ocium interpellant, atque perturbant, vel molestijs inferendis, vel offensionis, atque pec-

cati cauſis afferendis, quiq́ue è delicijs paradiſi pertractos ſanctos homines in medias huius vitæ turbas conijciunt, & tanquam per vim diuellunt à diuino complexu impij, & virtutis hoſtes homines: non ſecus ipſi faciunt, quam caput ipſorum feciſſe legitur, aduerſus primos humani generis parentes. Et quemadmodum ſimiliter faciũt, ita ſimilem exitum metuere atque horrere debent. Nam deteſtatur Deus, ac peſsimè odit eos homines, qui eò vſque prauo, & corrupto animo ſunt, vt non ſolùm peccandi nullum modum ipſi faciant, ſed vt omnes in peccando ſimiles ſibi eſſe velint: quiq;, quoſcunq; honeſtæ vitæ ſectam ſequentes viderint, ad ſuũ gregem pertrahere illos & aggregare ſummo ſtudio conantur: aut ſi id minus illis ſucceſſerit pro inimicis, ſibi eos habẽdos ducũt. Etenim in eiuſmodi homines, ſiue potiùs hominum peſtes, illa Chriſti quamuis mitiſsimi, haud dubiè ſeueriſsima verba
Matt. 18. intenta ſunt. Qui ſcandalizauerit vnum ex puſillis qui in me credũt, expedit ei vt ſuſpendatur mola aſinaria ad collum eius, & demergatur in profundũ. Eademq; eſt huius adiurationis ſententia. *Adiuro vos filiæ Hieruſalẽ per capreas ceruoſque camporum.* Nã his verbis ſine dubio hortatur, atq; monet Deus homines vniuerſos, quãtum ſua cuiq; vita, atq; fortunæ charæ ſunt, tantũ vt abſtineant à tã immani facinore: nevè bonorũ ſtudia virtutũ impedire, aut debilitare audeant, aut quouis modo bonis moleſtias exhibeant: ipſi potius illos ſequantur, ad eorumque exemplum, mores ſuos, atque vitam inſtituant. Atque hoc modo, atque his verbis ecſtaſis incipientium deſcribitur, ad quam ipſi cum peruenerũt ad ſummum eius gradus peruenisſe putandi ſunt. Itaque quæ ſequuntur iam ad ſecundum, id eſt, ad proficientium gradum ſpectant: ea autem ſunt hæc. *Vox dilecti mei.* Dum corporis ſenſibus conſopitis vni Deo vacat iuſti animus ad altius virtutis,

tutis, atque amoris genus vocari ſibi videtur, & certè vocatur, vtpotè qui creditum ſibi & ad rem augendam datum talentum, humi defoſum non abſconderit, ſed ad menſam nũmularijs dederit. Itaque, quia propoſiti ſtadij prima ſpatia ritè confecit, ad ea quæ reſtabãt ſimili gnauitate obeũda ſe excitari à Deo, viſum ſibi eſſe dicit. Nã Deus ſemper eos in maius prouehit, qui, quæ ab ipſo accipiunt, dona, ritè collocant. Cupit enim pro ſua immenſa bonitate, quod quidem ad ſe attinet, ad ſummum omnes euehere. Atque quemadmodum Sol, ſine perſonarum, aut gentis aliquo diſcrimine, lucis ſuæ radios vndiquaque diffundit, neque ſuum lumen vlli mortalium inuidet, imò vltrò offert ipſe ſe atque infert, modo ei non obſiſtatur, tantumque ex eius lumine quiſque hauſit, quantam illi præbet facultatem inferendi ſe ſe, atque introeundi: ſic ex inexhauſto diuinæ bonitatis fonte manans, & ad omnes mundi partes pertinens munificentia, atque largitas Dei vltrò ſe offert nobis, atque ingerit, nullumque ſibi conſtituit benefaciendi modum, niſi quatenus ei nos vel morum prauitate, vel certè imbecillitate, & anguſtia animi aditum intercludimus, locumque admimus. Admimus autem, cùm, quæ ab ipſo accepimus bona, aut infructuoſa ea, & ſterilia manere in nobis patimur, aut peſsimè collocata in prauos vſus conuertimus: Quam ille habet maximam, atque iuſtiſsimam cauſam de noſtra cæcitate querendi, quod cum naturâ ipſe & beneficus ſit, & benefaciendi infinitè cupidus, noſtra vel ſocordia, vel auerſione animi, & tanquam obſtructione efficimus, vix vt extare in nobis poſsit beneficentiæ ſuæ munus. Quod illi tam moleſtum eſt, quàm ipſum benefacere gratum eſt, atque charum. Nam profecto quicunque largitati Dei obſiſtunt, eamque ingredi ad ſeipſos non ſinũt, ij, quod in ipſis eſt, ex Deo, cuius eſt maximè propria

munificētia,atq; largitas diuinā naturā tollūt. Quare illos odit meritò Deus,atq; auersatur,& tādē nudos,atq; spoliatos relinquit, ea auferēdo ab eis beneficia, atque dona, quæ priùs in illos cōtulerat. Nā qui bona quæ à Deo acceperūt per suam socordiā,vel inutilia reddūt,vel in suā perniciē conuertūt,satis eo ipso docēt, se esse indignos, quibus ampliùs benefiat. Itaq; hos odit Deus: cōtrà autē eos amat,atq; quotidie amplioribus beneficijs auget,quos rē cælestē quotidie,& talēta sibi ab ipso credita,diligēter augere videt: vnde est hoc. *Vox dilecti mei*. Nam,vt dixi, his Deus significatur incipientē vocasse ad altiorē gradū gratiæ,quia gratia rectè vsus est. Vocasse autem ad proficientium in amore gradum. Nec enim passus Deus est,vt vllū sibi à benefaciendo vacuū tempus præteriret: aut vt spatium aliquod intercederet, quo in spatio qui functus rectè esset suo erga ipsum officio, quiq́ue pro eo quod sibi datum esset virtutis, munus suū ritè obiuisset, in eo ipso gradu, quem premebat,diutiùs maneret, ac nō potiùs ad altiorem gradum ascenderet: atq; operæ à se egregiè nauatæ,maioris gratiæ prēmium acciperet. Quoniam enim ipsum benefacere amat: nobisq́ue benè, & ex animo cupit,vt primum vidit ampliùs benè fieri isti homini posse, statim illi benefecit: & occasionem benefaciēdi arripuit, vt primum ipsi oblata est. Ex quo aptè ipse Deus, & proinstitutæ metaphoræ ratione profectò eleganter inducitur festinās,& cōcitato cursu mōtes & colles transiliens; Sequitur enim. *Ecce iste venit saliens in montibus, & transiliens colles. Similis est dilectus meus capreæ hinnuloq́ue ceruorum.* Quod idem Dei ardens studium nobis benefaciendi, & quacūq; facultas datur sua beneficia ad animos nostros insinuandi, & ea quæ sequūtur significant. *En ipse stat post parietem nostrum respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos* Nā huius de quo agimus gradus atq; virtutis hominis animus

animus nōdū ita ab omni cupiditatū sorde purus est reditus,videre vt splēdores Dei integrè possit. Sed quēadmodū maculis variè notata, & infecta specula, qua parte sui nitent,& satis leuia atq; pura sunt, imagines obiectas clarè reddūt: qua verò maculosa, obscurāt & obtundūt: itē in isto de quo loquimur,gradu, quod anima nondum sibi,omnibusq; partibus sui metū,dolorē,gaudiū,cupiditatē,cæteroſq; affectus absterſit euenire conspicitur. Species namq; Dei,cū ipse istam animā conuenit,ac propior illi esse incipit,non tota in ipsa enitet, sed partim apparet, partim occultatur: & pro eo ad quod vidēdū anima habilis effecta est,ita sibi videtur ipsum videre: iam stantē post parietē: iā per fenestras respicientē: iā prospicientē per cācellos. Hoc est, animus huius quē dico ad proficiētes adcēdere quoad licet, & quoad patitur ratio ipsius, qui nōdum aptus est ad id, vt illustrari ex Deo totus possit, Deū videt gratiæ suæ dona sibi tribuentē atq; ostendentē. At quid quæso tribuit illi,aut ostēdit de nouo? ipsam audiamus spōsam. *En*,inquit, *dilectus meus loquitur mihi, surge propera amica mea, formosa mea & veni. Iā enim hyems trāsijt, imber abijt,& recessit. Flores apparuerūt in terra nostra, tēpus putationis aduenit. Vox turturis audita est in terra nostra. Ficus protulit grossos suos, vineæ florētes dederūt odorem. Surge propera amica mea, speciosa mea & veni.* Tribuit ergo illi vti surgat & propereret,hoc est,vt nō ampliùs in inferiori incipiētū ordine iaceat & cōmoretur: sed vt ad eū gradū ascēdat, in quo qui sunt proficiētes, id autē est, properantes ad id quod sumū est,eiq; vicini & affines dicūtur. Quē vt gradū significeret,aptissimè à verno tēpore similitudines ducit. Nā sicut verè ineunte in serenū aër purgatur,sic ad illū gradum cū peruenitur, animi libidine, atque concupiscentia, cuius ex halitu cupiditatum nubila in nobis, & fœdæ tempestates existunt, magna ex parte compressa, cælum primò

Universidad de Deusto
Biblioteca

niteſcere,& animi bonorum ſerenari quodammodo incipiunt. Tunc cæleſte illud ac diuinum ſemẽ,quod Chriſti beneficio ſatum eſt in incipientibus exerẽs ſuam vim, atque in lucem eam proferens,vberiuſq; germinans, virtutum fundit, atq; bonorum operum lætiſsimos flores. Tunc hyemis tranſactæ, & malorum quæ euaſerunt, cogitatio iuſtorum ſubiens animos, præſentis ſtatus comparatione, gaudiũ in illis excitat, & ex gaudio, Dei laudes canẽdi volũtas exoritur. Tũc maiori ſtudio quàm antea, quicquid virtuti obſtare, aut impedimento illi eſſe, vllo modo poteſt,quò minus ſua edat germina amputatur,& abiicitur. Tunc eo ſucco,quẽ à Chriſto vera vite, trahũt atq; ducũt palmites, nõ ſolùm ipſi viuũt,ſed etiã tanquã virore,& floribus,ſic rebus optimi exẽpli, oculos intuentium oblectant. Tunc vetus illud Chriſti maledictũ metuens,ficus groſſos ſedulò profert. Tũc inſolito & ante id tẽpus, non ſatis experto pacis ſenſu affecti, ſe peregrinari in hac terra iuſti ſentiunt, ardereque incipiunt deſiderio cæleſtis patriæ,ſuſpirantq́ue ad illam crebrò, ſonatq́ue in ipſorum cordibus turturea Spiritus ſancti vox gemitibus inenarrabilibus: ſed videamus quod ſequitur. *Colũba mea in foraminibus petræ & in caueꝛna macerię.* Non iam columbæ, quod attinet ad oculos,ſimilẽ,ſed columbã ſimpliciter ipſam nominat, vt intelligamus ad meliorũ numerum atque gradum amatricem hanc animam peruenisſe. Et certè ipſo colũbæ nomine ſatis oſtendit, quem ad vitæ ſtatum, quemq́ue ad amoris gradum ipſam vocet, perinde ac ſi dicat: Iam res ipſa abs te, tempuſq; poſtulat, vt amoris erga me tui maiora documẽta exhibeas, vt quẽ admodũ veris aduẽtu flantibus zephyris, quæ hyeme horrebat, tellus vernare incipit: ſic tuc, ui ego iam ſum factus proximior, meo ex ſpiritu calorẽ concipiẽs, vberiores fructus edere incipias, vt ad illas purgatorias horridiores, & aſpe-

Chryſoſt. homil. de turture.

aſperiores virtutes, quas protuliſti adhuc, addas alias nitidiores, quibus animus humanus illuſtratur magis, quæq; propriè pertinent ad hunc gradum, ad quem te voco, vt ſicut vere cælum niteſcit, ſic tua mens his ſerenetur & illuſtretur luminibus, mihique ipſa poſthac, non ſolum ſis columbæ ſimilis, quod ad oculos attinet, ſed ſis tota columba. Quod cum dicit, mirum eſt quot, & quantas res hac vna columbæ voce,& appellatione concludat. Nam primùm docet charos habere eos homines, qui ipſi colũbis ſimiles ſunt, id eſt, eos qui nõ aliud ore promunt, aliud pectore occultant, ſed ſui vbique ſimiles ſola ſimplicitate pollent. Quod enim cuique ſimile eſt, eo delectatur maximè, eſt autem Deus natura ſua maximè vnus atque ſimplex, ac omni ex parte ſibi ſimilis, ſemperq; idem. Deinde declarat cauſam propter quam in agro potiùs, quam in vrbe ſe à ſuis conueniri velit, quia, ſcilicet, eſt conſortis impatiens: quare columbas appellat eos, quò intelligant ſicut columbæ non promiſcuè coëunt, ſed vna hæret vni perpetuò, ſic ipſos (ſi tamen verum illud amoris fœdus inire cum ipſo cupiunt) deſertis vrbibus, id eſt, omnibus terrenarum rerum curis ſpretis, omnes alios amores repellere à ſe, & eradicare debere. Poſtremò ſignificat futurum aliquando, vt illorum in amando conſtantiam exploraturus, permittat ipſos aduerſis rebus premi, atque vexari: quod cùm euenerit, quemadmodum columba coniugis ſui ſuſpiciones, atque iniurias patienter, & manſuetè fert, ſciant, atque intelligant, ſibi æquè patienti animo ipſis inuſta flagella eſſe toleranda, eaque vbi paululũ pertulerint, confidant eſſe finienda, ſperentq́ue futurum, vt patienter agendo, conuerſo tandem ad clementiam Deo, ſuperiores, & multò quam à principio fuerunt lætiores & fœliciores euadant: ſed cur obſecro additur? *Oſtende mihi faciem tuam, ſonet vox tua in auribus meis, quia eloquium*

Universidad de Deusto
Biblioteca

tuum, dulce, & facies tua decora nimis. Quia profectò præcesserat: *Columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ.* Etenim tum iustitiæ pulchritudo quanta sit plenè perspicitur, tum ad Dei aures grata accedit bonorum vox, cum sedatis, atque compressis cupiditatibus, vt colũbæ desertis in locis, arduaque in rupe nidulantes, tranquilliter in amore viuunt, sic illi vni Deo adhærentes, in ipso collocatas habent omnes suas cogitationes & spes. Sequitur. *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas: nam vinea nostra floruit.* Quod Paulus præcepit dicens: Cum timore, & tremore salutem vestram operamini. Eius præceptis, hoc loco, vt opinor, ab Spiritu sancto explicatur. Nã ista noti humani amoris imagine Spiritus sanctus, non tam explicat quid ipsi iusti interdum faciant (nam illi naturæ ipsius fragilitate interdum victi deficiunt, atque prolabuntur interdum, ipsique charitati, quæ in illis est, non semper permittunt, vt vires suas in ipsis proferat, eo ordine, atque via, quibus proferre apta est) itaque non tam explicat Spiritus sanctus, quid illi interdũ faciant, quã quid illis sit faciendũ docet: nec quo ipsi ament modo, sed quæ ipsa sit cælestis amoris vis, ei nisi obstiterimus, declarat. Atqui illud in primis solet placere Deo, vt ij quorũ in animis sua collocauit dona submissè de se ipsi, & humiliter sentientes eis non abutantur ad superbiã, sed omnes peccati, atque offensionũ causas summa sollicitudine vitent: & quò plura dona cõfert in illos, eò maiorẽ modestiam, & cautionẽ requirit ab ijsdem. Nam simul cũ ipsis gratiæ donis sensum Christianę humilitatis semper infundit. Humilitatem porrò, quæ propriæ infirmitatis consideratione cõstat, sequitur decidendi à gratia Dei, & offensionis, atque iræ diuinæ metus. Deus igitur cùm dona sua in nobis auget, simul subijcit nobis cogitationes humiles, admonetque nos infirmitatis nostræ, ex quo cadendi ab eo

Chrysost. in psalm. 96.

Psellus & tres patres in cã tica.

Ad Philip. 2.

statu metus oritur, & ex metu sollicitudo atq; cautio Ergo quoniã vocationis gratia ea, qua nõ quidẽ impij ad iustitiã, sed iusti iam & in pietate probati ad altius iustitiæ genus vocãtur, quæ & ipsa Dei donũ est magnũ, atque optabile, explicata est proximè superiore oratione, idcircò nũc aggreditur dicere, quem effectum in nobis illa habitura sit, quidve effectura, eius si impulsum sequamur. Est autem eius, vt diximus, in primis subijcere mentẽ Deo, admonereq; hominem propriæ infirmitatis, reddereque in amore vigilantem & cautũ. Eam itaque circunspectionẽ, eam cautionem, atque metum, & ex metu opis imploranda studium, nos vt in sponsa doceret, simul atq; ab sponso vocata est, sic illã Solomon respondentẽ induxit. *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas: nã vinea nostra floruit.* Nam hæc profectò oratio non se efferentis de sponsi erga ipsam amore est, sed ita ipsum amantis, atque ei fidẽ tis, vt suæ infirmitatis satis sibi conscia interdum timeat, ac sibi suisque bonis sollicitè metuat. Quid autem quæso metuit? vastationem & direptionẽ vineæ suæ, hoc est, boni sibi omnium charissimi amissionem. Sed à quibus metuit? à paruis vulpibus. Quæ porrò vulpes istæ sunt, aut quæ huic voci vis subiecta est? Aduertamus animum, obsecro, vt quod sæpè iam admoneo, quantus huius carminis textus sit, quamque illius omnia in hos, quos distinximus, amoris gradus aptè conferantur, liquidò perspiciamus. Humani generis inexorabilis hostis, quãuis nos oppugnare nunquã desistit, tamẽ non semper nos oppugnat eodẽ modo. Nam quoties aperto marte, & palàm indicto & professo bello parùm proficit, arte atque dolis agit, idque varijs rationibus tentat, pro re ipsa dolosè agendi atque fallendi subiens diuersas formas. Impugnat autem apertè illos, quos cum priùs peccatorũ vinculis constrictos, sibique ob eam causam in seruitutem addictos

tenuisset, exuere peccati vincula ipsos postea, & se in libertatem vindicare velle videt: hos enim summa vi retinere nititur. Itaque accurrit statim in ipso conuersionis illorum principio, manusque illis iniicit, & reluctantibus faces admouet, & præteritarum voluptatũ obiectis imaginibus, aciem animi illorum perstringens, ad non ita pridem deserta flagitia eos apertè vocat, omniq́ue ratione illis instat acerbus, atque molestus. Verùm vbi euenit vt illi superato hoc priore certamine in virtutis studio, atq; cultu proficiant, eiq́ue ita assuescant, vt peccati tetra, & fœda species, ipsis, qualis est, ita appareat, vtq́ue eam asperneantur, & horreant morte ipsa peius: tunc ille, non iam palam & apertè, sed insidiosè, & per cuniculos quosdam ad certamẽ aggreditur. Itaque illis non iam suadet vt peccent, neque vt redeant ad flagitiosam, quam dereliquerunt vitam, sed parua quædam, & minuta, & honesti specie interdum tecta, quæque & difficulter dignosci qualia sint, & facillimè admitti possint, ipsis obijcit, vt vbi eatanquam parum in vtramque partem referentia ad animum suum illi, & ad voluntatem admiserint eorum studij intentio paulatim remittatur, paruisque in rebus sæpiùs cedendo habiles efficiantur, ad id vt aliquando tandem superentur. Atque quemadmodum ipse Sathanas cum apertum bellum hominibus infert propter cædis studium, & sanguinis humani sitim appellatur leo, sicut scriptum à Petro est, quia aduersarius vester diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret: sic cũ ad alias nocendi artes insidiosas, & plenas fraudis se conuertit ex ipsa re & fallendi studio vulpes iure dicitur, eaq́ue parua vulpes, non quia parum noceat (demolitur enim vineas florẽtes iam, & vberes fructus promittentes, & speratum, & propè adeptum perfectæ virtutis bonum nobis eripit è manibus) sed quia recti specie de-

1. *Petri.* 5.

cipiens,

cipiens, & in peccata leuia, ac vix eo nomine digna, bonos, sed non bene cautos viros inducens eos in exitium, tandem præcipitat. Et sicut vulpes carpendis vitium folijs, palmitibusque decerpendis, quæ ipsa ad cætera, quæ sunt in vite relata minima sunt, eo pestem & interitum viti affert (nam neque educari vuæ possunt, neque maturescere vite folijs nudata, ipsaque tandem vitis, quippè quæ cortice morsu vulpium scisso iniurijs cæli pateat, amittit eam omnem vim qua viget, atque viuit) sic ille dum astu agens bonos nudat ijs rebus quæ virtuti educandæ pro foliis esse solent, dumque ipsos imprudẽtes leuioribus peccatis implicat, viam sibi munit ad inferendum maiora dãna, vulpesque imitatur, tum arte aggrediendi fallaci atq; subdola, tum ratione ipsa paruis è malis mala grauia efficiendi. Quas vulpes vt capiat, hoc est, vt procul arceat Deus, illi in persona sponsæ iusti petunt, quorum iam vineæ floruerunt, quique iam eò se profecisse vident, vt nõ solùm prauas actiones fugiant, & quales sunt, tales eas esse iudicent, tetro, & horribili aspectu, sed vt excellentium operum flores magna vberioris prouentus spe edere incipiant. Petunt autem ab ipsa vocationis gratia, suæ fragilitatis admoniti, & ad petendum inducti: petuntque id omnium primùm, quoniam eodem gratiæ dono ipsos docẽte, intelligunt in eo amoris gradu ad quem vocantur, & quem tenere iam incipiunt, sibi maximè metuendas esse istas vulpes, has videlicet, sub specie boni latẽtes fraudes, hos in leuioribus rebus crebriores lapsus, hunc Angelum lucis mentitum, & amica specie pestem celãtem, tetrum, & infestum, & quo occultiorem, eo nocentiorem hostẽ. Et quoniam malũ hoc duplici ratione Deus repellit, vnà facultatem adimendo vulpi huic adeundi ad hominem, & fraudulenter ipsum pertẽtandi, & ad malum illiciendi, quod est vulpes capere, atq; vincire, id est seueriſsimis imperijs

Universidad de Deusto
Biblioteca

perijs ne quid moliãtur,aut noceãt conſtrictas tenere:altera inferẽdo animis bonorũ lumẽ, atque robur, quibus & inſidias ſuæ vitæ fieri intelligere poſsint,& detectis dolis inſidiatorẽ repellere. Hæc igitur cũ ita ſint, inſti tamen illud præcipuè,atq; maximè à Deo petũt,vulpes has vt capiat,& vinculis coërceat. Eſt enim optabile certaminũ,ac periculorũ expertẽ in amore Dei vitã degere. Deinde ſi eueniat(quẽadmodũ euenire neceſſe eſt) vt pugnandum illis ſit,id ſummopere orãt Deũ,vt antequã illis occidat is lætitiæ,& tranquillitatis dies quo fruũtur, vt primũ ſpirare grauior aliqua ventorũ vis,& malorũ tanquã vmbrę au geri cœperint,id eſt, vt ſtatim,in ipſo pugnæ initio,& certaminis conflictu,antequã titubatũ quidquã ſit,præſto illis,& ſalutaris adſit. Hanc enim vim habet quod ſequitur. *Dilectus meus mihi,& ego illi,qui paſcitur inter lilia,donec aſpiret dies & inclinentur vmbræ,reuertere dilecte mi,ſimilis eſto capreæ hinnuloq; ceruorum ſuper montes Bethel*,Ideſt. Dilecte mi qui paſcis inter lilia ad vſque veſperum diei, finito die, aduentanteque nocte feſtinatò reuertere, quomodo capreæ atque hinnuli à paſtu domum properant. Eſt enim ab eadem illa humili cognitione ſui, ab eodemque illo in peccatum decidendi timore, quo boni ſollicitantur profecta vox, qua blandè à Deo, & pro iure mutuæ charitatis amicè poſtulant,vt inclinato iam ad occaſum die, & irruentibus periculorum, tentationumque tenebris ſibi auxilietur nulla mora interpoſita. *Similis*,inquit,*eſto capreæ,hinnuloque ceruorum* Quod ſine metaphora propriè & literatè Dauid dicebat: Domine ad adiuuandum me feſtina, & rurſus: Domine accelera vt eruas me. Quodque nõ ſolùm cauſa incitandi Deum, & vt auxilium ferre maturet efficiendi, ab ſponſa dicitur, ſed etiam quo nos admoneat,vt in ipſo ſtatim prauæ cogitationis initio, vt primũ mala libido ſubire animũ cœpit,ad primos hoſtis aſpectus,

ctus, imò verò ad primos rumores, atque ſuſpiciones belli,antequam ob negligentiam turbarum in nobis, atque tumultus aliquid oriatur, attollamus ad cælum oculos,& ad Deum cor noſtrum penitùs conuertamus, illud que cum lachrymis iterantes. *Reuertere dilecte mi,ſimilis eſto capreæ,hinnuloque ceruorum*. ſalutem illi noſtram ardentiſsimè commendamus,& vt acceleret,atque feſtinet nos, vt liberet non à malo ſolùm,ſed etiam à ſuſpicione mali ab ipſo petamus.

TERTIA EXPLANATIO.

EGO *flos campi & lilium conuallium*. Hæc vt ſupra diximus à ſuperioribus pendẽt, & cum illis coniungi debent: quaſi ſponſa dicat. Et tu vſq; eò pulcher es ſponſe mi,vt à te & lectulus floreat,& domus egregijs ornetur operibus,& ipſa ſim, flos campi,etenim tu es lilium cõuallium. Quibus verbis omnia ſua bona ſponſo accepta refert,& eũdem eo ipſo ad ſecum vna manendum inuitat, quo ſuum ipſe beneficiũ tueatur & amplificet. Nam ſicut qui domum aliquam ſuo ſumptu magnificè ædificauit, & ædificatam ornauit rebus omnibus, libenter in ea moratur,ſic Deus in ijs quos ipſe ædificat, atque ornat,libẽtiſsimè habitat, itaq; id Eccleſia cum ſciret, omnia quæ ab eo accepit eidem ornamenta explicat,ſub aſpectumque ponit lectuli flores, domus magnificentiam, ſuam ipſius pulchritudinem, ea vt ratione, magis ſe illius in amorem inſinuet, *Ego inquit flos campi,& lilium conuallium*, Hebraicè ad verbum. Ego roſa ſaronitis, ideſt,quæ prouenit, in planitie agri ſaronis. ſaronia autem planities à Cæſarea ad Ioppem vſque pertinet,vt ſcribit Hieronymus,ſed quod vertimus roſam,& Hebraicè,vt ſupradiximus,eſt Habazeleth, quãuis de eo, vtrum liliũ,an roſa ſit, Hebræorum doctores diſſentiant,

tamen

Universidad de Deusto
Biblioteca

tamen quin colore nigro flos sit, de eo dubitat nemo. Quod & vocabulum ipsum, quod à nigrore, & vmbra ducitur præfert. Porrò ex omnibus herbis vna Circea apud Dioscoridem nigrum educit florē cum qua nonnulli qui de re herbaria scripserunt, Catanancem confundunt, Catanancem autem ad amatoria philtra multum valere dicitur, ex quo coniecturam facio Habazeleth, Circeam esse, Catanancemvè, aut certè Circeæ, Catanancis vè florem, cui nigro, & ad conciliandum amorem valde efficaci, iure similis sponsa dicitur quæ supradicta est nigra esse & formosa. Sequitur, *sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Hæc sponsus. Quibus non modo probat, quod ipsa sibi tribuebat sponsa cum se florem nominabat, sed etiam id auget, & amplificat, dicens, vsque eò verum esse eam esse rosam, vt reliquæ omnes fœminæ collatæ cū ipsa videantur spinæ. Nec male hoc interprētātur, qui hęc omnia ad Ecclesiam referunt, & his tribus rebus, flore cāpi, lilio conualliū, lilio inter spinas consito, tres Ecclesiæ fideliū ordines, in quos tota diuiditur, significatos esse dicunt: incipientiū ordinē quem vocant, & proficientiū, & perfectorū. Ita vt flos campi Ecclesia propter incipientes dicatur, quorū est vita laxior: lilium cōualliū propter proficientes, quorum vt est minor numerus, ita est magis angustus locus: lilium inter spinas propter perfectos, cū quibus collati reliqui sunt spinæ. Sed & illa de qua agimus Ecclesia in AEgypto constituta propriè lilium inter spinas dici posit ob triplicē causam. Vna quia viuebat in medio nationis prauæ. erant enim superstitiosi AEgyptij supra omnes mortales. Altera quia cruentabatur ab ipsis, hoc est, de eorū consortio aliquid superstitionis trahebat; Tertia quia ipsam illi opprimebant, seruitute durissima, vt in Exod. scribitur. Sequitur, *sicut malus inter ligna siluarū, sic dilectus meus inter filios*, laudat vicissim spōsum ipsa & vberiùs quam

quā ab ipso laudata fuerat laudat ipsum. In quo videre licet, vt paulatim illa Ecclesia in cognitione Christi proficiat. Nam paulo ante fasciculo myrrhæ similem dixerat, hoc est, similem arbori, odoratæ quidem, sed minimè pomiferę: nunc autem confert ipsum cum malo arbore, quę & poma gignit, & eius generis poma, quæ non solum suauem odorem spirēt, sed etiam gustata delectent, & in metaphora mali persistens, subiungit. *Sub vmbra illius, quem desideraueră sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Nā quia suaue est in æstu sub vmbra mali sedere, & eius poma carpere, eisque vesci, ideò illa Ecclesia aduersarū rerum æstu laborans, nam vt dixi, illam AEgyptij grauiter opprimebār, dicit se optasse quiescere sub vmbra Christi, hoc est, ab illo malorum æstu se Christi auxilio, & protectione, defendi vehementer optasse. Nam omne præsidium in malis in vno Christo constitutum esse, id Ecclesiæ semper notum fuit. Quod autem dicit, sub illius vmbra sedisse se, & eius comedisse poma, eaque ipsi suauissima visa esse, In eo, aut desiderij sui omnem rationem explicat, aut rē prout gesta fuit narrat. Si desiderium illud, *sed & fructus eius dulcis gutturi meo*, pro eo habendum est, ac si diceret, desideraui sedere & eius pomis vesci, quę esurscio esse dulcissima, hoc est, cōcupiui, me vt à malis, quibus valde premebar, liberaret ille, ac me suæ consolationis fructu reficeret. Nam id certe constat desideratum ab illa esse & flagitatum vehementer. Itaque clamor eius vsque ad cælum pertinuit, vt in Exodo dicitur: sin autem rem vt est gesta commemorat, dicendum est, hac verborum translatione significare sponsam velle id diuinæ protectionis, atque consolationis genus, quo illam protexit, atque consolatus est Ecclesiam illo tempore Deus. Nam quam certum est in omni ætate Ecclesiæ Deum ab ipsa fuisse cultum charitate atque fide, tam certum esse debet, Chri- *Exo. 1. 2. 7*

stum in omni Ecclesiæ tempore, & in omni eius calamitate auxilium tulisse ipsi, eamque in rebus aduersis non subleuasse solum, sed etiam cælestis dulcedinis pastu sustentasse, non quidem eodem semper modo, sed aliàs parcius, aliàs vberius, pro eo quãtum Ecclesiæ ętas poscebat. Itaque ad Christum confugit ipsa semper, apud quem se habere scit, tutum, atque paratum perfugium, ipseque eã eam admittit semper atque recipit, ita benignè, atque blãdè, vt malorum oblita suorum, in ipsius sinu, atque indulgentia quiescat. Cuius confugij atque consolationis testes sunt istæ voces, Desideraui, sedi, poma dulcissima carpsi, tum eæ quæ sequuntur. Nam sequitur. *Introduxit me in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem: fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Læua eius sub capite meo, & dextera eius amplexabitur me. Adiuro vos filiæ Hierusalem per capreas ceruosque camporum ne suscitetis neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.* Nam his verborum figuris nihil aliud declarat, quam se pro eo quod optabat, & indigebat, nõ solum defensam à Deo fuisse, sed etiam indulgenter, & amanter habitam. Nam pro inductæ personæ ratione, quasi si esset puella quædam, ita se fingit Ecclesia, cum ad colloquium ab eo quẽ deamabat, admissa esset, certissimis cognouisse documentis, quantum amaretur ab ipso, & ex eo tanto fuisse perfusam gaudio, vt præ eo animi sui compos non esset, itaque inter sponsi manus cum laberetur, sustentasse eam illum ne corrueret, & amplexu cinxisse, ac fulsisse sinu, quietẽ vt ibi ageret. Adfuit enim Deus illi Ecclesiæ laboranti, & propè ruenti, nec eã penitus opprimi malorum pondere siuit, sed sustentauit ipsam, & quam eius res curæ ipsi essent è rubo Mosen docuit, & per Mosen eam postea certiorem fecit: per quem etiam AEgyptijs seuerè præcepit ei molesti vllo modo ne essent, aut eius profectionis ad quietis loca consilijs impedirent,

dirent, aut perturbarent. Quibus obstrepẽtibus & tumultuantibus, idest, repugnantibus, & diuinis imperijs nollentibus acquiescere, ipse suæ Ecclesiæ auxilio venit, ita præsens, vt propè videretur atque audiretur ab ipsa, ex quo sunt quæ sequũtur, *Vox dilecti mei, ecce iste venit saliens in mõtibus, & transiliens colles, similis est dilectus meus capreæ hinnuloque ceruorum. En ipse stat post parietem nostrum, respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.* Nam ex hoc loco de secunda ætate Ecclesiæ quã à Mose vsque ad Christi tẽpora extendi diximus, agitur, qua in ætate puellares excessisse annos Ecclesia fingitur, & adolescentulæ personã gerere ciã adultæ, & eleganti forma prędita. Itaque dicere, *Vox dilecti mei*, In malis enim grauissimis constitutã, & sæpiùs de eo cõquerentem ac sibi succurri à Deo anxiè petentem, aliquando tandem Deus illam Ecclesiam exaudiuit, & opẽ ipsi atque auxiliũ laturus venit, de quo in Exodo dicitur, Vidi afflictionem populi mei in AEgypto, & clamorem eius audiui, propter duritiam eorum qui præsunt operibus, & sciens dolorem eius descendi, vt liberarẽ eum de manibus AEgyptiorũ, & educam de terra illa in terrã bonam, & spaciosam. Hunc igitur Dei aduentum ad se educendam ex AEgypto Ecclesia figuratè significans dicit, *Vox dilecti mei, ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles.* Vocem enim aduẽtantis dilecti hausit illa Ecclesia quando Moses, eius Ecclesiæ pars præcipua, cum è rubo se alloquentẽ audiuit, eaq; dicentẽ sibi, quæ modo retulimus, & quando ipse Moses Dei agens legatum, cum reliquo populo ex persona Dei loquutus est isto modo, Dominus Deus patrũ vestrorum apparuit mihi, Deus Abrahã, Deus Isaac, & Deus Iacob, dicens: visitans visitaui vos, & vidi omnia quæ acciderunt vobis in AEgypto, & dixi vt educã vos de afflictione AEgypti, in terrã Cananæi. Quinũ cius quoniã gratissimus illi accidit & quodãmodo prę ter

Exod. 5.

Exod. 3.

Universidad de Deusto
Biblioteca

omnem suam spem, id vt gaudium ei exopinato obiectũ declararetur, sic loquuta fingitur, *Vox dilecti mei, ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles.* Nam hæc oratio eius videtur esse qui optata aliqua re, sibi præter spem obiecta, præ gaudio exclamat, *Ecce iste venit.* Quod autem additur, *saliens in montibus, transiliens colles.* eò additur, non solum vt significetur, è cælesti regione, hominibus vt videbatur, Deum in AEgyptum descendisse ad liberandum populum suum, quod & fecit, & se fecisse testatus est, in Exodo dicens. Descendi vt liberarem eum de manibus AEgyptiorum, sed etiam vt intelligatur, magnam ab ipso celeritatẽ adhibitam in eo esse, & numinis sui præsentia, & auxilij efficacitate, ac magnitudine. Nam ex eo postquã decreuit suam ex AEgypto Ecclesiam educere, nullã moram interposuit, sed quãuis multa essent, quæ se opponebant ei, atque obstabant, quominus suã ad optatũ exitum voluntatẽ perduceret, tamẽ breui superauit omnia, & cõculcans ea atq; proterens trãsiliuit. Nã cor Pharaonis durũ portẽtis edomuit: AEgyptios repugnantes eò adegit, Iudæos vt nõ solũ abire permitterẽt, sed etiã vt eis abeũdi authores & suasores essent. Illa enim omnia, quib⁹ Iudęorũ ex AEgypto retardabatur exitus, quæq; iter intercludebãt illis, & ad omnes eius aditus se opponebãt, mõtiũ, atq; colliũ significãtur nominib⁹. Cliuosa enim, & saxosa, mõtuosaq; loca iter impediũt: plana expeditũ, & facile reddũt. Quæ tamẽ obstacula, & itineris impedimẽta Deus studio benefaciẽdi peruicit, idq; summa celeritate perfecit, sibi instãs ipse, & alia alijs prodigia accumulans, & nouis vetera obruens, AEgyptios deniq; respirare nõ sinens, eò vsq; quoad illos cõpulit, vt Ecclesię potestatẽ abeũdi facerẽt. Quod vt doceat festinasse Deũ scilicet, & summã adhibuisse celeritatẽ, saliẽdi, & trãsiliẽdi, nominibus sponsa vsa est, & quo null⁹ relinqueretur dubitãdi locus, adiecit, *simulis est*

Exod. 3.

est dilectus meus capreæ hinnuloque ceruorum. Quæ pernicitate pedum animalia præstãt, Quod autem adiunxit. *En ipse stat post parietem nostrum respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos.* Quod eius esse solet qui, & se ab alijs videri cupit & vt se occultasse velle ijdem arbitrentur studet: quique per lusum nunc videndi sui copiam facit, nũc è cõspectu se velociter subtrahit, in eo Ecclesia declarat, auxilij sibi diuinitus oblati ad excedendum ex AEgypto, quasdam tanquam mutationes atque vices, quibus efficiebatur vt inter metũ, & spem quodammodo fluctuaret, & alternis mœroris atque lætitiæ motibus agitaretur: iãque sibi videretur præsens Dei auxiliũ cernere, iam versis in contrariũ rebus disparuisse crederet, ac se vana spe ludi putaret, animumque prope desponderet, Nam quando primum Moses mãdata Dei exposuit Hebræis, lux quædam bonæ spei ipsis oriri visa est, at mox vbi Pharao Moysi indigna tus præcepit, vt Hebræorũ operis paleæ nõ darẽtur, idest, vt grauius ipsis imponeretur onus, disparuit è Hebræorũ oculis illa libertatis illata lux, seq; illi in grauiorẽ incidisse seruitutẽ sunt arbitrati, itaque adeuntes ad Moysen dixerunt ei. Videat Dominus & iudicet quoniã fœtere fecistis odorẽ nostrum corã Pharaone & seruis eius & præbuistis eis gladiũ vt occiderẽt nos. Rursus quando idẽ Moses ire rũ ad eos pertulit illa eadẽ diuina mãdata, & quò illis persuaderet ea varijs rationibus cõfirmauit; iterũ quodãmodo apparuit Deus illis, ac se vidẽdũ exhibuit, at cum ea refutarunt Hebræi propter angustiã cordis, vt scribitur, & opus durissimũ, idẽ illis occultatus est, & tanquã euolauit è ipsorũ conspectu. Idẽque licebit cernere in ijs plagis quibus AEgyptios Deus afficiebat, eorũ vt animos ad bene agendũ cum suo populo flecteret. Nam illi quãdocũque eos malũ atque plaga premebat, Hebræis vt abirent copiã faciebãt: itaque Hebræi tunc in spem libertatis veniebãt,

Exod. 5.
Exodi. 6.
Exodi. 6.

Universidad de Deusto
Biblioteca

at ijdē malo mitigato ſententiā mutabāt, ac Hebræos grauiùs opprimebant. Ergo lætitiæ illa, & ſpei ſuborta dies, ſtatim extenuabatur & euaneſcebat. Sed alternātibus gaudio, atq; mœrore, deſperatione & ſpe, ad extremū mœror atq; deſperatio conceſsit, obtinuitq; lætitia, & libertas, ac Deus ludos facere deſinēs, in conſpectū illorū venit in nube, in igne, in nebula, deniq; in omni re apertiſsima ſigna edens ſuæ tutellæ, ac præſentiæ. Quare recte ſubiungitur. *Dilectus meus loquitur mihi, ſurge, propera amica mea, colūba mea formoſa mea, & veni, iam enim hyems tranſijt, imber abijt, & receſsit, flores apparuerūt in terra noſtra, tempus putationis aduenit, vox turturis audita eſt in terra noſtra, ficus protulit groſſos ſuos, vineæ florentes dederunt odorē, ſurge amica mea ſpecioſa mea & veni.* Nam imminēte iam profectionis ex AEgypto tēpore eaque inſtante die, qua cōſtituerat Deus AEgyptiorū natu maioribus filijs, cunctis vna nocte interfectis à ſeruitute Eccleſiā eximere, illi mandauit per Moyſen vt nouo ſacrificandi ritu Phaſe immolato, & argenti facti, auriq; ac veſtis quod eſſet mutuo ab AEgyptijs rogato, vaſis collectis ad iter ineundū vniuerſi parati eſſent, futurū enim eos vt AEgyptij, arripere iter cogerent, Quod vt mādatū Dei, & lætitiæ plenā, & ad iter agendū excitantem adhortantemque vocem Solomon ſignificaret, perſonę, quam inducit, decoro ſeruiens hæc ei aptiſsime dedit verba. *En dilectus meus loquitur mihi, ſurge, propera amica mea, columba mea, formoſa mea, & veni.* Surge, inquit. Quia dura ſeruitute oppreſſa iacebat, Nam qui in mœrore ſunt conſtituti, & rebus anguſtis vrgentur, iacere, in ſacris dicūtur literis, ex eorum, qui mœrēt, habitu loquendi ratione ducta. Mœrentes enim, aut incurui incedunt, aut ſe omnino in terram abijciunt, *Propera*. Quia feſtinanter egreſſa eſt AEgyptijs ipſam vrgentibus, nec morari ſinentibus, cuius rei ſignificandæ cauſa & Hebræi feſtinanter immolarunt

Exod. 11.

rūt paſcha, ſuccincti, & baculis innixi, & tanquā ad iter intenti, *Iam enim hyems tranſijt, imber abijt & receſsit*, ſeruitutē quā in AEgypto ſeruiebat figurate hyemem nominat, quod hyeme cuncta rigeant, ventorū violentiſsimis flatibus agitentur, pluuia fœdata madeant. Et in metaphora perſiſtens, libertatem à ſeruitute veris appellationibus atque deſcriptione ſignificat, quod ſicut ſeruituti ſuccedit, libertas, ſic ineunte vere ex horrore atque rigore hyemis, aëris, atque terræ, tota exhilaratur ſpecies. Et quoniā eius libertatis tēpus inſtabat, hyeme, ideſt, ſeruitute finita, ideo flores germinare, & apparere incipere dicit, hoc eſt libertatis aduētare ver. quod deſcribit elegātiſsimè à cōiūctis, & cōſequentibus, vti ſupra docuimus, vt intelligamus eā libertatē, ad quam hic Eccleſia vocatur, fuiſſe perfectā ex omni parte. Itaque in clauſula ad orationis rediēs caput, ſubiūgit *ſurge amica mea ſpecioſa mea, & veni*, ideſt, quādo iā omnia mutationē in meli⁹ promittūt, cūctari noli, age, ſurge, ac AEgypto deſerta in agrū exi, liberoq; cælo frui incipe. Et quoniā per deſerta eremi vaſtiſsimæ loca iter factu ra erat, quę ad loca illā adducebat Deus, vt antequā ad auitas penetraret ſedes dediſceret paulatim eos mores, quos ex cōſuetudine, quę ei fuit cū AEgyptijs cōtraxit: & in eremo ab omniū gētiū cōſortijs ſeparata & ex Deo tota pēdēs, & diuini in ſe amoris, atq; benignitatis maxima documēta cognoſcēs, eū ex animo diligere diſceret, eiq; vni ſideret, ideo ad ea ſignificāda loca, atq; rē, aptè ſubiūxit, *Colūba mea in foraminibus Petræ, in cauerna macerię oſtēde mihi faciē tuā, ſonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis, & facies tua decora*. Nā quo oſtēdat ſe ad deſerta, & hominib⁹ vacua loca Eccleſiā velle perducere, ſimilitudinē, ducit nō à domeſticis & cicurib⁹ colūbis, ſed à feris, atq; ijs quæ inter ſaxa, & in petrarū cauernis nidulātur, quib⁹ è cauernis ſe vt videndā & alloquēdā ipſi prębeat obnixè ab illa petit, q̄ co-

lumbę cum innido ſuo cubant pulchriores videantur; ità
que hac ſimilitudine ſimul & locum notat ad quē ipſam
vocat, & declarat quid ab ipſa exigat. Vocat enim, ad ea
loca in quibus columbæ feræ verſantur, ideſt, ad deſerta
& inculta loca: exigit autem, id cuius efficiendi gratia in
deſertum locum educebat ipſam, vt imitetur columbas,
id eſt, vt ſe ardētiſsimo amore amet; ſunt enim amatrices
colūbę, vtq; quomodo illæ in nido collocatę ſuo, cū cōpa
ribus colūbis dulcia & oſcula & murmura miſcent: eodē
ipſa modo, ad deſerta illa loca profecta à cæteris expedita
curis, & in ſe vnum tota mente conuerſa, cū ipſo cōferat
omnia ſua conſilia, omneſque ſermones. Sequitur, *Capite
nobis vulpes paruulas quæ demoliuntur vineas, nam vinea noſtra
floruit*, Proximè ſuperioribus verbis exactæ hyemis & ve
ris, appetentis allegoria illi Deus denunciabat Eccleſiæ
fore vt breui AEgyptiaca ſeruītute finita plenam conſe-
queretur libertatem, quod ijs reſpondet, quæ, vti ſupradi
ximus, Moſes ad Hebręos Dei iuſſu detuliſſe fertur in Exo
do, Deum velle vt parati ad profectionem eſſent, nam fo- *Exod. 12.*
re vt decima quarta eius menſis die nocte concubia pri-
mogenitis AEgyptiorum filijs horæ momento ſubita &
acerba nece deletis, tanto malo reliqui AEgyptij perter
riti, ipſos non ſolum excedere è ſuis locis paterentur, ſed
etiā orarent vt excederēt. Atqui conſentaneū rationi eſt,
his auditis illā Eccleſiā in maximā libertatis ſpem erectā
illius noctis aduentum & AEgyptiorum in ea edendam
cædem, qua in cæde eorum erat libertas ſita, ſummis
optaſſe votis, nec optaſſe modo, ſed, vt in deſiderio om-
nia quæ obſtare aliquo modo poſſunt, timeri ſolent, ve-
ritam, ne Deus aut ſententiā mutaret, aut in aliud tempus
differret, etiā oraſſe ipſum, vt in ſententia maneret, & AE-
gyptiorū cædē maturaret, ſuæ libertatis fontē futurā. Id
igitur eius deſideriū vt declararet Salomō, hæc loquētē in

ducit ipſam. *Capite nobis vulpes paruulas quæ demoliuntur vi-
neas, nam vinea noſtra floruit*, id eſt, quia vinea noſtra floruit,
hoc eſt, quia noſtra iam germinare libertas cœpit, cui ob-
ſtare atque nocere paruulæ vulpes poſſunt, hoc eſt, AEgy
ptiorum filij, quoniam è ipſorum illa videtur pendere,
cæde, vt oraculum retulit, capite illas nobis, hoc eſt, ma-
neat quæſo ratum, ac firmum quod de illorum futura cæ-
de nobis promiſſum eſt: idque quam citiſsimè ad exitum
perducatur. Et quia hæc futura eſſe illi Eccleſiæ, denuncia
ta ſunt ſexto, aut ſeptimo, ante quam agerentur die, quo
in tempore par eſt æſtuaſſe ipſam eius horæ videndæ deſi
derio, & præ deſiderio omnia ſibi lenta viſa eſſe, ac proin-
de ſtudio precandi Deum ſemper intentā, crebrò ipſum
oraſſe, vt maturaret, vt moras omnes rumperet. Ideò ad
id demonſtrādum, & hæc loquuta fingitur quæ ſequun-
tur. *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui paſcitur inter lilia donec
aſpiret dies, & inclinentur vmbræ, reuertere, ſimilis eſto capreæ
hinnuloque ceruorum ſuper montes Bether.* Quibus verbis &
Deum vocat, & ab eo pro iure mutuæ inter ipſos amici-
tiæ, & charitatis petit, vt reditum maturet, id eſt, vt præſti-
tuta ab ipſo die veniat, itaque ait, Dilecte mi, meque ipſe
diligens. (Sic enim ipſum iure vocat, quia tunc & Deus
ipſa re oſtendebat quantum ipſam amaret, & ipſa tanta
Dei erga ſe charitate perſpecta, non poterat non redama-
re ipſum) ergo, inquit, dilecte mi, meque ipſe diligens, qui
paſcis in lilijs, hoc eſt, qui in amœniſsimis verſaris locis,
donec aſpiret dies, & inclinentur vmbræ, reuertere, id eſt, redi,
nos liberaturus vt pollicitus es, vt primum illa nox no-
ſtræ libertati, & AEgyptiorum præſtituta cædi, appetere
cœperit. Nam, hortatur Deum vt redeat, ea nox cū ad-
uenerit, quia ex quo illam liberare promiſit, quoad adue-
nit ſalutis ac libertatis promiſſæ, dies abeſſe ab illa Deus
videri potuit. Hortatur autē ipſum vt fiat ſimilis capreæ

hinnuloque ceruorum, id est, vt nihil anteponat suæ saluti, vt nihil ipsum ab auxiliando retardet, sed citò, breui, facile, celeritate maxima, quod promisit, conficiat, quod & euenit Nam sexcenta hominum millia præter fœminas, atque seruos, quorum erat innumerabilis multitudo, intra decem & octo horarum spatium (tot enim horæ ad summū interfuerunt, à media nocte decimiquarti diei
Exod. 12. mensis primi, quando AEgyptij interfici cœpti sunt, ad
Num. 33. horam nonam in sequentis diei, quando se Hebræi in viā dederunt) tot igitur millia hominū intra tam breue tempus nouo miraculo, in vnum coacta, agmine facto, è Rameses profecta sunt, vt se Deus in eis ex AEgypto educendis sedulum, diligentem, festinantem, velocem, ceruorum atque hinnulorum instar, præstiterit.

CAP. III.

IN lectulo meo per noctem quæsiui, quem diligit anima mea, quæsiui illum, & non inueni. Surgam, & circuibo ciuitatem per vicos & plateas, quæram quem diligit anima mea, quæsiui illum, & non inueni. Inuenerunt me vigiles, qui custodiunt ciuitatem, num quem diligit anima vidistis? Paululum cum pertransissem eos, inueni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ & in cubiculum genitricis meæ. Adiuro vos filiæ Hierusalem per capreas, cerosque camporum, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam donec ipsa velit. Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij? En lectulum Solomonis sexaginta fortes ambiunt, ex fortissimis Israel. Omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi, vniuscuiusque ensis super fœmur suum, propter timores nocturnos. Ferculum fecit sibi Rex Solomon de lignis Libani. Columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum, media charitate constrauit propter filias Hierusalem.

salem. Egredimini filiæ Sion, & videte regem Solomonem in diademate, quo coronauit illum mater sua, in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.

PRIMA EXPLANATIO.

SOluta somno sponsa, atque experrecta, sponsum quicum se iacere credebat, (nam vti rogatus fuerat cum pecore è pastu domum reuertisse fingitur) quæsiuisse, atque eo non inuento è lecto exiliuisse, domoque egressa, vrbis loca omnia illum quæritando abiisse dicitur. In quo non quid re ipsa gestum sit, commemorasse intelligendus est Solomon, sed quid rei de qua agitur, natura fieri postulet accommodatè ad ipsam rem, atque aptè exposuisse censendus. Quod idem & poëtæ sæpè faciunt, vt pro suscepti argumenti ratione, quid fieri debeat, tametsi id neque factum sit, nec fieri fortasse possit, tamen commorent tanquā factum. Quod si suæ personæ id arbitrantur conuenire non posse, alias fingunt & inducunt personas ad ea quæ ex argumento dicūt, atque confingunt accommodatas. Sic igitur hoc in loco Solomō, quia videbat si primariam, & illustri loco natam fœminam induxisset loquentem, sibi aut recidenda esse ex hoc carmine, atque omittenda plura eorum, quibus amoris vis maximè exprimitur, aut longè à decoro recedēdum. Nam cui probaretur regiam fœminam intempesta nocte, hortāte amore, sine custode, sineque comitibus per vrbem circumcursasse dici? Itaque quia intellexit, aut decorum à se negligi, aut bonam huius carminis partem omitti deberi, idcircò personam sumpsit de medio, rurique eductam fœminam induxit, quò decore seruato exprimeret in ea omnō amoris vim. Quid verò hæc? *in lectulo meo per noctes*

noctes quæsiui, quem diligit anima mea, quæsiui, & non inueni. Fœminæ amantes semper illæ quidem, sed præcipuè noctu viros suos abesse ægrè ferunt, eosque requirunt, incitatæ partim ab ipso amore, cuius vis nocturno tempore silentibus alijs curis magis accenditur: partim à suspicione, & timore: suspicione, quod sibi alias præferri fœminas, seque negligi à viris suis malè suspicantur: timore quod verentur, eos in aliquo versari periculo. Est enim iniuriæ inferendæ opportunum nocturnum tempus. His igitur amoris, atque suspicionis tanquam stimulis sponsa excita, imperare sibi non potuit, vt quoad luceret, domi maneret: sed exiliuit statim, & neque tenebris deterrita, neque nocturnos casus metuens, neque sui rationem vllam habens, vnumque amorem ducem sequuta virum suũ peruestigauit. *Surgam & quæram.* Pro præteritis surrexi, & quæsiui ex proprietate Hebraici sermonis. Nam sequitur. *Quæsiui & non inueni.* Quod autem additur. *Inuenerunt me vigiles, qui custodiunt ciuitatem* Ex quotidiano more ductum est. Nam qui noctu oberrant in excubitores atq; custodes vrbis sæpè incidunt. *Num eum vidistis quem diligit anima mea?* Nam verosimile erat vidisse, qui omnes vrbis angulos scrutarentur Sed quàm hoc ex arte à Solomone confictum est Primùm non illam pudet fateri amorem suum, quia, quod est proprium amantium, non dubitabat quin omnibus æquè atque ipsi, ea res honesta, & prædicabilis videretur. Deinde quasi de re cunctis nota illos quamuis ignotos, & alienos rogat, consueto, scilicet, amantium errore ducta, qui ex suo ipsorum sensu alios æstimantes arbitrantur, neminem latêre posse, quid ipsi cupiant, atque ament, atque hæc illa. Cui custodes, quippè qui de homine ipsis ignoto rogarentur, nihil respondisse dicuntur. Ipsa tamen, quod amantem decuit, perseuerauit in quærendo. Itaque à custodibus digressa, illum tandem

tandem inuenit, inuentumque apprehendit, & domum deductum cubiculo inclusit, verita ne iterum se deseret. At quam belle, quamque elegantibus, & verbis, & numeris ista persequitur? *Inuenerunt me*, inquit, *vigiles qui custodiunt ciuitatem, num eum vidistis, quem diligit anima mea? paululum cũ pertransissem eos, inueniquẽ diligit anima mea, tenui eũ, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.* Sic enim adolescentes fœminæ loqui solẽt, sequitur. *Adiuro vos filiæ Hierusalem per capreas, ceruosque camporum ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectã donec ipsa velit.* Hæc per prolepsim. Nam priùs fuit, quod ipsam cum viro suo domum redeuntem, quidam homines admirati sunt. Itaque de eo mox: nunc autem, hoc anticipat, ac dicit. *Adiuro vos filiæ Hierusalem.* Quanquam in Latina versione perspicuum sit hæc ab sponso dici, tamen ex Hebraico textu ab vtrouis dici, possunt intelligi. Etenim ex ipsa re, vel sponsus ipse, qui ad multam noctẽ vigilasset, cubiculum ingressus somno statim correptus fingitur, vel certè ipsa sponsa, quæ illum quæritando se se labore contriuerat, eum postquam adepta, atque complexa est, in somnum incidit. Nam alterutrum horum accidisse erat verosimile. Est autem propositum Solomoni, vt ante diximus nihil eorum, quæ in re accidere solent, prætermittere: sed ita exequi vniuersa, vt hæc duorum inter se amantium imago, omnibus suis numeris absoluta cernatur: quo quanto ea fuerit absolutior, & suum exemplar propriùs referens, tanto amoris diuini rationes in ea elucentes faciliùs discamus, quarum rationum declarandarum causa omnia ista sunt comparata. Quam eandem ob causam nos, quod ante diximus, sed propter tardos quosdam sæpiùs est repetendum, non veremur curiosiùs singula inquirentes, omnes huius vulgati amoris sensus, quorum modo in hoc carmine aliquod extare ve-

stigium

Universidad de Deusto
Biblioteca

stigium conspiciatur dicere, & in lucem proferre, ad Solomonis iudicium atque propositum, nostrum ipsi iudicium, atque interpretationem accommodãtes. Ex quo eodem iudicio & naturæ imitationis studio nata sunt, quæ sequuntur. *Quæ est ista quæ ascendit de deserto, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij.* Nam verosimile erat, quæ vna cum viro suo rure domum reuerteretur. (Nam ruri inuenisse illum fingi, ex hoc loco apertè colligitur) Itaque verosimile erat, eã obuios habuisse aliquos sibi ignotos homines, qui eius admirati pulchritudinem, vel secum ipsi, vel alios rogando dicerent. *Quæ est ista quæ ascendit de deserto?* Id est, rure atque agro: nam rus Hebræis sæpè desertum appellatur. *Sicut virgula fumi.* Aut vt ex Hebræo alij, sicut columna fumi, quod non tam ad corporis proceritatem declarandam pertinet, quam ad fragrantiam odoris. Itaque odoratiorem eam esse prædicant thure, atque myrrha. Quod autem virgulam, aut columnam dicunt, ideò dicunt quia thus, atque myrrha, & id genus alij odorati pulueres cum igne supposito cremãtur, vna cum fumo qui ex ipsis exit, odorem emittunt. Fumus porrò natura sursum, atque è regione ascendens colũnæ speciem præ se fert. Sed sponsa hos reuocat ab ipsius contemplatione, atque laudibus, & ad viri sui præstantiam contemplandam, & celebrandam potiùs conuertit. Itaque dicit. *En lectulum Solomonis.* Nam hæc verba sponsæ esse, dubitandum non est, quibus illa verbis in cælum fert opes, cultum, pulchritudinem viri sui, quem non iam personatum inducit, sed suo illum, & propriè nomine notat, Solomonem ipsum appellans, eaque commemorans, quæ Solomonem habuisse constat è libris Regum. Ex quo intelligitur Solomonis personam versari in hoc carmine, non quod de se, aut vxore sua propriè hæc scripserit Solomon, neque quod suos amores

amores quamuis illustres, nam eximiæ illam adamauisse scribitur, aliquo modo studuerit exponere, sed quod sua persona, atque nomine qua in persona, & nomine diuinitùs edoctus sciebat, sustineri personam, & nomen Christi, vti voluerit ad illius erga homines immensum amorem, his imaginibus adumbrandum: igitur inquit. *En lectulum Solomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israel.* Quasi ad illos qui se admirabantur sponsa conuersa dicat eis, iniustè vos, aut certè inconsideratè facitis, quod me vnam intuentes, & admirantes viri mei mecum vna reuertentis, & multò me præstantioris penè obliti videmini, quem tamen ad contemplandum, vel ipse externus illius cultus vos conuertere debuisset. Itaque de lectuli eius maiestate primum: deinde de regij solij exquisito, & admirabili opere: postremò de ipsius regis, cùm ornatus magnificentia, tùm formæ præstantia multa commemorat. Constat porrò vel ex Christi verbis apud Matthæũ in septimo, Solomonẽ in exquisitissimo & pulcherrimo vestitu vsum fuisse. *En lectulum Solomonis sexaginta fortes ambiunt ex fortibus Israel, omnes tenentes gladium, & ad bella doctissimi, vnusquisque ensis super femur suum propter timores nocturnos.* Non est tamen hoc loco Hebraici sermonis prætermittenda proprietas, quam adnotasse, tametsi ad hanc rudem, in qua nunc insistimus, expositionem parum certè pertineat: tamen ad veram sententiam de qua mox dicturi sumus, non parum contulerit. Etenim quod vetus interpres rectè vertit. *Omnes tenentes gladios*, si verbum interpretemur è verbo, in Hebræo est, omnes capti siue apprehensi gladijs, enallage verbi passiui pro actiuo: quod quam vim habeat, suo postea loco dicemus sequitur *Ferculum fecit sibi Rex Solomon de lignis libani.* Ferculum Hieronymus pro lecticæ quodam genere posuisse intelligendus est, à gestan-

Matt. 7.

geſtando, ſcilicet, & ferendo, quòd eo illuſtriores viri, atque fœminæ geſtarentur. Nam Hebraicum אפריך Apirion, lectulus geſtatorius eſſe dicitur, quanquã de eo non ſatis inter omnes conuenit. Ergo ſiue ferculum ſella geſtatoria ſit, ſiue regalis thronus quod è lignis Libani fuiſſe dicitur, intelligi debet conſtitiſſe è cedro, quę appellatur lignum Libani, eo quod Libanotica cedrus maximè eſſet nobilis. *Columnas fecit argenteas, reclinatorium aureum.* Hebraicè רפידה Raphida, quod alij ſtratum vertunt, eoque ſignificant lecticæ veluti pauimentum. Sed certè רפידה Raphida à fulciendo & roborando ducitur: ex quo rectiùs reclinatorium, quam pauimentum vertitur: præterquam quod ipſa architecturæ ratio pauimentum, vt aureum ſit, non ſatis certè permittit. Reclinatorium porrò hîc dici puto eius ſellæ, quæ intra lecticam erat, latera atque dorſum, quæ reliqua ſede eminentiora ſunt, & quibus qui ſedent, reclinato ſæpè corpore, cubitoque innixi incumbunt. Hiſpanè, Recodadero, y reſpaldar: vnde rectè ſequitur. *Et aſcenſum purpureum.* Nam aſcēſus hoc loco eſt ea ſellæ pars, in qua flexis poplitibus ſedetur: ſic dicta à Hieronymo quod in eam qui ſedet, veluti aſcēdat. Quod ita eſſe facilè intelligitur ex Hebraico, cuius loco ponitur, verbo: nam מרכב mercab, ab inſidere, aut inequitare ductum propriè ſignificat ἐφιππιον, id eſt, equi ſellam. *Medium autem charitate conſtrauit propter filias Hieruſalem,* charitas autem eſt ipſe Solomon in ſella ſedēs. Sic enim illum appellat figuratè & amatorio more, ipſumq; amari dicit à filiabus Hieruſalem, id eſt, à Solymitanis fœminis, vel quod re ipſa amaretur, vel certè quod amari dignus eſſet, ſibique ita videretur. Quod tamen alij ferè in eandem ſententiam non ineptè verterunt, & medium tenet ipſe accenſus, ſeu combuſtus amore ob filias Hieruſalem. Eſt enim Hebraicum רצוף Razuph ad vtramque ſenten-

ſententiã ambiguum: quãquam ij amari à Solomone fœminas ſignificant: Hieronymus ipſum amari à fœminis intellexit. Credibile autem eſt vtrumque verum fuiſſe, in vero certè & κυριῶς Solomone verum vtrumque eſt: de quo tamen ſuo loco dicetur. Sed quoniam mentionem intulit Solomonis in ſolio ornatu regio ſedentis, id latiùs exequitur ad Hieroſolymitanas fœminas ſuam orationẽ conuertens, atque inquiens. *Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Solomonem cum corona, qua coronauit illum mater ſua in die deſponſationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.* Diadematis aut coronæ nomine Hebræorum loquendi conſuetudine omnis corporis cultus elegans, atque aptus ſignificari ſolet. Illud autem, in die deſponſationis, ex communi vita ductum eſt. Nam quo die quis vxorem ducit cultiùs ornatur: & ſponſos coronatos inire nuptias, in more priſcorum fuit. Ex quo illud. Prouer. I.

Hic autem cum corona candidè.
Lautè veſtitus-- Plaut. in Caſi.

Sed cur à matre ornatus dicitur? An quia matris, ideſt, Berſabeæ opera & induſtria, Dauid antequam moreretur, regni ſucceſſorẽ declarauit ipſum, cæteris eius fratribus, quamuis natu maioribus prætermiſsis? vel potiùs quia hoc ſicuti & ſuperiora omnia accommodatum eſt ad hominum morem? Nam nuptiarũ die quæcunque ad coniugum ornatum attinent, ab eorum matribus curari ſolent. Ego quidem certè ſic ſentio, nonnullos tamẽ eſſe ſcio, à quibus ipſe, quod eos & amem, & plurimi faciam diſſentire nõ poſſum, qui ab illo. *En lectulum Solomonis,* quę ſequũtur vniuerſa, nõ ab ſponſa, ſed de ſponſa dici volũt, ab ijs ſpectatoribus, qui modo eius demirati odoris fragrantiã dixerũt. *Quæ eſt iſta quæ aſcẽdit de deſerto ſicut virgula fumi.* Ipſos enim affirmant pulchritudinis eius miraculo obſtupefactos, ac vix animi cõpotes, quidquid aut ipſo-

rummet, aut vulgi iudicio pulchrum habebatur in eam cõferre: lectumque atque ferculum Solomonis, quod ad ſpeciem attinet, nominare ipſam: itaque dicere. *En lectulũ Solomonis.* Id eſt. Hæc ille lectulus, quo nihil pulchrius cenſetur: hæc planè cum illo de pulchritudine certet. Nec enim illi tantùm dignitatis addunt copia, opuſque, & excubiæ nocturnæ, quam iſtam vndiq; quà oculos, quà genas, quà os atque corpus totum conueſtiuit decor. Ferculum porrò quod ſibi Solomõ fecit inſigni artificio viſendum, vtpotè in quo, quamuis auro atque gemmis diſtincto, ars certet cum copia, num conferri queat cum huius pulchritudine fœminæ? Sed hæc hactenus. Nunc rurſus à capite ordiamur, ſiue potiùs contexamus veræ ſententiæ expoſitionem proximè ſuperiore capite interruptam.

EXPLANATIO.

Ecclę. 2. *IN lectulo meo per noctem.* Quod illis verbis, fili accedens ad ſeruitium Dei præpara animum tuum ad tentationem, ijs qui piè viuere volũt denuntiatur fore, vt Deo ſe ſe interdũm ſubtrahẽte, & malorum ad ipſos acceſſum & incurſum, quo eorum erga ſe amorem probet, non impediente, rerum aduerſarum tempeſtate, & tanquam fluctibus ſæpè agitentur: ad id ſe comparare omnes debent, non ſolùm iſ, qui incipiunt Deum colere, ſed etiã illi, qui in eius amore, aut profecerunt, aut iam plenè perfecti ſunt. Nõ enim tam comitatur vmbra corpus in luce poſitum, quam aduerſi caſus ſequuntur eos, qui ipſi pietatem ſequuntur. Et quò quis in maioribus Dei donis affectũ ſe eſſe cognoſcit cò cogitare debet, inſtare atq; impendere ſibi maius aliquod & difficilius certamen, quod obeat. Ergo quoniam vir hic iuſtus, quẽ deſcribimus, vel potiùs qui à Solomone figuratè deſcriptus illuſtratur, & in lumine collocatur à nobis, vt agnoſci facilè, atq; conueniri à cunctis poſſit: ergo

ergo quoniam hic vir iuſtus incunabula illa amoris deſeruit, & in meliore & perfectiori ſtatu locatus, amplioribus gratiæ beneficijs affectus à Deo eſt, ideò iã quod ſequitur, vt ſtrenuè agendo atque certando ſe ijs beneficijs eſſe non indignum demonſtret, inducitur in tribulationis acie conſtitutus, & tanquam ſub armis laborans. *In lectulo*, inquit, *per noctem quæſiui, quem diligit anima mea.* Nã in aduerſis eſſe intelligitur primùm ex eo quòd in nocte eſt. Nã figurato ſanctarum literarum, & arcano ſermone, aſperæ & ærumnoſæ tempora, noctis & tenebrarũ ſignificantur nominibus. Deinde quòd Deum abſentem quærit. Nam quamuis Deus in omni natura ſemper ſit, ſuiſq; ſimiliter ſemper adſit, propria & peculiari prouidendi ratione, tamen illi quemadmodum cum ipſis bene eſt, Deũ veluti excubantem in ſuam ipſorum ſalutem videre ſibi videntur, ſic rebus in contrarium conuerſis, auerſum ipſum à ſe exiſtimant, & abalienato ab ipſis animo, cuſtodire ipſos ampliùs nolle arbitrantur, aut certè quaſi arbitrentur, ita prædicant atque querũtur: quale eſt illud Daquequo auertis faciem tuam à me? Quare non eſt cur duuidis, Vſquequo Domine obliuiſceris me in finem, vſ- *Pſalm. 12*
bitemus, quin in malis dicatur eſſe is de quo dicitur, ipſum in nocte conſtitutum requirere, abſentem Deum. Præterquam quod ipſa res & bonorum vitæ ratio poſcebat, vt qui vocatus eſſet, atque ſublatus à Deo ad altiorem amoris gradum, quiq; ei vocationi obtẽperans, maioribus gratiæ bonis affectus plus viriũ, atque roboris in animo collegiſſet, ſtatim educeretur in aciem, & de eius in ſuperanda tribulatione ſtrenuitate, & in malis patientia ageretur. Imò ſi ad ea quæ hoc caput antecеſſerunt attendimus, haud obſcurè videbimus hunc ſub iſta amãtis perſona adumbratum iuſtũ virum imminere ſibi probationum, id eſt, laborum tolerandorum, & aduerſa-

rum rerum discrimen iam antea præuidisse, atque vt primùm vocari se à Deo, hoc est augeri maioribus bonis vidit sibi metuere cœpisse, atque ad mox sequutura acerba, atque tristia se comparasse. Nam profectò hoc illis verbis agebatur, *Capite nobis vulpes paruulas quæ demoliuntur vineas.* Itemque illis. *Donec aspiret dies & inclinentur vmbræ, reuertere dilecte mi.* Nam quod vulpiũ hoc est, vt diximus, inuisibilium hostium insidias metueret, quodque Deum precaretur, vt aduentantibus tenebris reditum maturaret, ex eo erat, quia ex nouis & maioribus gratiæ donis, quibus se affectum esse sentiebat, coniectura colligebat imminere sibi iam, & instare tribulationis periculum aliquod: & pro portione sibi de nouo collatæ gratiæ maiora sibi prælia futura videbat: & quò maius illi gratię lumẽ infundebatur, eò clariùs cernebat aduentantem iam tristissimis tenebris inuolutam malorum noctem, quam ducere vna cum Deo cupiebat. Itaque quæ metuisse tũc dictus est mala, in ijs nunc incidisse dicitur, cum in lectulo iacens, & tenebris circunfusus inducitur, & inter tenebras Dei opem requirens. Nec verò recusandum illi fuit, quin communem sanctis omnibus sortem subiret, seque ostentaret Deo, atque probaret tolerantia aduersorum. Cęterùm quamuis id sit commune omnibus sanctis, tamen sciendum est plurimũ interesse quo quis probetur modo atq; loco. Incipiẽtes enim, vtpotè qui amorem quidem virtutis aliquem in se habeant, firmum tamen illius vsum, atque habitum non habeant, leuiùs impelluntur, ne in ipso adolescendi initio, cum nondum satis altè radices egerunt, asperiùs accepti pondere ipso malorum obruantur: itaque hos mala ipsa suspẽsa veluti manu feriunt: in eos verò qui proficientium ordinem tenent, acriùs incursant: aduersus perfectos porrò iusto prælio, & omnibus copijs decertant. Quod ipsum ne quis

quis fingi à me putet in hoc carmine, & in hac diuinorũ amorum expositione, figuratè quidem vt cætera omnia, sed tamen accuratissimè & diligentissimè exprimitur. Nam quò intelligatur per singulos spiritualis vitæ gradus, quos esse tres diximus, bonos subire tribulationum procellas, idcircò ter inducitur mœrens, seque excruciãs sponsa, eo quod esset absens vir suus: semel, initio carminis, iterum hoc loco, tertiò infrà capite quinto. Id porrò semper accidere, quotiescunque maiori gratia donati à Deo illi ad altiorem virtutis & charitatis gradum vocantur, ita perspicuum est in hoc carmine, vt expositione nõ egeat. Nam cum primum amare sponsa cœpit, statim angi dicta est: hoc est in ipso exordio huius libri: eademque vt ad secundum amoris gradũ peruenit, hoc est, isto quo de agimus loco, iterum dolens inducitur: & rursus infrà posteaquam perfectior in amando effecta est, sollicitatur grauissimè. Nam post illa, Vox dilecti mei, aperi mihi soror mea, sponsa mea, quibus ad altissimum amoris gradũ vocatio & ascensus describitur, continuò sequitur, Pesulum hostij mei aperui, at ille declinauerat, atque transiuerat, quæsiui illum, & non inueni: vocaui, & non respondit mihi: itemque illud, Inuenerunt me custodes qui custodiunt ciuitatem, percusserunt me, & tulerunt pallium meum. Cæterùm non eadem ratione vniuersos vexari, sed esse eorũ disparia certamina leuiora amare incipientium, proficientium in amore, & perfectorum grauiora, mirum etiam est, quam aptè in hoc carmine, & quam eleganter significetur. In principio enim eius dolere dicebatur sponsa, quod se solam reliquisset suus vir, & hactenus dolere, vt domi ipsa manens, & animi sui desiderium verbis testificans, nihil prętereà molesti pateretur. At hic vbi iam maior atque perfectior persona agitur, etiam domo egressa, totam vrbem obijsse, magnumque in inquirẽdo

illum dicitur laborem suscepisse, atque eum multo maximum, postea cum perfectè amantis imaginem sustinet. Nam præter vrbis loca noctu, & maxima anxietate animi obita, in custodes vrbis cum incidisset, spoliata, & plagis aliquot acceptis, malè ab ipsis mulctata discessit: de quo cum ad id loci peruentũ fuerit, dicemus. Quod si quis à me quærat causam, quare in ipso honestæ vitæ degendæ, & in cuiusque eius vitæ gradus principio, aut certè paulò post principium viri iusti, malis tribulationum vexandi, atque torquendi tradantur. Huic ego, quamuis intelligam, interdum aliter euenire, easque bonorum tribulationes, eaque certamina in aliud tempus differri: tamen quia sæpiùs vsu venit vt statim probentur, respondeo, id propterea fieri, quia vocationes istæ omnes, & ad singulos amoris gradus ascensus, magna dulcedinis cælestis copia redũdant. Nã blanditur quodãmodo Deus illis quos ad se vocat, eosq; illectat delicijs spiritualibus magnis. Itaque cum ista vitæ sanctæ, & eius omnium partium principia plena voluptatis, & tanquam circunlita melle sint, si præterea quæ sequũtur, reliqua ex animi sententia iustis placida, & tranquilla euenirent, periculum esset, ne nimia & perpetua voluptate decepti amorem Dei, atque adeò omne virtutis officium voluptate, atque vtilitate metientes, in amando, non tam amorem ipsum, quàm quæ ex illo sunt commoda sequerentur, seque ipsi potiùs amarent, quam Deum: ex quo etiam fieret, vt ille Dei in hominibus suo amore inflammandis conatus, nõ solùm in nihilum recideret, sed vt contrarium eius, quod Deo propositum est, efficeret. Nam cum Deus in infundenda cælesti voluptate, atque dulcedine id agat, vt nos ad se ingenuè amandum inuitet, eius si voluptatis atque dulcedinis vsum nobis perpetuum daret, eo ipso quo nos ad se amandum allicit, repelleret, & errare faceret, ab eo

eo quem requirit, amore, vero scilicet, & ingenuo, & in quo Deus ipsius solùm causa diligitur. Qui error atque lapsus primo admissus, ac lætarum deinceps, ac secundarum rerum successu altus & inueteratus in animo omnem sine dubio honestæ ac beatæ vitæ rationem euerteret. Quare oportuit, vt primo quoque tempore euelleretur is error, vel potiùs vt obuiam iretur illi antequam germinare, aut omninò posset radices agere: id autem efficitur cum iusti abstrahuntur, ab illa quamuis cælesti, tamen corpus quoque imbuente voluptate, cumque in laboribus & in rebus asperis continentur: quo sic tandem diligendi Deum veram rationem addiscant, nec quidquam aliud ex Deo præter Deum quærãt. Et quemadmodum sulcis mandata, atque commissa semina, si cæli elementia statim atque terræ mandata sunt, & genitalibus auris excipiantur in herbam effusa, non temerè ad frugem perueniunt: sin autem Aquilonares venti solum durarint, nixque suprà ceciderit deorsum radices agunt, quibus firmata, ac roborata opportuno tempore vberes fruges gignunt: sic noster animus postquã diuinæ gratiæ semina intra se semel accepit, nisi molestarũ rerum, & ingratarum mole comprimatur, lætitia exultabit inani, ac extra se totus effusus, speciẽ fortasis aliquam pietatis præ se feret, virtutis tamen eius expers erit, & sibi benè ac volupe esse id vnũ amabit, seque pro Deo diliget, quo nihil potest, aut dici, aut esse peruersius. Quare necesse est, vt secundis aduersa succedant, & tristibus læta temperentur, quo eorũ alternis vicibus, quasi vtrinque æquis ponderibus libratus animus, neutramque in vitiorum partem inclinans semper contineatur in officio. At cum id euenerit, vt in rebus asperis versetur vir iustus, quo animo illum futurũ, aut quibus armis vsurum dicemus? ad quem confugiet? cuius implorabit auxiliũ? cuius sibi ad-

Universidad de Deusto
Biblioteca

uocabit opem aduersus infernas, in seque insurgentes acies tenebrarum? Bonis & iustis viris certè. (Nam scelerati atque improbi cum in mala tali vita digna incidunt, ipsi viderint quid sibi faciendum sit, aut quomodo contra mala nitēdum, si tamen illi nituntur vnquam contra, ac non potiùs ab omnibus animi bonis flagitioſè impa-rati ferri se atque agi à malis sinunt, seque ægritudinibus & desperationi conficiendos permittunt.) Bonis igitur atq; iustis viris, certè vnus Deus pro auxilio, proque perfugio, in omni eorum calamitate, atque malo est. Nam, vt primùm nox tribulationis cœpit irruere, statim suum animum ad Deum conuertunt, & toto pectore illum cogitant, ac plus aliquanto, quam antea facere erant soliti, occupantur in eo amando: eoque sunt erga ipsum animo, vt postquam omnem suam causam ei exposuerunt, postquamque spes suas in eo vno collocasse, profesi coram eodem ipso sunt, illudque addiderunt, intelligere se atque cognoscere, nec sine illius permissu illa accidisse, nec sine eiusdem iussu mutari ea in melius posse, ac denique ipsum, mitiùs vt secum agere, & irasci iam desinere velit, deprecati sant, illudque in primis affirmarunt, se id vnum maximè velle, atque cupere, suæ vt ille voluntatis atque gloriæ potissimam rationem habeat, deinceps quasi ablegata à se omni rerum suarum cura, Deoque permissa in vna legis, ac promissorum Dei meditatione acquiescant, humana despiciant, cælum mente petant: seque veluti in sinum atque complexum Dei coniiciant, atque abscondant, inibique absconsi atque delitescentes, & magno amore flagrantes, malorū morsus, aut omninò non sentiant, aut certè leniſsimè perferant. Quod si, quod nonnunquam facere Deus solet, non solùm molestari ipsos à malis, atque vexari sinat, sed ipse se quasi abalienato ab illis animo subtrahat, & influere amplius in

eorum mentes suauiter & iucundè vt solebat, nolit, eosque in media tribulationis nocte solatio destitutos relinquat, aut ita ipsis videatur relinqui se à Deo, & abijci, & pro despectis haberi, id si eueniat, minimè illi quidem, aut spem abijciunt, aut amorem suum à Deo dimouent, sed quod sponsa hoc loco fecisse scribitur, id potiùs ipsi faciunt, quęrunt in lectulo, domi perquirunt, per vrbis vias, per fora, perque compita omnia, omnibus vestigijs sequuntur, circuncursant, obuios rogant, nihil denique nō faciunt, quoad voti sui compotes effecti, id quod quærūt, inueniant: hoc est, nullis malis, nullis rebus molestis & acerbis deterrentur ab amando Deum, beneque de ipso sperando. Si domestico atque intestino malo infestantur, vnum Deum requirunt. Si publicè in illos insurgitur, in eodem Dei quærendi studio perseuerant. Si calamitati addi-tur calamitas, & alia ex alijs mala nexa sequuntur, sique luctuosas noctes excipiunt mœsti & lachrymosi dies, siue malum quo opprimuntur breue sit, & intra domesticos parietes incluſum, siue apertum potiùs, lateque patens, & in longum tempus perseuerans, omnibus quamuis fortunæ telis confosi, ad cætera stupidi, vnum illum dolorem ad sensum admittunt, & ad animum suum, quem acerbissimum capiunt, ex eo quod species illa amabilis & grata Dei, quæ in ipsorum animo elucebat antea, iam nusquam appareat. Itaque excitāt se se, & animi sui omnes latebras scrutantur, dictaque sua & facta omnia seueriſsimè examinant, omnesque vias insistunt, quibus ad Deum perue nire quis potest, instant, precantur, supplicant, fletus funxdunt, lamentantur etiam interdum, clamores edentes maximos, illaque Dauidica: Illumina vultum tuum. Cur auertis faciem tuam à me. Ne declines in ira à seruo tuo, sæpiùs iterantes perseuerant, vsque eo dum cōuerso ad pietatem & clementiam Deo, intermissus ille iucundiſsimæ con-

consuetudinis Dei eis redditur,& restituitur fructus Quo ex fructu ipsis restituto atque reddito, maiorem etiam, quam antea voluptatē capiunt. Itaque nouo quodā & vehementiori amore accensi irruūt in cōplexus Dei, illumque arcte tenent, & quā possunt intimè intra suū pectus recondunt, nec ab eo diuelli possunt vllo modo, & hoc est, quod sequitur. *Tenui illum, neque dimittam.* Id porrò vbi assequuti sunt labores & ærumnas suas, nō tanti faciunt, facilèque sibi & verè persuadent, quando iam Deus optatum illud vultus sui lumen ipsis ostendit breui futurum, vt malorum suorum tenebris penitùs discussis tranquillus ipsis oriatur, & serenus dies. Sequitur. *Quæ est ista, quæ ascendit sicut virgula fumi?* Quamuis vera virtus se ab hominibus videri, aut celebrari non velit: tamen ne si maximè cupiat, latēre eos possit, ab ipso suo splendore & pulchritudinis magnitudine prodita. Itaque vel nolens in oculos hominum incurrit, eosque ita commouet, vt qui nullam ipsi partem virtutis habent: tamen non possint illam non admirari. Sed interest, quis gradus virtutis sit. Nam incipiens virtus ꝙ plurimis, quæ è prauè assuero corpore existunt, tanquā nebulis, eius obscuratur, & inficitur lumen, haud facilè suū splendorem foris profert. At eadē vbi aliquantulum adoleuit radios emittit lucis suæ, quoque magis adoleuit, eo magis latè emicat. Itaque in hoc carmine cum de incipientum virtute & amore agebatur intra sponsi, sponsæque personas omnis sermo constitit, omnisque illa amoris tanquā actio intra domesticos parietes ab his peracta duobus spectatore caruit, & applausore. At nunc cum iam describitur proficientium virtus, cuius splendor occultari nequit: præter istorum personas, inducuntur alij, qui dum pulchritudinem sponsæ admirantur, nos doceant iustos viros, cum eo vsque profecerunt in amore Dei, vt in secundo amantium ordi-

ordine numerentur, admirationi hominibus esse incipere. Qui quidē homines cū eiusmodi iustum aliquem contendentē ad virtutis culmen pleno gradu conspiciūt, consistunt primò, atque ipsum veluti noscitantes diligentiùs inspiciūt, eoq; agnito recordātur vitæ eidē, eisdemq; quibus ipsi tenentur studijs illū non ita pridem vacasse, cupiditatibusque similibus seruijsse: itaque rei nouitate cōmoti percontantur, quo ex genere hominum, homo ille sit, qui tam subitò in nouū, & ab eo, qui erat antea diuersum hominem sit demutatus, quando, quove modo ea, in quibus studio detinebatur, inculta, & horrida loca relinquēs ad cælestis vitæ lucidas, & sublimes regiones tanto virtutū agmine circūseptus conscenderit. In quo genere illud etiā sæpissimè euenit, vt ad hæc cōsideranda, & secum reputanda homines animū magis aduertant, quoties id accidit, vt calamitosum aliquem, & graui fortuna oppressum hominem, cuius de salute iam desperauerant, præter ipsorum spem, ab omni liberatum malo, ac suæ pristinæ dignitati nec opinatò restitutum videant. Illa enim fortunæ in melius commutatio tam subita, acriùs illorū mē tes, atque animos commouens efficit, vt intelligere, & cognoscere incipiant, eius hominis res curæ Deo esse, maiusque omnino bonum aliquod latere in eo, quā quod ipsi vnquam suspicati sunt arbitrentur: quod iam illis bonum, dum ista pertractant, paulatim ex alterius animo emicare & apparere ita incipit, sibi vt videantur illud videre. Itaq; quem antea despiciebant, iam eum suspiciunt, atque venerantur, nec solùm taciti secum, sed cum alijs etiā loquē tes animi sui admirationem expromunt. Itaque dicunt, *Quis est iste, qui ascendit de deserto sicut virgula fumi?* Quis est iste, quam hic qui vagus, atque errans, perque vrbem modo cursitans, tam subitò lætus & beatus est redditus? Qui tot mala quibus opprimebatur, euasit? Qui ab inimicis

Universidad de Deusto
Biblioteca

cis circunuentus, à ſuis impiè proditus animi firmitate cũ ctos ſuperauit? Qui tot illos quibus cõſtrictus tenebatur, laqueos calumniarum exuit? Quem non carceris pædor confecit: non diuturnitas mali fregit: non cum ſumma facultate nocendi coniunctum odium peſſundedit? qui tot tela nudo corpore excipiens ſuſtinendo illa, & modeſtè agendo repulit, inque eo ipſo perſtitit, vſque eò quo ad Deus inimicorum eius omnes conatus, vniuerſaque conſilia, in nihilum redigens, effecit, vt parientiæ audacia, & innocentiæ improbitas cederet? Hiſque multa ſimilia mutuis ſermonibus conferunt. Et hoc cauſæ habuit Solomon, quare ſimul atque ſub iſta ſponſæ ſuum virũ quærentis, & magno tandem labore inuenientis imagine: bonorum virorum tribulationes, & è tribulationibus, nec opinatas liberationes inſinuauit, continuò induxerit admirantes, & percunctantes turbas: quod illa liberatio bonorum ſtatim viſa animos hominum admiratione complet. A quo eodem Solomone illud etiam magno iudicio factum eſt, vt quoniam iſta, qua de agitur, virtus proficientum, vtpotè quæ perfecta virtus non eſt, quaſi odore quodam boni exempli ſe ad homines inſinuat, nec illis adhuc contuendam exhibet honeſti aliquam abſolutam atque perfectam ſpeciem, idcircò modicè hic aut intra modum potiùs ſponſa laudaretur, commendaretúrque eatenùs, non vt forma excellere, ſed vt optimo præſtare odore diceretur. Quæ autem ſequuntur. *Adiuro vos filiæ Hieruſalem per capreas, ceruoſque camporum, ne ſuſciteris, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipſa velit.* ab vtrouis dicta accipiantur, ſimiliter interpretanda ſunt. Significant enim illam animi quietem, illamque lętitiæ beatam dulcedinẽ, quæ iuſtos iam perfunctos laboribus ſequi ſolet: qua de obteſtatione, quoniam aliàs diximus, hîc plura dicere ſupерſedebimus. Porrò quæ ab hoc loco, vſque ad finem capi-

capitis reſtant, quæ item ipſa, vel ab ſponſa dicuntur, vel vt nonnullis placet, ab ijs qui proximè inducti ſunt laudãtes, & admirantes ſponſam: nam & mihi modo hoc, modo illud probabilius videtur: hæc itaque continent illuſtrem prædicationem, & expoſitionem eius prouidẽtiæ, qua Deus res atque vitam ſuorum propriè gubernat. Nã quamuis diuinis rectionibus omnia temperentur, tamen eſt quoddam peculiare, & ſi ita loqui licet, reliquis vigilãtius & attentius curæ genus quo Deus eos qui ſe amant proſequitur, quod ad genus, illa pertinẽt, Cuſtodi me Domine vt pupillam oculi, &, Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei. Illudque Dauidis, Oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius in preces eorum. Tum Chriſti illud, Nolite timere, omnes capilli capitis veſtri numerati ſunt. Et in primis hoc, de quo agimus. *En lectulum Solomonis ſeptuaginta fortes ambiunt ex fortibus Iſrael.* Nam ſi in ijs verbis illorum adhuc perſona verſatur, qui modo ſponſam admirati dixerunt: *Quæ eſt iſta quæ aſcendit de deſerto, ſicut virgula fumi?* Valdè conſentaneè ſubiungitur. *En lectulum Solomonis.* Rectèque ex illis iſta ſequuntur, id eſt, ex ſalutis, quæ iuſtis nec opinatò reddita eſt admiratione, prouidentię Dei erga coſdem commemoratio rectè, & ordine ſequitur. Nam quotieſcumque, aut videmus ipſi, aut ab alijs audimus, aliquem præſertim bonum, & modeſtum virum à carcere, ab ignominia, ab inimicorum manu, à morbo, à captiuitate, à ſimilibus permultis, præter opinionem horrari prouidentiam Dei. Itaque iudicamus diuino nutu cũminũ liberatum, ſtatim nobis occurrit reuereri, & admicta regi, & de omnĩ illius rectione magnificè ſentimus, ſicut ſcriptũ à Dauide eſt. Lætabitur iuſtus cũ viderit vindictam, manus ſuas lauabit in ſanguine peccatoris. Et dicit homo, ſi vtique eſt fructus iuſto, vtique eſt Deus iudicans eos in terra. Sin autem ſponſæ iſta ſunt verba, id quod verius

Pſal. 16. *Zacha.* 2. *Pſal.* 33. *Matt.* 10.

Pſal. 57.

Theodoretus in cantica.

rius existimo,& de se ipsa interrogantibus, & admirantibus,hisce verbis respõdet,id profecto dicit, quod boni & iusti viri faciunt,facere certè omnes debent,cũ à malis, & tribulationibus liberantur.Nam agnoscentes à Deo se esse seruatos,ei vni liberationẽ & incolumitatem suam acceptam referunt, eiusque erga homines charitatẽ laudãt, & siue secum agant,siue cum alijs versentur,id vnũ in ore habent,id perpetuò prædicant,& quod in ipsis est,omnes homines ad huius charitatis Dei, & erga suos prouidentiæ considerationem erigunt,& inuitant:dicuntque.*En lectulum Solomonis septuaginta fortes ambiunt ex fortibus Israel omnes tenẽtes gladios,& ad bella doctissimi,vniuscuiusque gladius super fœmur suũ propter timores nocturnos.*En inquam,qua voce auditorem ipsum ab eo,de quo antea agebatur, reuocant,& ad nouæ alicuius,atque magnæ rei considerationem traducunt,tantumque nõ dicunt.Causa non est cur nobis de recuperata præter spẽ salute gratulemini, curve admiremini fortunæ commutationẽ tam subitam, quasi nobis ob eam rem aliquid laudis,aut prædicationis tribui deberi,arbitremini.*En lectulum Solomonis* Ad has inquam potiùs diuinæ prouidentiæ,atque custodiæ rationes respice,illudque considerate,quot, & quam firmis præsidijs Deus eos qui ipsi fidunt,circundet.Nam lectulus hic Solomonis qui dicitur,ipsos bonos, atque iustos significat. Illi enim quemadmodum aliàs alijs nominibus, pro eo, ad quod ex virtute sunt apti in sacris literis variè & figuratè appellantur:templumque,& sedes,& Dei currus dicuntur:sic hîc Solomonis,id est,Christi lectulus nominãtur: propterea quòd Christus in peccatoribus veluti laboret, sicut scriptum est.Seruire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborẽ in iniquitatibus tuis:in iustis verò moliter quiescat.Etenim diuina munificentia in illis intra angusta spatia concluditur , & quodammodo coarctatur, parce-

Esa. 43.

parceque Deus cum illis videtur agere, eorum ipsorum culpa prohibitus, vt videre est in illo seruo, de quo apud Matthæum in vigesimoquinto.In his autẽ sicut qui iacet in lecto corpus suũ effundit atque distendit, ita Deus bonitatis, atq; largitatis suæ diuitias latè explicat:quia vt scriptum est.Habenti dabitur,& abundabit.Ea enim est natura,atque ratio donorum Dei,vt alia ex alijs semper nascãtur:acveteribus noua succedant,& minora maioribus cumulentur,semperque beneficijs diuinis accipiendis, ijs si quemadmodum decet,vtamur,ad potiora beneficia accipienda fit gradus.Quod vel ex illo verum esse intelligitur, quod Paulus eleganter scripsit.Nam quos prædestinauit, hos & vocauit,quos vocauit,hos & iustificauit,quos iustificauit, hos & glorificauit. Deus enim quo ad se attinet, voluntatem nobis benefaciendi non intermittit,sed cum natura pronus sit ad omnem liberalitatẽ atque munificẽtiam, quamcunque sibi oblatam benefaciendi causam arripit,ipsoque benefaciendi, & liberaliter agẽdi opere gaudet,& exultat,& tanquam in lecto fusus quiescit.Vnde & Hebraicum משה mitha, quo lectus significatur, ab extendendo & dilatando deducitur. At non temerè est quod iusti,hoc potissimo loco, in quo de ipsorum recuperata salute agitur, mitha nominantur.Nam profectò quandiu illi in angustis versabantur rebus, tandiu Deus similiter videri poterat contraxisse manum suam, seque ipsum in arctum locum quodammodo inclusisse: quia pro ea qua erga suos vti solet liberalitate,nimis restrictè tunc, ac nimis etiam parcè visus est agere. Nos certè cum bonos viros ærumnis plenos,afflictos & abiectos videmus,florẽtibus interim & fœliciter agentibus inimicis illorum: tametsi non minùs benè, quam par est de Deo sentiamus,tamen minus latam, minusque laxam, & amplam sedem in nostris animis , & cogitationibus ipsi exhibemus , ea certè opi-

Matt.25.

Rom 8.

tè opinio, quã habemus de bonitate & munificentia eius, exilior in nobis efficitur, & veluti contrahitur. At cũ eos dẽ luci atque libertati Deus restituit, idque videmus ipsi, contra omnia eueniunt. Nam primum lætissima quædã, tanquam lux diuinæ bonitatis, atque iustitię nobis oritur: deinde ingens ex eo in eisdem nobis gaudium nascitur: postremò eo perfusi, atque imbuti gaudio linguas, quas ante id tempus mœror stupore mixto, cõstrictas tenebat, laxamus in laudes Dei, qui iam nobis, vt est, ita optimus, atque maximus, & effusissimè bonus, atq; liberalis esse videtur. Atq; hæc de lectulo. Porrò septuaginta illi, qui iuxta lectũ excubare dicũtur, tametsi propriè illud prouidentiæ genus significant, quod nominauimus singulare & priuatũ, quodque mirabiliter est variũ, ac multiplex, tamen verè etiam referunt Ecclesiæ prælatorum, atque sacerdotũ eos ordines, quorũ ministerijs Deus vitam, atque mores nostros gubernat, Qui primo prælati ideò fortes dicũtur, quia non solũ dominicas oues pascendi, atque ductãdi laborem perferre, sed quia vltro ipsi, & audacter in infestos Christi ouilibus lupos incursare debent, eisque se opponere pro grege Dei, neque re ipsa solùm, sed aspectu etiam, atque animi habitu timorẽ illis incutere. Nam ea vis subiecta est voci Hebręæ גבורים Guiborim pro qua fortes Latinus posuit interpres. Sunt enim Guiborim robusti, & potentes, & cùm corporis, tum animi viribus pollẽtes, belloq́; gerendo nati homines. Itaque fortes sint oportet. Nec enim tantum, & tam multiplex, tamque sollicitudinis, ac periculi plenum munus, quale est Episcoporum, & verbi Dei ministrorum administrari vllo modo rectè, atque obiri queat ab ijs, qui ipsi cupiditatibus suis cedunt, atque succumbunt, eisque vti addicta mancipia seruiũt: neque tam cæteros antecedunt honoris insignijs, quàm auaritia, atque nequitia præstant omnibus. Igitur primò

Prælati fortes irael

sint fortes. Deinde quod non temerè additur ex fortibus Israël. Nam qui ambitionis labores maximos subeunt, & regum domos frequentant, & nihil non audent, atque tolerant, quoad consequantur quod cupiunt, id est, rebus Ecclesiæ publicis præficiantur, sunt illi quidem fortes: aliter enim tanto tollendo oneri quî essent idonei? sed non ex fortibus Israël. Possunt illi omnia digna, indignaq; perferre, possunt per obstantes eadem ambientium cuneos, viã sibi labore, & assentatione quasi ferro aperire: possunt eo tẽdere, vel per medios ignes, quo ipsos peruersa honoris cupido vocat: at à virtute aduersus vitia in acie consistere, consistere dico, vel primum hostium aspectum sustinere, aut si minus militis calonis saltẽ munus obire, aut omninò militibus se numerari velle, planè non possunt, suntq; fœminis molliores. Possunt quiduis perpeti, dum taxat, dum sibi comparant aliquẽ gregem in quo se iactent, atque dominẽtur, at vbi compararunt pascere eum salutari atque cælesti pastu nõ possunt. Atqui hæc nõ est fortitudo Israël qui dum soceri sui greges pascit, & ductat, insomnes plures noctes duxisse dicitur, frigoraq́, arq; æstus maximos toleras se. Nõ est inquam fortitudo Israëlis, qui tametsi ob fraterna odia, & parentibus, & patria domo carere: nullis tamen rerum difficultatibus cesit: quique in Liæ, atque Rachelis personis rectæ actionis, atque beatæ contẽplationis absolutionem adamauit, & coluit: qui denique, ne angelo quidem in lucta concesit. Nam hoc fortitudinis genere prælatos Ecclesiæ præstare debere, Israëlis facta commemoratio significat. Verùm quemadmodum versari in acie, aut cum hoste confligere aliquis inermis non possit, tametsi & corporis & animi excellat viribus, sic isti ecclesiæ præfecti existimare debent, non sibi satis esse, quod sunt manu fortasse prompti, & parato ad dimicandum animo, nisi præter ea arma habeant ea, qui-

Universidad de Deusto
Biblioteca

bus in hoc genere belli vtẽdum eſt. Nam idcircò ſubijcitur. *Omnes accincti gladijs.* Eſt autem gladius iuxta harum literarum arcanum ſermonem verbum Dei, ſcientiaque eius, cum legitima docendi facultate coniuncta: vt conſtat ex illo Apocalypſis: vbi in Chriſti ore gladius Apoca.1. ineſſe vtraque parte acutus ſcribitur. Nam cum in ore eſſe, aut ex eo egredi dicitur, ſatis declaratur gladio ſignificari verbum, atque doctrinam Chriſti. Quo certè gladio, id eſt, rerum, atque legum diuinarum cognitione, atque ſcientia Eccleſiæ miniſtri armabuntur, ſi modo id futuri ſunt, quod ſe eſſe volunt, atque cupiunt populi Chriſtiani rectores, doctores veri, magiſtri vitæ, lumina Eccleſiæ. Nam quod nonnulli arbitrantur, & docent ad Epiſcopi munus gerendum, verbi Dei, hoc eſt, ſanctarum literarum, & Theologiæ cognitionem neceſſariam non eſſe, ſiquidem eiſdem artibus, quibus ab illis comparatur, id munus adminiſtrandum eſt, rectè arbitrantur: compararunt enim illud ambitionis peſſimis artibus: Sin autem legis, atque voluntatis Dei ratio habenda eſt, ſiquè ex ipſius muneris natura iudicium eſt faciendum in maximo profectò errore verſantur. Quod ſi illi propter animi ſui cæcitatem ad huius legis intelligentiam penetrare non poſſunt, & ad eius vim intelligendam eorum mentis acies hebeſcit, veteris illius Eccleſiæ, quæ ante mille annos fœliciſsimè floruit, ſaltim exempla reſpiciant. Ecquem enim è tanto ſanctiſsimorum Epiſcoporum, & doctorum numero nobis proferant, cuius non fuerit inſignis in hac re, de qua agimus ſcientia? niſi fortè plus videre ſe, quàm viderint diuini illi viri arbitrantur? aut niſi longo vſu edocti inuenerunt contineri in officio, ſine iſta arte populos Dei, & probos ci-
tiquos mores, ex eo potiſsimũ tẽpore in deteri labi cœpiſ-

ſe, cum diuinarum literarũ, atq; legũ imperiti homines cathedras Eccleſiæ occuparunt. Vnà enim cũ illis auaritia, vnà luxus, atque faſtus, vnà crudelitas, & immanitas, aliæq; innumeræ peſtes, in Chriſtianos mores inuectę Eccleſiã oppreſſerunt, oppreſſamque ita tenẽt, vt regreſſus ad ſalutem nullus ferè ſit reliquus; futurumque videatur, quod non parũ multi pij, & ſancti homines, non ſine cauſa, atque argumento verentur, vt quemadmodũ orientis populos, apud quos olim Chriſtiana diſciplina vigebat, tenebris erroris inuolui, illorũ offenſus peccatis Deus permiſit: ſic etiam nos, noſtris irritatus culpis abijciat, ſibiq; quærat, atque prouideat alios populos humiles, & ad ſementem gratiæ accipiendam, & ad fructum proferendũ idoneos, ad quos ſimul cum fide Ieſu Chriſti filij ſui tranſferat à nobis. ablatum cæleſte regnum, & Spiritus ſancti chariſmata. Nam & hoc ipſum, iam ante mille annos timuit Auguſtinus: imò non tam timuit, quàm præuidit futurum. Itaq; literis prodidit. Etenim Eccleſia quandiu homines erunt, tandiu, vt ſtet neceſſe eſt, ſed vt hoc neceſſe ſit, tamen non eſt neceſſe, vt in aliquo delecto, & ſibi propriè attributo populo, aut natione perpetuò permaneat. Sed vt ad inſtitutũ redeamus ſermonẽ, in hos timores, malaſq; ſpes, & in has populi Chriſtiani ruinas incidimus ruẽdi initio facto ab ijs, qui diuinarum literarũ ignari, atque rudes non ſunt veriti manũ admouere gubernaculo Eccleſiæ. Eſt enim quo omnis iuuenta proba cõſtringitur, ne ſe effundat, & coèrcetur cupiditas, veluti frenũ, timor Dei. Timeri autem Deus, quî poteſt eius legis cognitione atque ſcientia de medio ſublata? Nam de medio ipſam tolli, atque omninò extingui neceſſe eſt, ſi qui maximè illam tenere, atque alijs tradere debuiſſent, ab ijs contemnitur, & negligitur maximè. Cur enim priuati eas literas, & diſciplinas ament, quas videant ab ijs, à quibus

coli debent, non solùm ipsas despici, sed etiam professores earum negligi, & pro nihilo haberi, & interdum etiam scurrilibus iocis vexari? Sed de istorũ peruerso errore proprio, & iusto volumine aliquando fortasse dicemus, eosque infinita & rationum, & testimoniorum copia obruemus. Quamquam illi non tam ratione reuincendi essent, est enim res perspicua, & planè eiusmodi, vt nefas esse videatur eã vocare in dubium, quàm catenis vinciendi, nisi quod nobis in hac parte sunt fœliciores. Sed aduersus hos aliàs. Nec enim tanta res commode concludatur intra commentarioli huius angustias. Nunc illud maneat, quod nobis dant hæc verba Dei enarrari instituta, quos Deus Ecclesiæ suæ custodes præficit, eos non solùm fortitudinis eximio genere præstare, sed etiã gladio verbi Dei armatos esse debere: *Omnes*, inquit, *tenentes gladium*. Sed quod suprà admonuimus hîc in Hebræo verbi enallagẽ esse, ponique passiuum, vbi actiuum poni debere, res ipsa poscebat, id si qua ratione fiat, quis roget, cognitis ijs, quæ diximus, non est difficilè exponere. Nam si viri isti fortes sunt Ecclesiæ ministri, sique verbum Dei, & eius administrandi potestas est gladius, iure non ipsi tenere gladium, sed teneri potiùs ab ipso dicuntur: id namque exigit, atq; postulat illorum officium, non vt in suos vsus conuertãt potestatem, quam habent, sed vt ipsi potiùs seruiant ei, ac se ab ea duci permittant, omnesque suas, & curas, & cogitationes ad eorum, quibus præsunt salutem dirigant, atque referant. Sequitur. *Ferculum fecit sibi Rex Salomon de lignis Libani. Columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureũ, ascẽsum purpureũ media charitate cõstrauit propter filias Hierusalẽ.* Alia iterũ allegoria, idẽ, quo de agimus prouidẽtiæ diuinę erga suos peculiare genus declaratur, & exponitur: nisi quod superior, eam partẽ continet, quæ in defendẽdo, & tuẽdo versatur: hæc ad eã partẽ quę vtilitatesipsis, & bona con-

conciliat, spectat. Ibi auxiliandi ratio, hic benefaciẽdi vis, atq; largitas declaratur. Itaque quẽadmodũ ibi lectuli nomine iusti significabantur, sic isto loco significãtur ferculi, atque lecticæ nominibus. Atque sicut ob eã causam lectus dicuntur, quia effundit atq; dilatat in illis Deus, suæ prouidentiæ rationes: cũ eos ab oppressione malorũ liberans, luci atque dignitati restituit: sic cũ eosdẽ suis donis, magnos, & illustres efficit, eis pro lectica atq; ferculo, quo ipse se circungestari gaudet, vti videtur. Nam quamuis illi semper Deum gestent in mente, & in corpore, tamen quãdo vel ipsi edunt insigne aliquod facinus, vel à Deo illustri quopiam dono afficiuntur, eorũque ob eam rem virtus populo innotescit, tunc ipsum Deum ita palam circunferunt, vt à cunctis propè cerni, & adorari possit. Quocirca vniuersa illa nomina, aurum, argentum, purpura, cedrus, quibus ex rebus cõstare ferculum dicitur, eas rationes benefaciendi significant, quibus Deus, erga suos plurimis atque maximis vtitur: vel potiùs illa ipsa bona, bonorũque genera, quæ Deus tribuere solet suis, cum illis benefacit. Nam habent singula illa nomina suas, & arcanas significationes. Nam auro charitatẽ significari liquet, ex illo Apocalypsis. Suadeo tibi emere à me aurum ignitum. Argentũ verò legis, ac præceptorum diuinorum intelligẽtiã, & obseruantiam significat. Iuxta illud, Eloquia Domini argentum igne examinatũ. Purpura autem è qua summi sacerdotis vestis magna ex parte conficitur ad cultum Dei, & ad religionis virtutẽ refertur. Cedri porrò altitudo ad virtutum heroicarum exaggerationem, & ad animi cũcta terrena despicientis celsitudinem declarandã aptè transfertur. Nec verò illud est omittendum, non copia solùm, sed arte etiã præstare hoc ferculũ dici, quò intelligatur nõ solùm largum in benefaciendo, sed in ipsa ratione benefaciendi admirabilem esse Deum. Etenim quibus maximè

Apoca. 3.

Psalm. 11.

Universidad de Deusto
Biblioteca

vijs homines existimãt se ad interitum duci, ijs sæpè, Deo id ipsum prouidè disponente, ad salutem illorũ, & ad gloriam contenditur: qua de re in Iosepho, & in Dauide exẽpla illustrissima extant: alter enim postrema perferendo mala captiuitatẽ, seruitutem, carcerẽ diuturnũ ad dignitatẽ regię parẽ peruenit: alter autẽ patria fugienda, & exilio perferendo assequutus est vt in contribulibus dominaretur suis. Itaque Deus ijs quos amat omnia in bonum vertit, seq; ipsis præbet, quod est maximũ bonũ, sicut scriptũ est, Et ad illũ veniemus, & mansionẽ apud illũ faciemus. Idq; hoc loco significatur, cũ dicitur. *Media charitate cõstrauit.* Charitas enim Dei ipse est, quod Ioãnes scripsit, Qui Deus in his ferculis, id est, iustis hominibus sedẽs, cosque amãs, ac lucis suæ radijs illustrãs, ita reddit cõspicuos, vt omnia illa, argentum, aurũ, purpura, cedri, ille inquã diuinarum virtutũ chorus eximius, ex eo quod Deus illi præsidet pulcher potissimũ, & spectabilis, pretioq; & æstimatione sit dignus. Vnde rectissimè sequitur. *Egredimini filiæ Sion, & videte Regem vestrũ Salomonẽ cum diademate, quo coronauit eũ mater sua in die desponsationis suæ, & in die lætitiæ cordis eius.* Nam beneficiorũ Dei cõmemoratio ipsa, ei in memoriã reduxit, summũ illud, & maximum beneficium, & quod certè caput est reliquorũ beneficiorũ omniũ: vtpotè in quo diuinæ prouidentię erga homines excellẽtia maximè enituit, cũ homo ipse effici pro hominibus voluit. Cuius ex cõsideratione rei sponsa cum raperetur in admirationẽ, & eam animo inclusam continere nõ posset, veluti exclamans dicit. *Egredimini filiæ Sion, & videte Regem vestrũ Salomonem cũ diademate, quo coronauit illũ mater sua.* Quasi ita dicat. Quid attinet per singula, prouidẽtię Dei erga nos magnitudinem dicere, aut illius vniuersa nobis collata beneficia commemorare? Cur aut excubias nocturnas, aut regij custodes cubiculi, aut lecticæ referam artificium

Ioan. 14.

cium egregium? Quid coniecturis argumentisve probem, ab eo nos diligi, cum videam, ostendereque cunctis possim Dei filium, & vnigenitum filium, & summum etiam ipsum, & patri æqualem Deum, patre ipso volente esse factum nostri causa hominem, & infima conditione hominem? *Egredimini*, igitur, *& videte Regem Salomonem cum diademate, quo coronauit eum mater sua.* ac desinite mirari, quòd in hominibus, quasi in lecto quiescat, quòd eorum custodiæ, atque saluti tot modis prospiciat, quòd se in ipsorum, & animis, & corporibus circungestari gaudeat, quòd præsidijs defendat illos, quòd auro, argento, purpura, ebore, id est, maximarum præstantia virtutum exornet: cum ipse omnium rerum Dominus, Dominus inquam ipse, ne nos amplius mori seruiremus, carnem induere dignatus sit, & in ea seruitutem nostram seruire: & qui olim seuerus est habitus, iam & sit, & dicatur Solomon, hoc est author vnicus veræ pacis & qui ante omnia tempora, ex solo patre nascebatur, matrem iam mortalem habeat, è cuius vtero, mortali & ipse cultu ornatus prodeat, eoque ita gaudeat, atque lætetur, vt ostentare in eo se, atque iactare quodammodo videatur: nullam certè illo regiam purpuram augustiorem esse putet, nullum diadema. Itaque sequitur. *In diademate quo coronauit illum mater sua in die desponsationis suæ, & in die lætitiæ cordis eius.* Et certè desponsationis nomine apertè, & citra vllas verborum ambages assumptæ à Deo carnis sacramentum sponsa declarat: Nam, sicut literæ sacræ loquuntur, cum Deus homo factus est, inijt coniugale cum homine fœdus, nullo tempore dirimendum. Cuius fœderis inundi, & humanæ susceipiendæ carnis tempus, quod verbum sibi antè omne tempus constituit, lætitiæ ipsius propterea dicitur dies, quia si ita loquendum est

Tollit auss rerum quas Deus ergo hominem efficit admira, & Deum hominem esse facien.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Deo omnium lætiſsimus is dies illuxit, cum humana carne veſtitus, & ex homine in lucem ortus, ab hominibus viſus eſt homo. Etenim quid Deus vnquam fecit, quod aut huic operi ſimile, aliqua ratione ſit, aut cōferri cū illo aliquo modo poſsit? Alia certè omnia quæcunq; Deus operatus eſt, huius rei efficiendæ, & ad exitū perducendæ causa operatus eſt. Adde, quod in ſingulis alijs operibus, ſingulæ lucent virtutes Dei, in hoc ita apparent vniuerſæ, vt nulla re, aut magis, aut æquè illuſtrentur. Quod ſi verè regius Pſaltes ſcripſit, Lætabitur Dominus in omnibus operibus ſuis: quo gaudio, qua lætitia affici cēſendus eſt, in eo opere ſuo, quod reliqua ipſius opera, vel ſi omnia in vnū conferātur, tanto interuallo ſuperat? Nam ſi documētū aliquod quæritur, diuinæ ſapiētiæ in hoc ſumma appareat: ſi bonitatis, nullū hoc exemplo eſt exēplum illuſtrius: ſi potētiæ, ſi iuſtitiæ, ſi æquitatis, cōſilij, magnitudinis, munificentiæ, cæteratūque omnium v rtutū lumen requiritur, ijs completur hoc opus luminibus, nulla vt humana mens, niſi vi roboretur cæleſti, videre ſplendores tantos poſsit. Ac ſi nobis ea noſtra conſilia placere maximè ſoleant, quibuſcum aut nihil agere, aut aliud prorſus agere videamur, id potiſsimū efficimus, quod nobis propoſuimus efficere, ad exitum que fœlicē, & optatum noſtra inſtituta perducimus, ipſi interim vt apparet, otioſi: lætiſsimū profectò Deo accidit tantas feciſſe res, quātas nullius animi mens, & cogitatio percipiat, re, vt à mundi ſapiētibus iudicatur, omnium viliſsima, & contemptiſsima, id eſt carne, atque cruce Chriſti. Qua de re, veriſsimè Paulus ſcripſit: Quod ſtultū eſt, Dei ſapiētius eſt, quam homines, quod infirmū eſt, fortius eſt hominibus. Itaq; Deo ob iſtā cauſam, Chriſtū ipſum brachiū ſuum, & ſalutis ſuæ cornu proprietate quadam Hebraici ſermonis vocat, id eſt magnum, atque eximium ſuum robur, aut certè totius ſuæ magni-

Pſal. 103.

1. *ad Cor.* 1

Luc. 3.

magnitudinis, atque præſtantiæ clariſsimum, & propè vnicum exemplum. Quid? cùm tanto antè id futurū denuntiauit, cum toties, & tanta aſſeueratione prædixit, cū tot ad id declarandum adhibuit, & verborum & imaginum figuras, nónne ſatis declarauit, de eo ipſum ſibi vehementer placere? Sed quid attinet plura conquirere, cum extet ipſius diuini verbi, hac de re perſpicuum teſtimonium? Nā in Prouerbijs, quo loco hic ipſe Dei filius inducitur, ſua opera atque facta commemorans, cum expoſuiſſet pleraque eorum, quæ in mundi conditione ſimul cum patre operatus eſt, ad extremum ſic intulit. Et deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum. tantùm non dicens, reliqua omnia quæcumque fecit, ſibi quodammodo labori fuiſſe, hoc autem vnum, quod pro hominibus homo, & natus & mortuus eſt, gaudio, atque voluptati. Atque hæc ab ſponſa in perſona eorum iuſtorū dicta ſunt, qui cum aliquantulum iam profeciſſent in amore Dei, & rerum aduerſarum illatione tentati, atque vexati eſſent, poſteà liberati, gratias agunt Deo ob ſuam liberationem. At quæ deinceps ſequuntur, verba ſunt Dei illapſi iam arcano quodam modo, atque præſentis in eorumdem iuſtorum animis, pertinetque ad amatorios illos ſermones, quos diximus; de quibus poſtea ſuo loco dicemus.

Prouer. 8.

TERTIA EXPLANATIO.

IN lectulo meo per noctes quæſiui, quem diligit anima mea, quæſiui illum, & non inueni. Surgam, & circuibo ciuitatem per vicos & plateas, quæram quem diligit anima mea, quæſiui illum, & non inueni. Inuenerunt me vigiles, qui cuſtodiunt ciuitatem, num quem diligit anima mea vidiſtis? Paululum cum pertranſiſſem eos, inueni quem diligit anima mea. Si quæ mulier, quod hæc feciſſe fœmina fingitur,

Universidad de Deusto
Biblioteca

id re ipsa feciſſet, vt nocte intempesta, domo ſine comite egreſſa, per omnes vrbis angulos ſuũ virũ anxiè perquireret, ipſam nemo nõ diceret, amore, metu, deſiderio, ſollicitudine, deſperatione, vnà in eius animũ confluentibus, magno curarũ æſtu laborare atque confici. Quare huius perſona ad Eccleſiam tranſlata nihil aliud ſignificat, quã Eccleſiæ in graui aliquo periculo conſtitutæ, & vndíque malis circumuallatæ curam animi, & ſollicitudinem, & in Dei ope quærenda & implorãda, ſummum ab ipſa adhibitum ſtudium. Quod autem id tam graue malum fuerit, Eccleſiæ quod accidit iam, vt fingimus, ex AEgypto profectæ, & à ſeruitute in libertatem iam vindicatæ, ſi quis me roget, is ex monumẽtis rerum ab illa Eccleſia ge
Exod.14. ſtarũ, id diſcere poterit. Nam, vt in Exodo ſcribitur, cum filij Iſraël profecti ex AEgypto quartis caſtris in Phiaphiroth conſediſſent ad oram rubri maris, rex AEgypti Pharao, quòd eos abire permiſiſſet, dolens, multis millibus armatorum hominum raptim collectis, ipſos inſequutus, non procul ab illis caſtra poſuit. Quæres Hebræorum vehementer perturbauit animos, eius poſtquam per exploratores certiores facti ſunt, ex quo trepidari cœptum eſt in eorum caſtris. Nam neque armis certare, inermes contra armatos audebant, neque vllus fugæ patebat locus, quòd montes altiſsimi eorum vtrinque cingerent latera, ante vero obiectum obſtaret mare. Itaque cõſilij inopes, ac metu penè exanimati, ac de Moſe quaſi ſe prodidiſſet, certè in iniquiſsimum adduxiſſet locum grauiſsimè conqueſti, ſollicitam noctem, atque anxiã peregerunt, quoad ſub aurora apertam in mari, atque ſtratam viderũt viam, aquis partim exſiccatis, partim dimotis. Hunc igitur in grauiſsimo atque imminente periculo, cuius effugiendi nulla patebat via, timoris, trepidationis, anxietatis, ſollicitudinis querelarum, & lachrymarum, id eſt, maximorum malorum

malorum concurſum atque conuentum moleſtiſsimũ, quo illorum animi variè excruciati ſunt, hæc ſponſæ oratio perelegãter ſignificat, inquit enim, *In lectulo meo*, hoc eſt, in lætis meis rebus, in media libertatis quiete, quãdo grauem ſeruitutem exuiſſe arbitrabar, *per noctem*, id eſt, ea nocte, quæ diem eum inſequuta eſt, quando mea iuxta caſtra ſua AEgyptij caſtra poſuerunt, *quæſiui quem diligit anima mea*, id eſt, in ſummum vitæ diſcrimen incidi. Nam rem à conſequentibus demõſtrat. Conſequens enim eſt, vt Dei requirant auxilium, qui ſunt conſtituti in periculis. *Quæſiui itaque, & non inueni* Quia periculi euadendi rationem nullam inire potui. *Surgam, & circuibo ciuitatem per vicos & plateas, quæram quem diligit anima mea*, quia cum malum in horas creſceret, omnia circunſpexi, mentem per omnia circuntuli, omnia tentaui, quibus me ab eo extricare poſſe credebam, nec tamen mihi aliquid ex ſententia ſucceſsit, *inuenerunt me vigiles qui cuſtodiunt ciuitatem*, id eſt, in Moyſen & Aaronem incidi, inque reliquos mei populi principes, nec tàm incidi, quàm ipſa vltrò doloris, ac timoris plena conueni illos, atque ita rogaui, *num quem diligit anima mea vidiſtis?* num eſt aliqua ratio expediendæ ſalutis? nũ aliqua incolumitatis ſpes? Qua de re ſic in Exodo ſcribitur. Cumq; appropinquaſſet Pharao, filij Iſraël *Exod.14.* leuantes oculos viderunt AEgyptios poſt ſe, & timuerunt valdè, & clamauerunt ad Dominum, & dixerunt ad Moyſen, forſan non erant ſepulcra in AEgypto, idcò tuliſti nos, vt moreremur in ſolitudine: ſed addit, *paululum cum pertranſiſſem eos, inueni quem diligit anima mea*. Quia paulò poſt hunc cum Moyſe ſermonem habitum, Deum ſibi auxilio veniſſe propè ſenſit. Nam is ignis, qui ante eius erat caſtra conſtitutus, eis vt noctu præluceret, ſe ad extremam partem caſtrorum transferens, & inter vtraque conſiſtens caſtra AEgyptios acceſſu prohibuit; tum co-

ortus

ortus Aquilo totaque vehementer spirans nocte, Soli eius, mare quod obruebat, partem nudauit aquis, eamq; partem ex aqua molliem atque madentem desiccauit, eo vt Hebræi iter facerent firmo & non fallente vestigio. Sic enim proxime post illa quæ posuimus, scribitur, tol-
Exod 14. lensque se angelus Domini, qui præcedebat castra Israël, abijt post eos, & cum eo pariter columna nubis, priora dimittens post tergum, stetit inter castra AEgyptiorum & castra Israël; & erat nubes tenebrosa & illuminans noctē, ita vt ad se inuicem toto noctis tempore accedere nō valerent, cumque extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud Dominus flante vento vehementi, & vrente tota nocte & vertit in siccum, diuisaque est aqua, & ingressi sunt filij Israël. Hac igitur ratione quia periculum euasit, & optatam salutem adepta est, ideò inuentum à se esse dilectum dicit, quem tam cupidè atque anxiè quærebat, id est, sponsa hîc ex persona illius Ecclesiæ commemorat, expertam se esse præsens auxilium Dei, ac præterea addit, *tenui eum, nec dimittam, donec introducam eum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.* Quibus verbis figuratè significat, quanta perfusa lætitia ipsa fuerit, eum Dei tanto beneficio, se è medijs lethi faucibus ereptam ac vitæ restitutam vidit, quantaque eam rem, & quā grata recordatione sit prosequutura semper. Quod enim nobis bonum, ex postremi mali timore, nec opinato mirabili aliqua ratione accidit, id nō solùm lætius esse solet, sed hæret in animo magis, itaque toto id pectore complexi tenemus, nec elabi nobis ex animo, atque effluere patimur. Et verò illius tanti beneficij magnitudo summum excitauit in illa Ecclesia, atque accendit amorem Dei, quem penè præsentem ac pro se depugnantem aspexit. Ergo eximia ipsum charitate complexa, nunquā posteà, vt hîc dicitur, penitùs à se dimisit, id est, nunquam se-

se deinceps eius ope, atque præsidio omninò nudam ac desertam vidit. Vt enim tenere sponsum, auxilio eius vti est, sic retinere erit, eiusdem ope nunquam planè orbari, aut destitui. Nam etsi sæpiùs ille populus quandiu in desertis locis peregrinatus est, suis prauè factis indignationem Dei in se, ac iustam vltionē commouit, tamen nunquam Dei animum à se ita alienauit, quin ei oblata causa Deus benè & vellet, & faceret. Ille enim vt in Psalmo quodam scribitur, propitius fuit peccatis eorum, & non *Psalm. 78* perdidit eos, & abundauit, in auertendo iram suam, & non accendit omnem indignationem suam. Itaque paulò post in Sinà propè visus ab ipsis est, certè palàm audi-tus loqui, ex eoque deinceps tempore cum populū Deus semper fouit, & ruentem subleuauit, varijsque affecit, & innumerabilibus beneficijs per annos continuos quadraginta, nec per quadraginta solùm, sed quoad illum in optatam introduxit terram, & in eius possessionem induxit, ferocissimis, qui eam antea obtinebant, gentibus expulsis, atque deletis, ab illius tanquam latere nunquam discessit, quare inquit, *donec introducam eum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.* Et poëtico more, inuersè pro donec introducar ab eo in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ. Quia ad id vsque tempo-ris ille populus præsentissimo Dei auxilio vsus est. Sunt porrò nonnulli qui hoc in eam accipiunt sententiam, vt affirment Synagogam ijs definiri verbis, quanto tempore in vera fide atque cultu Christi, atq; Dei erat permansura, itaque dicere, se non discessuram ab illo, donec introducat ipsum in domum matris suæ, id est, donec claudat intra claustra fœminei ac materni vteri, carne indutū humana. Nam vt primùm Deus homo factus, in lucem publicam prodijt, is populus ab ipso defecit publicè: itaque ob id & regnum amisit, & religionis gloriam. Sed

hæc

hæc quãuis vera sint, ramẽ, vt mihi videtur, sunt aliena ab eo quod Solomoni propositũ est in hoc carmine dicere. Nã propositũ illi est laudes Ecclesiæ, nõ probra recẽsere, id est, virtutes celebrare bonorũ virorũ, quibus præcipuè Ecclesia cõstat, nõ autẽ flagitiosorũ & sceleratorũ hominũ, qui in ea cõtinẽtur, malefacta cõmemorare. Est enim nuptiale carmẽ hoc, id est, laudatoriũ carmẽ, & lętitiæ plenũ: quod autẽ sequitur. *Adiuro vos filiæ Hierusalẽ per capreas, ceruosque camporum, ne excitetis, neque euigilare faciatis dilectã, donec ipsa velit.* Quamuis quomodo ex Hebræo vertitur ambiguum sit, vt diximus, ab vtro dicatur, tamen id vtrouis accipiatur modo, eandẽ sententiam habet. Nã dum siue spõsus, siue sponsa comites obtestatur suos, ne alterutrum à somno inuitum excitent, id profectò euenturũ significant, quod accidit ipsa re, vt in illo tam longo, diuturnoque itinere nunquam illa Ecclesia, nisi Dei vnius iussu, iniret iter. Non enim Israëlitæ institutum continuabant iter, aut arcam Dei loco mouebant, quoad nubes ea, qua Dei operiebatur tabernaculum, se in altum sustollebat. Eam namque præcedentẽ, atque viæ flexus demonstrantem illi insequebantur, neque sequendi faciebant finem, quoadusque eam consedisse videbant. Itaque illos nemo cogebat iter facere, sed se excitabant ipsi vnius
Num. 9. Dei nutum, atque ducatum sequentes, sicut scriptum est. Die qua erectum est Dei tabernaculum, operuit illud nubes, à vespere autem super tentorium erat quasi species ignis vsq; mane, sic fiebat iugiter, per diẽ operiebat illud nubes, & per noctẽ quasi species ignis, cũq; ablata esset nubes, quę tabernaculũ protegebat, tũc proficiscebãtur filij Israël, & in loco vbi stetisset nubes, ibi castrametabantur, ad imperiũ Domini proficiscebantur, & ad imperiũ eius figebãt tabernaculũ cunctis diebus, quibus stabat nubes super tabernaculũ, manebãt eodẽ in loco, & si euenisset vt

vt multo tẽpore maneret super illud, erãt filij Israël in excubijs Domini, & nõ proficiscebantur quotquot diebus fuisset nubes super tabernaculũ. Ergo quoniã ita accidit, vt nemo auderet, aut arcã Dei loco mouere, aut ipse iter ingredi, quoad vsque ipsa signum proficiscendi dabat dimota nube: ideircò vt eam arcæ testamenti, & Dei in ea tanquã requiescentis atq; cubantis à nemine interpellatã quietẽ exprimeret, inductæ personæ decoro seruato conuenientissimè Solomon istã adiurationem effinxit, *Adiuro vos filiæ Hierusalem per capreas, ceruosque camporum, ne excitetis, nec euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.* Quod autem huic succedit adiurationi satis demonstrat nos in harum interpretatione rerum dicere, non quæ somniamus ipsi, sed quæ ex ipsa re ducimus. Nam sequitur, *Quæ est ista quæ ascendit per desertum sicut virgula fumi, ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij?* Per desertũ inquit Solomon, vt quã rem superioribus occultarit allegorijs, eam tandẽ aliquando aperiat, ac disertè literateq; doceat se de eo loqui populo, qui per Arabiæ deserta loca iter faciebat, de quo nunc populo quærentes inducit quosdã, eorũ voces atq; sermonẽ imitatus, quo significet illã Ecclesiã magnã sui admirationẽ eis mouisse gẽtibus, ad quas fama detulerat, innumerabilẽ hominũ multitudinẽ duce Mose AEgypto profectã in desertis versari locis, Deo ipsã nõ modo ab hostibus defẽdẽte suis, sed etiã mirabili ratiõe summã ipsi suppeditãte copiã eorũ omniũ, quæ ad victũ atq; cultũ necessaria erãt. Nã dubiũ non est, quin omniũ circumcirca populorũ ac gẽtium aures circumsonauerint fama atq; vocibus rerũ à Deo gestarum cũ illo populo, qui in desertis morabantur locis. Nec fieri potuit, quin ijs auditis reb⁹ illi in stuporẽ adducti, & secũ, & cũ alijs, priuatim & publicè de ea re plurimũ loquerentur, quorũ per Mimisin voces Nunc sponsa refert, cũ dicit,

Quæ

Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi? quaſi ſic diceret, circumuicinæ gentes me admiratæ ita percontabantur inter ſe. *Quæ eſt iſta gens quæ aſcendit*, id eſt, peregrinatur, aut certè propriè aſcendit? Nam loci ſitu Palæſthina altior eſt AEgypto: itaque eò qui ex AEgypto pergunt verè aſcendunt: ergo quærebant, quæ eſſet iſta gens, quæ aſcendebat per deſertum, id eſt, per Arabiæ vaſtiſsimas ſolitudines, *ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij*. Nam me ſimilem, inquit, dicebant fumo ei, quem ex ſe aromata prunis ſubiectis emittunt; quo vim odoris, id eſt, famæ atque nominis mei ad omnia pertinentis loca docerent, pro eo ac ſi dicerent, Qui nam iſti, tantum boni odoris qui ex ſe ſpirant, nullum vt aroma odoratius illis ſit? qui, de quibus, nullis antea audita ſæculis, tot ergà ipſos amoris Dei documenta nunciantur? Quibus ipſa reſpondet. *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſsimis Iſrael, omnes tenentes gladios, & ad bella doctiſsimi, vniuſcuiuſque enſis ſuper fœmur ſuum, propter timores nocturnos.* Quibus cauſam reddit, quare ſibi tantum boni ſuppetat in deſerto, quareque in media inopia, copia rerũ abundet: quaſi dicat, ſi vos meæ res admiratione obſtupefaciunt: ſique iſtius meæ fœlicitatis cognoſcere cauſam cupitis, *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſsimis Iſrael*, intuemini illum, qui verſatur mecum, quem habeo intra ambitum caſtrorum meorum, id eſt, arcam Dei & propitiatorium aureũ, Cherubinis item aureis innixum, in quo quieſcit apud me & commoratur Deus: nam is mihi omnes iſtas fœlicitates profundit. Propitiatorium enim quod gemini Cherubini aurei, ſuis conficiebant alis, & ex quo Deus certiſsima reſponſa dabat, lectulum Solomonis figuratè & aptè nominat, lectulũ, quod in eo quieſceret: Solomonis, quòd Solomonis nomen atque perſona in his literis ad Chriſtum

ſtum ſignificandum transfertur: vt in Pſalmo. 44. & in Pſalm. 72. & 2. Regum, in penultimo capite. Id autẽ propitiatorium erat intra velum, quæ interior pars tabernaculi erat: tabernaculum porrò ipſum in medio caſtrorũ locatum à fronte & à tergo, & ab vtroque latere cingebant Iſraëlitarum tentoria, id eſt, cingebant Hebræorum familię duodecim fixis tentorijs, ita vt ternæ familiæ ſingulas eius partes, quæ ad mundi relatæ plagas erant quatuor, obſiderent Et ideò addidit *Sexaginta ambiunt è fortibus Iſrael*. Quia vt dictum eſt, ſexcenta hominum bellatorum millia in ea erant Eccleſia, id eſt, myriades ſexaginta præter pueros, & fœminas, itaque ait maioris explanationis gratia. *Omnes tenẽtes gladios & ad bella promptiſsimi, vniuſcuiuſque enſis ſuper fœmur ſuum propter timores nocturnos.* Sed quoniam propitiatorij in quo cubabat, Deus mẽtionem fecit. Ideò tabernaculi, in quo id propitiatorium cõtinebatur, quodque Moyſes iuſſu Dei in deſerto fabricauit & erexit conſentaneè ſtructuram, & formam depingit figuratè vt cætera, & ſub imagine cuiuſdam lecticæ exquiſiti artificij, qua vti ſolitus erat Solomon. Nam addit. *Ferculũ fecit ſibi Rex Salomon de lignis libani, columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, aſcenſum purpureum media charitate conſtrauit.* Nam id Solomon feciſſe dicitur, quia Dei iuſſu Moyſes faciendum curauit, vt in Exodo ſcribitur. Nominaturque iure ferculum, quoniã eo quodammodo geſtabatur & circumferebatur Deus. Ita enim compactũ erat, vt facilè diſſolui poſſet, itaq; diſſoluebãt illud ſacerdotes, iter quoties faciendum erat, eiuſq; arcã humeris ſuis ipſi ſacerdotes portabant, partes autem illius reliquas portabant Leuitæ. Conſtabat autem id ex auro, argento, cedro, atque purpura, hoc eſt, ex eiſdem rebus, quas hîc ſponſa nominauit. Quod autem in huius ferculi deſcriptione dicitur, *media charitate conſtrauit*, id ex Hebræo verbum pro

Pſal. 44. Pſal. 72. 2. Reg. penult.

Exod. 25. & 26.

Universidad de Deusto
Biblioteca

verbo alij vertunt, *Medium interius constratum amore filiarum Hierusalem*, vel *in medio interiori sedens, combustus ob filias Hierusalem*, vel *combustio filiarum Hierusalem*, idque satis aptè ad ipsam rem de qua agimus: quia in interiori eius tabernaculi parte inerat arca, & propitiatorium, in quo residebat Deus, quem ardebant filij Israël, & qui amoris erga ipsos igne flagrabat. Cum quo rectè quadrat quod sequitur. *Egredimini & videte filiæ Sion regem Salomonem in diademate quo coronauit illum mater sua in die desponsationis illius, & in die lætitiæ cordis eius.* Nam gaudio elata illa Ecclesia ob id ipsum, quòd Deum propè palam in suis castris versantem, seque omnibus modis fouentem & protegentem habebat, id vt cuncti mortales videant, vehementer desiderat. Itaque vniuersos ad id inuitat spectaculum, ipsum tanquam digito demonstrans residentem in tabernaculo, quod nubes, vt suprà dictum est, in coronæ modum cingebat. Ait ergo. *Egredimini & videte.* Quoniam à suo quisque egressus tabernaculo & ad tentorij hostium stans, in Dei tabernaculum nube circunfusum, oculos atque manus tendebat, Moyses quoties in illud introi-
Exod.33. bat, sicut scriptum est. Cũ egrederetur Moyses ad tabernaculum surgebat vniuersa plebs, & stabat vnusquisque in hostio papilionis sui, aspiciebantque tergum Moysi donec ingrederetur tentorium, *Et videte regem Salomonem*, id est Dei verbum, *in diademate.* Sic enim vocat totum illum ornatum tabernaculi vasorumque eius, *quo coronauit illum mater sua*, id est, quem ornatum ad eius omninò cultum comparauit ille Hebræorum conuentus, iure tunc mater ipsius nominatus, quia post, futuro tẽpore, ipsum ex se se humana vestitum carne erat geniturus. Sed hunc quæso quando parauit illi sua mater ornatum atque cultum. *In die*, inquit, *desponsationis eius, & in die lætitiæ cordis eius*, id est, quando fœdus cum illa fecit Ecclesia mutua vtrinque

vtrinque data & accepta fide, qui ipsi Deo, cui beneficientia cordi est, fuit lætissimus dies.

CAP. IIII.

QVam pulchra es amica mea, quam pulchra es. Oculi tui columbarum absque eo quod intrinsecus latet. Capilli tui sicut greges caprarum quæ ascenderunt de monte Galaad. Dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est inter eas. Sicut vitta coccinea, labia tua & eloquium tuum dulce. Sicut fragmen mali punici, ita gena tua absque eo quod intrinsecus latet. Sicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata est cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. Duo vbera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli qui pascuntur in lilijs. Donec aspiret dies & inclinentur vmbræ, vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris. Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te. Veni de libano sponsa mea, veni de libano, veni, coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus leonum, & montibus pardorum. Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in vno oculorum tuorum, & in vno crine colli tui. Quam pulchræ sunt mammæ tuæ soror mea sponsa, pulchriora sunt vbera tua vino, & odor vnguentorum tuorum super omnia aromata. Fauus distillans labia tua sponsa, mel & lac sub lingua tua, & odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris. Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus. Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum, cum pomorum fructibus Cypri cum nardo. Nardus & crocus, fistula & cinnamomũ cum vniuersis lignis libani, myrrha & aloë, cum omnibus primis vnguentis. Fons hortorum, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt impetu de libano. Surge Aquila, & veni Auster, perfla hortum meum, & fluent aromata illius, veniat dilectus meus in hortum suum, vt comedat fructum pomorum suorum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

PRIMA EXPLANATIO.

QVod amatores sæpè faciunt, dū gratificari fœminis volunt, vt vel intempesta nocte, vel appetente luce, ante ipsarum ædium fores amatorium aliquid ad lyram recinant, quod vel querimoniam, vel preces, vel certè laudes earū, quas amant, contineat: id hoc loco Solomon, aut tale aliquid certè, quale illud est, retulisse, & in suum carmen transtulisse videtur. Nam inducit sponsum domum reuersum cantu personantem, & sponsæ suæ pulchritudinem miris laudibus celebrantem. Constat autem omnis ista laus similitudinum adhibitione potissimùm: nam in singulis partibus illius laudandis singulas similitudines adhibet, easque è re rustica maxima ex parte petit. Quas quidem similitudines fortasis non nemo iudicet, nimium abhorrere, non solùm à nostra consuetudine, sed à communi etiam omnium hominum sensu, & à probato bonorum scriptorum loquendi vsu, atque adeò ab ijs ipsis rebus, quarum declarandarum, atque laudandarum causa adducuntur. Quod forsitan ex eo euenit, id vt nobis ita videatur, quia & hæc scripta antiquissima sunt, & ab eo, ad eosque scripta, quorum & lingua, & mores, & consuetudines vitæ, à reliquarum omnium gentium atque nationum moribus, atque vita mirabiliter differebant. Est autem vnicuique genti suus & vernaculus in loquendo mos, atque proprietas: quo sæpè fit, vt alijs absurda & inepta videantur, quæ alij pro optimis & elegātissimis habent. Quare omnis hæc, & orationis nouitas, & translationum, tam à longè petitarum, quasi durities, quæ politas fortasse & cultas aures offendat, non tam in ipsa re, vt ego quidem arbitror, est, quam in dissimilitudine morū, atque iudiciorum nostrorum, ab illorum, quibus hæc prodita primò sunt moribus, & iudicijs. Res enim ipsa rectæ

rectæ sunt, & inter se satis aptæ, modo non, vt quidam faciunt temerè, atque de summa veluti cute, sed exactè & iudicio adhibito accuratè eas examinemus. In id igitur incumbamus. *Quam pulchra es amica mea, quam pulchra, oculi tui columbarum.* Generalis propositio, quam mox per singulas partes confirmat. Exornat autem ipsam propositionem admiratione & repetitione quò maiorem attentionem excitet. Porrò confirmationem orditur ab oculis, quos columbarum oculis similes esse dicit, à colore eos & splēdore laudans, vt iā ante diximus. Sed ad id attenda mus quod sequitur, *Præter id quod intrinsecus latet.* Hoc in Hebraico vno dicitur verbo, צמה çama, quod itē Hieronymus vno Latino potuit reddere, sed quia illo turpe quiddam significari credebat, maluit circuitione vti: itaque vertere, *Præter id quod intrinsecus latet.* Honesto verborum ambitu videlicet, rem turpem occultans. Idemque consilij fuit Symmacho, qui & ipse Græcè interpretatus est sacras literas. Nam vertit ἐκτὸς τῆς σιωπήσεως, id est, præter silentium, aut taciturnitatem tuam. Quid autem illud sit tam turpe & obscœnum, id vt Hieronymo visum sit celari oportere, nolo Lector ex me audiat, sed ex ipso Hieronymo potiùs, cuius commētariorum in Esaiam quandam partem ad verbum ad hoc ipsum declarandum, nunc referam: idque faciam, non solùm ne quis id à me fingi arbitretur, sed etiam quia pudore quodām modo impedior, ea dicere meis verbis, quæ ille diuinis quibusdam sanctitatis & doctrinæ bonis assequutus est, liberè vt possit dicere. Is igitur ad verbum sic. In eo vbi nos interpretati sumus, denuda turpitudinem tuam, pro quo Septuaginta transtulerunt ἀποκαλυψετο κάλυμμα, id est, reuela operimentum, Aquila ipsum verbum Hebraicū posuit צמתך, Symmachus τὴν σιώπησιν σου quod nos exprimere posumus taciturnitatem tuam, quod taceri debeat præ verecundia.

Hier. lib. 13 cōmē. in Esa. ca pit. 47.

cundia. Quod quidē & in Cātico Canticorū legimus, vbi sponsæ pulchritudo describitur, ad extremum infert: absque taciturnitate tua, nolētibus qui interpretati sunt trāsferre nomē, quod in sacra scriptura sonaret turpitudinē. Et paulò infra. Disputant Stoici multa re turpia, praua hominum cōsuetudine, verbis honesta esse, vt parricidium, adulterium, & cætera ijs similia, rursusque re honesta nominibus videri turpia, vt liberos procreare, inflationem ventris crepitu digerere, alucum releuare stercore, vesicā vrinæ effusione laxare. denique nō posse nos, vt dicimus, à ruta rutulam, sic ὑστεροπροτικῶν à menta facere. Ergo camatheca, quod Aquila posuit, vt diximus, verenda mulieris appellantur: cuius etymologia apud eos sonat, sitiēs tuus, vt inexplebilem Babylonis indicet voluptatem. Ex his puto liquere, quid hoc loco Hebraicum צמה çama Hieronymo significet, & quare id simpliciter & apertè transferre noluerit: quò videlicet pudicis Latinorum auribus parceret. Quanquam si quidem res ita se habet, quemadmodum Hieronymo habere visa est, profecto nō video, quare quod iudicauerit Hebraicè, ab Spiritu sancto apertè & honestè dici potuisse, Latinè proferri honestè non posse censuerit. At, quis credat, aut id verbum eam significationem habere, aut vt habeat, in ea positum hoc loco esse ab Spiritu sancto? An quod Hieronymo, atque Symmacho visum fuit, sine circuitione, honestè Latinè dici non posse, id credibile est Hebraicè, Spiritum sanctū turpiter & apertè posuisse? Vtrum Symmachus, & Hieronymus pudentiores & cautiores fuerunt Spiritu sancto? vel Romani, quàm Hebræi magis digni, quibus id honoris haberetur à Deo, nullum vt verbum turpe apud eos diceretur? Iam, quid quæso conueniat oculis, cum pudendo muliebri, vt oculorum facta commemoratio, eius statim memoriam afferret? Pulchritudinem quidē certè sponsæ

sponsæ sigillatim describebat sponsus, & à capite exorsus, cum vix ad oculos peruenisset, tot rebus quarum est eximia, & maximè commendabilis pulchritudo in medio relictis, statim ad pudenda descendit? At hoc nō gradibus descendere est, sed ruere potiùs, aut se de sublimi loco saltu præcipitem in cœnum dare. Quando iterum infrà à pedibus incipiens, ad fœmora & vmbilicum, & inde ad pectus, & ad caput vsque laudando conscendit, silentio eam partem præteruehitur. & hic, cùm de oculis dicere, impetrare à se non potuit, vt de pudendis reticeret? Quanquam quis vnquam obsecro, cum alicuius laudaret formam, in pulchritudinis parte numerauit, & posuit, quod natura ipsa, vt tetrum atque deforme ab oculis omnium remouit? aut quo modo credendus est Spiritus sanctus in à se conscripto libello, in aspectum atque in lucē proferre voluisse, quod maxima adhibita diligentia, tam occuluit in corpore? Sed de tota ista, siue Symmachi sententia, siue Hieronymi doctis & prudentibus viris iudicare permitto, meum ego iudicium non interpono. Illud tantùm dico Hebraicum צמה çama, pro ea capillorum parte solere accipi, quæ fronti, atque temporibus imminet: quos capillos fœminæ, quibus natiui desunt, supposititios gestare solent. Hos igitur capillos, quod ex antiquis signis intelligere licet, adolescentes fœminæ non constringebant nodo vti reliquos, sed liberè dependere sinebant ante oculos, illisque pro velo vtebantur. Et certè sub ijs capillis oculi latentes atque micantes, nescio quo pacto ipso capillorum errore, atque motu commendati pulchriores apparere solent. Quare, vt de eo, quod Diuo Hieronymo visum est interim sileamus, versionem certè ipsam vulgatam, ex ista verbi Hebraici significatione aptè posimus interpretari. Nam quod scribitur. *Præter id quod intrinsecus latet.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

sic intelligimus, commendari sponsæ oculos, non solùm à nitore, propter quem columbarum oculis prædicantur similes, sed etiam ab eo, quod intrinsecus latet, id est, ex eo quod positi sub ijs capillis, qui illius fronti inuolitabant, tanquam ex insidijs, quod in amatorio sermone dici solet, incautos adoriebantur, eosque vulnerabãt. Nam profectò motu ipso & tremore supra oberrantium capillorum efficitur, lumina vt oculorum vibrare videantur, & lucis radios ex sese, tanquam tela quædam iacere. *Capilli tui sicut grex caprarum, quæ ascenderunt de monte Galaad!* Ab oculis in quibus fœmineæ formæ decor præcipuè spectatur, ad capillos, qui ipsi magno ornamento fœminis esse solent, commendãdos accedit. *Capilli*, inquit, *tui sicut grex caprarum*. Sed quid capillis cum caprarum grege conuenit? aut quomodo hæc inter se conferri, nisi absurdissimè possunt: maximè vbi de laude capillorum agitur? Nam si vituperarentur fortassis ratio esset, quare non immeritò caprarum gregibus similes dicerentur. Et certè nonnullis ita videtur, ista si ad corpus referantur, omninò esse perabsurda. Quare volunt Solomonem hoc loco, atque adeò ijs omnibus similitudinibus, quibus sponsæ pulchritudo commendatur, nullam habuisse rationem eorum corporis membrorum, quæ nominat, sed ad internos, & latentes huius carminis sensus, & ad eas animę vires, quas hæc membra significant, omnia retulisse. At si vniuersa alia quæcumque hoc carmine continentur, è media vitæ consuetudine, & amatorum moribus aptissimè ille, & elegantissimè duxit, vt sigillatim ostendimus, cur hîc potissimum ab instituto suo discessisse putandus est? Et si pleraque huius capitis ad corpus relata ita dicũtur aptè, nihil vt à quoquam aptiùs dici possit, quî potest credi hanc vnam similitudinem non quadrare cum corpore? Quare sicut non dubito, quin animi præcipuè & eius partium

tium ratio, & habita à Solomone sit in ijs similitudinibus adhibendis, & sit habenda à nobis in eisde m interpretandis: sic quod initio huius interpretationis dixi, verum omninò illud, & retinendum esse contendo, causa declarandorum amorũ spiritualium hîc describi, corporeos amores, eorumque omnes rationes in singulis huius libri partibus explicari, atque ita demum de amore diuino transl latè ista dici, vt possint omnia in corporeum istum amorem literatè conferri, quo sensu principio admonuimus. Nam si se aliter haberet res, nulla causa esset, quare amorũ spiritualium declarãdorum causa, Spiritus sanctus in hoc carmine similitudines è visibili amore transferret. Nam si nominibus quæ corpora, & corporeos amores significant, ea quæ ijs amoribus congruere non possunt dicerẽtur, tenebræ profectò nostris mentibus offunderentur: non autem induceretur id lumen, quo quæ occulta sunt, & remota à nostris sensibus illustrari solent, rerum nobis notarum, & quotidiano vsu perceptarum adhibitione. Est igitur hæc similitudo, neque dura, neque absurda, aut à longè petita, sed elegans cum primis, & ad id, de quo agitur, declarandum valdè apta, modo ritè expendatur. Ac primum quod hæc similitudo è re rustica sumitur, decoro egregiè seruitur. Deinde quod capilli capreis dicũtur similes, intelligi debet, non capreis ipsis, sed earum pilis similes dici. Nam deest orationi illi aliquid: plenè enim diceretur. *Capilli tui sicut pili gregis caprarum*. Postremo considerandum est fœminarum capillos, à copia, & à nitore, & à colore commendari solere. Et quod ad colorem attinet, id quoque sciri debet, quemadmodum in occiduis regionibus flauus probatur color: ita in orientalibus niger, aut ex purpureo, rubroque mistus, quem colorem meridiani fœminæ, quæ nostra hac tempestate eam Bethicæ Hispaniæ

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſpaniæ partem incolunt, quæ interraneo mari alluitur. Dico igitur iſta tria, quibus capillorum omnis laus, & cõmendatio perficitur, hac caprarum ſimilitudine mirificè declarari Nam pro ſoli natura capreæ Galaad iticæ plurimum, aut nigræ ſunt, aut ſubruffæ. Ob paſcuorum autem bonitatẽ & copiã (nã totus ille mõs, & omnes circumiacentes campi, qui Rubenitis, & Gaditis, & mediæ tribui Manaſſes poſsidendi ſunt traditi, vt ex Numerorum libro liquet; erant maximè paſcui.) Igitur ex ſoli natura nigræ, ob paſcuorum bonitatem pingues illæ capreæ intelligendę ſunt fuiſſe, & ob id ipſum non ſqualentibus, vt in macie attenuatis ſit gregibus, ſed pręnitentibus pilis. Nec ſolùm quia pingues erant, earũ nitebant pili: ſed reſinoſis arboribus abundabat ille mons, quod ex Iere. & Zachar. & Amos varibus conſtat, conſentancũ profectò eſt capreas, quæ iuga eius montis paſcebant, ex contactu arborũ inũctas reſina, in qua cutis poliẽdæ vis quædam ineſt, nitidiores & comptiores aliarum regionum gregibus euaſiſſe. Quod vel ex Hebraico verbo גלש Galas quod hoc loco pro Latino aſcendere ponitur, poſſumus intelligere. Nã id non ſolùm aſcendere, quod Latinus vertit interpres, ſed etiam pectere, aut polire ſignificat. Itaque licebit etiã vertere. *Capilli tui ſicut grex caprarũ quæ pectũt ſe ſe in mõte Galaad* Dicuntur autem ſe ſe pectere, ideo quia veteres & deciduos earum pilos reſina euellebat, nouos & firmos polibat, & in decentem ordinem redigebat, ex quo efficiebatur, vt tanquam ſi eſſent pexi & bene culti prænitérent: nihil vt fortaſsè cum formoſis fœminarum capillis, conferri poſsit ſimilius. Nec eſt minus aptum quod ſequitur. *Dentes tui tanquam grex tonſarum, quæ aſcenderunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus, & ſterilis non eſt in eis.* In dẽtibus hęc ſpectantur: primùm vt candidi ſint, deinde, vt ſint æquales, ita vt neque prominear, neque extet alius alio magis,

gis, ad hæc vt ſint benè iuncti, & qua parte gingiuis inſerũtur, vt nequid hiet, aut hiulcum ſit: quæ vtrum vna aliqua ſimilitudine ſignificari cuncta poſsint, haud ſcio, hac certè, ita explicãtur omnia, vt propè oculis videnda ſubiiciãtur. Nã cum plures oues gregatim vnà eunt, ita inter ſe corpora iungunt, vt procul aſpicientibus, vnum omniũ earum corpus eſſe appareat, idque album totum: nam de albo pecore, hoc loco Solomon loqui intelligendus eſt. Itaque album per omnia & æquale, quales ſunt formoſi dentes. At quam conſideratè quod addidit. *Omnes gemellis fœtibus & ſterilis non eſt in eis.* Nam plurium ouium vna cũtiũ, tantũ ſupernè vnũ apparet eſſe corpus, nã infernè inuicẽ à ſe diſtãt. Quoniã cũ earũ crura ſunt gracilia, corpora autẽ obeſa, vt maximè corporibus cõiungãtur & hęreãt, tũ cruribus, atq; pedibus diuidũtur. Cæterũ vbi acçidit, vt oues ſint fœtæ, & fœtus ſuos vna ſecum ducãt, etiam infernè vnum omnium earum corpus videtur eſſe Nam agniculi matribus hærentes, & inter ipſarum crura iniecti, & cis vtrinque inſerti, totum id ſpatij cõplent, quod vacuum reſtare videbatur. Sequitur. *Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce.* Vtrumque ſuis & proprijs laudibus ornat: labijs namq; ruborem, in quo labiorum pulchritudo conſiſtit: ex quo ab alijs labia coralina dicuntur: eloquio dulcedinem tribuit. Eloquium porrò hoc loco, id quod ex Hebraico verbo medabar, cuius loco ponitur, intelligitur, non tam ſententiarum, aut eorum quæ dicuntur ornatus, quam dictionis, atque pronuntiationis quidam ſignificatur habitus: qui tonorum præcipuè, vociſque & ſpiritus moderatione, atque oris quodam geſtu conſtat. Ex quo in pronuntiando alij agreſtes, atque vaſti dicuntur, alij inſuaues, alij contra cõcinni, atq; lepidi, quæ cõcinnitas hîc dulcedo nominat. *Sicut fragmẽ mali punici, gena tua.* Hebraica vox רקה Raqua

pro

Universidad de Deusto
Biblioteca

pro qua Latinus interpres genas posuit, propriè tempora significat, sic ab Hebræis appellata propter tenuitatem cutis, atque carnis earum. Nam רקה Raqua ab eo deducitur verbo, qđ Hebręis attenuare significat. Sed siue genæ sint, siue tempora, constat rectè conferri cum malo punico, aut mali punici fragmento. Nam in temporibus cutis candor modico rubore suffunditur, & in genis candore mistus rubor inest, aut si minus inest, purpurisso illito, vt inesse videatur, fœminæ efficiunt: cui similis est is color, qui apparet in mali punici granis. Sequitur. *præter id quod intrinsecus latet* Hebraicè vt superius לצמתך, quod eadē ratione, & eodem consilio, non verbum pro verbo, sed circuitione à Hieronymo versum est. At id, quomodo supra exposuimus, intelligi etiam hîc debet, tempora aut genas sub ijs capillis, qui supra ipsas inerrabant latentes pulchriores, & formosiores videri. Quod si çama ideſt, quod esse Hieronymo est visum, quî credi potest, in sanctissimo carmine, tã verbum turpe toties ab Spiritu sancto inculcari atque repeti? aut quî conueniebat, vt mulieris pudenda, cum temporibus atque genis coniungeret? *Sicut turris Dauid collum tuum quæ est ædificata cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Corporis pulchritudo non solùm membrorum, cùm singulorum per se apta figura, tum inter se omnium conuenientia & proportione constat, sed iusta quadam magnitudine ac proceritate totius corporis, qua de proceritate nunc agitur. Itaque dicitur. *Sicut turris Dauid collum tuum.* Collũ nominat, figuratè, & aptè corpus totum, aut certè corporis totius elegantis atque erecti habitum, colli nomine & appellatione significat. Nã Hebraica proprietate, collum fæpè in proceritatis significatione ponitur: quemadmodum & in Hispano sermone, descollados, vocamus eos, qui alto, & procero sunt corpore. Confert autem Dauidis

dis turrim potissimum, eo quòd illius ædificium ob egregiũ eius opus ea tempestate, spectabile admodum, & celebre esset, vt potè eius operis, quod à Rege opulento & magnificentissimo cõstructum fuisset. Nec verò quisquam tam absurdus, & ineptus sit, vt palmo ista metienda putet, aut collum huius existimet, turri æquale magnitudine dici: sed proportione, non minus ipsum spectabile, quã illa fuerit turris, intelligat affirmari: vt quãtũ illa turris præstabat cæteris, tantũ hæc fœmina habitu corporis elegãti, atq; pcero reliquas dicatur superasse. At qđ additur. *Cũ propugnaculis* id in Hebręo est לתלפיות Lethalpiiod anceps & variæ significationis verbũ. Itaque alij aliter vertũr. Sequitur. *Mille clypei pendent ex ea.* scilicet, vel insculpti in ea, vel additi, vel appensi. V trouis enim modo rectè intelligatur, quanquam appensi videtur magis, quã additi. *Omnis armatura fortium.* Quod tamen per ἔκβασιν, & excursum poëticum dictũ intelligi debet, nec necesse esse, vt ei aliquid in allegoria respõdeat. Sequitur. *Vbera tua sicut duo hinnuli capreæ, qui pascuntur in liliis.* Nihil cõferri similius potuit, nihil aptiùs à pastore dici. Inest namque in capreolis, festiuum quiddam atque lætum, & quod alliciat eos, qui se intuentur ad propiùs accedendum, & manibus ipsos contrectandum, quæ similiter insunt in papillis fœminarum. Propriè autem similitudo ducitur à capitibus hinnulorum, in quibus mammarum quædam imago inest. Nam caput ipsum magnitudine, & figura instar vberum est: oscula autem ex rubro & pallido modicè subrubentia mammarum capitula imitantur. *Donec aspiret dies & inclinentur vmbræ, vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.* Interrumpit institutam laudationem, quo magis varium efficiat ipsum carmen. Igitur quasi inter canendum recordetur sponsus rustici alicuius, & necessarij operis, cuius, studio ipso canendi, atque sponsam laudandi memoriam

ami-

Universidad de Deusto
Biblioteca

amiserat: ita Solomon inducit ipsum subitò abrumpentẽ sermonẽ institutum, dicentemque. *Donec aspiret dies & inclinentur vmbræ, vadam ad montem myrrhæ.* Veluti se ipse tacitè arguat, atque reprehendat, quod præ amore rem suam familiarem penè neglexerit, quale est illud Poëtæ.

O Corydon Corydon, quæ te dementia cepit.
Semiputata tibi frondosa vitis in vlmo est,
Quin tu aliquid saltem potiùs, quorum indiget vsus
Viminibus, mollique paras detexere iunco.

Donec aspiret dies & inclinentur vmbræ. Periphrasis est tẽporis vespertini à coniunctis, vt antè dixi. *Vadam* Id est, quia potiùs id ago, quod mihi facere incumbit. *Ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.* Vbi, scilicèt, agellum habuisse fingitur: cui coniunctus erat hortus, de quo infrà capite sexto. Sed addit. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.* Rursus rei domesticæ cura deposita & abiecta ad institutam laudationẽ redit. Sic enim amatorum animi variare sæpè solent, & in plures, atque diuersas partes diuidi, quorum hîc imago à Solomone ponitur, summo artificio descripta. Dũ vacabat amori, suæque sponsæ laudibus indulgebat rei domesticæ, & familiaris ipsius animũ subiens cura momordit: iam abire parantem, amor iterum illum reuocat, & penè manu reprehendit, dicereque cogit. *Tota pulchra es amica mea* Quasi ita dicat. At res domestica non est tanti, vt eam ob rem relinquenda tu mihi sis, & deserenda, quæ quanta es, tota pulchra es. Sed quoniam rursus studium, & cura rei domesticæ recursabat, & perurgebat ipsum, adiecit. *Veni de Libano, veni coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus leonum, & de montibus pardorum.* Rogat enim ipsam, se vt euntem comitetur, & quo faciliùs illi persuaderet, pollicetur ipsam ducere in eos montes, qui omnium, qui in Iudæa erãt, amœnissimi habebãtur, & cognitu dignissimi. *Veni de Libano,*

ni. Id est, Veni mecum ex itinere visura Libanum. Libanus autem non Phæniciæ mons intelligendus est is, ex quo abiegnę, ac cedrinæ trabes, ad construendum templum Dei Solomonis iussu sunt comportatæ: sed alius in Iudæa, qui etiam saltus Libani interdũ nominatur à Iudæorum regibus, multis & peregrinis arboribus consitus, & propter similitudinem aliquam, quę illi erat cum illo Phęnicię, Libanꝰ appellatus. *Coronaberis.* Hebraicè תשורי quod circundare, (ex quo coronare Latinus vertit interpres) atque etiam despicere significat. *De cubilibus leonum, & pardorum.* Appositio est. Nam quod ex sacris literis satis constat, Iudæę regio leonibus abundabat, quorum lustra in his montibus erant. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in vno aspectu oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* Nam, inquit, ipsa veni mecum, quoniam ipse diuellià te nullo modo possum, non solum luminibus tuis amore saucius, sed etiam pulcherrimis tuis crinibus, aut, vt in Hebræo est, torquibus tuis deuinctus, atque constrictus. *Vno,* inquit, *oculo & vno crine colli tui.* Veluti si tacitè argumentetur ac dicat. Nam si vel vno tuo aspectu me mihi subripuisti, siqúe vel vnus crinis tuus mihi est pro vinculo, tot corporis tui, atque animi dotibus, quo modo affici me, atque incendi in amore putas? Quo etiam magis illi suadet, se vt sequatur, ne, scilicèt, videatur parum gratè respondisse tanto amori sponsi erga ipsam. At quæ sequuntur, quasi illi iam persuasisset sponsus, vt in agrum pergeret, eamq; ipse secum duceret, & inter eundum coniunctis osculis, ex dulci illius ore dulcem spiritũ legeret, & quod ea de re gaudium percipiebat, quibus verbis maximè posset, explanare gestiret, ita mihi videtur dici. *Quam pulchræ sunt mammæ tuæ soror mea sponsa, pulchriora sunt vbera tua vino, & odor vnguẽtorũ tuorũ super omnia aromata. Fauus distillans labia tua sponsa, mel & lac sub lingua tua, & odor vestimen-*

3. Reg. 7.

Universidad de Deusto
Biblioteca

stimentorum tuorum, sicut odor thuris. Quo neque elegantius quicquam, neque mollius dici potuit. Neque minus est, aut elegans, aut molle quod sequitur. *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus.* In quo, non iā per partes, sed vniuersè illam laudat, & ad eam laudandā duas adhibet similitudines, à fonte integro vnam, alteram ab amœno horto petitam. Quas similitudines, primò paucis ambas proponit: deinde singulas exequitur ea verborum elegantia, atque copia, vt ne sibi Solomon ad superā dum locum videatur reliquisse. Itaque hortum describit amœnissimum, arboribus cōsitum multis, tum præterea summa diligētia custoditū & cultū, in quo nihil sit vacās nihil sterile, sed selectis arboribus & cū specie pulcherrima, tū fructu atque pomis præstantibus omni ex parte plenum: quas arbores nominatim recensēt, mira orationis gratia, ita vt ad hunc Solomonis hortum illi Alcinoi horti, de quib⁹ Homerus, collati, inculti, ac sordidi videātur. Porrò hac similitudine id agit Solomon, vt significet similiter in hac fœmina, nihil nō modo deforme esse, sed, qđ ad pulchritudinem attinet, ne mediocre quidem, aut vulgare, sed illi⁹ omnes partes aptas, venustas, decētes, gratissimas & formosissimas esse: totam ex gratijs cōstare, amores ex se spirare vndiq;. *Hortus conclusus.* Id est, & muro, & custode munitus, & ob id ipsum ab incursu & populatione bestiarum tutus. *Emissiones tuæ.* Id est, omnia quæ ex te proficiscuntur, vniuersæ arbores quas profers. *Paradisus malorū punicorum.* Nam mala punica Palęstinæ fœliciss imè proueniunt, & plurimi fiunt. *Cypri cum nardo.* De Cypro inter herbarum scriptores, quid sit, satis constat, at vtrum Hebraicum כפר Copher hoc loco sit Cyperus, id vt antè dixi, non satis constare video. *Cum nardo.* Huius plures esse dicuntur species, quarum vnam in Syria, & Palæstina maximè prouenire scribit Dioscorides, *Fistula & cinnamomū*

Hc-

Hebraicè קנמן קנה, Quinamō quanc, id, quid sit, nō satis illi explicant. Verisimile tū est, Casiæ species duas, quarum vna est altera præstantior, significari ijs nominibus, *Myrrha.* Arbor, scilicèt, ea, ex qua elicitur myrrha, *Aloe.* Hebraicè, הלות Haloth, Itaq; ex sono vocis, qui aloe interpretati sunt, videntur mihi coniecturam fecisse: Aloe verò non arboribus adnumeratur, sed plantis: estque ea humilis plāta, vno caudice, vnaq; radice folijs crassioribus. Itaque alij sandalum vertunt, quod certè huic loco aptè conueniat: propterea quod sandalus sit arbor, & specie, & odore præstans, & pomarijs aptior, quam aloe. *Cum omnibus primis vnguentis,* Id est, arboribus, è quibus aromata conficiuntur. *Fons signatus.* Redit ad superiùs propositam similitudinem, fontemque describit, qualis optimus esse potest, purum, integrum, intactum, deinde ita abundārem aquis fontem, vt vnus pluribus hortis suppediter. *Signatus,* id est, clausus, ex quo intelligitur liquidus. *Puteus aquarum viuentium.* Viuentes nominat aquas inges ac perēnes, nec vere nec ęstiuo tempore deficiētes. *Quæ fluunt impetu de Libano.* Allusit in eo ad or, & dan duos fontes qui è Libano magna aquarum copia scaturientes, lordanem efficiunt, vt Iosephus docet in decimo octauo capite libri. 3. de bello Iudaico. *Surge Aquilo, & veni Auster, & perfla hortum meum, & fluent aromata illius.* Totam laudationem concludit elegātissima apostrophe ad Austrū, & Aquilonēvētos, quorū hūc abigit ne spiret, illū vt veniat, id est, vt spiret, hortatur. Surge, inquit, id est, abi, discede Aquilo. Nā est frigidissimus vēt us, & ob id hortis, & arboribus metuēdus. Veni, hoc est, spira Auster, Hebraicè תימן Theman, id est meridies, à qua cæli regione Austri, id est, temperatæ & maximè genitales spirant auræ. *Et perfla hortum meum, & fluent aromata illius.* Nam innato naturis omnibus calore australibus auris, quæ & ipsæ tepidæ sunt

Hiero. in Ezech. c. 4c. & in Aba. c. 3.

P ex-

Universidad de Deusto
Biblioteca

excitato,& quodãmodo accenſo plantæ , atque arbores odoratæ,vim odoris emittunt ex ſe ſe,eumque odorẽ au ræ ipſæ latè diſpergunt.Eſt autem hoc in more poſitũ, cũ de eo,cuius nobis vita,atq, ſalus chara eſt, incidit ſermo: aut certè quoties cõmemoramus ipſi alicuius nobis ami ci hominis bona,atque laudes ad extremũ bene illi preca ri,optareque, id vt bonũ propriũ illi, atque perpetuũ ſit. Ex quo perſpicitur,quàm,non ſolũ eleganter, ſed etiã ad communem conſuetudinem accomodatè hic Solomo nis paſtor,hac fine ſuam laudationem concluſerit. Nam cũ Aquilonem abigit,& Auſtrũ vocat:profectò benè pre catur ſponſæ ſuæ,eique omnia fauſta,atque fœlicia exop tat . Deſcribebat enim ipſius pulchritudinem horti alle goria Quare in eadem allegoria perſiſtẽs,quoniã Aquilo ne flãte arbores adurũtur,ſpirãte autẽ Auſtro germinant atq; vitẽt,foliaq; & flores fundũt,idcircò imperat, vel po tiùs imperãdo precatur(ineſt nãq; in illo imperio optãdi quædam vis,& magni cuiuſdã deſiderij ſignificatio per maxima)itaque optat,vt ab omni noxio flatu ille hortus immunis,cæli atque aëris indulgentia ſemper foueatur, id eſt,orat,vt ad ſponſæ ſuæ,vel corpus, vel animum nul la vnquam res noxia,atque peſtilens vim ſuã applicet,de ſideratque,vt omnia ipſi eiuſmodi eueniant,qualia maxi mè euenire conuenit,ad in maius promouendum innatum illius,& naturale bonum,fauſta ſcilicèt,atq; iucunda omnia . Et quod ab artis ſcriptoribus præcipi ſolet, vt in imprecatione ponamus ea,quæ cũ natura,aut officio ei, cui bene,aut ſecus precamur,conueniant:quodq; ipſe Da uid ſcientiſsimè obſeruauit in illo lugubri carmine,quod panxit de cæde Saulis & Ionathæ,quos dimicantes,& in
2. *Reg.* 1. fugam cõuerſos Palæſthini hoſtes in Gelboe monte ceci derant.Montes,dicens Gelboe,nec ros, nec pluuia cadat ſupervos.Nã rore,atque imbribus irrigata terra herbis or natur,

natur,& floribus,ſiccitate verò aret atque mœret: idẽ ip ſum etiam hoc loco Solomõ fecit. Nam cùm iſti de quo agimus,horto molles auras precatur,ea certè illi bona op tat,quibus arbores,& ſata vniuerſa in vtramque partem ſolent maximè affici. Sed iam iterum à capite ordiamur.

ALTERA EXPLANATIO.

Quam pulchra es amica mea. Hęc,vt dixi,ad illapſus, & colloquia interiora pertinent, ſuntque om nia myſterijs plena.In quo primò admirari li cèt Dei erga nos,nõ dico largitatẽ, atque cle mentiam, ſed facilitatem , & ſuauitatem , & propè di cam, familiaritatem . Non enim ſatis habuit, quòd ho mines iuſtos filiorum loco repoſuit, quodque ad omnẽ ſe deijciens æqualitatem, pro ſocijs illos habet , niſi etiã, quòd vnum apud homines amoris genus eſt, & in con iunctione animorum arctiſsimum , & in ardore ve hementiſsimum,& in conſuetudine vitæ,atque adeò in voluptate dulciſsimum virorum erga fœminas , ſponſa rumque erga ſponſos ſuos, eius amoris & nomen , & imaginem ad ſe ipſum , & ad ſuam erga nos declaran dam charitatem transferret, ſponſumque ſe nominaret animorum noſtrorum . Nec verò nominari tantum vo luit, ſed re ipſa ita eſſe , adeo , vt omnis illa quamuis ar ctiſsima coniugum inter ipſos coniunctio , illeque ani morum & corporum , tot naturæ commendationibus conciliatus amor , illeque nexus tam arctè conſtrictus, cum iſto amore Dei conferri,& cõparari vix poſsit,quod cùm alibi ſæpè in ſacris literis , tum certè hoc in loco mirificè declaratur . Nam quis obſecro vnquam vnus homo aliquam fœminam , vel tam perditè adamauit, vel cum adamaret vehementiſsimè,proſequutus eſt tam exquiſitis laudibus , tamque mollibus ,& amoris eſtum ſignificantibus verbis , ea vt ſunt , quæ à facta quidem

Universidad de Deusto
Biblioteca

persona in hoc capite dici, sed à se dicta intelligi Deus vo luit? Quis vel testificari amorẽ suũ, vel ad alterius animũ insinuare se, tot modis vnquam, totque blanditijs est conatus? Ecqua huic similis fuit amoris flamma? Ecquod tantum incendiũ? Quod si ipsi per nos efficere possemus aliquid, quod ipsum per se honestum, ac Deo gratũ, & acceptabile esset, minus fortassè mirandum esset, nos ab eo tantopere diligi: nunc autem cum quod dignitatem gloria dignam habeat, nihil per se efficere homo possit: cumq; omnis ille honestatis splendor, qui lucet in sanctis viris, ab eodẽ ipso Deo, & oriatur, & incrementa suscipiat: cumq; Deus nos & diligat, & laude, atq; prẽmio dignos putet, potissimum ob ea ipsa bona quę ab illo accepimus, quis ingenuitatẽ, vt ita dicam, & magnitudinem diuini in nos amoris admirari satis possit? Itaque amore ardens, & animi veluti impotens. *Quam pulchra es, inquit, amica mea, quam pulchra.* cum tamen neque pulchra sit, quia ita nata est, neque quia suis ipsa viribus adepta est, vt esset pulchra, sed quia id vt esset, munere obtinuit eius ipsius Dei, qui ista pulchritudine capitur, & incenditur Quòd si ista, rerum corporearum, & verbis, & imaginibus inuoluta, totque velata modis, cùm vel audiũtur, vel leguntur, tam animos oblectant, qua illi animi voluptate, atque gaudio credendi sunt affici, quibus cum Deus his velaminibus inclusos, blandos & cælestes sermones apertè, & literatè, sine verborum strepitu, omniq; remoto velamine confert? Et si ij, qui aliquantulũ modo profecerunt in amore Dei, ad quos isti nunc diriguntur sermones, tot ornantur ab ipso laudibus, easque capiunt voluptates, quas humanus sermo non explicet, quo torrente voluptatis credi debent immergi perfecti, & eximiè sancti viri? Ipse certè Deus cũ virtutis mediocritatẽ, tam profusè laudat, cumq; homines ad meliora

liora contendentes, nondũ tamen summa cõsequutos, tot encomijs prosequitur, satis profectò declarat, quid quid à nobis ipso potissimũ adiuuãte, bene, & honeste fit, gratissimũ esse ipsi. *Quã pulchra*, inquit, *es amica mea, quã pulchra, oculi tui colũbarũ, præter id quod intrinsecus latet.* De oculis quid significent, deque colũbis, iam antea diximus: quare quod sequitur videamus. *Comæ capitis tui sicut grex caprarũ, quæ ascenderũt de mõte Galaad.* Videor cõstare inter omnes, capillorũ nomine in ista arcana sanctarum literarum loquẽdi ratione significari animi atq; mẽtis cogitationes, nec ratio non quadrat. Nam vt à capite capilli oriunrur, sic à mẽte, quæ animi veluti caput est, prodeũt cogitationes, magno & numero, & mobilitate, vt etiam in hoc capillorũ similes videãtur. Quare hoc teneamus. Igitur vt in capillis spectatur cultus, ordo, atq; nitor, sic cogitationes cõfusæ & incertæ vituperãtur: contra autẽ illustres, & nõ nisi iudicio, & ex rationis præscripto in animo versari permissæ probãtur, atq; laudãtur. Quæ tamẽ ipsæ cogitationes bonę, & illustres non tã per se probantur, quãquam & hoc quoque, (est enim magna earum vis in vtrãque partẽ, nec sine causa est scriptum, Cogitationes stultę separãt à Deo. Illudq; Sapiẽtis, Auferet se à cogitationibus quę sunt sine intellectu) sed nõ tã per se probãtur, & laude, atq; æstimatione dignæ sunt cogitationes bonę, quã quia indicãt bonã animi valetudinẽ. Nã sicut male cultus, aut omninò cultura destitutus ager: loliũ & spinas profert, cultus verò vberes fruges gignit: sic hominis animꝰ cui deest cultura cælestis: incõstans, & vagus, & secũ ipse dissentiẽs, vt quæq; primò res illi objcitur, eã statim sine delectu; ad cogitationẽ admittit, recipitq; quęcũq; & à quibusnissimas, & absurdissimas cogitationes germinat, atque cũq; serũtur malarũ cogitationũ semina: itaq; ex eo va

Sap. 1.

profert,quarũ turba ſæpè obruitur,ſicut ſcriptũ eſt, Co
Sap.9. gitationes mortalium timidæ & incertæ:corpus enim
quod corrũpitur,aggrauat animã,& terrena in habita-
deprimit ſenſum multa cogitantẽ.Cõtra autẽ qui diui-
tionis gratię,& charitatis excollitur bonis,vt ad cupidi
tatẽ nihiladmittit turpe,ita nec adcogitãdiviſum abſur
dũ aliquid,aut leue introire patitur:quantũq; eius,& ſtu
diarecta,& amores ſancti ſunt,tantum eiuſdẽ cogitatio
neſunt honeſtę,& illuſtres,alterũq; ſemper naſcitur ex
altero.Nã quorũ quis ſtudio tenetur, ea plurimũ cogita
tionib⁹ ipſe ſibi ſubijcit,& in animo verſat. Quapropter
tectiſsimè ab oculis,cõtinuò ad capillos laudãdos accef
ſit, hoc eſt à recta erga Deũ volũtate,& iã vt antea no-
minauimus,intentione ad bonarũ cogitationũ lumen,
atq; honeſtatẽ. Nec verò ratione aut cauſa caret,quod
initio huius carminis,quo loco primũ mentionẽ oculo-
rũ intulit Salomon,de capillis dicere intermiſit: hic ve
rò vtroſq; laudat,atq; cõmẽdat. Nã quod ſępius dictum
iã eſt,& vt video,ſæpiùs eſt repetendũ,illic incipientes
fingebat,hic proficiẽtes alloquitur. Eſt autem ita natura
cõparatũ id,quod qui periculũ ſui aliquod in Deo amã-
do fecerunt profectò fatentur, eſt itaque natura com-
paratum , vt incipientes qui ſunt,quoties agere ſecum
ipſi interius volunt, turba vexentur vaniſsimarum co-
gitationum, quæ ab omnibus animi partibus,omnibuſ-
que hominis ſenſibus excitatæ,& in mentem ingreſſæ,
illius & aciem obtundunt , & lumen obſcurant, ſeque
moleſtè ingerunt,vſque eò quoad ab inſtitutis cogita-
tionibus ſuis honeſtis,& præclaris illã abducũt. Quocir
ca meritò omnis incipientiũ laus,intra oculos conſtitit,
id autẽ eſt intra ipſorũ ſtudiũ,& volũtatẽ in Deum:quã
tametſi rectã illi & in Deo collocatã & fixã habent:ta-
mẽ adhucinfeſtãtur multis & vanis cogitationib⁹quod
pro-

proficientibus, quorum videlicèt mens ad imperãdum
cæteris animæ partibus,maiores vires atq; robur colle-
git,minimè accidit.Nam quemadmodũ Sole oriri inci
piente,ab infimis,atq; humidis locis nebulę excitatę,&
in altum euectæ,ac latè ſe diffundentes ipſi Soli obſtãt,
quo minus radios lucis ſuæ ad nos poſsit tranſmittere:
eodem autẽ curſu vlteriùs progreſſo ,ac cæli mediũ ca-
peſſente,& quaſi de ſuperiori loco lucis ſuę tela emittẽ
te,nebulæ cõſidunt primò deinde planè euaneſcunt,ac
purum nobis, & intaminatum luminis aſpectum relin-
quunt:ſic profectò de cæleſti illo gratiæ lumine, & tan-
quam Sole cum oriri nobis cœpit,iudicãdum eſt. Nam
ſiue ob malè agendi,malèque cogitandi vſum,lõga cõ-
ſuetudine inolitũ id nobis eueniat,ſiue quod ita ſit cõ-
paratũ,vt nihil nouari in vita poſsit,ſine magno aliquo
rerum motu,ſiue quòd ipſe humani generis hoſtis ęgrè
ſcilicet ferẽs hominẽ ſibi eripi,hoc eſt,à regno tenebra
rũ trãsferri,in admirabile lumẽ Dei,in ipſo initio,& ho
neſtę vitę ingreſſu,quãdo maximè imbecillis eſt virtus
agmina iſta malarum cogitationum,ad nos loco mouẽ
dos ſubijciat:itaque ſiue hoc, ſiue illud,ſiue vtrũque ſi-
mul , aut vniuerſa potius in cauſa ſint , ita ferè fit:
fieri certè, nobiſque ſic accidere omnes propè expe-
rimur, vt naſcenti gratiæ luci opponant ſe cogitatio-
nes iſtæ erroris , atque tenebrarum plenæ : eidem
autem iam corroboratæ & amplificatæ , & ad omnes
receſſus animi lumen ſuum tranſmittenti concedant:
cuius iam boni qui proficientes ſunt , participes eſſe
incipiunt. Quare iſtorum nunc capillos laudat , quam-
quam ne his quidem in hoc plenam laudẽ tribuit , ſed
eam reſeruat perfectis poſteà ſuo loco tribuẽdam. Qui
quidem perfecti ſicut in alijs rebus,ſic etiã in hoc benè
atque ſanctè cogitandi,ſiue officio,ſiue virtute, multũ

Universidad de Deusto
Biblioteca

excellunt. Illos igitur posteà cum de illis aget, cumulatè laudabit: hos verò nunc hactenus laudat, vt tumultũ & confusionẽ, & errorũ tenebras ab ipsorum cogitationibus remoueat, id est, vt quæ capillis qui similes sint capreis Galaad inesse dicũtur, ornatus atq; nitor, ea aut ijs similia, quoad rei natura patitur, bona, in istorũ cogitationibus inesse dicat ordinem atque lucem. E quibus ordo spectatur in eo quod nõ, vt quæque res illorũ sensus peruellit, eam statim ad animum suum, & cogitationem admittunt, sed intendunt aciẽ mentis suæ, prius vt videãt qualis ea res sit, & veluti excubant antè fores cordis sui acri cura, atq; vigili, ne quis se intro illa loci puritate, & sanctitate indignus insinuet. Sicut scriptum est.
Prou. 22. Cogitationes iustorum iudicium. Itaque nec malarũ rerum cogitationes admittunt, neque earum etiam rerũ, quæ, aut nunquam erunt, aut ne esse quidem possunt, ad se introire patiũtur: nec oblectant se ea, qua plurimum quidam delectantur vanitate, animo sibi & cogitatione inanissima somnia fingẽdi, quia vt scriptum est, Spiritus sanctus effugiet fictũ, & auferet se á cogitationibus, quę sunt sine intellectu. Itaque hæc ad ordinẽ pertinẽt, splẽdor autem cogitationum consistit in eo, vt splendidę ipsæ sint: id est, vt de rebus splẽdidis & illustribus, hoc est celestibus, aut ad vitam cælestẽ pertinentibus suscipiantur. Id quod sedulò agunt, ferèq; iam assequuntur proficiẽtes. plurimum enim animo cũ Deo versantur, eaque mente pertractant: quę proferri foras, & in luce cõstitui honestissimè possunt: contra atque accidit intemperãtibus, & prauis hominibus. Horum enim cogitationes eiusmodi sunt, vt non solùm ipsi eas in publicũ proferre nõ audeãt, sed vt ipsismet, quibus voluptati sunt, quales sint, sepè videãtur esse horribiles atq; tetrę sequit. *Dẽtes tui sicut grex tõsarũ quæ ascẽdũt de lauacro, omnes gẽmellis fœtibus*

tib⁹ & sterilis non est in eis. Quod in superiore similitudine euenit, vt omnes sacri harũ literarum interpretes, in eã dem sententiam concurrerent: hic cõtra accidit, vt singuli suas, & ab alijs diuersas sentẽtias sequeretur. Quas ego singulas enumerare nolo, ne iusto sim lõgior: id dicã tantùm, quod mihi cogitanti, & studium adhibenti, maximè probabile occurrit: idque quanta potero luce, & breuitate explicabo. Quod si cui hæc nostra explicatio visa fuerit nimiũ altè petita, nosque quis dixerit multis ambagibus vsos, vix eò peruenisse quò tendimus, cũ hoc ego non multum contenderim, dummodo id cõcedat nobis, quod omnis bonus, atque æquus certè concedet eam esse istarum literarũ & maiestatem, & obscuritatẽ, vt quod studium in alijs adhibitum rebus immodicè adhiberi putaretur, id in his adhibitum literis laudari forsàn debeat, reprehendi certè nullo modo possit: Igitur dentium vocabulum, cum ad opera naturæ, & ad res rusticas significãdas, in literis sacris transfertur, inuenio significare solere valles & loca humilia, atque plana, arua que ea, quæ segetibus ferendis sunt idonea. Nã qui istas literas Chaldaicè primus uertit, aut potius paraphrasi interpretatus est, cuius est apud omnes grauis authoritas, illud, quod in Genesi, à Iacobo de Iuda filio suo, eiusque posteritate dictum scribitur, Pulchriores sunt oculi eius vino, & dẽtes lacte candidiores, sic ad verbum interpretatur. Montes eius rubicundiores erunt in vineis suis, distillabunt colles eius vinum, dealbabũtur cãpi eius frumento, & gregibus. Oculi igitur colles vitibus consitos, dentes autem arua segetibus flaueſcẽtia translatè significant. Porrò colles ipsi, atque valles, in arcano sacrarum literarum sermone etiam transferũtur, ad aliquid aliud significãdum. Etenim colles principes viros, valles verò homines ignobiles, & tenues significant, vt in illo Psal- *Gene. 49.*

mi, Assument mõtes pacem populo, & colles iustitiam.
Psalm. 71 Et in Esaiæ illo, Omnis collis humiliabitur, & omnis vallis implebitur. Sed est prętera scięndum in homine quipse nõ sine causa, minor mũdus dictus est, esse quandã reipublicæ effigiẽ. Nã eminet in illius animo principale quiddã, & excelsum ad imperandũ, & regendũ natũ, quod est ratio atq; mens: similiter inest in eodẽ humile aliud & demissum, & alterius rectionis egenũ, & omninò natũ ad seruiendũ, quæ est irascendi, atque concupiscẽdi facultas. Quibus ex rebus efficitur, si in natura dẽtium appellatione valles significãtur, & si valles in re ciuili & publica, pro ignobilibus accipiũtur, vt cõsequens sit partes ignobiles atq; infimas, siue reipublicæ totius, siue vniuscuiusque hominis, qui & ipse respublica quędã parua est, isto arcano sacratũ literarũ sermone dẽtes vocari, hoc est, vocari dentes in republica obscuros homines, in homine verò infimas, & ad humum pronas irascẽdi, atque concupiscẽdi partes. Quid? quod ipsa rerum, de quibus hic agitur ratio, atq; natura postulat, vt dentibus has inferiores vires animæ trãslatè significari credamus. Nã primũ in virtute, & quasi illius caput est, vt mens, quæ altissima pars hominis est, rectè erga Deũ afficiatur, quæ affectio est directio, siue vt dicere cœpimus intẽtio mẽtis recta erga finem vltimum bonorũq; extremũ. Secundum, vt cogitãdi leuitas, id est, ad cogitationem admittẽdi quidquid se se cogitandũ vltrò obtulerit, facilitas ab animo remoueatur, adhibeaturq; in cogitãdo iudiciũ atque delectus, moderatioq; seruetur ac sanctitas. Tertiũ, vt mente ad istum modũ affecta partes animi eæ, quę in mẽtis tutela sunt, eique subsunt, ex quibus iræ & cupiditates, omnesq; ijs similes animi motus existũt, atq; adeò ipsi corporis sensus, quorũ nuntijs istæ partes, vel dilatãtur, vel contrahũtur, cõtineant se intra

intra modum à ratione pręscriptum, eique parere assuescant facilè, & libẽter. Hæc igitur cum ita sint, cumq; de rectitudine mẽtis, qualis ea in proficiẽtibus esse debeat, sit dictum, nam columbarum oculis similes oculos habere dicti sunt, & de cogitationũ sanctitate similiter, cũ sunt eorum capillilaudati; ipse rerum ordo poscebat, vt de inferiorum animę partium moderatione statim diceretur. De ijs ergo partibus agitur; dentesque isti sponsę, qui tonsarũ gregibus similes dicuntur, proculdubiò hasignificanr partes, in quibus quod in formosis dentibus cõmendatur, elucere idem debet, ac certè elucet, ęquabilitas nimirũ, atque mundities. Nã iusti & boni viri, ita eas studio, atq; cultu virtutũ moderatas habẽt, & quasi ad rationis amussim exactas, vt sicut in tonsarum grege ac dẽtibus ijs, quos superiùs descripsimus, summa æqualitas inest, sic in illis nihil inæquale sit, nihil eminẽs, aut à se dissentiẽs. Nam sicut peccatores, & flagitiosi homines innumeris, & sæpè inter se contrarijs cupiditatibus in varias partes distrahuntur, ita vt nihil illis prauius sit aut inæquale magis: sic cõtra in bonis atque studiosis viris quatenus à virtute est, nihil prauum, nihil distortum, nihil quod aut subsideat, aut emineat conspicitur. Non enim vel metu contrahuntur, vel efferuntur lętitia, vel dolore concidunt, vel distrahuntur cupiditate: sed ad id quod vnum semper, atque idem, sibique simile est ratio peruenire contendens, partibus sibi subiectis, earumq; perturbationib⁹ æquabiliter moderatur: Itaque resecat atque recidit ab istis partibus, nimium quod est, atq; in solẽs, & ita illas ad mediocritatem & æqualitatem reducit, vt sicut tõsarum ille grex, sibi vndique est similis: sic istæ sibi ex omni parte consentiant, eluceatque in eis ex temperatione, moderationeque ortũ, idem illud decus, quod in dentibus, quales descripsimus, ouium gregi simili-

similibus exparitate relucet. Quod autẽ sequitur *Labia tua sicut vita coccinea, & eloquium tuum dulce.* Iã id propriè interpretari licet, vt nihil aliud in eo quam orationis, atque sermonis iustorum prudẽtiam, atque dulcedinem laudari intelligamus. Est enim illorum sermo, non solum mitis, & moderatus, sed omninò dulcissimus, & qualis vt sit Paulus optat, sale conditus. Quam autem opportunè, quamque in loco sermonis mentionem intulit. Est enim animi imago sermo ipse. Quare animi & eius partiũ pulchritudine, atque cultu laudato, iure sermonis qui ab animo fluit, ipsumque omninò refert, ornatũ laudat. & exposita interiori honestate ad externũ cultum, qui siquidem verus est, & non simulatus atque fallax, ex interiori ipso cultu effluit, atq; deriuatur, exponendum aggreditur. Laudat itaque bonorũ colloquia, in quibus animi ipsorum pulchritudo atque præstãtia, mirum in modũ elucet. Quod autẽ sequitur, *sicut fragmẽ mali punici genæ tuæ, absque eo quod intrinsecus latet.* Id pertinet ad externi huius ornatus, de quo iam agit, eã partem laudãdam quæ in motu cernitur, incessuque, & oculorum atq; totius corporis habitu. Nam in genis sedes pudoris est, & sicut pudor ab innata animi ingenuitate ortus genis infunditur, easq; grato quodã rubore afficit: sic animi interior species honesta, atq; præstans, corpus ipsum, corporisque actus, atque motus omnes decenter effingit. Ex quo satis apparet, quã grauiter illi errẽt, qui huius externi ornatus, atque cultus nullam rationem, aut ipsi habent, aut ab alijs esse habendam ducunt. Nam tametsi accidere interdum possit, vt qui omni ornatu interiori, omnique animi virtute sit vacuus, externè satis honestè affectus & cultus appareat: tamẽ profectò nunquam eueniat, vt qui veris virtutibus animũ cultũ habeat, eius sit exterior species inculta, aut incon-

Coloss. 4.

cinna,

cinna, hoc est, indecora, & à rationis præscripto abhorrens. Sed pergamus ad reliqua. *Collum tuum sicut turris David cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium.* Religionis erga Deum vna pars est ea, quæ in precando ipsum versatur, id est, quæ oratione ipsum atq; laudibus colit. Quæ à nostris oratio vocatur, philosophis parum nota, à nobis verò in primis culta, atque eo in pretio virtus habita, vt maximum honestæ, atque spiritualis vitæ non solum præsidium, sed etiam solatium, & oblectamentum positum in ea esse putemus. Nam illi quoniã in ea doctrina, quæ ipsorum literis atque libris continebatur, satis magnum auxilium ad benè beateq; viuendũ, eos habere putauerunt, qui ea se doctrina instituí, atque excoli siuissent: idcircò nihil quod quidem ad virtutem, aut comparandam, aut alendam pertineret, vel à Deo petendum esse arbitrati sunt, vel dari à Deo posse crediderunt, sed in cuiusque industria atque gnauitate, id totum positum esse censuerunt. Itaque huius virtutis apud illos non solùm cultus iacuit, sed etiam ratio atque nomen ferè ignotum fuit. Nos contra, non solùm quia humanæ infirmitatis nobis ipsi conscij sumus, sed etiam quia Christi diuino beneficio arctissimo necessitudinis, & charitatis vinculo cum ipso Deo coniungimur: quia quẽ per Spiritum sanctũ qui nostris mentibus infusus est, perque illius gratiæ donum diuinæ naturæ consortes efficimur, ad Deum audacter adimus, tanquam ad parentem indulgentem atque optimum. Nec vero in eo nostra fallit nos, aut eludit spes. Nam clementissimè excepit ille nos, voceque, & vota nostra ad suas aures admittit, nobisque vicissim respondet, eaque petentibus donat, quæcumque ijs qui petunt, vtilia futura esse cognouit ipse, cui omnia in futurum nota sunt & manifesta. Est igitur ob hasce causas perfectæ orationis virtus

Chri-

orationis virtus christia næ nationis propria.

Christianorum nationis propria, nobisque solis cognita, & cum summa non solùm vtilitate, sed etiam voluptate vsurpata Quæ profectò virtus tantũ momenti habet ad piè, atq; sanctè viuendũ, vt pro eo atq; quis huic orationi virtutiq; studet, ita de eius excellentia, atq; præstantia debeat statui. Nullũ enim virtutis lumen est, nullum cęleste, atque diuinũ bonum, quod ista orandi virtus, aut non contineat ipsa, aut nõ obtineat à Deo, & ad nos ipsos adducat. Quare vt quisq; sanctissimus est, ita maximè studio & assiduitate orationis excellit. De hac igitur nunc agit Solomon, eamq; figuratè collũ nominat, quoniã in hac boni viri imagine, quam format, colli ipsa vicẽ & officia obtinet multis de causis. Nam primum collo, & ducitur anima ea, qua spiramus, & traijcitur cibus is, quo alimur, & verba atque voces funduntur: & similiter oratione patefacimus Deo interiora vota nostra, & diuinum ab eo spiritum, eaque gratiæ bona ducimus, quibus maximè alitur noster animus. Deinde quemadmodum collo iungitur, atque nectitur capiti corpus reliquum, sic oratione coniungitur mens nostra cũ Christo Ecclesiæ sanctæ capite. Ad hæc sicut nerui, quibus totius corporis firmitas, motusque potissimũ continetur, à capite principium ducentes, per collum in omnes partes corporis diffunduntur: sic virtutum robur propè omne à Christo capite in nos deriuatur oratione postulatrice, atque interprete. Præterea quod ex habitu colli de reliqui corporis viribus, & habitudine iudicare solemus: nã quibus obesum est, & torosum collum, eos viribus pollere dicimus, contra autem infirmos esse, & imbecilles, quibus est id tenue atque gracile, id etiam aptè transferatur ad orationis naturam. Valent enim plurimùm spiritualibus animi viribus, & contra omnes malorum incursus propè inuicti persistunt, qui orationis studiosissimi sunt: cõtra remissi in

in eius studio atque negligentes, vtpotè qui viribus gratiæ destituantur, facilè cedunt malis, seque vinci permittunt, animumque gerunt varijs morbis obnoxium. Postremò sicut proceritas, & elegantia corporis iusta colli magnitudine efficitur: sic altum illud, & excelsum, quod in bonorum animis cernitur, ex colloquendi cum Deo, & orandi ipsum assiduitate existit maximè. Quòd si tanta vis ad honestam vitam in oratione est, rectè Solomon expositis honestæ iustorum vitæ dignitate, atque dotibus, quibus ea vita potissimum paratur, & efficitur artibus, eas artes nunc prædicat, & exponit. Quæ autem est ista prædicatio, atque laus? *Collum tuum sicut turris Dauid cum propugnaculis, mille clypei pendent ex ea omnis armatura fortium.* Tribuit orationi eadem quæ recto, & honesto collo tribui solent. Vtor autem cùm ista orationis voce, tùm alijs vocibus quibus Ecclesiæ scriptores insignificandis rebus, quas veteres Latini ignorarunt, vtuntur: ne si vna voce nolim, pluribus mihi vocibus semper sit vtendum. Igitur ea oratio habeatur perfecta, primùm quæ non inflectatur ad humum, sed instar rectæ ceruicis ad sublimia, & æterna semper erigatur, & intendatur. Deinde quæ extet supra humeros, id est, transiliat, atque transcendat terrena omnia, quovsque animum virtute adolescere, & peruenire faciat, ad mensuram magnitudinis Christi. Postremò quæ sit turris Dauid cum propugnaculis mille fortium virorum clypeis ornata, id est, quæ sit nobis pro turri, & propugnaculo aduersus omnium malorum incursus. Nec verò illud causa, aut ratione vacat, quod Dauidis turris potissimùm est adhibita ad similitudinem. Nam istam turrim Dauid Hierosolymis ædificauit, in Sionis eius vrbis edito, & manu, atque natura munito colle, Iebusæis tamen priùs deuictis, atque vrbe pulsis: quod ad rem nostram relatum declarat,

quandiu

quandiu malæ cupiditates in animo dominantur, tandiu huic virtuti non esse locum. Quare qui terrenis studijs non solùm occupati, sed etiam addicti iustitiæ, atque bonorum morum parum studiosi, huic tamen virtuti studere, & vacare se dicunt, ac se ideò bonis numerari volunt, certè ipsi sibi ita persuadent aliquid se esse, quod statis horis temporis aliquid orationi, & diuinarum rerum contemplationi impertiunt, vmbrā illi quidem inanem huius virtutis fortasse assequantur: ipsam autem veram virtutem non assequuntur, seque ipsi valdè decipiunt. Iebusæi namque ex vrbe, id est, ex animo malæ cupiditates priùs sunt expellendæ. Sequitur porrò. *Duo vbera tua sicut duo hinnuli capreæ gemelli, qui pascuntur in liliis.* Hæc iam ad eas virtutes laudandas spectant, quæ ad alterum referuntur, charitatem dico in homines, & misericordiam, atque beneficientiam: quæ ideò multitudinis numero vbera appellantur, quia duplici officiorum genere diuiduntur, quorū aliud ad corpus, ad animum aliud pertineat. Nihil porrò est tam naturale, quam vt qui bonus ipse est, alijs etiam prodesse velit, & re ipsa prosit. Nam quemadmodum ea, quæ natura constant, cum ad eam ætatem adoleuerunt, vt ad sui generis quo ad ipsarum ratio patitur, perfectionem perueniant, statim aliud ex se se gignunt, aut certè auent gignere, quod sibi simile sit, quodque eius boni, quod in se ipsa habent, particeps possit esse: sic virtute præstans animus effigiem sui in alijs exprimere studet. Et sicut adolescentibus fœminis, vbi ad nubilem ætatem peruenerunt, tumere incipiunt vbera: sic illis, quorū iam est adulta virtus, pectus tumere incipit, studijs alios iuuāndi. Quare istis hoc loco vbera tribuit Spiritus sanctus, eaque hinnulis caprarum similia, hoc est, pulchra, & omni ex parte formosa vbera. Fieri enim nullo modo poterat, vt huiusmodi gradus, atque perfectionis virtus sterilis perma-

permaneret. Sed addit. *Vadam ad montem myrrhæ, & ad collem thuris, donec aspiret dies, & inclinentur vmbræ.* Qui nouerunt atque experti sunt, quemadmodum ista Dei cū hominibus sibi charis interiora colloquia se habeant, ita tradunt. Sæpè accidere, vt in medio sermone disparere subitò, ex ipsorū animis illis videatur ea lux, qua ex Deo perfundebantur, & rursus breui mora interposita iterum apparere, maiusq; quàm anteà lumen in ipsis accendi: quod quidem quare fiat dicere non habeo, quin autem quoties fit maxima causa fiat, affirmare non dubito. Ad has igitur vices euntis & redeuntis Dei, quibus instituti interiores sermones in medio orationis cursu abrumpuntur, quibusque occultantur, & rursus apparere incipiunt diuinæ lucis radij, hæc verba referenda sunt, vt existimo. Itaque ad hoc significandum inducitur sponsus orationem institutam primo intermittens, ac dicens. *Vadam ad montem myrrhæ.* Deinde ad eandem rediens, atque subiungens. *Tota pulchra es amica mea.* Et quæ deinceps sequuntur. Nisi alicui fortasse placeat, id quod mihi non displicet, his verbis, non quidem significari Dei aliquem discessum, aut instituti sermonis intermissionem: sed doceri iustos, atque admoneri, vt in ijs, quæ modo sunt enumeratæ & celebratę, virtutibus magis ac magis proficiāt: vtque non priùs à proficiendo desistant, quàm ad montis cacumen, quo in cacumine edito, scilicèt, & difficili ad ascendendum loco, virtus domicilium habere dicitur, perueniant, id est, cōpotes fiant perfectæ & absolutæ virtutis. Nam certè tametsi se abire velle sponsus dicat, tamē discedere ab sponsa velle non dicit: imò cum eam è vestigio iterum laudat, & pulchram, atque omni ex parte pulchram appellat, satis indicat, diuelli se ab ea nō posse. Itaque quod dicit. *Vadam.* Admonendi illius & excitandi ad progrediendum vim habet, non, aut deserendi, aut relin-

Universidad de Deusto
Biblioteca

relinquendi significationem: perindeque est, ac si ita dicat. Vadam ipse: tuque me euntem sequere: vel vadam ipse, quoniam te euntem & pleno gradu ad culmen contendentem comitabor, quod ita esse illa apertè indicant quæ sequuntur. *Veni de Libano, veni* In quibus quemadmodum sponsam ad insequendum sponsus hortetur, iam superiùs expositum est. Sed quo se iturum vnà cum sancta anima dicit sponsus? *Ad montem myrrhæ, & ad collem thuris.* Ea autem sunt duo genera maximarum virtutum, quorum alterum purgare animum dicitur, illuminare alterũ: ex quo ab istarum rerũ scriptoribus aliæ purgatoriæ sunt dictæ, aliæ illuminatrices virtutes. Nam in myrrha pœnitentiæ significari officia, superiùs satis ostendimus. Thus verò religionis cultum erga Deum significat, vt liquet ex
Psal. 140 illo Psalmi, Fiat oratio mea tanquam incensum in con-
Apoca. 5. spectu tuo. Et in Apocalypsi, Habentes singuli phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes sanctorum. Sed aberat ne ab istis locis sponsa? non illa quidem aberat, sed quod ad perfectionis culmen tendenti aliquid ipsi deerat, nec totum suæ vitæ tempus expleuerat, id vt adderet quod sibi deerat, & vt in eo quod ipsa cœperat ad extremum vsque persisteret admonetur. At vade diceret Imò vadam aptissimè: quoniam vnà ipse nobiscũ in omni bono opere vadit. Imò non vadit solùm, sed euntes præcurrit nos: efficitque vt ire ipsi possimus, atque velimus. Etenim ab ipso ducitur, & bene agendi, & in bono proficiendi, perseuerandique omne principium. Sed quo fructu, dicet aliquis, in ijs studijs perseuerabit? nimirum eo qui sequitur. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te* Peruenient enim ad summam, & perfectam virtutem, atque fœliciratem perseuerando: quod etiam quæ sequuntur significant. *Veni de Libano veni, coronaberis de capite Amana, & Sanir, de vertice Hermon, de montibus*

bus leonum & pardorum. Nam si vocem atque ductum Dei perseueranter sequamur, sine dubio, perueniemus ad Libani, ad Amana, ad Sanir, & ad Hermon, altissimorum, scilicet, montium cacumina: quibus cacuminibus eximiæ & heroicæ virtutes in sacris literis significantur. At quam aptè ad rem ipsam, de qua nunc agebat, coronaberis, siue quemadmodum Hebræa etiam verti possunt, despicies dixit. Nam cum quis ad illud virtutis fastigium peruenit, quid illi nisi vt coronetur iam restat? Sicut de se ipso loquens Paulus scripsit: Bo- 2. ad Ti-
num certamen certaui, cursum consummaui, de reliquo moth 4.
reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, iustus iudex. Ad hæc, qui in isto fastigio versatur, si quando ad hæc terrena, & inferiora despexerit, quî poterit illa non despicere? Despiciet illa certè, & vilia atque humilia, vt sunt, esse iudicabit: contemptuque, atque omni despectione digna ducet. Sequitur. *Vulnerasti cor meum sponsa mea, in vno aspectu oculorum tuorum, & in vno crine colli tui.* Non attribuit nouam aliquam laudem, sed attributas amplificat: dum ijs animi bonis, quibus iusti ornati sunt, affici se Deus dicit, & ad amandum accendi. Itaque eadem iterum commemorat, oculos, capillos, linguam, quo intelligatur, virum bonum in eo ipso quod Deus cum illo interiùs loquitur, sensim proficere, seque ipso meliorem effici: nec solùm nouas gratiæ dotes acquirere, sed eas ipsas, quas antea habebat ampliores & illustriores reddere. Atque hæc ita se habent. Porrò quod sequitur, nouam continet laudem. *Hortus conclusus, sponsa mea, fons signatus, emissiones tuæ, paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus, cypri cum nardo, nardus & crocus, fistula, & cinnamomum, cum vniuersis lignis Libani, myrrha & aloe cum omnibus primis vnguentis.* Hæc enim germina, honesta ipsa officia sunt, quæ exterio-

Pſell. in Cant.

ri virtute pullulant. Nam explicatis atque laudatis virtutum ſingulis partibus, hoc vnum reſtabat, vt exponeret illarum fructus, qui in actione & officio cernuntur, quales ipſi eſſent quamque præſtantes. Id igitur exponit, vt cætera, allegoricè ſimilitudine ducta, ab eo horto, in quo non modo nulla pars inculta ſit, ſed ne vulgari quidem, aut mediocri arborum genere conſita: qui, totus peregrinis & aromaticis abundet arboribus, vt nō ſolùm intuentium oculos oblectare poſsit, ſed etiam vitæ hominum magnas vtilitates afferre. Tales quippè iuſti ſunt, non torpent ocio: non inertem eſſe ſinunt, ſuæ fidei commiſſum talentum: non defodiunt humi, aut inuoluunt ſudario gratiæ diuinæ ſibi dona collata: ſed præclarè operandi inſtrumentum, quod acceperunt à Deo ad actiones deducunt, fructuſque edunt bonorum operum maximos. Nam præterquam quod illos ipſa eorum interior virtus, ad ita agendum ſollicitat: id etiam à ſe expectari atque requiri ſciunt. Itaque in id incumbunt, ſibique ipſi dies, atque noctes inſtant, nulloque tēpore ſtudium intermittūt bonos fructus alios ex alijs edendi: ex quo efficitur, vt nihil ſit eorum animis, vel fructuoſius, vel cultius. Sed ſi iſta bonorū operū germina, nec grata Deo ſunt, nec prædicatione, aut præmio digna, vt inſani quidā noſtra hac tempeſtate docuerunt, cur ea Deus tā exquiſitè laudat hoc loco? An contempſiſſe illa, & pro nihilo habuiſſe putandus eſt is, qui ea eſſe dicit paradiſo ſimilia? Qui Cinnamomi, & Fiſtulæ, & Ciperi, & Myrrhæ, atq; Thuris tranſlatis, & magnam vim boni ſignificantibus inſignit nominibus? Sed vtrum quæſo dicunt, vel nihil ab homine iuſto effici, quod verè honeſtum ſit, vel vt efficiatur, nihil illi ad gloriam & ad præmium valere? Inſanum vtrumque quidem, ac ſimiliter impium, ſed vtrumuis eligant, vel hoc vno teſtimonio reuinci planè poterunt. Nam cum

Spiritus

Spiritus ſanctus hæc iuſtitiæ tantoperè laudat germina, ſatis apertè vtrumque quidem docet, & à iuſtis viris edi ea poſſe, & honeſta illa eſſe, ſibique pergrata accidere. Nā quī poterat fieri, vt quæ cæleſti ſatu edita, cæleſtique imbri irrigata germinarent, minus honeſta eſſent? Et quæ Deo in primis authore, & adiutore ab homine fiunt, quî poteſt intelligi deſpici à Deo, atque negligi? Quid vnquā Deus fecit quod non idem probaret? Sicut ſcriptum eſt: Et vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona. *Gene. 1.* Quod ſi hoc in natura verum eſt, in grātiæ bonis profectò erit veriſsimum. At humani ingenij imbecillitas, & ad malum pronitas, bonorum operum ipſum lumen obſcurat. At ea imbecillitas id valet, non vt nunquam honeſtè agere homo poſsit, ſed vt ſemper in omni vita non poſsit rectè & perfectè operari, non efficit, vt omnibus peccatorum maculis inficiatur, ſed vt nonnullis quamuis iuſtus maculetur, non efficit vt omnia iuſtorum opera praua ſint, ſed vt ſint aliqua. Atque vt verum eſt, neminē ab omni peccato immunem in hac vita eſſe, ita eſt certè veriſsimum, multa à iuſtis edi bonorum operum germina, ab omni peccati labe atque defectu libera. At detrahitur Chriſti meritis quidquid arrogatur noſtris operibus, Imò nos Chriſti meritorū veram laudē, & agnoſcimus, & amplificamus, vos qui illuſtratores illius, & dici, & haberi vultis, minuitis eam & obſcuratis. Etenim non ij ſumus, qui cuiuſquā hominis, quāuis iuſti, rectiſsimè factis quidquam tribuamus meriti, niſi in Chriſto, & propter Chriſtum. Quin illud ipſum honeſtum, quod in actione cernitur, abſolutum omnibus ſuis numeris, atque perfectum præſtitiſſe neminem dicimus, niſi priùs ipſe à Deo ob Chriſti meritum, & animi iuſtitia ſanctificatus, & magnis gratiæ auxilijs ad bene agendum incitatus fuiſſet, & inſtructus. Itaque vos, qui Chriſti ita laudatis meritum,

vt nihil ex eo ad nos manare velitis, quod nos re ipsa sanctificet, ac bonos reddat, sed opinione quadam inani, & vanissimis cogitationibus ficta imputatione, rē totā conficitis, vtrùm Christi meritis laudem, an labē: amplitudinem, an imbecillitatem tribuatis, & arrogetis etiam, atque etiam videte. Nos certè non modo quam vos maiorem, sed quanta tribui potest maxima, tantam illi laudem tribuimus. Dicimus enim, & prædicamus Christi merita, cum ipsa per se amplissima & infinita esse, tum ita esse efficacia ad hominēs iustos efficiendos, eos vt non solùm Deo reconcilient, & ex inimīcis qui antea erant, amicos haberi efficiant, quod vos dicitis, sed etiam vt quales qui Deo chari futuri sunt esse decet, tales eos reddāt, sanctos, scilicèt, menteque pura, ac munda præditos: nec solùm munditia & puritate mentis, sed cælesti etiam, atque diuino animi habitu ornatos. Affirmamusque illud, ex ea, quæ in ipso Christo est iustitiæ, atque omnis præstantiæ immensa copia, ad iustorum animos deriuari magnam vim: qua primum ad Christi effigiem ipsi & similitudinem effinguntur, atque formantur: deinde ad illa effigie ac similitudine dignas, & consentaneas actiones impelluntur. Itaque illa cælestis iustitiæ excellens forma, ad Christi iustitiæ exemplum efficta, & ex illa deducta, primum in animo iusti existit impressa, postea in actionibus apparet, atque enitet. Quibus in actionibus bonis quò magis insistimus, eò magis Christus ipse meritorum suorum copias nobis communicat, nosque similiores sibi efficit: ex quo rursus sequitur, vt promptius ipsi atq; alacriùs, atque etiam perfectiùs bene operemur: ita fit vt honestum quod à Christo in animo nostro est, in actione simile honestum efficiat, ipsumque actionis honestum auctum, & amplificatum, animi, à qua ortum habuit, honestatem iterum augeat: idque totum, quo

ne cogitari quidem aliquid potest in hoc iustitiæ genere præstantius, aut maius in nos Christi sanguis efficiat. Ita, vt si ratione diligenter subducta, cunctisque in vnam summam collatis, de re ipsa, prout est, iudicare velimus, dicere debeamus, quod & dicimus, & libera voce affirmamus, præter Christum, aut quod ex Christo ortum, atque natum sit, nihil in hominum genere, sed ne in Angelorum quidem esse, quod Deo gratum sit, & acceptum: eoque nomine potissimum Deo nos commendari, quatenus iustitiæ eo bono, quod ex Christo trahimus, & participamus, quodque & in animo nostro diffunditur, & in actionibus explicatur ac cernitur, similes efficimur ipsi Christo. Illa enim Christi in nos imago conspicua, participatione eius boni quod in Christo est, & ab eo in nos deriuatur effecta, diuinum amorem nobis & beneuolentiam conciliat: sicut scriptum est. Quos præsciuit & prædestinauit conformes fieri imagini filij sui. Igitur vos hæretici Christi meritorum gloriæ, & virturi detrahitis: nos debita illum laude & prædicatione prosequimur. Vos inertem quandam, & vt ita dicam, ociosam vim illis tribuitis: nos energiæ, & efficacitatis plenam. Vos in solo Christo hærere dicitis iustitiæ bonum: nos ad animos bonorum id introducimus, & ab animis ipsorum ad actiones corum-dem deriuari contēdimus. Vos inhærere vultis in vite palmites, nullum tamē à vite succum, qui quidem in ipsis sit, illos trahere, aut vllos fructus edere, qui pretio & æstimatione sint digni: nos libenter assentimur Christo dicenti. Ego sum vitis, & vos palmites, qui mānserit in me, hic fert fructum multum. Vos quidem fontem omnium bonorum Christum esse fatemini, sed fontem qui intra se se contineat aquas suas: nos ex eo fonte, quem item inexhaustum & Oceano maiorem esse fatemur, largos

Roma. 8.

Ioan. 15.

Psellus in Canti.

bonorum omnium riuos deriuari, & ad singulos iustos peruenire affirmamus: quibus è riuis effici dicimus, vt in singulis iustis, ad quos deriuantur, existant singuli fontes, eius ipsius fontis, à quo ortum habuerunt, proportione consimiles, ac cælestibus exuberantes aquis, sicut ipse Ioan. 4. Christus affirmat: Qui credit in me, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Et Solomon hoc ipso in loco. *Fons signatus, puteus aquarum viuentium, quæ fluunt magno impetu de Libano.* Nam in eo certè, quod hos fontes aquis viuentibus abundare & fluere magno impetu dicit, satis docet in ijs riuis, qui ab his fontibus manant, hoc est, in bonis iustorum operibus vitalem inesse vim, id autem est, efficientem cælestis vitæ. Nam quod ad extremum adiungit. *Surge Aquilo, & veni Auster, & perfla hortum meũ, & fluent aromata illius* Idcircò adiungit, quia desiderat, id quod omnes boni desiderare debemus, vt fideles suos liberet Deus à vestris istis venenatis doctrinis: vosq; ipsos, aut de medio tollat, aut certè dedoceat ista dogmata pestifera quibus quemadmodum ventis Aquilonaribus sata aduruntur, sic omnis benè, & sanctè operandi alacritas aduritur, omne honesti studium extinguitur, omnes industriæ nerui inciduntur.

TERTIA EXPLANATIO.

Vam pulchra es amica mea, quàm pulchra es, oculi tui columbarum, absque eo, quod intrinsecus latet. Expositis superiori capite ex persona Ecclesiæ, ijs quæ Deus benignè, & amanter cum illa fecit in AEgypto, & in mari: commemoratisque alijs rebus, quæ ad tabernaculi fabricam, & Dei numinis præsentiam declarandam pertinebant, in hoc capite, quò intelligatur, quàm ea Ecclesia Deo grata esset, quãque eius reipublicæ ratio atque forma ipsi esset ex omni

ni parte probata, & accepta, sponsus, id est, Verbum Dei Christus inducitur, eius Ecclesiæ membra singula laudans, personę sub qua loquitur decoro seruato. Nam vt amatores celebrare laudes solent earum, quas amant: & quod ad oris illarum pulchritudinem, & corporis attinet elegantiam, id potissimum celebrant: sic Deus de illa Ecclesia, tãquã devna fœmina elegãti forma prędita loquẽs, singulas eius oris, atq; corporis partes cũ laude cõmemorat, itaq; inquit *Quã pulchra es amica mea, quã pulchra es.* Hęc, vt mihi videntur, ad illa propriè tempora spectant, quando sub finem quadraginta annorum, quibus Hebræi in Arabiæ solitudinibus versati sunt, vita functis ferè vniuersis, qui AEgyptiacorũ morũ studio tenebantur, tota illa Ecclesia ex ijs cõstabat hominibus, qui à pueris in timore Dei, & eius cultu erant educati. Nam etsi nullum tempus sit, in quo Ecclesiæ erga Deum pietas laudari nõ possit, (nec enim Ecclesia sit, aut consistat, nisi fide erga Deũ & amore præstet) tamẽ est quando eę virtutes in ipsa magis efflorescunt, nec efflorescunt magis modò, sed etiam latiùs peruagantur, & ad plures homines pertinent. Itaq; tunc pleno magis ore celebrari debet & potest. Et dubiũ non est, quũ ille Hebræorum conuentus, quò & longius ab AEgypto terrarum spatijs recedebat, & minus aberat ab eo, vt ad promissas adiret sedes, eò magis & numero bonorum virorũ, peccatoribus paulatim decedentibus, augeretur: & eorum in omni genere virtutum præstantia floreret. Igitur de eo *Quã pulchra es amica mea, quam pulchra es.* Vnius & eiusdem verbi geminati varius vsus est in sacris literis, & in sermone Hebræorum. Auget interdum geminatio numerum, vt in Exodo. Congregauerunt rana- *Exodi. 8.*
rum aggeres aggeres, id est, plurimos aggeres. Interdũ notat inęqualitatem, & discrepantiam in eo quod vnum ac simplex esse debebat, vt in Deutorono. Non erit in *Deut. 25.*

Psal.11. facculo lapis & lapis, ideſt, aliud ab alio diuerſum pōdus, ſed vna, & eadem erga omnes menſura. & in Pſalmo, in corde & corde loquuti ſunt, id eſt, cum quod pectore celant, oratione depromere deberent, contra aliud ore protulerunt, aliud pectore occultarunt. Sæpe rem amplificat, & vim ſuperlationis habet, tùm interdum in vna re eius quod nomine ſignificatur diſtinctas rationes notat, vt in præſentia, nam cum ſponſus dicit ſponſæ ſuæ. *Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es.* Aut ſignificat videri ſibi pulchram ſuprà omnem modum, aut certè docet gemina ratione ſibi pulchram videri: duo enim in illa Eccleſia & hominum conuentu ſpectari tunc maximè, atque probari poterant. Vnum interior eorum erga Deum pietas, in quam ipſos paulatim induxerat atque proficere fecerat, ſummus quidam, & propè familiaris, & domeſticus vſus, ac neceſsitudo, quæ illis cum Deo fuit. Alterum externa eius reipublicæ forma, quod ad deſcriptionem caſtrorum pertinebat, & ad iter faciendi rationem, ad iuriſdictionem, ad ciuilem diſciplinam, ad ſacrorum ritus. Quarum rerum imprimis ſpectabilis erat arq; pulcherrima ſpecies. Itaque Balaan, vt in
Num.24. Numeris dicitur, cum è vertice montis Phegor Iſraëlitarum vidiſſet caſtra poſita in ſubiecta planitie, elatus ſpiritu in hæc verba prorupit. Quam pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Iſrael, vt valles nemoroſę, & vt horti irrigui iuxta fluuios, vt tabernacula quæ fixit Dominus, quaſi cedri propè aquas. Quibus non ſunt diſſimilia quæ ſpōſus. *Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es.* Sed quod vniuerſe dixit, id quo magis eſſe verum oſtenderet, per partes ſtatim explicauit, Nam ſubijcit, *Oculi tui columbarũ, præterid, quod intrinſecus latet, capilli tui ſicut greges caprarum quæ aſcenderunt de monte Galaad, dentes tui ſicut greges tonſarum, quæ aſcenderunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus*

& ſterilis non eſt inter eas. Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce, ſicut fragmen mali punici, ita genæ tuæ abſque eo quod intrinſecus latet, ſicut turris Dauid collum tuum, quæ ædificata eſt cum propugnaculis. Mille clypei pendent ex ea omnis armatura fortium, duo vbera tua ſicut duo hinnuli capreæ gemelli qui paſcuntur in lilijs. Quas omnes ſimilitudines atque res, non neceſſe eſt cum totidem alijs Eccleſiæ conferre rebus, aut minutatim manus (vt ita dicam) aptare manibus, atque oculos oculis. Non inquam eſt neceſſe, vt quoniam hic capilli, oculi, genæ, vbera, nares, & reliqua membra corporis nominantur, ideò demonſtremus in illa Eccleſia ac republica fuiſſe aliquid quod ſigillatim illis reſponderet, quodque in republica eſſet, quod in corpore dicuntur eſſe, capilli, oculi atque genæ, ſed dicendum eſt, iſta formoſæ fœminæ imagine, deſcriptioneque ſignificari illius Eccleſiæ, ad quam ea refertur, omnes partes perfectas atque abſolutas eſſe, vti ea omni ex parte perfecta eſſe imago fingitur: idque interpretationis genus cum primis graue eſt, & ob id his ſcriptis maximè, mea quidem ſententia, conueniens. Quod ſi hæc eadem ſcrupuloſiori illo interpretationis modo explanare velimus, qui in comparatione res rebus & verba verbis annumerat, quod genus, fateor, multi ſequuntur, dicere oportebit ſponſum in hoc loco, ei cum verſare-
tur ante oculos illius imago Eccleſiæ, vel in tentorijs reſidentis, locatis caſtris, vel ad iter agendum accinctæ, iterque ipſum facientis ordinibus ritè diſpoſitis, eius rei mira ſpecie delectatum quaſi vnius pulchræ fœminæ laudaret membra, ita eius ſingulas partes laudaſſe: quod vt intelligatur quàm ad rem quodque transferatur nomen, aduertendum priùs eſt, illam Eccleſiam in ponendis caſtris, quandiu

in

in Arabię ſolitudine verſata eſt,hunc ſemper tenuiſſe mo rem.In Orientali caſtrorũ parte,id eſt,in frõte caſtrorũ tẽ toria figebant ternæ tribus Iudas, Iſachar,& Zebulon:ad eorundem meridionalem plagam locum tentorijs ponẽ dis merabantur,ternę alię Ruben,Simeõ,Gaad;Ci cium & Septẽtriones Dan,& Aſſer & Nephtalim obſidebant: in occaſu vero Ephraim erat,& Beniamin,&Manaſſe:me dio autem caſtrorum ſpatiõ,tabernaculum Dei erigeba tur:id non lõgo ſpatio dirempta ab ipſo,Leuitarũ tẽtoria circumcirca cingebãt.Porrò quoties ſublatis caſtris itine ri ſe dare illa Eccleſia decreuerat,hoc ordine procedebat. Præibat nubis columna,noctu inſtar ignis lucens,& quò tendẽdum eſſet demonſtrans, eam agmine quadrato ſe quebantur Iudę & Iſacharis , & Zebulonis tribus,his Ru benitæ,& Simeonij &Gaditæ ſuccedebãt,poſt quos arcã Dei & tabernaculi partes,ac vaſa omnia inter ſeſe partiti deferebant Sacerdotes & Leuitæ,quibus à tergo inſtabãt Ephrainitæ,& qui ad eorũ ordinem pertinebant; Danitæ verò vnà cũ ſocijs ſibi tribubus extremũ claudebant agmẽ.Ergo id, animo quaſi oculis ſponſus hauriens , ſpecta culum,& quàm ſibi eius Eccleſiæ partes omnes gratæ eſ ſent,corporis fœminei,& ſpecioſi allegoria declarans,in oculis igneam ſignificat nubem,qua præmonſtrante viã illi carpebant iter,quæque ideo illis erat pro oculis . Iudæ tribus,& duarum tribuum quæ in eadem regione,qua il la,caſtrametabantur cohortes , ſignis ſpanſis nubem ſe quentes capillis aſsimilat , Rubenitas & eorum ſocios multis pecoribus abundantes dentibus comparat ijs,qui ouium fœtarum greges referant , labiorum ac loquellæ inſtar eſſe dicit,Leuitas SacerdoteſqueRubenitarũ qui ſe quebantur agmen,quod eorum ore Deus cum illa Eccle ſia loqueretur , eoſque vittæ coccineæ ſimiles eſſe dicit, quòd in eorum ſacro ornatu cocus & purpura prænite ret,

ret,his ſuccedebant Ephrainitarũ numeroſa agmina quę genas nominat,malo granati fragmentum referentes: in quo varij ac multiplices granorum ordines pulchrè col locati & conſtipati viſuntur. Deſinebat autem id agmen totũ in Danitas vt caput in collum deſinit;quare collum ipſos nominat,& quòd virtute animi,& corporis robore præſtarent,armiſque egregiè inſtructi eſſent. Id collum ſi mile eſſe dicit turri Dauidis ædificatæ cũ propugnaculis, è qua mille penderent clypei,omniſq; fortium armatura. Ad extremumque Moſen & Aaron eximiè laudat,duo il li populo data quaſi vbera eos eſſe dicens,quę ipſum ſem per ſalutari,ac cæleſti paſtu alerent,poſt quæ tandem aptè ſubiũgit. *Donec aſpiret dies,& inclinentur vmbræ,vadam ad mon tem myrrhæ,& ad collem thuris.* Nam eius Eccleſiæ,ſiuè in caſtris,ſiuè in itinere pulchra ſpecie,& deſcriptione lauda ta tandem cõſentaneè hortatur ipſam,eò vt accedat,quò tendit,ideſt,vt Palęſtinæ ſibi promiſſa loca adeat, horta turautem ipſam nunc tacitè,poſtea apertiùs hortaturus. Non enim inquit,vade ad montem myrrhę,ſed ipſe vadã dicit,id eſt non directè , ſed obliquè ei ſuadet itionẽ iſtã, Nam conſequens erat,ſe vt euntem illa comitaretur,quia qui inter ſe amant ęgrè diuelli à ſe poſſunt:tùm quæ face re debemus ipſi,ea ſcripturæ non ignoto more Deus fa cere ſæpè dicitur,itaque ſe velle ire dicẽs,ei author eſt, vt eat quò profecta eſt,hoc autem dum ſuadet illi, aut quaſi ſuadeat,ita loquitur,in eo certè ſignificat iam viæ longiſ ſimę errore finito,ingreſſus eius in Palæſtinam adeſſe tẽ pus.*Vadam*,inquit,id eſt,vadam ipſe,tuque me euntem ſe quêris,*Ad montem myrrhæ,& ad collem thuris*,ſic enim peri phraſi quadam, figurateque Palęſtinam nominat mon tem & collem, quòd montuoſa maxima ex parte ſit, fe racem autem myrrhæ, & thuris , vel quòd aromata fer ret:gignebat enim opobalſamum, atq; cyperũ, vti ſupra

mon-

monstrauimus,vel certè quòd ijs in montibus primò tabernaculum Dei figendum erat, deinde templum magnificentissimo opere construendum,&in his thymiama Deo singulis diebus adolendum, quod,vt diximus,myrrha potissimum,atque thure constabat. Sed quod addit. *Donec aspiret dies,& inclinentur vmbræ*, In quo dicit se vsque ad vesperum diei moraturum in ijs locis:in eo docet, inibi Ecclesiam,vel diutissimè permansuram,vel permansuram duntaxat vsque ad Aduentus Christi tempus, quod vltimum mũdi ætatis tempus est, & ob id in sacris literis, non parùm sæpè nouissimum nominatũ. Sequitur autẽ, *Tota pulchra es amica mea,& macula nõ est in te.* Reddit enim causam superioris sententiæ,quasi dicat,ideò diutissimè vnà tecum ero in monte myrrhæ,& in colle thuris,ideſt, in Palæstinæ regionis locis cultus à te, & te ipse vicissim colẽs:Quia. *Tota pulchra es amica mea,& macula non est in te,* id est,quia omnes reipublicæ tuæ partes pulchrè sunt cõstitutę. Et certè illa Ecclesia quando Deus ipsam hortabatur, bello vt Palæstinam aggrederetur, multum in omni virtute præstabat. Nam qui leui in Deum atque infideli animo hactenus in ipsa fuerunt,ij iã de medio sublati omnes erãt: & qui in eorũ succesſerunt locum ipsorum filij; ij,& quòd AEgyptiorum morum ignari essent,& quòd à teneris annis cultum Dei imbibissent, ipsum religioſe colebant, itaque pulchra erat tota. In quo etiam perspicitur quantum eius ætatis Ecclesia illam priorem,quæ ante Mosis tempora floruit,in cognitione & amore Dei Ecclesiam superârit. Nam eã cùm laudabat sponsus,oculos illi pulchros dabat,prętерea nihil,sic enim dicebat. *Ecce tu pulchra es amica mea,oculi tui columbarum.* At istius pulchritudinem laudat,& quod ad oculos pertinet,&quod ad genas, & capillos,& dentes,& vbera atq; collum spectat. Sed addit,*Veni de Libano sponsa mea, veni coronaberis de capite Amana*

aur̃ m̃ laudat̃ ma oculos laudauit.

na,de vertice Sanir & Hermon,de cubilibus leonum & montibus pardorum. Quibus verbis iã ipsam apertè inuitat ad Palæstinã incundam,quasi ita dicat. Quia tota pulchra es, ideò tecũ in monte myrrhæ & colle thuris,id est,in Palæstinæ regionis locis volo residere. Quare age,gressum matura, ingredere Palæstinã, quã *συνεκδοκικῶς* à parte totã significat mõtes nominans,Libanũ,& Amana, &Sanir,& Hermõ. Nam his montibus Palæstina ferè cingitur& Septentrionibus,à quibus partibus Hebræi in eã ingressi,atque irruẽtes,lateq́ue effusi, ipsam dominatu oppresserunt. Itaq; dũ hortatur illã vt veniat,vt de Libano & de cæteris mõtib⁹ coronetur,id significat se velle,atq; cupere, vt veniat eos visura mõtes,& de eorũ vertice montiũ omnes subiacentes cãpos contẽplatura. Nã pro,coronaberis, ex Hebræo ad verbũ, vt ante dictũ est, circũspicies verti potest. Id antẽ se cupere cũ significat,certè ipsi figuratè præcipit, ea vt adeat loca,eaq́; armis obtineat,&pristinis expulsis possessoribus in eis dominetur. Quod & fecit. Sequitur porrò. *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa,vulnerasti cor meũ in vno oculorum tuorũ,& in vno crine colli tui.* Adhuc perseuerat in laudãdo. Nam quò magis se illius pulchritudine in amore incẽdi affirmat,eò magis laudat ipsam. Ait autẽ se eousq; incendi,vt vel vnus eius aspectus, vnusq; illius crinis, ipsi mentem eripiat. Quæ iã ad id tẽpus significandũ spectãt,cum transmisso Iordane fluuio in Cananæorũ fines Hebræi inuaserũt,quo tempore multis editis signis Deus docuit quãtũ Hebręorũ illũ cõuentũ,atq; Ecclesiã dilige ret. Ergo vt beneficia quæ quis in aliũ confert,quã ipsum amet, satis indicãt:sic retrò,cũ De⁹ hoc loco inducit eximiè illã Ecclesiã amãs,& suũ erga ipsã amorẽ iactãs ac prędicãs,certè significat eo tẽpore ei⁹ Ecclesię causa,& vt illi beneficeret,stupẽda ipsũ edidisse opera,itaq; vt doceat spõ sę se nũc nouis beneficijs veteravelle superare beneficia,&

prio-

Universidad de Deusto
Biblioteca

prioribus facinoribus inaudita & commemoranda magis facinora addere, quàm ipsam tenerè, & impotenter amet, testatur. In amore enim illa beneficia, atq; opera cõtinentur, & ex eo tanquam fonte isti riuuli manant, testificatur autem se amore ardere pro persona, quam gerit, satis apertè, dum affirmat, se vel vno illius sanciari aspectu, nam si vel vnus aspectus id potest, omnes eius aspectus, & lepores, quid obsecro efficient? Sequitur. *Quam pulchræ sunt mammæ tuæ soror mea sponsa, pulchriora sunt vbera tua vino, & odor vnguentorum tuorum super omnia aromata.* Pro mammis, & vberibus in Hebræo leguntur amores. Itaq; dicuntur hæc eodem quo superiora sensu, ad docendum quanto amore Deus illo tempore eam prosequeretur Ecclesiam, id est, ad docendum, quot & quã illustria amoris signa in eam ederet. Edidit enim certè plurima, eaque maximè stupenda, sed & obiter hic aduertendus est Ecclesiæ profectus. Nam quæ duo supra sponso ipsa tribuebat, eadem ipsi nunc tribuit sponsus. Dixerat de illo, meliores eius amores vino esse, audit nunc vicissim ab illo ferè eadem, Dederat illi fragrãtiam odoris, dat ei nunc sponsus, vt odore vincat odoratissima aromata, quibus verbis ostendit, iam eam omni virtutis laude se proprius referre, ideſt, sublatam esse ad altiorem virtutis gradum. Omnis enim Ecclesiæ progressus in eo positus est, vt fiat similis Christo, ad quem illa, quantò magis similitudine accesserit, tantò magis proficiet. Quæ vero sequuntur vsque ad finem capitis, ad id tempus Ecclesiæ adumbrandũ pertinent, quod effluxit ab eo postquam Hebræi Palæstinam bello subegerunt, vsque ad Aduentum Christi. Quo in tempore illa Ecclesia, & voce, & potissimum vitæ exẽplo docere alios populos cœpit veri cultũ Dei. Et tanquã arbor fata apto solo, atq; vberi, edidit vberrimos virtutũ fructus. Nã illa mundi ætate in illo tantũ populo veri Dei cultus, & religio vigebat, itaq; & florebat vera religione ipse, & alijs veræ doctrinæ lumẽ præferebat. Eius ergo vt doctrinam sponsus significet, labia laudat sponsæ, vt autẽ virtutum præstantiam & varietatem declaret, similem eã prædicat horto amœno & fonti intacto, sed de labijs pri⁹ sic, *Fauus distillans labia tua sponsa, mel, & lac sub lingua tua, & odor vestimentorum sicut odor thuris.* In Hebræo, fauum stillãs labia tua, mel & lac sub lingua tua, ideſt, & quæ ipsa alios doces, & quibus à Deo doceris ipsa sacræ, scilicet scripturæ à Deo tibi vni concreditæ & ex te propè natæ, quoniã earum omnes scriptores extiterunt ex te, itaque omnis doctrina & disciplina tua melle atque lacte imbuta est. In melle dulcedo ineſt, in lacte paruulorum cibus, vtrũque autem aptè transfertur ad veræ doctrinæ rationẽ significandam, qua, & alitur humanus animus, & castissima voluptate perfunditur, ex quo in Psalmo de eius dulcedine dicitur, & dulciora super mel & fauum. De vi autem alendi, atque nutriendi, lex Domini immaculata conuertens animas, testimonium Domini fidele sapientiam præstans paruulis. Quod autem addit. *Et odor vestimentorum tuorum sicut odor thuris*, id pertinet ad boni exempli ac famæ odorem, quem ex se illa Ecclesia, cœpit spargere, postquam in illis consedit locis. Nam plurimi, partim Hebræorũ doctrinæ veritate cognita, partim eorundem religiosa vitæ ratione perspecta, cultum veri Dei, & puram religionem suscipiebãt, qui & proselyti dicebantur, ob id quod deserto paganismo accedebant ad Iudaismum. Quãta autem fuerit eius Ecclesiæ sanctitatis opinio & quos ediderit in omni virtutum genere fructus in Palæstina fata, & veluti suo, ac natali solo restituta vbi fuit, horti, atque fontis inducta similitudo declarat. Nam sequitur. *Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus cõclusus, fons signatus.* Nam vt hortus multis ac varijs conseritur arboribus, quarum vnaquæq;

Psal. 27

Universidad de Deusto
Biblioteca

pro sua natura fructus vberes gignit,& sicut fons intactus aquis exuberat,sic illa Ecclesia varios virtutũ fructus tulit, copiaq; aquarũ,idest,Spiritus sancti donorũ redũdauit,ea enim dona aquarũ significari nomine supra docuimus,& quoniã neq; in horto nisi muris cincto,quæ serũtur arbores ritè educari possunt,neq; fontes sint liquidi nullo obice clausi:ideo ad similitudinẽ adduxit,nõ hortũ,aut fontẽ vtcumque,sed hortũ cõclusum,& fontem signatũ, id est, diligentissimè clausum:& quo magis explicaret earũ virtutũ,quas his similitudinibus significat,prouentum, ipsas singulas similitudines latius exequutus est,& de horto primò sic, *Emissiones tuæ paradisus malorum punicorum cum pomorum fructibus,cypri cum nardo,nardus & crocus,fistula & cinnamomum,cum vniuersis lignis Libani,myrrha & aloe cum omnibus primis vnguentis.* Describit enim hortum amœnissimũ multis cõsitum arboribus. Quæ arbores ea virtutũ genera trãs latè significant, quibus illa floruit Ecclesia,tã in fœminis, quam in viris,quos sine dubio in illa terra residẽs tulit plurimos prẽditos varijs virtutibus,nec solũ sibi bonos,sed& cunctis hominibus vtilissimos, quod vt indicaret omnes fere quas nominauit arbores,ex eo posuit genere arborũ, quæ odorẽ spirant,idest,quæ ex se late spargũt,quod alios delectet,& iuuet. Atq; hæc de horto. De fonte autẽ, *Fons hortorum puteus aquarum viuentiũ,quæ fluũt magno impetu de Libano,* Nam sicut illa Ecclesia fuit similis horto propter varia virtutum quæ produxit germina, sic & fons liquidus aquisque exuberans fuisse dicitur propter copiosa dona gratiæ,quæ Deus in illam contulit,quibus donis illæ arbores irrigatæ atq; altæ fœliciſsime germinarunt, sed addit. *Surge Aquilo,& veni Auster,perfla hortum meũ,& fluent aromata illius.* Pro surge ex Hebræo verbũ de verbo euigila. Euigila autẽ interpretamur,abi,nã ex antecedẽtibus cõsequẽtia Hebræi significare solẽt,& abituri euigilant,ac se è somno

no suscitant. Aquilo verò arboribus nocet,auræ australes genitales sunt. Ergo isti suæ Ecclesiæ Deus secunda optat, aduersa,ac nocentia deprecatur,id est,dum se, quasi qui optat,ac deprecatur,inducit,significat sibi curæ esse,vt ne quid detrimenti ea respublica capiat. Sed & fortasse non deerunt quibus videatur Aquilone Chaldæos significatos esse,Austro vero Romanos, illi quod Palęstinæ Septẽtrionales sint,hi quod ferè ad eam cæli plagam Palæstinis sint positi, certe Titus in Hebrẽos inuasurus, è Alexandria,quę australis Iudęę est,cũ quinta decima legione profectus,suasq; copias cũ Vespasiani patris copijs coniungẽs se in Iudæorũ fines infudit,Iosephus vt scribit,ergo dicent fortasse,in hoc imperio prędictionem inesse, vt inesse in imperatiua verba prophetis. vatum scriptis solet,in quibus quædam imperatiua verba dicũtur esse prophetica,quod dum aliquid fieri iubẽt, aut certe ita loquuntur quasi iubeant,id futurum denuntient. Ergo dicent his verbis prædici,fore vt Chaldæi atque Romani à sua cæli regione quique tanquam quidam pugnaces venti,(nam ventorum ac procellarum nominibus bellicosas gentes,& bellicos in his literis significari impetus constat) in hunc hortum irruentes longe lateque per omnes terrarum oras,eius quam ferret virtutis ac religionis bonum odorem spargerent. Nam Iudæi primum à Chaldæis, deinde à Romanis captiui abducti,& per orbem dispersi,hominibus idolorum impuris religionibus implicitis apud quos versabantur, veri Dei cultus,veræque pietatis exempla dederunt,itaque eorum non parum multos ab illa superstitione mortifera liberauerunt: certe ipsorum commercio gentes inductæ paulatim sunt,& habiliores effectæ ad accipiendam postea suo tempore culturam Euangelij.

Libr. 2. de bel. Iud c. 5.

Dan. 12. Zach. 2.

CAPVT V.

VEniat dilectus meus in hortum suum, vt comedat fructum pomorum suorum. Veni in hortum meum soror mea sponsa, messui myrrham meam cum aromatibus meis, comedi fauum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo, comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi. Ego dormio, & cor meum vigilat, vox dilecti mei pulsantis. Aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea, quia caput meũ plenũ est rore, & cincinni mei guttis noctiũ. Spoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? Dilectus meus misit manum suam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum eius. Surrexi vt aperirem dilecto meo, manus meæ stillauerunt myrrhã, & digiti mei pleni myrrha probatissima. Pessulum hostij mei aperui dilecto meo, at ille declinauerat, atque transierat, anima mea liquefacta est vt loquutus est: quæsiui & non inueni illum: vocaui, & non respondit mihi. Inuenerunt me custodes qui circumeunt ciuitatẽ, percusserunt me, & vulnerauerunt me, tulerunt pallium meũ mihi custodes murorum. Adiuro vos filiæ Hierusalẽ si inueneritis dilectum meum vt renũtietis ei, quia amore langueo. Qualis est dilectus tuus ex dilecto ò pulcherrima mulierũ? Qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adiurasti nos? Dilectus meus cãdidus, & rubicundus, electus ex millibus. Caput eius aurũ optimũ, comæ eius sicut elatæ palmarũ, nigræ quasi coruus. Oculi eius sicut colũbæ super riuulos aquarũ, quæ lacte sunt lotæ, & residentiuxta fluenta plenissima. Genæ illius sicut areolæ aromatũ consitæ à pigmentarijs, labia eius lilia distillantia myrrhã primam. Manus illius tornatiles, aureæ, plenæ hyacinthis, venter eius eburneus distinctus sapphyris. Crura illius colũnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas, species eius vt Libani, electus vt Cedri. Guttur illius suauissimum & totus desiderabilis, talis est dilectus meus, & ipse est amicus meus filiæ Hierusalem. Quo abijt dilectus tuus ò pulcherrima mulierũ, quo declinauit dilectus tuus, & quæremus eum tecum.

PRI-

PRIMA EXPLANATIO.

VEniat dilectus meus in hortum suum. Sui copiam facit, inuitatque sponsum ipsa, & gratificari illi se velle, atque submitti in eo quod ipsum cupere intelligit, profitetur: hancque illi gratiã, & concessionem sui rependit pro laudibus, quibus affecta est ab ipso. Itaque dicit. Tu me esse similem dixisti horto pulchrè consito: at is hortus, qualis est, tuus est, tuisque vsibus & vtilitati patet. Itaque veni, & fructum lætitiæ ex eo tuo arbitratu carpe. Cui sponsus se venturum respondet, & quo significet sibi id magnæ voluptati futurum, figuratè, & in eadem persistens metaphora, ea in horto effecturum se esse dicit, quæ festo die ab ijs, qui ad epulas, quiq; genij indulgẽdi causa in hortos conueniunt, fieri sæpè solẽt. *Veni*, inquit, id est, *veniam in hortum meũ, messui myrrham meam.* Nam solent agricolæ in hortis primũ aliquid rustici operis facere: deinde vino, atque epulis indulgere. Vnde addidit. *Comedi fauum cum melle meo, bibi vinum cum lacte meo.* Eis enim cibis pastores & agricolæ plurimum vtũtur. *Comedite amici, bibite, & inebriamini charissimi.* Imitatio est sermonis mero certantiũ conuiuarum, & mutuo sibi propinantium. Quanquam inest ellypsis quædam in oratione hac, plenè enim & integrè diceretur: nec solũ ipse veniam, sed socios etiam plures mecũ ducam, eosque & cibi, & eiusdem mecum gaudij participes efficiam: dicãque illis, comedite amici, & inebriamini charissimi. *Ego dormio, & cor meum vigilat* Iã ab alio principio noua amoris instituit argumenta Nã quasi iam discessisset sponsus, atque eo se contulisset, quo se iturum dicebat, sic nunc fingitur sponsa, cum ad multam noctem vigilasset expectando illum, iam propè desperans reditum, & cubitum iuisse, & postea experrecta, quid sibi & cubanti, & dormiẽ

Universidad de Deusto
Biblioteca

ti acciderit,ille dum iterum redit,retuliſſe. *Ego*,inquit, *dormio*. Id eſt,dum abſentem illum ad multam noctem expecto me oppreſit ſomnus. At quamuis dormiebā,cor vigilabat meū,cura videlicèt,& ægritudine de viri mei abſentia ſollicitum. Nam ſimulatque illo recedēte, & ianuā impellente crepuere fores,excitata ſomno ſum,eūq; dicē tem audiui. *Aperi mihi ſoror mea,amica mea, columba mea, immaculata mea.* Quia verò ſimile erat ſponſam,quod ſe deluſiſſet ſpōſus ſuus,& noctu ſolam reliquiſſet,iratam eſſe: idcircò adueniens ſponſus placare illius animum,atque lenire indignationē conatur molliſſimis iſtis verbis: quibus ſimul vt ianuā aperiat,ipſam rogat, ſimul machinas, & quaſi tormēta quædam adhibet,blādiſſimæ orationis, quò ad illius ſubiratum animum penetrare poſsit,ipſamque lenire. Hanc enim vim habent appellationes iſtæ blādæ,ſoror mea,columba mea,ſimiliterque quod ſequitur. *Quia caput meum plenum eſt rore,& cincinni mei guttis noctiū.* Nam qui inter ſe amant,& ob aliquam leuiorem cauſam diſſident inter ſe,tū facillimè in gratiam mutuò redeūt, ſibique inuicem placantur, cum aduerſi aut moleſti aliquid alteri eorum accidit. Amor enim rei amatæ incommodo,atque detrimento perſpecto maiorem in modum accenſus,omnem diſſidij memoriā obliterat. Atque hæc ſponſus: cui ſpōſa reſpondiſſe fertur planè ex ingenio fœminarū. *Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos? exui me tunica mea, quomodo induar illa?* Eſt namque proprium fœminarū cum rogantur, inepta quædam cauſificari, & ea ſe nolle fingere, quæ maximè & ardentiſsimè cupiunt. *Exui me*, inquit, *tunica mea*. Atqui dudum tui viri videndi deſiderio, ita ò ſponſa flagrabas, vt per niues ipſum, perque medios ignes ſequutura videreris. Sed, vt dixi, fœmineus ſeruatur & exprimitur mos. *Laui pedes meos*. Nam fœminę lautæ cubitum ire ſolent. *Quomodo inquinabo illos?* Quanta mollities eſt

Quanta

Quanta fœminei moris expreſsio? Quantaque ſignificatio indignationis propter ſponſi moram conceptæ? Quāque etiam vrbanè, & ex amatorum conſuetudine aptè ſuā ſpōſa indignationem vlciſcitur? Nam quod ait *Exui me tunica mea, laui pedes meos*. Perinde eſt, ac ſi diceret. Atqui pernoctare extra domum potiùs, quàm tam ſero reuerti domum debuiſſes: tu te oblectas noctu, quibus tibi commodum eſt, rebus & locis, ac me deſertam, ac pene viduā domi iacere ſinis: aſt ego viciſsim, nec inſomnes noctes ducere volui, te fruſtra expectans, nec nūc aut poſitam veſtē ſumere, aut lecto ſurgens, lautos inquinare pedes tui cauſa volo. Sed videam' quod ſequitur. *Dilectus meus miſit manū ſuā per foramen, & ad tactū eius cōmota ſunt viſcera mea.* Nam dum illa cunctatur, ſpōſus moræ impatiens immiſſa manu, qua patebat inter fores aditus, fingitur peſſulum interiùs aditū amouere voluiſſe: quod illa vt animaduertit, omni cūctatione & cauſificatione depoſita exiliens lecto, ac vehementer perturbata, quod ab amore ipſo accuſari ſe, & redargui de ſuperiore cunctatione ſentiebat, fores aperuiſſe dicitur. *Dilectus meus miſit manum ſuam per foramen* Silicèt, per id foramen, quo clauis immittitur: nā id ſignificat Hebraicum מחור Hahur, quo intelligendum eſt, digitos immiſiſſe ſponſum dici, quò ianuam aperiret. Nam credibile eſt, idque vel ex hoc loco ſatis poteſt intelligi, Hebræos in occludēdis foribus vti ſolitos fuiſſe eo ſeræ genere, quo Arabes Iſmaelitæ apud nos vtebantur. Quod erat huiuſmodi. Ab interiori ianuæ parte peſſulum inditum erat foribus lignеum, cauea item lignea incluſum, ſuperneque dentatum ſerræ inſtar: in hos dentes ab exteriori ianuæ parte immiſſa clauis ferrea incidens, trudebat ipſum, tum dextrorſum, tum ſiniſtrorſum, prout vſus poſcebat; quoad vel occluſura inſeret illud annulo item ligneo, qui alteri è foribus inerat,

Universidad de Deusto
Biblioteca

vel reclusura eximeret,atque retraheret.Qui intra domũ erant,id pessulum nulla claue,sed sola manu tractũ facilè, aut inserebant annulo,aut retrahebãt ab eo: qui extra verò,claue quidẽ plurimum vtebantur,tamẽ interdũ & ipsi,eodem quo clauis immittẽda erat,immissis digitis (nã erat id amplum foramen proportione ipsius clauis, quæ item erat oblonga,atque crassa) ianuam recludebant, idque cum faciebãt,ideſt,cum manu citra clauem fores aperiebant,patria illorũ lingua Talhor vocabant,ab Hebræo Hahur,non multum dissimili voce:nam claue ianuam recludere aliter illis,scilicèt,Iaphtar,nominatur.Hoc igitur foramine immisisse manum spõsus dicitur,eoque immittente manum,*Venter*,inquit spõsa,*meus contremuit*.Ac si dicat.Ipsum vt vidi manu retrahere conãtem hostij pessulũ, venter meus,id est,viscera mea contremuerunt, hoc est, commota in me sunt.Ventrem autem, & viscera cum nominat,eos animi motus,Hebraico loquendi more significat, quorũ in visceribus sedes sunt,vt amorẽ & misericordiã.Qui loquẽdi mos haud est alijs linguis ignotus: nã & Græci σπλαχνίζεσθαι pro misereri dicũt.Et ille. Graue Pelidæ stomachũ,pro implacabili ira posuit. Igitur sponsa amore simul & pudore, atque misericordia, vt præfesti nantem vidit sponsum correpta,toto pectore ęstuare cœpit *Aa tactum eius*. vel vt in Hebræo legitur.Super eũ, id est,eius gratia atque causa cõtremuit venter meus: id est: contremui quod illũ fessum atq; imbri madidũ stare ante fores voluissem,dum pedẽ ipsa extra lectum efferre recuso.Quã autem vehemens ea perturbatio fuerit spõsę, ex verbo Hebræo המה Hamu intelligitur, pro quo Latinus interpres posuit commota sunt. Nam id infremere propriè significat, & de mari irato, & procelloso literatè dicitur:idq; ad se sponsa trãstulit, quo significaret quibus ipsa fluctibus amoris atque pudoris agitata fuisset.Nã vera

verosimile est amorem, intra ipsam motus horribiles commouisse, ipsamque quodammodo incusasse graui fremitu: quod propter mollitudinem, & desidiam suam permisisset virum suum noctu sub dio manere. Sequitur.*Surrexi vt aperirem dilecto meo,manus meæ stillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatissima.* Ex consequentibus, id quod antecesserit, declarat.Manus sponsæ stillauerunt myrrham: igitur myrrhæ plenum vasculum secum tulerat,quò venientem sponsum perfunderet,atque oblectaret: idque fecerat non solùm iuxta morem gentis suæ, sed etiam iuxta amantium fœminarum consuetudinem: solent enim illæ huiusmodi liquidis odoribus imbuere, atque perfundere amatores suos. Attulit myrrhæ plenũ vasculum, eo vt suum sponsum exciperet introeuntem, atque perfunderet: sed dum festinat, neque satis sibi præ amore, atque pudore constat, vase effracto, myrrhaque per manus effusa, cum ipsa se digitosque suos,tum pessulum ostij cui manus admouebat, infecit. Vnde sequitur. *Pessulum ostij mei*. scilicèt myrrha imbui, non solùm manus. Nam orationem sic esse distinguendam ex Hebræo constat,in quo ad verbum scribitur.*Manus meæ stillauerunt myrrham,& digiti mei myrrham trãseuntem super manubria pessuli*. Dicitur autẽ myrrha transiens, vel quod effusa, quomodo dictum est, ad pessulum quoque peruenerit, vel, quod magis probo, quodque est sequutus Hieronymus, quod optima atque probatissima esset. Nã verbum עבר Hober,de moneta dictum,Hebræis probatam monetam significat.Sequitur.*Aperui dilecto meo,at ille declinauerat, atque transierat*.Par videlicèt pari. *Anima mea liquefacta est, vt dilectus loquutus est*.Simul,inquit,me,& amor corripuit,& dolor:amorem accendit vox, atque preces sponsi: dolorem excitauit eiusdem discessus & fuga.Quod quò magis mea culpa accidisse videbam, eò grauius, vehementiusq;

commota sum. Dolore igitur, atque amore domo egredi compulsa, *Quæsiui illum, & non inueni, vocaui, & non respondit mihi.* Vocauisse ipsum dicit, non solùm quæsijsse, vocauisse verò intenta, scilicèt, & exaudibili voce, ne fortè tenebris occultatus ipsam latêret. Sed cum frustra vocasset, diuque & multum quæsisset, in custodes vrbis, à quibus malè mulctata est, dicitur incidisse. *Inuenerunt me*, inquit, *vigiles qui custodiunt ciuitatem, percusserunt me, & vulnerauerunt me, tulerunt pallium meum mihi custodes murorum.* Quæ non ideò quia gesta sunt, scribuntur, sed quia amore suadente fieri interdum à fœminis amãtibus solent, idcircò aptè & venustè facta esse finguntur: similiterque quod sequitur. *Adiuro vos filiæ Hierusalem.* κατα το εικος à Solomone est scriptum. Nam verosimile erat maximis clamoribus ijs, quos sponsa edidisse dicitur, vel virum suum vocans, vel iniuriam sibi à custodibus illatam deplorans, excitatos multos accurrisse quæsitum, quid clamaret, quid sibi vellet, quidve intempesta nocte fœmina per vrbem quæreret, in quibus aliquot fœminas fuisse, misericordia erga iuuenem fœminam præcipuè commotas, item est verosimile. Ad eas igitur, ne qua parte sui hęc carminis actio manca, atque imperfecta esset, sponsa conuersa, sic scribitur à Solomone loquuta. *Adiuro vos filiæ Hierusalem, si inueneritis dilectum vt nuntietis ei, quia amore langueo.* Omisit autem dicere sponsa, quemadmodum suo clamore excitatæ illæ fœminæ sibi obuiam veniissent, ipsamque rogassent, quid quæreret; atque consultò id, & ex arte dicere omisit: propterea quod illa per singulas partes eorum, quæ in re aliqua accidunt, exacta expositio animum requirit, à curis & perturbationibus liberum. Qui enim vel amore, vel odio agitantur, cũ explicare sensum sui animi volunt, neque cuncta dicunt, neque ordinem in dicendo seruant, sed ad id vnum dicendum & exponendum

nendum festinant, quod illos maximè cruciat. *Adiuro*, inquit, *vos filiæ Hierusalem si inueneritis.* Atqui sponsæ multa alia vel acciderunt, vel certè accidisse finguntur relatu atque commemoratione digna. Nam quod ipsam sponsus euocatam elusit, queri profectò poterat, quod item care necessitatem sibi attulit, ipsum noctu, horrentibus tenebris, sine comite, & sine duce quęrendi, querelę iustam causam habebat: quòd incidit in vrbis custodes, quòd plagis ab ipsis affecta est, quòd dispoliata discessit commemorare verè, ac lamentari poterat: quòd denique dolore victa vicinià excitauit, & ignotos sibi homines, sui amoris testes fecit clamando, fœminæ præsertim pudicæ dolendum maximè, & in primis videretur dicendum: at nihil horum aut ipsa meminit, aut suis verbis sponso dici, à Hierosolymitanis fœminis vult: sed illud vnum duntaxat, se ex amore languere. Amoris quippè qui ipsi inerat magnitudo, omnem illi ex animo cæterorum malorum memoriam obliterabat, atque eluebat. Ad hæc planè videbat sponsa, nulla re magis sponsum induci posse, ipsi vt ignosceret, id quod vnum illa maximè optabat, quam si sciret, audiretve, ipsam ex amore languere. Itaque id mandat potissimum, vt viro suo renuncient, quod ad placandum sibi virum suum, & in amore accendendum potentissimum esse sciebat. At quã bellè errat ex amore, quãtoque iudicio ipse Solomon omnem vim summi amoris expressit in hac amantis persona. Nam fœminis, quæ neque ipsam nossent, neque sponsum ipsius, mandat, vt de suo amore, atque langore suum virum faciãt certiorem, antequam eas doceat, vel quæ ipsa sit, vel qua de causa noctu per vrbem cursiter, curve tantos clamores, atque eiulatus cieat: quod amore cæca non minus ea nota esse alijs, quam sibi essent, credebat. Cuius illæ errorem vel demiratæ, vel miseratæ, comiter ei respondisse feruntur.

Qualis

Universidad de Deusto
Biblioteca

Qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adiurasti nos? Nos, inquiunt, quis nam sit dilectus iste tuus tantoperè à te adamatus nescimus: sed quoniam adiuratæ abs te, tuæ voluntati obsequi cupimus, illumque quærere, mãdataque tua perferre ad ipsum volumus, agè, notas expone, quibus à nobis ille possit dignosci. *Qualis est dilectus tuus ex dilecto?* vel, vt in Hebræo scribitur. *Ex dilecto*, id est, quod habet insigne, quove antestat dilectus iste tuus alijs iuuenibus, qui & ipsi amore, atque charitate sunt digni. *Qua sic adiurasti nos.* Nam inquiunt, neque negligere possumus tuas preces, te tam obnixè obtestante nos: neque habemus quî tuæ voluntati obsecundare possimus, tui istius viri, ad quem nos cum mandatis mittis, ignaræ Quibus sponsa isto modo respondet. *Dilectus meus candidus, & rubicundus electus ex millibus.* Primum in genere, deinde per partes sponsi pulchritudo describitur. *Electus ex millibus.* Id est insignis, atque excellens inter mille, aut etiam decem mille viros, vt est in Hebræo. Ponitur autem numerus certus pro incerto, vt sit sensus, ipsum eminere inter omnes. Rectè porrò vulgatus interpres Hebraicum, Dágul, vertit electus. Est enim Dagul propriè signifer, sed transfertur ad ea omnia, quæ in suo genere eminent. Quare signiferum eum esse sponsa dicit, hoc est, oris dignitate, & totius corporis habitu reliquos omnes superantem iuuenes: idque cum dicit, tacitè quodammodo istas fœminas reprehendit, quod de re perspicua, & propter sui excellentiam cunctis nota, quasi de re dubia, & ambigua ipsam rogarant. *Caput eius aurum optimum.* Formosum, & ad fabrè factum, quidquid est, id in omni lingua non solùm in Hebræa aureum, aut ex auro factum dici solet. Vnde & Venus χρυσῆ & eloquentiæ flumen aureum dicitur. Caput igitur aureum, id valet, quod formosum, concinnèque compactum: estque id ad figuram capitis referendũ, non ad

ad capillorum colorem. Nec enim flauos habuisse capillos sponsus dicitur, sed nigros potiùs. Itaque sequitur. *Comæ capitis eius sicut elatæ palmarum, nigræ quasi coruus.* תלל Thalal, Hebræis erigere significat: ex quo חל Thal, tumulus dicitur, quasi dicas erectus, & תלתלים Thalthalim, ad capillos cum transfertur, crispos eos esse significat: propterea quod eorum extrema sursum versus torquentur, & spectant, & quodammodo eriguntur. Hispanè id verbum non ineptè hoc loco verteretur: los enrisçados. Ergo elatæ quod posuit Latinuè interpres, quidam non nomen substantiæ, sed participium esse volunt, comasque elatas Latine dici, quo modo תלתלים Thalthalim Hebraicè dicuntur, id est, sursum versus intortas, & erectas, hoc est, crispas. Palmarum verò quod additur, aiunt neq; in Hebræo, neque in Græco exemplari inueniri, & esse probabile additum fuisse alicuius inscitia. Sed ego pro certo habeo non esse additum, sed de Græco ab interprete expressum: quanquam in ijs codicibus Græcis, quos nunc habemus, non reperiatur. Nam palmarum legisse Theodoretum constat Græcum, & perantiquum scriptorem. Non enim solùm id citat, sed etiam, quæ sint elatæ palmarum commẽtarij in hunc locum interpretatur. Itaq; Septuaginta, aut quisquis alius fuit huius libri Græcus interpres, haud dubiè crediderunt Hebraica voce תלתלים Thalthalim, elatæ significari, addideruntque explicationis gratia palmarum. Quoniam ἐλάτη Græcis nõ solùm genus quoddam abietis, in quo falsus fuit nobilis quidam scriptor, sed etiam, vt ex Marcello constat, palmæ summum corticem, atque adeò palmarum germen recens, eiusque noui fructus, ac germinis folliculos, atque inuolucra significat. Quibus corticibus & inuolucris, credo hic capillos sponsi colore similes dici. Sunt enim subnigri illi cortices, & idcircò subiũgitur. *Nigræ quasi coruus.*

Nigri

Nigri capilli Palæſtinis probantur, neque priſcis Romanis ſecus videbatur, vt liquet ex illo,

Spectandum nigris oculis, nigroque capillo.

Sequitur. *Oculi eius ſicut columbæ ſuper riuulos aquarum, quæ lacte ſunt lotæ, & reſident iuxta fluenta pleniſſima.* Iam diximus Palæſtinas columbas præſtare noſtris, & figura, & ſplendore, & fulgore quodam igneo oculorum. Sed quod addit. *Quæ lacte ſunt lotæ, & reſident ſuper riuulos aquarum*, amplificat attributam laudem, quaſi ita dicat. Oculi eius ſimiles ſunt oculis columbarum, non quarumcunque, ſed earum, quæ pulcherrimos habent oculos. Nam lacte lotæ, quod dicit, periphraſis eſt coloris albi: conſtat autem colũbas albas, & decore, & ſpecie præſtare cæteris. Vnde & in Pſalmo ſaxageſimoſeptimo. Columba argẽtea, hoc eſt, candida, pro pulcherrima columba ponitur. Hæc porrò earum pulchritudo, & fulgor oculorum enitet, & apparet magis, cum ſe in flumine lauerunt. Itaque qui eas emunt, probaturi vtrùm Palæſtinæ columbæ verè ſint, aqua eluunt earum oculos, quod ille ipſarum oculorum nitor, ſic excitatus, atque auctus magis effulgeat: ſed quod Latinus interpres, *Pleniſſima fluenta* vertit, & in Hebræo eſt מלאת Meleoth, quod ad verbum plenitudinem ſonat, poteſt etiam non incommodè pro ipſarum columbarum ſede, atque cubili accipi. Nam quod ſuas ſedes, ſuaſque loca ea, quæ ipſi, vel ars attribuit, vel natura, perfectè implet, id Hebræi vocare ſolent מלאת. Dicit igitur, hanc rationem ſi ſequamur, ſponſa, ſponſi oculos, ſimiles columbarum oculis eſſe: earum inquam columbarũ, quæ candidæ ſint, hoc eſt, omnium pulcherrimarum columbarum: &, quoniam pro locis in quibus ſunt, earum oculorum decus, atque ſplendor magis perſpicitur, earũ columbarum, quæ, vel propter aquam reſident, vel in nido ſuo cubant. Nam eo in loco columbas pulchriores videri

videri ſolere, vel ex illo colligitur, quod ſuperiùs ſponſus ab iſta ſua columba petebat, vt ſui videndi copiam ipſi faceret, in foraminibus petræ, & in cauernis maceriæ, id eſt, in ſede ſua, atque cubili. Sequitur. *Genæ illius ſicut areolæ aromatum conſitæ à pigmentarijs.* Commendat genas à colore ex purpureo & albo mixto qualis viſitur in areolis aromatum, vbi flores varij ſunt, alij purpurei, candidi alij. *Conſitæ à pigmentarijs.* In Hebræo dicitur מגדלות Migdaloth, in quo interpretando ne Hebręis quidem inter ipſos ſatis conuenit. Nam quidam flores, è quibus aromata conficiuntur, quidam turriculas pigmentorũ, opere, ſcilicet, topiario concinnatas in ipſis areolis, vt mos vererũ fuit, quidam turrita vaſcula, natercia, ſcilicet, & pyxides, quibus pigmenta continentur, quidam circulos pigmentorum, interpretantur. Circulos autem pigmentorum, vt ſuſpicor, appellant, fictiles catinos, paruos, & orbiculatos purpuriſſo imbutos, è quibus non inepta ſimilitudo traheretur ad ſponſi pulchrè rubentes genas laudandas. Pergit. *Labia illius lilium diſtillantia myrrham primam.* Eſt genus lilij quoddam purpureum, vt Dioſcorides tradit, quo de genere Solomon intelligendus eſt loqui: idque dicere ſponſi labia purpurea eſſe, ſicuti quæ maximè purpurea ſunt lilia, eademque ex ſe odorem emittere, qualis eſt myrrhæ probatiſsimæ odor. Emittere autem dicuntur labia odorem bonum in ijs, quorum anima ea, quæ ore ducitur odorata eſt. Quod meritò in laude ponitur, propterea quod ijs, quibus anima fœtet, nihil tetrius, ac turpius fieri poſsit. Hos enim nemo ſanus vel ad colloquium, vel ad complexum admiſerit: illos contra, quorum ex ore bonus ſpirat odor, ipſo bono odore omnes inuitati, gratos, atque iucundos habent, vtpotè optimè, & animo, & corpore temperatos. Nam profectò ex vtriuſque partis bona temperatione illa ſuauitas odoris exiſtit.

existit. Ego enim, vt quod expertus sum loquar, sic iudico: non colloquio solùm, sed amicitia etiam, & consuetudine bonorum arcendos esse eos, quibus anima fœtet. Nam quantum recordari retrò possum, neminē vidi hactenus, tetrum odorem ore exhalantem, quem non postea grauissimis animi morbis obnoxium cognouerim, atque ijs potissimū morbis, qui ex atrabili sunt inuidentiæ, fraudis, perfidiæ, voracitatis, similibusque permultis. Sed à labijs descendit ad manus. *Manus illius tornatiles aureæ plenæ hyacinthis.* Manus, inquit, sponsus meus, atque digitos habet aureos, & quasi torno elaboratos, hoc est, lōgè pulcherrimos, *Plenæ hyacinthis.* Hebraicè plenæ Thar sis. Est autem Tharsis pretiosus lapis, à regione in qua gignitur, sic appellatus colore subrubeo. Itaque hoc loco ad extrema digitorum, id est, ad vngues significandos aptè trāsfertur. Nam quoniam digiti aurei dicti sunt, rectè vngues gemmis auro inclusis similes esse dicuntur. *Venter eius eburneus distinctus sapphyris.* Vētris vocabulo pectus, ac reliquum corpus comprehendit: idque eburneū dicit, ob candorē, atque nitorem. *Crura illius columnæ marmoreæ quæ fundatæ sunt super bases aureas.* A capite incipiens, peruenit ad extremum: nec tamen insistit in eo, sed addit aliquid, quod ad illius pulchritudinem vniuersè declarandam pertineat. *Aspectus,* inquit, *eius vt Libanus.* Aspectus, id est, totius corporis habitus, vultusq; ipse, & proceritas, vt Libanus. Non altitudinem confert, sed amœnitatem, & quam varietas rerum efficit, pulchritudinem. *Electus quasi cedrus.* Electa Hebræi, procera quæ sunt, vocant. Sic de Saule filio Cis primo Israēlitarum Rege, quod corporis proceritate superaret omnes, in libris Regum scribitur, fuisse electum, & bonū, id est, procerum, & pulchrū. Nam quod Græci duabus vocibus καλον κ' αγαθον id vna Hebræi Tob, id est bonum, hoc est pulchrum appellant. Sed & La-

Lib. Reg. 1. c. 9.

& Latinè bonum pro pulchro nō nunquam accipitur, vt apparet in illo.

Quem bonum facit barba.

Sequitur vero. *Guttur illius suauissimum, & totus desiderabilis.* vel vt in Hebræo, significāter. *Guttur illius dulcedines, & totus desideria.* Nā quis porrò, inquit, illius sermonis dulcedinē, & vrbanitatē possit exprimere? singula quippè eius verba melle sunt lita, dulcedine & lepore redundant. Sed quid singula persequor, quæ dicendo quidem vix numerari possunt, multò minus recensēri laudando? Etenim, vt vno verbo dicam, totus est desiderabilis, ex gratijs totus, & venustate conflatus: gestu, motu, verbis, oculis, vultu, atque omni denique parte sui, omniū sibi animos & amores conciliat. *Talis est dilectus meus, & ipse est amicus meus filiæ Hierusalem:* Ne videlicèt, aut me in amando ipsum deceptam fuisse, aut vos in eodem quærendo, atque dignoscēdo multū laboris subituras esse arbitremini. Illæ verò iterum ipsam rogant, dicentes *Quo abijt dilectus tuus ò pulcherrima mulierum? quo declinauit dilectus tuus, & quæremus eum tecū?* Atque hac fini terminatur hoc caput. Sed nos pedem iam retro referre, & institutam interioris sententiæ explanationem prosequi longiùs debemus.

ALTERA EXPLANATIO.

VEniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum. Quæ superiori capite ex persona sponsi, ad sponsam de ipsa sunt dicta, ad eam partem pertinebant, quę colloquia illa interiora, quæ diximus, continet, ad quam etiam spectat hoc, quod nunc sequitur: nisi quod ibi Deus loquebatur, laudabatque in anima sancta, & amante sua munera, hoc est, eam, quam ipse in ea effecerat, cælestē pulchritudinē,

S & san-

& sanctitatem: hîc verò ipsa iusti anima tot laudibus ab ipso affecta, ei gratè respondet. Respondet autem quid? breue quiddam, si verba ipsa consideres: at si vim verborum, sententiam que spectes, quod pro bene longo, beneque copioso haberi possit, reddit respõsum, hoc est, respõsum plenum humilitatis, plenum cognitionis sui, plenum gratitudinis, Deo inquam in primis acceptabile, & gratũ responsum *Veniat*, inquit, *dilectus meus in hortum suum, & comedat fructus pomorum suorum.* Primùm non se inaniter effert, neque sibi arrogat, aut acceptum refert aliquid eorũ quæ sibi tribui Deo laudatore, & prædicatore videbat: sed se ipsam agnoscens, & à quo illa sua tantoperè laudata bona ducerentur, intelligens, Dei dono potissimum constare ea, & ob id ipsius esse munera ingenuè fatetur. *Veniat*, inquit, *dilectus meus in hortum suum.* Nam se, quæ propter bonorum operum germina hortus est dicta, se inquam sponsi sui hortum esse fatetur. Fateturque nõ ob id solũ quod possideatur ab illo, quanquam id quodque (nam tametsi Deus in omnibus dominetur, tamen bonorum atque iustorum propriè Dominus est) sed non tantùm quia possidetur ab illo, sed multo etiam magis, quia ab eodem ipso habet, vt sit amœnus, & fructuosus, & pretio atque æstimatione dignus hortus. Ipse enim de principio eum hortum conseuit: ipse consitum summa adhibita diligẽtia curauit: ipse coluit, custodiuit ipse, ab eodem ipso denique fructus ferendi vim, & facultatem accepit: sicut scriptum est. Dei agricultura estis. Et alibi. Neque qui plantat, neq; qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. Primum itaque ostendit suam submissionem, atque modestiam. Deinde etiam testatur, ac præ se fert, nolle se ea bona quæ à Deo habet, vel in suos, vel in alterius cuiusquam vsus conuertere, vel aliquem laudis fructum ex eis deriuare ad se se. Nam Deo illa statim resignat, eique vni istis bonis placere,

1. *ad Corint.* 3.

cere, & gratũ facere cupit. Hoc enim est, quod nunc sponsa dicit, cum sponsum ad eum ipsum hortum, quem ipse conseuerat, atque coluerat, visendum inuitat, eumque hortatur, se vt in eo oblectet, & eius pomis vescatur. Quæ animi, cuncta se à Deo accepisse agnoscentis, & in eundem ipsum, à quo acceperat referentis, modestia atque submissio, Deo sine dubio est gratissima. Quod satis indicant quæ sequuntur. *Veni in hortum meum sponsa mea, messui myrrham meam cum aromatibus meis.* Quibus Deus in persona sponsi demonstrat sibi, quòd ad hortum inuitatus fuerit placuisse, itaque quod rogabatur feciſſe. Etenim Deus quò magis ipsi se submittit humana mens, eò magis intimè se in eam insinuat, propiorque illi fit. Venit itaque in hortum suum, hoc est, venit ad eum, quocum iam antea erat, atque loquebatur: atque idcircò de nouo venire dicitur, quia ipso Dei colloquio homo magis eruditus, & in virtute ipsa perfectior effectus fecit, vt Deo dignius habitaculum suus esset animus. Veniens porrò quid? Laudis atque gloriæ fructum sibi vni legit: cæteros verò non modo non minuit, sed etiam magna bonorum accessione auget, & amplificat. De laude quam sibi legit, illud est. *Messui myrrham meam cum aromatibus meis.* Nam in aromate atque myrrha, boni odoris vis intelligitur: bonus autem odor in sacris literis ad gloriæ laudem significandam transfertur: ad laudem inquam eam, quæ Deo tribui ab hominibus solet, cum aliquid vident iustè ac præclarè fieri à sanctis viris, vt liquet ex illo, Bonus odor Christi sumus, quod Paulus scripsit. Gaudet enim se prædicari à nobis Deus, cui vni omnis prædicatio, atque gloria debetur, & pro innumeris beneficijs, quibus mortalium genus afficit, hoc vnum sibi à nobis expetit laudis officium. Nec verò ex omnibus, quæ

2. *ad Corint.* 2.

facere possumus, quidquam est præter laudem, cuius propriè fructus ad Deum pertineat. Nam cum ipsum aut fide, aut spe, aut charitate prosequimur, cum incumbimus iustis operibus, Deo quidem gratificamur ipsi, sed commodamus nobis potissimum: laus verò & gloria ea, quę iusto rum benefactis debetur, ita propriè Deo competit, vt nul lam ex ea partem sibi detrahi, aut decerpi patiatur. Atque hoc illud erat, quare in veteri lege & in illo ritu, qui iam obsoleuit, Deo pecudes sacrificādi, in omnibus sacrificijs, quæ & multa erant, & vario atque sacro ritu perfecta, vno odore suauitatis se capi, atque affici Deus dicebat: tectè sci licèt, & eo modo, quo vmbræ illius legis sinebant, innuēs, atque significans in nostris benefactis vtile quod est, id no bis haud grauatè concedere; quod autē laude, atque prædicatione dignum, id reseruare sibi vni: sicut & ipse Christus verè, & pro ea luce, quam mundo inferebat, dixit aper
Matth.5. tiùs. Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt glorificent patrem vestrum, qui in cælis est. Tantùm non dicens, nobis eam lucem, eaque officia vtilia esse velle: glorioſa autē vni sibi. Laudis itaque fructū sibi Deus collegit è isto horto. Quòd autem reliquos eius fructus, virtutumque bona reliqua, quæ in anima iusti fructificant, suo ipse aduentu ampliora & maiora reddat, declarat quod sequitur. *Comedi fauum cum melle meo, bibi vinum cum lacte meo, comedite amici, bibite & inebriamini charissimi.* Illa enim sponsus non ex horto legit, sed in hortum potiùs ipse & importauit, & intulit. Itaque lac, mel, atque vinum, hoc est, res suauissimas coniunxit, addiditque præterea ad voluptatem carpendam inuitationem, & adhortationem vehementem, quò intelligeremus bona ista, quibus Deus homines huius, de quo agimus, gradus, id est, eos, qui in virtute proficiunt, accumulat, dulcissima esse & suauissima bona, & eximio quodam genere voluptatis referta:

talia

talia denique, vt iam propè ad tertij atque vltimi gradus perfectionem accedant. Itaque simul atque iustorum animus istis bonis afficitur, præ lætitiæ, atque dulcedinis magnitudine ebrius effectus, cæterarum rerum oblitus, & quasi ad corporeas interpellationes sopitus, corporisque sensibus dormit, & Deo ac bonis diuinis vigilare incipit. Itaque dicit: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Quæ iam ad ecstasin pertinent, in qua huius secundi gradus tota ratio completur. Qua in ecstasi atque raptu, quid sentiat iusti animus, quovè modo afficiatur, quanta luminis copia illustretur, quibus perfruatur voluptatibus, ineptè, atque adeò impiè facerem, explicare si vellem: ipsi explicēt, qui perceperunt, si modo tanta res explicari potest ab vllo homine, illud constat hactenus explicasse neminem. Itaque illi cùm de eo, quod in hoc raptu senserunt, rogantur, nihil certiùs habent dicere, quam arcana se vidisse, quę non licet homini loqui: quemadmodum Paulus scripsit. Et *2 ad Corinth.12.* certè ipse Deus, quamuis ad istos suos interiores, & cælesti voluptate plenos congressus cunctos mortales inuiret: tamen ab ijs, qui illorum compotes facti sunt, eos vt silentio tegant atque occultēt, seueriſsimè exigit. Et hoc causæ habuit, quare suis in literis, quoties alicuius istorū incidit mentio, summa parcitate verborum vtatur: rem notet vno, aut altero verbo, atque eiusmodi significationis verbo, vt facilè intelligatur, quòd verbo subest arcanum esse aliquid, & ineffabile, & quod verbis, quamuis multis non possit dici. Nā in Apocalypsi, Manna abscon- *Apoc.c.2.* ditum vocat; & in eodem, Calculum candidum appellat inscriptum nouo nomine, quod nemo nouit, nisi qui accipit: hoc verò in loco, qui proprius erat, si modo vllus esse potest locus huius doctrinæ, cum cætera, quæ ad amorem istum & charitatem pertineant, copioſè & enucleatè qualia sint, summa verborum vberrate & elegan-

tia posuerit, & oculis conspicienda subiecerit, ad hoc quoties peruenit, propè obmutescit: remque ea breuitate perstringit, verba vt illi deesse videantur: in somnum incidisse, aut animo defecisse, dicere, id satis habet. Quamobrem nos, quale istud bonum sit, experiri omni studio curemus: verbis verò cuiusmodi sit, supersedeamus exponere. Hunc itaque locum silentio præteruecti, ad id, quod reliquum est, iter conficiendum pergamus. *Vox dilecti mei pulsantis, aperi mihi soror mea.* Ab hoc loco perfectorum, id est, eorum, qui in supremo gradu amoris sunt, ratio describitur. Nam qui secundum gradum tenebat, & pro gradus sui ratione satis in virute profecit, is hac sponsi voce ad perfectam charitatem vocatur. Nam, vt antè dixi, in omni gradu primum locum tenet vocatio. *Aperi*, inquit, *mihi soror mea, columba mea, formosa mea, perfecta mea.* Sed non est prætermittendum, quid inter istam vocationem, & superiorem vocationem intersit. Nam superiùs, vt domo atque vrbe relicta in agrum exiret, iustus vocabatur; hîc verò rogatur, vt intra domum pectoris sui Deum ipsum admittat. Nec enim quis putare debet id temerè factum à Solomone esse: aut variandæ orationis causa: sed habita ratione ipsarum rerum, earumque natura diligenter perspecta, expressum & scriptum. Nam sciri debet, qui Deum amant, quò minus in eo amore & pietate proficiant, & ad perfectam charitatem perueniant, duobus rerum generibus impediri, atque retardari solere. Primùm obstare illis solet terrenarũ rerũ administratio atq; cura, qua alij re familiari procuranda, alij magistratu gerendo, alij rebus alijs obeundis implicantur, atque detinentur. Nam vt ista charitatis lumen non extinguant, vt non extinguũt certè in ijs, qui Dei amorem cunctis rebus præponunt, tamẽ cursum quodãmodo charitatis retardant, eamque crescere, atque

Chrysost. homil. 13. in Matt.

atque augeri, non facilè sinunt. Implicant enim nostros animos ijs peccatis, atque curis, quibus si minùs deletur charitas, illius tamen & lumen offuscatur, & ardor remittitur. Deinde obest isti charitatis incremento, atque perfectioni vetus, qui dicitur, homo, concupiscentiæque mala libido nobis natura inserta; quæ licèt opprimatur ab ipsa charitate in hominibus iustis, manet in illis tamen, bellumque sæpè contra charitatem mouet. Itaq; pugnãt inter se se, & charitati concupiscẽtia resistit, eamque charitas tandẽ, si ab ipsa nos duci permittimus, studioseè agendo sensim atque paulatim delet & extinguit: quod cùm effecit, tũ ipsa dicitur, & est iure perfecta. Extinguit cùm dico, nõ id intelligo, posse alicuius studio in hac vita omnes malæ libidinis vires, & cupiditates penitùs, & omninò deleri. Id enim si cui vnquã contigit, nam quin contigerit Dei genitrici dubitandũ non est, sed si cui alii contigit, magno priuilegio contigit gratiæ & munificentiæ diuinæ Non igitur id intelligo: neque etiam iudico charitatem non esse perfectam, nisi in eo, qui omni cupiditate prorsus sit vacuus: sed id tantùm sentio perfectos in charitate ita sedatas, atque compressas, & intra præscriptum diuinæ legis inclusas cupiditates habere, vt mouere se, vix audeant, & contra charitatem efferre. Igitur qui ad perfectionis culmẽ est peruenturus, primùm liberari debet à cura rei, vel publicæ, vel priuatæ gerendæ: deinde debet omni turbido, & rationi aduerso motu, quoad fieri potest, vacare. Sic enim Christus dicebat: Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, quod est, ab omni publica & priuata cura vacuum habere animum: & sequere me: quod ad cupiditatum extinctionem, & abolitionem spectat. Nam sequi Christum, est, cruecm quisque suam tollere, seque ipsum, id est, cupiditates suas abnegare, vt ipse alibi dicit. Qui vult venire

Matt. 19.

Matt. 16.

post me,abneget semetipsum,& tollat crucem suam.Sed est inter ista duo quidam ordo seruandus. Nam primùm curis sæcularibus nũtium remitti debet;deinde malæ cupiditates ex animo sunt euellendæ. Primum qui faciunt in virtute proficere incipiunt. Itaque, qui gradum incipientium ritè tenuerunt ad id vocantur:vt vrbe relicta rura petant, id est, vt vitæ huius interituræ rebus nuntium remittant, seque vindicent in aliquam libertatem, hoc est,vt ad superiorem gradum ascendãt,& incipientes esse desinant,proficientibusque annumerentur: itaq; exeunt in agrum,& humanæ vitę curas abijciunt.In secundo verò maior perfectio quædam sita est: imò verum si est dicendum,ipsius perfectionis absolutio consistit:vnde qui perfectus esse incipit, intelligi debet magna iam ex parte suas cupiditates non vicisse modo,sed etiam propè extinxisse. Et quoniam ex earum depressione ducitur omne principium cum Deo verè amicè & familiariter agendi,à quo profecta charitas tum demum perfectè efflorescit: idcircò, qui iam ad perfectorum gradum ascendit, rogatur, vt Deo introire ad ipsum cupienti, id est, familiariter iam,& omninò amicè agere cum ipso volenti aperire velit, hoc est, vt in eo elaboret, vt edomitis cupiditatibus Deus intrare perfectè ad ipsius animum, & in eo requiescere omninò possit,id est,vt perfectus iam sit,quando satis in secundo bonorum gradu profecit. Nam quod superioris gradus initium est, id antecedentis gradus summum esse intelligimus.Nam incipiens qui dicitur,cũ animum induxit renuntiare sæculo ad summum sui gradus peruenit, premereque incipit proficiẽtium gradum: cuius quidem gradus summa effectio est cupiditatũ depressio, quod vt primum quis assequutus est, secũdo isto gradu relicto ad perfectorum gradum euadit.Ita fuga sæculi & summũ primi gradus est,& initium secundi: similiter

liter deuicta cupiditas tertij exordium eadem est,& secundi supremum.Ex quo efficitur,vt qui ad proficientiũ gradum vocantur,ad id vocentur, quod in eo gradu primũ obtinet locum, id autem est, vt quod iam animo secum agitant,tandem perficiant,abijciantque ab se opum & honorum,quibus constricti tenentur studium : & similiter qui vocantur ad tertium & supremum gradum, ad perfectè comprimenda carnis desideria vocentur. Quæ quoniam explorata erant,& diuinitùs patefacta Solomoni,id circò ipse superiorem illam vocationem, qua qui proficturi in amore sunt,inuitantur ad rerum huius vitæ contemptum,quàm aptè pro persona inducta significari poterat,sic eam exposuit;sponsum inducens ad id,vt patriolare relicto secum vna in agro moraretur sponsam hortãtem.Hìc verò vbi de altiore vocatione agebatur, qua nõ iam vt sæculum quis deserat,quæritur;sed vt carnem exultantem, carnisque affectus ita coërceat, vt quoad naturæ rei patitur,vix ampliùs extent:non id petere sponsum facit,vt domum sponsa relinquat,id est,vt corpus suũ,quod arcano sanctarum literarum sermone domus sæpè vocatur,exuat,atque cõficiat:sed vt extenuatis assidua meditatione virtutum carnis affectibus,quod obstare Deo possit animum intrare, & in eo mansionem facere volenti, nihil relinquatur. *Aperi*,inquit,*soror mea,colũba mea,formosa mea,perfecta mea,quia caput meum plenũ est rore, & cincinni mei guttis noctiũ*.Cui illa . *Spoliaui me tunica mea,quomodo induar illa? Laui pedes meos,quomodo inquinabo illos?*Quod nõ ita accipi debet,quasi vir iustus nolit Deo intrare volenti pectus suum patefacere,hoc est,melior ipse fieri,& Deo acceptior,& gratior,sed quis sit corporis atque carnis sensus exprimitur. Nisi enim esset aliquid adhuc in corpore huius repugnans, neque satis æquo animo cedens imperijs,atque motionibus gratiæ Dei, non profectò vocare-

Auguſt. in Ioann. tract.56.

tur, ideſt, non cum eo ageret Deus, vt bonum id, quod inſtituit, perficeret, & edomaret ita ſuum corpus, vt nihil ex eo eſſet, quod animum impediret, quo minus ipſum perfecta charitate diligeret: Quod igitur aperiri ſibi vult, aliquid ingreſſuro obſtare demonſtrat. Quid autem obſtet, quid ve aditum obſtruat, ex hac cunctatione ſponſæ, & ex his eius vocibus mollitia plenis colligitur. *Spoliauì me tunica mea, quomodo induar illa? lauì pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Sed addit. *Dilectus meus miſit manũ ſuũ per foramẽ, & contremuerũt viſcera mea.* Poſt voces atq; adhortationes Deus efficacioris gratiæ vim atq; impulſum adhibet: manũ inquã ipſe mittit ſuam, hoc eſt, non leuiter, vt priùs, ſed vehemẽtiùs, atque acriùs magnã cæleſtis lucis copiã infundens, totum animum permouet, id eſt, efficaciter vocat. Nec verò offenſus fuit, quòd in eo adhuc ineſſe vidit quiddam contumax & repugnans, nec ſe ſatis ab ipſo regi permittens: id enim pro noſtri corporis atque carnis natura, vt ita eueniret, neceſſarium eſſe videbat: ſed potiùs quoniam id plenè vinci, & ſub iugum penitùs mitti ab homine, quamuis ſtudioſo ſine ſuo ipſius auxilio haudquaquam poſſe intellexit, id auxilium exhibuit. Itaq; mittit manum ſuam per foramen, eaque commouet totum hominis animũ, ideſt, efficit vt animi vis ſuperior ab ipſo adiuta, & maioribus viribus aucta inferiores eiuſdem partes, & earum omnes turbidos motus ſedet & comprimat. *Dilectus*, inquit, *meus*. Nã ob eã cauſam, quia dilectus noſter eſt, hoc autem eſt, quia nos gratis & ſua ſponte ipſe diligit, iſtis afficit nos bonis atque muneribus. *Per foramen*. Quia quacumque patet Deo aditus ad animum noſtrum, illac ſe inſinuat. Nullam enim nobis benefaciendi occaſionem prætermittit, quod ipſum ſummę erga nos ſuæ beneuolẽtiæ clariſsimũ ſignũ eſt. *Et contremuerunt viſcera mea.* Aut, vt ex Hebræo ad verbum vertitur. *Fremitum ediderunt ſuper me viſcera mea ſuper illum.*

illum. Quibus enim motibus affici putamus iuſti animam, quanto tremore concuti: quos ex amore dolore mixto impotentem fremitus edere, vbi in illam Deus totus incubuit, ſeque penitùs infudit in illam? At quàm graphicè (nec enim poſſum ab huius loci interpretatione, & tractatione diuelli, tam mihi eius verba ſingula, & cæleſti dulcedine illita, & diuinis ſenſibus videntur plena) quàm igitur graphicè Solomon vtrumque depinxit, & naturæ noſtræ ingenium & infirmitatem, & amoris atque gratiæ Dei efficacitatem, atque potentiam. Nos enim quamuis multum in virtutis ſtudio verſati, tamen ægrè obtemperamus Deo: Deus verò neque diligendi nos, neque nobis quamuis cunctatoribus & ingratis medendi vllum ſibi, aut finem, aut modum conſtituit. Nos leuiſsimas quaſque res pro magnis impedimentis ducentes, nobis & cunctandi, & eò quò vocamur non eundi cauſas prætexímus, diemque ex die ducimus, ineptè, vel potiùs impiè cauſificando. Nam quid aut leuius, aut frigidius opponi poterat illo, ſpoliaui me tunica mea? at Deus quæcumque ſibi cauſa datur nobis benefaciendi, eã cõtinuò arripit: perq; omnes quãuis tenuiſsimas rimas ſeſe intro agit ad noſtrum animum. Nos per nos deſidia torpemus, ægraq; & infirma mẽbra lecto leuare vix poſſumus: at vbi Deus nobis ęgris manum atque vim ſuam admouet, omnem torporem à nobis excutit. Itaque incredibili celeritate exurgimus, feſtinamus, ardemus, idque ipſum quod in nobis cunctabatur ante, & ad humũ nos deprimebat, eadem gratiæ & amoris vi, non ſolùm edomitum, ſed etiam flammis correptum & incenſum, ſenſum ſuum veterem exuit: nouum verò atque cæleſtem induit: denique ab omni illa ſibi innata vetuſtate propè purgatur: vt ex eo conſtat quod ſequitur. *Surrexi vt aperirem dilecto meo, manus meæ diſtillauerunt myrrham, & digiti*

digiti mei pleni myrrha probatissima. Nam in hoc, cum magnus quidam charitatis declaratur ardor, tùm verò translatè significatur illa, de qua iam tam multa dicimus, carnis cupiditatum, vt ita dicam, plena mortificatio. Huius namque mortificationis symbolũ habet, vt ante diximus, myrrha, quæ nunc per manus, perque digitos omnes effusa, ipsa manubria pessuli imbuisse dicitur: id autem est, leuioribus illis, quæ Deo obstabant perfectè introire volẽti, mortem propè & interitũ attulisse: quæ est huius, de qua agimus, vocationis propria, & peculiaris effectio. *Aperui dilecto meo, at ille declinauerat atq; transierat.* Quomodo potuit fieri, vt Deus in eam animam intrare nolit, quæ sui pectoris fores illi aperiat? an id agere illa sine ipso Deo potuit? aut nisi ipsum intra se se haberet infusum penitùs menti suę, nisi que agitaretur ab ipso, nõ dico tanto erga illũ amore flagraret, sed ne se quidem vnquam suo loco commoset? haud dubiè nunquam. Itaque vtrumque verum est, & in huius anima Deum iam versari, & Dei Aduentum atque ingressum ipsam animam latêre, & idcircò extra se eũ quærere, quem haberet secum & in sinu suo inclusum, & subdentem sibi ad perfectè ipsum amandum ardentissimas faces. Quod idcircò euenit, quia cum duobus modis Deus intrare soleat in animos nostros, vno inspirãdo studia recta, & ad ea opere exequenda adiuuando: altero cælesti voluptate nos afficiendo: cumque prior ille intrandi modus occultus nobismetipsis sit, posterior verò apertior, atque manifestior: (nam quia in eo homo nihil ipse agens cælesti voluptate perfunditur, ideò videre sibi Deũ videtur, præsentemque tenere, atque amplecti.) idcircò sæpè accidit, vt qui habet Deum intra se adiuuantem, & vires sibi sufficientem ad honestè operandum, quia se affici ab eo voluptate non sentit, abesse ipsum abs se putet, seque deseruisse queratur. Nam non si Deus in nobis existẽs nos

nos adiuuat, nos etiam semper voluptate perfundit: nec ista duo sunt ita coniuncta, vt alterum sequatur ex altero, contra potiùs contingit sæpissimè, vt cui est præsens Deus auxilium ferendo, is non modo huius cęlestis voluptatis inopia laboret, sed maximis etiam animi torqueatur, corporisque doloribus. Quod Deus tunc potissimum fieri permittit, cum, quod antè memini me dixisse, nouum aliquod & solito maius nobis contulit beneficium, cumq; nos maioris gratiæ collatione, atque vi ad vberius de se merendum, seque magis amandum excitauit. Tunc enim subtrahere se à nostro cõspectu solet, neque iam amplius dulciter & iucundè in nos illabitur: quinimò aduersi aliquid, vel nobis immittit ipse, vel ab alijs inferri permittit, quasi virtutem nostram isto modo & industriam probare velit. Igitur virum iustum sic in certamen productum nõ quidem sua illum ope latenti, & occulta destituit, sed tamen nudat ipsum interdum atque orbat suo illo familiari congressu, & conspicuo illo atque eximio dulcedinis suæ sensu, qui sensus si adesset, nullus esset malorum & aduersorum sensus. Is verò quid aget, aut quo se vertet simul à consortio & tanquam complexu Dei se distractum vidẽs, simul intenta in se hostium suorũ tela conspiciens? quid? ipsum eundem, quem abesse putabat, diligentissimè quæret: & quamuis nusquam compareat, quamuisque, nihil neque opis, neq; lucis sibi effulgeat ab ipso, quęret tamẽ, neque quærẽdi nisi eo inuento finem vllum faciet: deniq; id aget, quod sequitur. *Anima mea liquefacta est vt dilectus loquutus est, quæsiui illum, & non inueni; vocaui, & non respondit mihi: inuenerunt me custodes qui circumeunt ciuitatem, percusserunt me, & vulnerauerunt me, tulerunt pallium meum custodes murorum. Adiuro vos filiæ Hierusalem, si inueneritis dilectum meum, vt nuntietis ei quia amore langueo.* Nam exposita vocatione eius, qui in secundo ordine cum laude

deuersatus esset, eiusque etiam expositio in superiorem amoris gradum ascensu (Nam vocationi paruisse dictus est, & fores animi Deo pulsanti aperuisse) probationē noui huius amoris, & desiderij, quod ex eo extitit, magnitudinem iam exponit. Probationem in eo, quòd declinauit ab illo Deus, eiusque cōgressum vitauit, simul atque ipsum in meliore gradu constituit, Desiderium verò & quidem nimis incensum in eo quod quamuis multę & graues difficultates ei obiectæ essent, nulla tamen earum ab inquirēdo potuit deterreri. Nam quod dicitur. *Anima mea liquefacta est, Vt dilectus loquutus est*, voce tantùm audita liquescere, magni est amoris indicium: quod autem addit. *Et quæsiui, & non inueni: Vocaui, & non respondit mihi: inuenerunt me custodes qui circumeunt ciuitatem, percusserunt me, & Vulnerauerunt me custodes murorum. Adiuro vos filiæ Hierusalem, si inueneritis dilectum Vt nuntietis ei quia amore langueo*, nihil ad summi desiderij vim declarandam dicere significātius potuit. Sed quo magis perspiciatur verum esse, quod initio dictum, sæpiùs deinceps à nobis repetitum est, gradibus in hoc libro ad amorem ascendi, agè, conferamus hanc desiderij & probationis translatè positam expositionem cum earundē rerū superioribus significationibus: nam oculis intuebimur crescente ipso amore etiam ista creuisse: & pro ratione maioris gradus, de quo agebatur, sponsam inductam fuisse, tum actioribus desiderijs accensam, tum vexatā malis grauioribus. Nam quod attinet ad desiderij explicationem, dicta est illa quidem desiderare, aut potiùs est inducta desiderans, & ab sponso osculari se flagitans in ipso carminis huius initio: sed quia de incipientis amore tūc, & de tyrone agebatur, intra verba cōstitit id desiderium, nec vllum re ipsa sui documentum exhibuit: at postea vbi agi cœpta est proficientis persona, lecto, atque domo relictis, quæsitum sponsum iuisse sponsa dicta est: hoc

hoc verò loco, vbi perfectorum in amore ratio describitur, nihil est prætermissum eorum, quibus maximum & ardentissimum desiderium significatur. Nam & quæsitum iuisse dicitur, & cuncta vrbis loca quærendo lustrasse, vocasse, clamores maximos edidisse, infestos quosdam sibi homines obuios habuisse, quamuis multis plagis ab ijs affecta quærere non cessasse, orasse alios, ad omnem denique rationem se deiecisse, nihil intentatum reliquisse. Atque quemadmodum in hoc gradu maius sanctæ animę desiderium exprimitur: ita etiam probationis inest in hoc gradu maior significatio: leuior in secundo, vt potè in quo neque plagarum, neque contumeliarum fit mentio: leuissima autem in primo, hoc est, in ipso amoris exordio: nullum enim ibi laborem sponsum quærendi sponsa subijsse dicitur, sed se quòd ille absens esset, cruciasse. Itaque illa absentia atque cruciatus pro probatione illi fuerunt. Vt omninò ex ipsa re, ad quam præcipuè significandam huius personæ actio transfertur, omnis ista oratio ducta sit, & ad id accōmodata, quòd Dei amatoribus accidit. Nam incipientes (sunt enim ad grauiores labores ferendos minimè idonei) suspensa veluti manu feriuntur; prouectiores, vtpotè qui sint robustiores, maiora subeunt, atque adeunt certamina: multo autem maxima, & difficillima consummati & perfecti, quorum profectò ex persona nunc dicitur. *Inuenerunt me custodes qui circumeunt ciuitatem, spoliauerunt me, vulnerauerunt me custodes murorum.* Mirum porrò alicui videatur, semper sponsam in custodes vrbis incurrere, & ab eis non modo non adiuuari, sed etiam iniurijs affici. An est credibile, qui fidelium conuentibus præsunt, quique præsident Ecclesijs Dei, nam ijs vrbis Ecclesiæ, atque murorum custodia concreditur, eos non modo præsidium nullum afferre, sed detrimentum etiam

& calamitatem bonis, & Dei amatoribus viris sæpè importare? Atqui series ipsa rerum aliarum ex alijs nexarum, mutuoque se consequentium, ac totius orationis atq; carminis ordo, verborumque ratio ipsa eò nos ducit, hoc vt credamus esse verum. Et certè quemadmodum nihil est humano generi salutarius ijs Episcopis qui munus suum rite obeunt: ita cunctis quidem hominibus communiter, sed pręcipuè optimo, & sanctissimo cuiq; pernicioſi sunt, & exitiales, qui potestatem quam acceperunt præsidendi populo Dei in sua commoda, & vsus conuertunt, hoc est, qui malos pastores agunt, quos huius loci sententia propriè complectitur. Etenim ij sunt, qui pessimo vitæ exemplo, hominibus sibi subditis, vitiorum sunt causa maximorum: qui consentaneis ei vitæ sententijs atque opinionibus religionis puritatem inficiunt: qui Christianæ pietatis ingenuitatem, vtpotè quæ ipsorum fraudulentis artibus & institutis maximè inimica sit, pessimè oderunt: nec oderunt modo, sed quocumque aut oblato, aut quæsito colore ad ignominiam eam, & ad mortẽ rapiunt. Atque quemadmodum in ea republica, quæ tyrãnide opprimitur, nullus est virtuti, aut vlli excellentiæ locus, propterea quod tyrãni ab omni eo sibi metuũt quod quouis modo præstare, aut eminere putatur: sic isti legitima potestate, & magno nominis splendore tyrannorũ pectus celantes, ijsque rebus, quas ad salutem hominum acceperunt, potestate, iurisdictione, opibus, atque copijs in hominum perniciem, atque exitium vtentes, quod in ipsis est perfectæ Christianitatis, atque virtutis extinguunt decus, vt primum eminere, atque apparere cœpit. Quod probare possem multis exemplis, quorum nobis non minimam copiam nostra ætas suppeditat. Sed ea omittam quoniam commemorari sine aliquorum offensione non possunt. Quare si quis est, qui sibi huius rei fidẽ magis astrui velit,

velit, is aciẽ animi sui ad ea, quæ superioribus sæculis sunt gesta, conuertat. Inueniet profectò, qui sibi æquè nocerẽt, atque isti nocuerunt, populũ Dei nullos hostes habuisse: semperque omnem virtutis præstãtiam in hos potissimũ scopulos incurrisse, naufragiumque fecisse reperiet. Qui enim viri sancti, qui sacri prophetæ, olim in Iudæorũ populo, aut in exilium acti sunt, aut ferro perẽpti fuerunt, horum opera atq; consilio ferè omnes perierunt. Non enim illos externa vis vlla rapuit, sed contribuliũ, atq; eiusdẽ fidei, atq; generis hominũ, sacerdotũ, scilicèt, & Pontificũ, hoc est, ipsius religionis, atq; pietatis custodũ immanitas occidit. Nostro autẽ in populo, quãuis Euãgelica luce perfuso, & perfectissimis præceptis, atq; exemplis charitatis erudito, quot viri sancti, quot docti, quot Episcopi Ecclesiæ lumina, ab ijs qui se similiter eiusdẽ religionis, atq; doctrinæ Antistites haberi volebant, id est, ab alijs similiter Põtificibus, & Episcopis speciem, vt inquit Paulus, pietatis habentibus, ipsam rem abnegantibus, aut per calumniam, aut per apertam vim, vel loco moti, vel in exiliũ acti, vel acerba affecti fuerunt & ignominiosa morte? Certè Christus ipse non solùm in se clarissimo exemplo docuit, sed etiam verbis testatus est, optimo & religiosissimo cuique ab improbis Pontificibus, & religionis, atque Ecclesiarum custodibus maximum exitiũ imminere. Nã de veteri synagoga dicit: Hierusalẽ quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui mittũtur ad te. In Ecclesia porrò sua futuros seruos prædicit, qui quod viderent ipsum morã facere, & ob eam causam sibi persuaderent, eum non esse venturũ, ipsius seruos & ancillas percussuri essent, id est, futuros religionis suæ, atq; doctrinæ dispensatores, atque ministros infideles & prauos, qui communis domini seruos, hoc est, mystici corporis maximè Deo chara, & præstantissima membra vexarent, calumnijs opprimerent, ferro atq;

2. Ad Timot. 3.

Luc. 13.
Matt. 24.

flammis persequerentur. Atque hæc illi faciunt; serui autem Dei, perfecti, & iusti viri quid ad hæc? *Adiuro vos*, inquit, *filiæ Hierusalem, si inueneritis dilectum vt nuntietis illi, quia amore langueo*, videlicet omnia illa sibi ab improbis Ecclesiæ custodibus illata mala, vel quia nihil præter culpam in malis numerant, vel quia sibi illa ad bonum, & ad maiorem cum Deo coniunctionem valere credunt, contemnunt, atque despiciunt: & quasi se ne attingant quidem, quasique nullus ex eis dolor ad suum, vel animum, vel corpus perueniat, non modo quæstum nullum edunt, sed ne læsos quidem se esse commemorant: tantùm illud vrgēt, quod vnum ipsos sollicitat, nimirū, vt Deum quotidie sibi magis amicū, & familiarē efficiāt? vtque omnes insistant vias, quibus intromittere ipsum ad se, & ad animum suum possint. Itaque illos relinquunt crudeles hostes, fautores qui esse debebant, seque ad priuatos conuertunt, eisque dicunt. *Adiuro vos filiæ Hierusalem*. Semper enim nescio quomodo simplex & humile vulgus, quippè quod ambitione & auaritia vacuum animum habeat, æquum se atque audiens sanctis hominibus exhibet, semperque lumē illud veræ pietatis, in quocumque elucere incipiat, statim perstringit oculos priuatorum & humilium hominum, eosque rapit ad se se. Ad hos igitur. *Adiuro vos filiæ Hierusalem*. Nam ab ijs se adiuuari perfecti viri volunt, cum in malis tribulationum à Deo derelinqui videntur, vel quòd eos non solum deserunt, sed etiam malis afficiunt, qui eorum salutis patrocinium suscipere deberent Ecclesiarum custodes, atque prælati: vel certè quòd, quemadmodum superius dixi, amoris Dei abundantia inducuntur ad id, vt prætermittere nolint aliquid, quamuis minimum, eorum, quæ ad inueniendum ac magis demerendum Deum valere posse putant. Sequitur. *Qualis est dilectus tuus ex dilecto ò pulcherrima mulierum? Qualis est dilectus tuus, quia sic adiurasti*

Augusti. in soliloq. cap. 1.

rasti nos? Hæc pij atque simplices homines adiurati respōdent, quia etsi re iuuare minùs possint, studio tamen iuuandi ardere solent. Quibus perfecti, quòd magno vsui vtrisque esse possit, qua sit figura corporis sponsus dicunt, hoc est inueniendi, atque assequendi Christum veram doctrinam illis tradunt: quam non dico perfectos solos nosse, sed dico omnium verisimè illos posse tradere. Itaque nusquam sponsa in hoc carmine docendi munus vsurpauisse antè hunc locum scribitur. Sed quid perfecti de Christo sentiant, qualisque illis esse videatur, audiamus. *Dilectus meus candidus & rubicundus*. Prisci scriptores hæc de Christo, qua homo est interpretantur: quorum ego sententiam maximè probo: quanquam scio nonnullos esse, qui de ipsa natura Dei ista intelligi debere contendant: sed sequamur antiquos, quorum ferè semper est præferenda sententia. Igitur hæc in Christum ita quadrant, vt quacumque ipsum spectes, ei aptè conueniant. Nam si de figura corporis solùm, & membrorum compositione, & externo ipso oris habitu, leporeque sermonis agatur, constat illum omnium, qui vnquam nati sunt hominum, speciosissimum & pulcherrimum fuisse, Dauide ipso, qui tanto antequam nasceretur, ipsum nasciturum præuidit, eiusque speciem diuina luce perfusus oculis hausit, testante atque dicente: Speciosus forma præ filijs hominum: diffusa est gratia in labijs tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. Sin autem interiores animi Christi dotes, moresque sanctissimos, & inclusas in ipso diuinitatis diuitias consideremus, & ad ea, membrorum corporis ista nomina, istasque, quas hoc loco adhibet Solomon similitudines accōmodemus, cùm ratio tota optimè quadrabit, tùm verò interpretatio ipsa non solùm plus grauitatis habebit, sed etiam arcanis sensibus aperiendis, conferendisque rerum

Psal. 44.

disſimilium ſimilitudinibus maiorem pariet voluptatẽ. Igitur, inquit. *Candidus & rubicundus.* Diuinæ humanæque naturæ in vnam Chriſti perſonam coitionem atque complexum, hic ex albo & rubro miſtus color ſignificat. Nam in cãdore Dei verbi naturam intelligi, declarat illud, quod in libro Sapientiæ dicitur. Candor eſt lucis æternæ. Itemque illud: Deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt vllę; rubor autem propria nota eſt naturæ hominis, ex quo humani generis primus parens Hebraico verbo dictus eſt Adã, quod Latinè rubens, aut rubeus ſignificat. Quod autem ſequitur. *Electus ex millibus.* Aut verbum è verbo. *Vexillifer in millibus.* Id vtroque modo, vel tranſlatè dictum accipi poteſt, vel propriè: tranſlatè, quia excellit omnes: propriè, quia ad immortalitatem nos ducit, non ſolum docendo, ſed præeundo ipſe tanquam ſignifer. Sequitur. *Caput eius aurum optimum.* Arcana auri ſignificatio varia eſt in ſacris literis. Nam interdum in auro diuina ſignificatur natura. Certè tabernaculum illud iuſſu & deſcriptione Dei à Moſe legiſlatore conſtructum ad vniuerſi ſimilitudinem effectum fuiſſe, omnes probati ſcriptores fatentur. Atqui in illo arca illa ſacra Cherubinis circumſepta, & in eius interiori parte latens, imaginem continebat naturæ diuinæ, quæ ſimiliter in altiſsima cæli regione choris cingitur Angelorum. Ea autem arca puriſsimo contegebatur auro: ex quo intelligitur auri vocabulum, ad diuinitatem ſignificandam in ſacris literis ſolere transferri. Idem ſæpè charitatem omnium maximam virtutem ſignificat, quod liquet ex Apocalypſis illo, vbi tepido cuidam, id eſt, vacuo charitatis dicitur: Suadeo tibi emere à me aurum ignitum. Poteſt autem hoc loco id vocabulum vtrouis modo accipi. Nam ſi aurum diuinitas eſt, verè dicitur Chriſtus ex auro optimo habere caput, quoniam vt Paulus diſertè ait: Caput Chriſti Deus.

Sap. 7. *1. Ioan. 1.* *Apoca 3.* *1. Cor. 11.*

Sin

Sin autem in auro charitatem virtutẽ intelligi volumus, haud dubiè Charitas Chriſti caput eſt reliquarũ illius virtutum, ideſt, principatum obtinet inter omnes: quod ſatis apertè idem ſignificat Paulus, cum dicit: Charitas Chriſti quæ ſuperat omnẽ ſenſum. Nam tametſi omnes Chriſti virtutes ſingulæ in ſuo genere ſummè perfectæ ſint, tamẽ neſcio quomodo inter eas omnes extat charitas, atq; eminet. Nõ quidẽ ita vt cætera Chriſti bona obſcuret illa, aut nõ apparere faciat: ſed ita vt reliquis virtutibus vtatur pro miniſtris, earumque ſplendores, & munera in ſuam ipſius dignitatẽ, atque vſum cõuertat. Etenim quid Chriſtus vnquam aut ipſe fecit, aut ab alijs illatum patiẽter tulit, quod non ad beneficentiam, & ad charitatem generis humani retulerit? Ecquod tam ſuum ille habet, & tam eximiũ bonum, cuius nos, quoad res ipſa patitur, non participes efficiat? Quanquã hoc loco latet in verbis Hebraicis arcanæ ſignificationis quiddam, quod prætermitti non debet. Nã quod Latina editio *Caput eius aurum optimũ.* Hebraicus textus, caput eius chetẽ paz, ideſt, aurũ ſelectũ, & aurũ ſelectũ. Habẽt enim Hebræi tria nomina, quibus aurũ ſignificant Zaab, quo promiſcuè aurũ ſignificatur, ſiue ſyncerũ illud ſit, ſiue argẽto, aut ære miſto inſyncerũ. Paz, quo, ſiue nomẽ loci ſit, vbi electũ aurũ gignitur, ſiue electi & defæcati auri nomen, certè ſignificatur id aurũ, quod adhibito igne ab omni ſorde, & alterius rei miſtione eſt redditum purum. Chetem autem & ipſum purum & ſyncериſimum aurum eſt, ſua tamen ſponte, & naturali bonitate purum. Ex ijs igitur tribus nominibus, duobus poſterioribus Chriſti caput ex auro eſſe ſignificatur ob duas cauſas: vna, quod ijs ſolis aurum, quod eſſet puriſsimum, ſignificabatur, ne quis fortè putaret, imperfecti aliquid, aut inſyncери in capite Chriſti fuiſſe, id eſt, in eius gratia & charitate, quæ eſt quaſi caput virtutum reliqua-

Philip. 4.

rū. Altera, quo constaret Christū habere geminam gratiā, capitis vnā, personæ alterā; vel certè quò significaretur, vt Christi charitas purissima & perfectissima fuerit; tamē nō quò illa, quod fieri nō poterat, purior efficeretur, sed quò nobis pro exemplo Christus esset, quam esset purè amandus Deus, adhibitum illi à Deo fuisse dolorum, & tribulationum ignem, & quidem maximarum tribulationū. Qua
Heb.5. de re Paulus scribit. Et quidem cum esset filius Dei, didicit ex ijs, quæ passus est, obedientiam, & consummatus factus est, omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ: & paulò ante Non enim habemus Pontificē, qui non possit compati infirmitatibus nostris, tētatum per omnia pro similitudine absque peccato. Sed pergit. *Comæ eius elatæ palmarū, nigræ quasi coruus.* Si caput Christi Deus est huius capitis comæ, id est, consilia atque cogitationes Dei, iure elatæ palmarum, & nigræ quasi coruus esse dicuntur: plurimum enim distant à cogitationibus nostris, sunt que ad perueſtigandum valdè obscuræ & difficiles. De illis certè
Esai.55. ita Esaias scribit: Sicut exaltantur cæli à terra, sic exaltatæ sunt viæ meæ à vijs vestris, & cogitationes meæ à cogita-
Rom.11. tionibus vestris. Et Paulus suo more vehementiùs exclamans: O altitudo, inquit, diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quàm incomprehensibiles sunt cogitationes eius, & imperueſtigabiles viæ eius. Sin autem charitas quæ est in Christo, caput eius hîc nominatur, comæ, quas ex se se ista germinat charitas, id est, opera sancta à Christi charitate profecta, elatæ certè palmarū sunt, & nigræ quasi coruus, ideſt, omni ratione in suo genere pulcherrima & speciosissima. Et enim quid aut dici potest, aut fingi perfectius ijs rebus, quas Christus amore hominum & pro salute hominum fecit? multa hîc possunt quamuis rethoricè & copiosè commemorari, atque dici, quamuis ad digne cōmemorādum oratio nulla suppetit: sed quid oratione opus est,

quan-

quando ipsa facta certius testimonium perhibēt, quā verba. Sequitur. *Oculi eius sicut columbæ iuxta riuulos aquarū, quæ lacte sunt lotæ & resident iuxtà fluenta plenissima.* In columba declaratur mite illud & mansuetum, quòd ipse de se prædicat Christus, dicēs: Discite à me quia mitis sum, & humi *Matth.11.*
lis corde. In earū columbarū ardore, & vi illa ignea, quā iaciunt ex oculis ardens item eiusdem amoris vis in nostrā salutē directa semper, & intenta significatur Nisi his colū barum oculis malumus significari Spiritus sancti dona in Christum copiosissimè effusa, & in eo commorantia, atq; quiescentia, sicut Esaias scribit. Et requiescet super illū spi *Esai.11.*
ritus timoris Domini, spiritus sapientiæ, spiritus fortitudinis. Nam oculorum nomine ista dona etiam in illo Zach *Zach.3.*
tertio Super lapidem vnum septē oculi, significantur de D. Hieronymi & priscorū patrū sententia. Quod autē additur. *Quæ resident iuxta fluenta plenissima* ideò additur, quia sicut scriptum est. Non ad mensurā pater largitus est spiritum Christo, sed plena in ipsum flumina, siuè potiùs Oceanum deriuauit aquarum. A quarū cùm dico, Spiritum sanctum intelligi volo, cuius hoc est in sacris literis nomē, vt illa apertè testantur, Qui credit in filium, de ventre illius fluent flumina aquæ viuæ: hoc autem dicebat, vt
ipse Ioannes interpretatur, de Spiritu sancto, quem acce *Ioan.7.*
pturi essent credentes in eum. Sequitur, *Genæ eius sicut areolæ aromatum consitæ à pigmentarijs.* In genis & pudoris & probitatis, & modestiæ, & omnino animi ingenui, & bene educti indicia apparere solent. Ergo per genas rectè intelligimus significari modestiam, mansuetudinem, animi probitatem, ingenuitatem, cæteraſque virtutes, quibus Christi quasi facies fingebatur, & colorabatur: quæque extantes in illo spectabiles, atque conspicuæ ipsum amabilem, & venerandū apud cunctos reddebant. Qui certè concursus tot Christi & tantarū vir-

Universidad de Deusto
Biblioteca

tutum meritò similis esse dicitur areolis consitis à pigmẽ tarijs: propterea quod, quemadmodum ibi multi & vario rum colorum flores in vnam pulchri speciem conspirãt, sic hîc multitudo illa & diuersitas variarum virtutum mirificũ quemdam concentum conficiunt, itaq; mirabiliter cõcordant inter se, vt ex omnibus vna extet dignitatis species pulcherrima. Sed à genis ad labia. Nam sequitur. *Labia illius sicut lilia distillantia myrrham primam.* Hoc quemadmodum verum sit, vel ipsius Christi inimicorum testimonio possumus interpretari. Nam aliquando quidam missi ad comprehendendum illum, cum concionantem audissent, & eius diuina eloquentia capti, atque deliniti sententiam capiendi ipsum mutassent, cur non cõprehendissent eum, ab ijs, à quibus missi fuerant, rogati dixerũt. Nunquã sic loquutus est homo. Et Petrus alibi. Quò ibimus, verba vitæ æternę habes: Et Dauid, quasi si ei propositũ esset hũc explanare locum, sic dicit. Diffusa est gratia in labijs tuis, propterea benedixit te Deus in æternum. *Manus eius tornatiles aureæ plenæ hyacinthis.* Manus pro eo quod manu fit, & omninò pro egregio, & insigni aliquo facto ab Hebræis poni solere notius est ijs, qui sacras literas norunt, quàm vt pluribus exemplis sit confirmãdum Sunt igitur manus Christi, id est, vniuersa illius opera summè perfecta. Nam istis verbis ea pulchritudo designatur, quanta manibus potest inesse maxima. Pergit vlterius. *Venter eius eburneus, distinctus sapphyris.* Meghaim nõ ventrem modo, sed pectus etiam, atque adeò omnem eam corporis partem, quæ à collo ad pubem vsque pertinet, atque etiam ipsius partis viscera interiora Hebræis significat: figurato autem & arcano sermone ad cor significandum transfertur, non quidem quatenus viscus vitale quoddam est, nam eatenus propriè id significat, sed quatenus animalis sensus principium, & omnium cupiditatũ receptaculũ, & sedes esse

Ioan. 7. *Ioan. 6.* *Psal. 44.*

esse intelligitur. Sic Iob. 32. En venter meus quasi mustо plenus. & Psal. 21. Et lex tua in medio ventris mei. &. 30. Anima mea & venter meus. &. 43. Humiliatus est in terra venter noster. & Prou. 20. Inuestigasti omnia secreta ventris. & Esai. 16. Venter meus ad Moab. Porrò id nomen figuratè hoc loco debere accipi, præterquam quod ipsa sententiæ ratio, cæterorumque verborum translatè positorum, ex quibus huius libri textus conficitur, perpetuus vsus postulat: declarat etiam epitheton, quod in Hebræo additur. Nam quod nos eburneum in Hebræo ad verbũ: Venter eius candidum ebur: cãdidum autem Hebræis est עשתש, quo non solùm candor significatur, sed etiam cogitatio, atque agitatio ea mentis, in qua veri aliquod lumẽ elucet. Itaque verti potest. Venter eius intelligens ebur: ex quo intelligitur, qui venter hîc nominatur, eum cogitationis atque sensus non esse expertem. Quale igitur cor Christi est? qui sensus eius? affectus Christi cuiusmodi? Ebur, inquit, candidum, hoc est, intelligens distinctum sapphyris, id est, cor ab omni cæco, & turbulento motu non solùm alienum, nec tantùm rationi se & suas cupiditates subijciens, sed ita ex rationis præscripto cuncta agens, vt nisi illa præeunte, neque cupere aliquid, neque dolere posset. Nam qui in nobis extare solent, & antequã ratio quid agatur dispiciat exardescere, cupiditatum variarum motus subiti, eorum in Christo nullus fuit, sed voluntate atq; iudicio suscepti omnes, & ob eandem causam cãdidi omnes, id est, rationis ac cælestis lucis participes, & ob id ipsum honesti arque prædicabiles, & omninò sapphyris comparandi. Sequitur. *Crura eius columnæ marmoreæ, quæ fundatæ sunt super bases aureas.* Christi fortitudo declaratur his verbis. Fortitudo inquam, non solùm ea, qua ipse fortis est, quaque diaboli vires confregit, sed ea etiam, quam ipse efficit in nobis, qui fide cum illo, & charitate

Iob. 32. *Psalm. 21* *Psalm. 30* *Psal. 43.* *Pro. 20.* *Esa. 16.*

coniungimur. Nam ab illo fortitudinem ipsi ducimus,& quia ille inimica nobis & infesta aliquando fudit agmina, ideò nos si quando incidimus in eadem fracta, videlicèt,iã ab ipso & debilitata agmina superiores euadimus, nisi nos prodamus ipsi, ac nostra nos sponte vinci sinamus. Itaque Christus hac vna re potissimum nos adhortatur ad intrepidè agendum,sic dicens. Verumtamen nolite timere, ego vici mundum. Nam profectò qui victus est, nocere amplius non poterit,ijs præsertim, qui vnum esse cum victore censentur: ac proinde illo vincẽte,& ipsi vicerunt. Atque hæc de singulis partibus sigillatim sunt dicta:de vniuersa autem Christi magnitudine, quæ statim sequũtur. *Species eius vt Libani,electus vt Cedri.* Cedri atq; mõtis vocabula in sacris literis trãsferuntur ad ea significãda, quæ insigni magnitudine præstant. Itaque qui eminent inter alios, quique summum, ac principem locum in populis obtinent,tum Cedri,tum montes vocantur. Est enim Cedrus altissima arbor, montibus autem in terris elatius nihil est.Cum autem & Cedri,& montes in vnum conferuntur,& quæ singula per se magnitudinem excellentem significant, coniuncta simul vni rei tribuuntur,apertè declaratur singulari & eximia ratione ipsam excellere, esseque magnam supra omnem modum. Quo igitur doceremur id,quod res est, Christo nihil esse, neque in terra, neque in cælo sublimius, ipsumque ex excellentijs constare totum,Cedros in hoc loco,atque mõtes Spiritus sanctus coniunxit.In quo neque illud quidem causa atque ratione vacauit,quod ex montibus Libanum præcipuè elegit, ex quo similitudinem duceret. Nam præterquam quòd is mons, & altitudine,& magnitudine,& arborũ, quas educit,proceritate & copia,earumque materiæ bonitate,plurimarumque item rerum ad vitæ vsus accommodatarum opportunitate, omnes,non solùm Syriæ, sed Asiæ ferè totius

Ioan.16.

tius montes præcedit,quod transferri ad Christum possit, id proprium ac præcipuum habet,quòd suppeditauit omnem eam materiam, quæ ad templi à Solomone Hierosolymis constructi ædificium necessaria fuit.Nam inerat in illo templo effigies templi spiritualis atque cælestis,quod Christus, ex quo primum homines esse cœperunt,condere cœpit, conditque semper,nunquamque quandiu erũt homines à condendo & construendo desistet,quod vnũ est verum, & Deo gratissimum templum.Et quemadmodum vnus Libanus sufficit omnes arbores, quæ templo ædificando necessariæ fuerunt: sic huius veri & æterni templi omnis structura ducitur à Christo homine. Ille enim alit,ille producit,ille sustinet,ille denique perficit id, quidquid est,quod isti ędificio inserẽdũ est:sicut Paulus,tametsi aliud & diuersum translationis & similitudinis genus insistens,luculenter scripsit.Ex quo totum corpus cõpactum & connexum per omnem iuncturam submini- *Ephes.4.*
strationis secundum operationẽ in mensuram vniuscuiusque membri,augmentum corporis facit in ædificationẽ sui in charitate.Postremò tandem ne quid sponsa prætermitteret,quod pertineret ad Christi laudem, vno verbo plura comprehendens adiecit. *Guttur eius suauissimum,& totus desiderabilis.* Vel vt significanter in Hebræo legitur. *Totus desideria, talis est dilectus meus,& talis est amor meus filiæ Hierusalem* Quæ filiæ Hierusalem,id est,benè erga Deum affecti,simplices tamen & idiotæ homines, cum ista perfectorum hominum oratione illustrati,in Christi, atque in rerum diuinarum cognitione nonnihil profeciissent,studio eodem, quo illi Christum quærendi atque inueniendi accenduntur: &, quod in amore Dei maximè accidit, vt alium ex alio amor corripiat, & quasi contagione quadam latissimè & facillimè serpat, inflammãtur isti,atque corripiuntur ab eo amoris igne, quo ardebant

bant perfecti, mox vt illos ardentes, atque æstuantes viderunt. Quod quæ sequuntur, declarant. *Dic nobis, quò abijt dilectus tuus, ò pulcherrima mulierum? & quæremus illum.* Pollicētur enim suam operam, non iam vt officiosos se erga amātes, & studio inueniendi Deum flagrantes viros exhibeāt, sed ob id etiam, quia iam & ipsi amatores Dei eius pulchritudinis magnitudine audita, esse cœperunt: ardentq́ illū videndi desiderio, si minus tanto atque illi, certè nōmultū dissimili. Sed his sic, & verè, & de priscorum patrū sententia maxima ex parte explanatis, quid vetat, quādo omnes ferè istarum literarum sententiæ, multis fœcundę sunt sensibus, id intelligentiæ, quod nunc mihi succurrit, quodq́ue in hac Christi effigie à Solomone descripta latet, in medium proferre. Quod tametsi ab eo quod modo diximus, non parum diuersum sit, non tamen aut falsum per se est, aut illi priori repugnās Est autem id ei, quod Daniel Babyloniorum Regis rogatu interpretatus est, non dissimile. Nā sicut ille statua ea, aut statuæ simili spectro, quod per quietem Rex vidit, Regū cùm Chaldæorū, tum deinceps eorum, qui orbis imperio potiti sunt rationes dixit significari, atque portendi: similiter ego nunc arbitror in hac Christi imagine, aut Christi imaginis descriptione, nō solùm qualis ipse sit declarari, sed etiam significari, ac veluti depingi, regnū illius id, quod in terris nunc habet, quodq́ue ab illius mortis tempore ducēs exordium, per omnes deinceps sæculi ætates, ad vsque mundi finem protēditur, id est, Ecclesiæ militantis, quę dicitur, regnū. Etenim huius Ecclesiæ atque regni initium, & veluti caput, primumque illud Ecclesiæ sanctæ tempus, quod ab Apostolorum, & qui Apostolis proximè successerunt doctorum ætate, vsq́ue ad Constantini Romanorū Regis tempus pertinuit, aurum, quod hîc dicitur, optimū fuit. Tunc enim, id quod scire ex historia veteri licèt, charitas in primis, & quæ charitatem

ritatem comitantur, virtutes viguerunt: tuncq́ue verè floruerunt illa pacis atque iustitiæ fœcunda sæcula, tanto antea à sacris vatibus, tantoq́ue verborum pondere denuntiata atque promissa. Atque quemadmodū in capite oculos natura, ac reliquos ferè omnes sensus cōstituit: sic omnis sacræ intelligentiæ lumen, quo ad hoc vsque tempus quicunque Christiano sumus digni nomine, vitam dirigimus, illo Ecclesiæ tempore emicuit. Tunc illa Spiritus sancti dona, quibus quasi pro oculis atque sensibus anima vtitur, quęque nunc & occultè dantur & paucis, passim & palàm conferebantur. Qua ex vbertate atque copia diuinorum bonorum, tanquam ex aureo capite dignæ eius capitis comæ, tantus extitit bonorum virorum prouētus, tam copiosa seges sanctorum, tot martyres, tot virgines, quæ omni ferè sensu carnis deposito cælestem in terris vitam degebant, verè vt fuerint similes elatis palmarum. In terris enim positi vita atque habitu humili, & à cæteris hominibus nullo in numero habiti, vertice cælum contingebāt, aut, si verum loqui volumus, cælum suprà erant animi atq́ue mentis celsitudine. Porrò quæ ex hoc Constantini tēpore ad Gregorium Romanum Pontificem virum & doctrina, & sanctitate excellentē sequuta sunt tēpora, in quibus externa Ecclesiæ reddita & stabilita pace, florere magis & nitere Christiana charitas debuit: idque primę Ecclesiæ aurum, quod tantopere fulsit, magis splendescere, nescio quo modo rebus in deterius abire incipientibus, remittētibusque se paulatim & sensim, omnibus veræ pietatis studijs, non iam aurea, vt superiora certè, sed ex ebore fuerunt. Nam quemadmodum ebur habet quidem spectabilem nitorem, pretiumque in eo ipsa raritas facit, tamen ipsum non est eiusmodi, vt cum auro, vel pretio conferri queat, vel naturæ præstantia: sic illud sæculum in comparatione ad primum deterius fuit, & ea potissimum ratione de-

ne deterius,quòd charitatis,qua Christiana maximè continetur vita,minus habuit,sed tamẽ fuit,per se ipsum si spectes satis beatum,ac fœlix.Multum enim de prima illa puritate vitæ & pietate retinuit, & quamuis maxima ex parte eburneum fuit:tamen id ebur aptis in locis, & auro, & pretiosissimis gemmis,sapphiris, nimirum atque hyacinthis visebatur distinctum.Habuit enim illa ętas Pontifices sanctissimos,qui tanquam digiti aurei in illo corpore fuerunt:habuit eos qui nunc habentur Ecclesiæ lumina maxima,& sapientia,& sanctitate doctores: monasticum vitæ genus illa maximè ætate cœptum est frequentari.Itaque floruit illud sæculum monachorum sanctissimorum propè innumeris gregibus, qui profectò monachi sapphiri illi fuerunt,quibus huius imaginis venter atque pectus distinguitur. Atque quemadmodum venter atque pectus, in quo humeri & brachia numerantur ad caput relata,ipsum magnitudine superant: sic in ista Ecclesiæ ætate secunda Christianum nomen, quod ante id tempus obtinentibus cuncta idolorum cultoribus,angustissimis concludebatur finibus, Constantino Imperatore, tunc nostram religionem amplexo, & pace fidelibus reddita,templis idolorum euersis, constitutoque statu Christianæ reipublicæ, ita latè propagatum est, vt non solum quacumque patebat Romanum imperium se extenderet,sed ad feras etiam & Barbaras nationes, & ad vltimas terrarũ oras peruaderet,totum denique orbem ferè obtineret.At ventrem eburneum,crura,atque tibiæ exceperũt marmoreæ, id est,illi ætati secundæ tertia Ecclesiæ, & ipsa deterior successit ætas: quæ incipiens in Gregorio,aut paulò post eius obitum durat adhuc, durabitque ferè vsque ad extrema mundi tempora:nam sub mundi finem est desitura. Qua in ætate tertia, id quod sine graui animi dolore commemorare non possumus,non solùm nimis in arctum & angustum

gustum locum redacta est Christiana respublica: tot non solum prouincijs,sed etiam nationibus auulsis ab Ecclesiæ gremio,atque fide:sed etiam quantum marmor auro cedit:aut etiam multò amplius quod ad pietatis syncerita tem,atque puritatem attinet,tantum degeneratum est ab eo,quod superioribus Ecclesiæ temporibus floruit. Candorem modo & firmitatem quandã fidei retinemus, sed, qualis est marmoris,frigidã atque lapideã. Vix enim vllũ, nõ dico germanæ illius,& primæ charitatis,quæ iam,si nõ omninò,nec enim potest,at maxima ex parte exoleuit,sed ne prisci quidem,& antiqui moris cernitur in nobis vestigiũ.Nam rebus præclarissimis & quibus maximæ nostræ religionis partes continebantur,amissis, pro rebus rerum nominibus vtimur, & amplexamur vmbras quasdam earum virtutum,quibus in animis nostris nullum locum esse permittimus:& quæ profligauimus è vita, quæque planè extinximus honesti lumina, ne odisse nos lucem quis putet,aut ab eo quod dicimur, cum Christiani nominari volumus,abhorrere,ea,specie quadã tenus seruamus. Itaque in eorum locum nobis substituimus spectra quædam (nam quid aliud nominẽ nescio,quod fictum totum & simulatum est,& ad illudendũ sensibus hominũ comparatum.)Itaque laruas quasdam foris perauguſta specie prę ditas,intus verò vita & veritate vacuas in demortuarum virtutum locum nobis ascisimus:ijsque induti,atque contecti laruis vni deinceps ambitioni, auaritiæ, luxuriæ totos nos damus. At quali auaritiæ?qualique luxuriæ?quàm turpi, quàm profusæ,quàm etiam apud eos, qui nomen, atque fidem Christi ignorarũt incognitæ & inauditę? Huc etiam accedit, quod ipsamet nostra fides atque religio tam diuerso ab eo,quo olim tradebatur, nunc traditur & propagatur modo, satis vt appareat priscos illos homines verè fuisse aureos, nos autem marmoreos, & quod de Deu-

de Deucalione,& Pyrrha ferũt fabulæ,de saxis esse natos. Nam quod olim per homines non solum inermes, sed ab omni etiam humano præsidio mirabiliter imparatos: nec solũ non violenter,sed ne vafrè quidem, & astutè aliquid agentes: contra autẽ inaudita animi simplicitate,lenitateque præditos prædicabatur, & propagabatur Euãgelium. Id nostra ætate nos ipsi vidimus (non quidẽ principũ culpa,aut cõsilio,sed priuatorũ rapacitate,& auaritia)inculcari,atque tradi per homines ferro succinctos,auri magis rapiendi,quã veræ religionis in aliorũ animos inserendæ cupidos,infinita edita strage hominum,totisque non modo populis,sed gentibus etiam ad internecionem deletis. Vt qui rem istam quemadmodum gesta est,ritè consideret iu-
Luc.14. dicare omninò debeat parabolam illam Euangelij, in qua quod qui inuitati ad conuiuium erant, venire noluissent, alij per vim adducti & in triclinium intromissi dicuntur, in hæc potissimum tempora,& in hanc Euangelij prædicandi rationem,relatã à Christo fuisse.Sed benè est quod marmor,quodque iste lapideus rigor in aurum tãdem desinet,& bases aureæ columnas marmoreas suffulcient.Sequetur enim quarta ætas Ecclesiæ,eaque cùm Ecclesiæ,tũ mundi ipsius ætas vltima,in qua studijs hominum ad virtutis cultum conuersis,& moribus eorum reformatis in melius, Deo præcipuè copiosè & mirabiliter spiritus sui dona fidelibus impertiente, prima illa & vetus charitas atque iustitia,omnium virtutum choro comitata in antiquum,& verè auitum Ecclesiæ solum tanquam postliminio reuertetur.Nam quin id ita futurum, atque euenturũ sit vltimo Ecclesiæ tẽpore, dubitare nemo potest,qui modo , aut rationis momenta,aut sanctorum patrum authoritates,aut certè sacrorum vaticinia Prophetarũ, & Apostolorum ritè expendere,& cõsiderare voluerit.Nam primũ cõstat eo tempore rem Ecclesiæ publicam in summũ ventu-

venturam periculum,atque discrimen, & par est pro periculi,atque discriminis magnitudine auxiliũ illi gratiæ,atq; bonorũ cælestium,quibus stare firma possit,à Deo affuturum.Inuadent enim illã,cùm alij multi hostes externi, tum omnium,quos vnquam perpessa Ecclesia est, sæuissimus & potentissimus hostis Antichristus impugnabit,atque adeò grassabitur in ipsam: vincet tamẽ Ecclesia huius omnes vires, & machinationes, & ad extremum inuicta persistet.Sed quibus, quæso , credi debet ipsam victuram, ac superaturam armis,nisi eisdem illis, quibus in exordio sui Romanorum Imperatorum in ipsam insurgentium gladios,atque adeò omnium orbis Regum odia,& portẽtiam superauit? inconcussa in Deũ fide,in eundem charitate ardentissima, vitæ atque morum summa puritate, imprimisque donorum spiritualium atque cælestium magnis copijs,atque subsidijs,ac denique illis eisdẽ armis, quibus Paulus instructus omnem in ipsum altitudinem mundi insurgentẽ,se deiecturum credebat,& verò re ipsa deiecit.Itaque de ijs armis scripsit. Arma militiæ nostræ, non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem muni- 2.*Cor.*10.
tionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollẽtem se aduersus scientiam Dei,& in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi, & in promptu habentes vlcisci omnem inobedientiam. Deinde eodem Ecclesiæ tempore Iudæorum natio totiam sæculis in perfidia & errore versata,Dominum Iesum verũ Messiam agnoscens,se in Ecclesiæ gremium recipiet, quẽadmodum & noui & veteris Testamenti literis prædictũ est fore.Postulat autem ipsa ratio,vt hos tanto studio,tantaque multitudine,& numero ad fidem Dei conuersos,vt maximam ipsi Ecclesiastici corporis partem conficiant, Dominus Iesus ijs spiritualium diuitiarum muneribus afficiat, eaque liberalitate prosequatur,quæ decet, cùm na-

tiuam ipſius bonitatem erga ſuos ſupplices,tum præcipuè ſuum illum & antiquum erga eum populũ amorem. Etenim lætus de ſalute,& ad bonam mentem reditu eius populi,quem eo vſque olim dilexit,eo vt ex populo naſci ipſe,& inter Iudæos numerari,& lumen ſpei,atque ſalutis in de cæteris proferre populis atque gentibus dignatus ſit, nullum ſuæ largitati modũ ſtatuet:ſed omnes cæleſtis theſauri copias,atque diuitias in Eccleſiam effundet. Nam ſi cũ ſibi primũ adiunxit,& quaſi deſponſauit ab AEgyptiorum tyrannide in libertatem vindicatum hunc populum, tam liberalis in illũ Deus,& tam munificus fuit,quantũ ex Moſaicis ſcriptis cognoſcimus, qualẽ erga eundem quo animo,quàm placabili,quam miſericordi ipſum futurum putamus,quando poſt tam longũ diſsidium in gratiam cũ illo redire cœperit:maximè ipſo thalami, atque nuptiarũ inſtante,atque imminente tempore? An non paſcet illum cæleſtibus bonis,ſepoſitoque & ad id temporis reſeruato vitulo,hoc eſt,eximijs chariſmatibus ſaginabit? Saginabit profectò,inque eam opinionem me non leuis coniectura aliqua,ſed vatum teſtimonia clariſsima inducunt. Zacharias enim in id Eccleſiæ vltimum tempus,& in Iudæos eo tempore ad Eccleſiæ fidem conuerſos reſpiciens,ex perſo
Zach.12. na Dei apertiſsimè dixit.Et effundam ſuper domũ Dauid, & ſuper habitatores Hieruſalem ſpiritum gratiæ & precũ, & aſpicient ad me,quem confixerunt.Nam hoc Zachariæ vaticinium ad poſtrema illa mundi, & cõuerſionis Iudæo
Auguſti. lib. 20. de Ciuita. c. 30. rum ſpectare tempora, & D. Auguſtinus magnum Eccleſiæ lumen teſtatur,& ex Ioanne in Apocalypſi non obſcurè colligitur. Nam de illo agens tempore ad hæc Zachariæ verba alludens ſcripſit.Ecce enim venit cum nubibus,
Apoca.1. & videbunt eum omnes oculi, & qui eum pupugerunt, & plangent,& cætera. Sed quid ait Zacharias? Effundam, inquit, ſpiritum gratiæ & precum ſuper domum Dauid.

Ioel verò qui primæ Eccleſiæ Spiritus ſancti donorum abundantiam prædixit,quomodo & ipſe loquutus eſt? Et effundam, inquit, de ſpiritu meo ſuper omnem carnem. *Ioel. 2.* Vt qui de duobus diuerſis temporibus,eadem ferè à duobus vatibus,atq; eiſdem & verbis,& orationis genere ſcribi videmus,quin vtroque in tempore ſimiliter fœlix & copioſa in bonis gratiæ Eccleſia futura ſit, non dubitemus. Eſaias porrò cùm alijs in locis,tùm maximè vltimo capite multa prædicit pertinẽtia ad hanc cæleſtiũ bonorũ copiam,quam dicimus futuram in Eccleſia ſub mundi finẽ. *Eſai. vlt.* Quam ille copiam rerum quidem & bonorum corporeorum nominibus adumbratam, ſed tamen ſpiritualiter intelligendam maximam, atque ſummam deſcribit. Nam de illo Eccleſiæ ſtatu, atque vltima ætate ipſum agere, vel ex eo liquere poteſt,quod expoſitio illa omnis,atque prædictio mundi finis prædictione, & commemoratione vltimi iudicij terminatur, & clauditur.Sed nihil eſt apertius, quam illa Pauli concluſio,ſi quis quam vim habeat, ſatis attentè cõſideret. Ad Romanos enim ſcribens,ſic inquit: Quod ſi delictum illorum diuitiæ ſunt mundi, & diminu- *Roma.11.* tio eorum diuitiæ gentium: quantò magis plenitudo eorum:& infrà. Si enim amiſsio eorum reconciliatio eſt mũdi,quæ aſſumptio niſi vita ex mortuis? argumẽtatur enim à minori, vt apparet.Nam ſi Iudæis magna ex parte non agnoſcentibus Chriſtum, neque fidem illi habentibus, ſeque ob id, & regia dignitate, & religionis veritate, atque gloria ſpoliantibus, Deus ex gentibus ſibi Eccleſiam confecit, eamque maximis locupletauit bonis, quò vel iſta ratione inuidentia, atque æmulationis ſtudio accenſos Iudæos in eiuſdem fidei aſſenſum induceret, vt idem Paulus in eadem epiſtola ſcribit. Dico, inquit, nunquid impegerunt vt caderent? Abſit. Sed illorum offenſio, & ruina ſalus eſt gentibus, vt ad æmulationem il-

los prouocarent. Si igitur, quod Paulus & illum enarrans Augustinus argumentantur, Deus vt gentiũ exemplo ad verã Christi fidem Iudæos pertraheret, gentes ipsas amore cõplexus, saluas illas esse voluit, nec saluas modo, sed cælestibus, ac mirabilibus donis locupletatas, atque auctas: ipsis tunc Iudæis errore suo agnito, atque depositò ad Christũ conuersis, ipsumque vnicè amantibus cõsentaneum profectò rationi est, Deum cælestes suas in Ecclesiã opes, maxima largitate effusurum. Et si cum abiecti illi à Deo fuerũt, & pro inimicis habiti, Ecclesię gentiũ benefecit Deus, illi vt participes esse cuperent eorundẽ beneficiorũ, & sic in Ecclesiam intrarent: cũ in eam intromissi iam fuerint, eamque ipsi bona ex parte cõpleuerint, Deoque esse cœperint grati, atque chari, profectò Ecclesia ad easdem spirituales opes, quibus olim abundabat, redibit, & ad pristinũ illud suum decus resurget, viuetque atque elucebit, latèq; splendebit in illa, quod iam propè extinctum putabatur, omnium virtutum lucidissimum lumen, charitas: eruntq; similia vltima primis, caput pedibus, aut sicut Dauid elegantissimè cecinit: Ortus, & Occasus Ecclesiæ maxima cę lestis lætitiæ, atque voluptatis perfusi copia, pares inter se, atq; similes erunt. Etenim ille in Psalmo sexagesimoquarto, in quo Psalmo de Christi regno, eiusq; regni ortu, atq; incremẽtis, deq; omni eius fœlicitate, vt Poëtã diuinũ decebat, breuiter vaticinatur & figuratè, & à rebus rusticis, naturæq; operibus similitudinibus ductis inter alia, quod ad propositã rationẽ pertineat, sic scriptũ reliquit. Exitus matutini, & vespere delectabis. Quod enim in vicissitudinibus dierum, ac noctiũ oriente Sole, atque decedente cõtingit, vt ea duo tẽpora dici læta maximè, atque grata sint, vel cũ dies decedentibus tenebris appetere, & rebus suus color incipit reddi, vel cum occidente Sole, & illo pomeridiani temporis æstu remittente se, & auris leniter spirantibus

Psal. 64.

tibus, ipsa iterum cæli atque aëris exhilaratur species: similiter in hoc Christi, de quo agimus, regno, Ortus & Occasus, initia atque fines peræquè lætos, atque fœlices dicit esse futuros. Exhilarasti, inquit, occidentis Ecclesiæ militantis vltimum tempus, eo scilicèt, lætitiæ, atque voluptatis genere, quod te maximè decet, & quo ipsos affici homines, atque imbui maximè conuenit, cælesti atque diuino, quomodo eiusdem Ecclesiæ initia, atque primos ortus exhilarasti. Sed iam propositum exequamur.

TERTIA EXPLANATIO.

Veniat dilectus meus in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum. Quoniam sponsus veterẽ illam Ecclesiam horto similem esse dixerat, atque ei horto similem fecerat, qui esset cõsitus pomiferis, & odoratis arboribus, id arripiens Ecclesia, & in metaphora insistens, sponsum, id est, Dei verbũ hortatur, cò vt veniat pransurus, id est, orat illum, vt ad animum ipsius penitùs insinuet se, habitareq; in ipsius corde, ac moram ducere velit, grata habens ea, quæ in ipsa idem seuit virtutum omnium præstantissima germina, vel precatur ipsum certè, vt quando ipsi sacrificat, adesse propitius sibi velit, & religiosis suis cœtibus, atque cultibus interesse. In quo Ecclesia Deo accepta refert, quæ habet: fatetur enim se hortum esse Dei, & fructus, quos fert, Dei fructus esse concedit, & simul eadem omnia ei, à quo ipsa accepit, offert, seque planè Deo subijcit, id quod potissimùm exigere à suis Deus solet. Nam in hac submissione animi, & vt illam Ecclesiastici scriptores vocant, resignatione spiritualis perfectionis fundamentum constitutum est, quò enim magis se Deo submittit hominis animus, eò magis in ipso suam vim Deus insinuans, eum suis bonis ornat,

atque locupletat, quod indicant, quæ sequuntur. Nam inquit, *Veni in hortum meum soror mea sponsa, messui myrrhã meã cum aromatibus meis, comedi fauum cum melle meo, bibi vinũ cum lacte meo; comedite amici & bibite, & inebriamini charissimi.* Quibus verbis sponsus inuitatus ab sponsa, significat se illius votis annuere velle, & quia illa se ipsi submiserat, ipse se in eam insinuasse demonstrat, & sicut Ecclesia superiori oratione suam erga Deum submissionem testificabatur, sic Deus his verbis, quàm grata sibi ea submissio fuerit, testatur figuratè vt cętera, & in instituta allegoria persistens. Nam sicut festo die in hortis epulis vacare solent homines, sic Deus se venturum in hortum, quo inuitatur, respondet vnà cum socijs, & quo maiorem vim lætitiæ significet, epulaturum cum illis, itaque epulas nominatim recensęt, & quasi iam epularetur, socios ad vnà epulandum, & potandum inuitat: Quo significat, quàm gratus ipsi acciderit is cultus, quem ei illa exhibebat Ecclesia: quamque illius modi sacrificia accepta ipsi illo tempore fuerint, & quomodo illis quodammodo interfuerit, eaque veluti honestauerit sui numinis præsentia. Nam, vt ex sacris constat literis, sæpius Deus, cum illi sacrificia offerebat vetus Iudæorum Ecclesia igne cælitus immisso ea absumebat, nebulaque item cælesti subitò opplebat tabernaculum, atque templum, quod diuinæ præsentiæ signum certissimum habebatur. Et certè in omnibus illis sacrificijs, cõuiuiũ quodãmodo inibat Deus cũ ijs, qui ea immolabant. Nã, vt suprà diximus in sacrificio cõuiuij quædã imago inerat. Nam hostiæ, quæ cædebatur, vna pars adolebatur Deo, altera cædebat sacerdoti, tertia vescebantur, qui hostiam afferebant. Quare meritò inquit, *Veni in hortum meum*, id est, in conuentus, atque cœtus religionis causa abs te institutos me sępe insinuaui, diebus tuis festis interfui, *Messui myrrham meam cum aromatibus meis,*

meis, id est, thymiamata, quæ ijs aromatibus constant, odoris suauissimi hausi: *Comedi fauum cum melle meo, bibi vinum cum lacte meo*, id est, partes hostiarum mihi oblatas, & super altare incẽsas gratas habui: in sacrificijs vestris & ipse epulatus vna vobiscum sum, idque ita familiariter, vos vt ad cõpotandum & vnà capiendũ cibũ prouocarẽ, sic dicens. *Comedite, & bibite, & inebriamini charissimi.* Atque hactenus Ecclesiæ ætas illa descripta est, quã egit sub lege: quæ autẽ ex hoc loco vsque ad libri finẽ sequũtur ad eã Ecclesię ætatẽ spectant, quam nunc agit, quæq; vltima illi futura est in hac vita, de qua re Ecclesia sic loquẽs inducitur. *Ego dormio, & cor meum vigilat, vox dilecti mei pulsantis, aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea, quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* Nam his verbis & Ecclesiæ cõditio, quo tempore Christus in carne natus est, & Christi in carne nascentis, & ad sui amorẽ atq; cultũ Iudęorũ conuentus inuitantis, ratio figuratè describitur *Ego* (inquit) *dormio, & cor meũ vigilat*, Aut vtrũque ad se, aut alterũ ad se, alterũ ad Christũ refert, Etsi ego, inquit, dormiebã mora aduentus eius quodãmodo tædio affecta, at Christus cor vigilabat meũ promissi sui fidẽ pręstaturus: vel, etsi ego in nõnullis meis partibus dormire videbar, ꝙ nõnulli ex meis ad terrenas cõuersi curas minus curarent cælestia, tamẽ corde, id est, alijs meis partibus pręstantioribus vigilabã, desiderio aduẽtus Christi excitata, & in eum intenta atq; defixa: vel certè ego quasi ij, qui dormitant, aut dormiunt, quæ ante oculos habebam meos, ea vix agnoscebam: versabatur enim mihi ante oculos Christus ex me natus, & carnem meam indutus, ipsum tamen non agnoscebam; at ille cura vigilabat & studio salutis meæ. Itaque non solùm se mihi in carne mea visendum ostendit, sed & blandissimis vocibus se adueniſſe testatus, vt se in meã intromitterem domum orauit: & exponit vo-

ces,quibus Christus,postquā apud nos natus est,inuitauit ipsam,sic dicens. *Vox dilecti mei,aperi mihi soror mea,amica mea columba mea,immaculata mea,quia caput meum plenum est rore, & cincinni mei guttis noctium.* Quæ est oratio Christi ea,qua Iudęorum Ecclesiam ad se admittendum hortatus est:aut certè,qua Christi desiderium atque conatus se insinuandi in animis Iudæorum sic figuratè describitur, vt etiam ex ea colligatur ipsum iam induci natum inter homines, & humana carne vestitum. Quod perspici potest primum ex eo quod nusquam ante hunc locum Christo in hoc libro humani corporis dantur membra: deinde quia antea Ecclesiā rogabat ipse, vt relicta domo se in agrū sequeretur, vtpote qui nondum versaretur inter homines: nunc autē, vt qui homo iam esset,se domum intromitti postulat. Postremò quia hic primum frigore offensus,& pluuia madens, id est,rebus affectus molestis Christus inducitur, ex quo enim humanum corpus induit, vitæ huius ærumnas perferre cœpit. Ait igitur, *Aperi mihi soror mea,amica mea,columba mea*, *Aperi*, Quia ad illam veniebat, vt significaret, non patere ipsi facilem aditum,id est, vt doceret fore vt à suis ægrè reciperetur, *Soror mea,amica mea,columba mea*, Hæ verborum blanditiæ,primò animi tenerè amantis indicia sunt,& in eius,quem amat,animum se insinuare cupiētis, illustria testimonia; deinde magnam vim habent ad persuadendum,ipsa enim eorum repetitio testatur, qui hæc dicit,non solùm cupere alteriusvoluntatem conciliare sibi,sed & id omnibus modis agere,omnes tentare aditus: omnia, quò id assequatur, conari. Quare ex his ad Christum translatis primò intelligitur ipsius doctrinæ atque sermonis eius, quo pertrahere ad sui fidem Iudæorū Ecclesiam conatus est,quanta gratia fuerit,quæ dulcedo,qui verborū,atque sententiarū lepos,itaque ob istam causam scribitur: Et stupebant omnes in sermonibus gratiæ, qui

procedebāt de ore eius. Id quod ea ipsa,quę dicebat, testātur,quibus nihil excogitari potest blādius. Vocabat enim ad requiem omnes,ad libertatem ab ijs cupiditatibus atque curis,quæ animum excruciāt,ad mutuam charitatē, totiusque suæ doctrinæ summā in eo,vt mutuò inter nos benefici essem⁹,cōstituebat. Ex quo certè illa sunt. Venite ad me omnes,qui laboratis,& onerati estis, & ego reficiā vos. Tollite iugum meū super vos,& inuenietis requiem animabus vestris. Iugum enim meum suaue est, & onus meū leue. Et rursus. Discite à me,quia mitis sum, & humilis corde,& alibi, Hoc est præceptum meum,vt diligatis inuicem. Deinde ex eisdem intelligitur verbis, quanto ipse Christus suorum salutis studio incenderetur, quantumq; cuperet omnium voluntates conciliare sibi,quādo tot ac tam blandis verbis ad eorum animos penetrare conabatur,quod & re ipsa præstitit;quid enim non fecit, aut molitus est,quo sibi animos Iudæorum adiungeret? Nam & voce,& exemplo,& beneficentia,& miraculis,hortādo, rogādo,acriùs admonēdo,interdum minis, interdū precibus,nonnunquā obiurgatione seueriori, per se, per alios omnes machinas adhibēdo perrūpere Iudæorum cordis claustra tētauit,denique vita ipsa profundenda nostræ studuit saluti. Quod autē sequitur. *Quia caput meum plenum est rore & capilli mei guttis noctium*, eodem spectat. Nam in eo Christus causam efficacissimam affert, quò illi Ecclesiæ persuadeat,quàm amet ipsam,& quàm se ab ipsa amari cupiat,vtque,nihil eorum prætermittat, quæ quouis modo ad eū amorē conciliandum pertineant. Dicit enim se rore plenum,ac pluuia nocturna madidum aduenire,eo scilicèt translatè significans, se carne susceptа nostra in humanę vitæ tenebras incidisse,eisque malis affectum se esse,quibus hæc vita subijcitur. Quæ vna res vniuersa ea cōplectitur atque continet,quæ nos & ad Deum amandum

accendunt,& ad virtutem erudiunt. Nam quando Christus pro hominibus homo factus humanæ vitæ miserias, &acerbissima mala pertulit,nō est cur homines ab eo vlla in re se frustra rogari sinant, id enim ex eo sequi Paulus vidit,itaq; ad Titū scribens argumētatur. Apparuit benignitas,& humanitas Saluatoris nostri Dei omnibus homi nibus erudiēs nos,vt abnegātes impietatē & sęcularia de sideria iustè,& piè viuamus in hoc sæculo. Et vt idem col legit,Deū nobis omnia donasse;quia filium suum hominem factum pro nobis in mortem dedit, sic retrò nos colligemus, nihil esse quod nos non debeamus Deo, vel eo solum nomine,quòd se hominem nasci voluit,& humana mala pati pro nobis;id autem est,rore madefieri,& guttis noctium perfundi. Sed sequitur. *Spoliaui me tunica mea,quomodo induar illa? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Qua sponsæ cunctatione, & causificatione illius in obediendo segnities, & quidam animi, atque amoris languor, atque remissio subindicatur. Quæ declarant ægrè admissum fuisse Christum ab eo populo, in quo tunc continebatur Ecclesia, multi enim ex illo ipsum nō solum spreuerunt, sed etiam ingratè persequuti sunt. Atque quemadmodum sponsus in hoc loco amore sponsæ ardens,& ipsius cōueniendæ cupiditate inflāmatus,noctu se itineri dedisse dicitur,neque tenebris impeditus,neque imbre, qui ruebat,prohibitus, vtque ei pro isto officio, suum, quod tantopere testabatur, amorem, sponsa malam reddens gratiam, ipsius videndi causa id laboris, qui in veste posita iterum sumenda sustinetur, leuissimus certè qui est,subire nolebat,sic tunc pro carne nostra susceptā,proq; vita ærumnosa nostri causa laboriosissimè à Christo acta,Iudæi studia voluptatis & ambitionis, quę aditū illi ad ipsorū corda obstruebāt,noluerunt deserere,vocatiq; ab illo,& ad epulas Euāgelij lautissimas inuitati,

Titum.2.

Rom. 8.

rati morandi atque non veniendi, causas ineptissimas nexuerūt:&,vt apud Lucā scribitur,alius dixit, villā emi,& necesse habeo exire,& videre illam,rogo te habe me excusatum:& alter dixit:iuga boum emi quinque,& eo probare illa,rogo te habe me excusatum, & alius dixit:vxorem duxi,ideò non possum venire;quod & Ioannes apertè testatur sic dicens. Veruntamen & ex principibus multi crediderunt in eum,sed propter Pharisæos non confitebantur,vt è synagoga non ejicerentur:dilexerunt enim glotiā hominum magis,quam gloriam Dei. Itaque hæc sponsæ cunctatio,maximæ illius Ecclesiæ partis auersum à doctrina,& oratione Christi animū indicat,clareq; ostendit id, quod euenit,fore vt ille populus Christi vocē grauatè ad suas aures admitteret. Sed sequitur. *Dilectus meus misit manum suam per foramen,& venter meus intremuit ad tactum eius.* Quia auertentibus se Iudæis, & aures suas voci Christi occludentibus, neque se leuare volentibus de cupiditatum suarum lecto, in quo tenebris erroris inoluti iacebant, Christus tamen, iure ob id dilectus vocatus, perstitit in vocando. Itaque, vt hîc sponsus fingitur cunctante sponsa, quâ ianuæ clauis immittitur, missis digitis pessulum ostij amouere voluisse: sic ipse peculiari vi in corda aliquorum incubuit, ipsosque ita permouit, nulla vt res illos ab aperiendo, id est, ab amando & credendo retardare potuerit. Quare addit. *Et venter meus intremuit ad tactum eius*, aut vt in Hebræo dicitur: *& viscera mea infremuerunt ad tactum eius*. Nam viscera sua Ecclesia vocat præcipuas partes suas, & eas, quibus præcipuè vita consistit, hoc est, homines eos, qui, cum eorum Deus corda aperuisset, vocanti Christo se audientes præbuerunt, quales fuerunt Apostoli,& alij Christi discipuli, è quibus Euangelica Ecclesia primò constitit. Nam sicut mare procellosum ventis agita-

Luc.14.

Ioan.12.

agitatum infremit,& fluctibus feruet, ac ſeipſum non capit. Sic illi Spiritus ſancti flatu cõmoti,ipſo Chriſto in eorum animis inſinuante ſe,& miros in eis motus ciente ardere cœperũt in fide & amore Chriſti,vſq; eò,vt omnibus alijs abiectis rebus,in vno quærendo,& ſequẽdo Chriſto, omnes ſuũ ſtudium poſuerint: quorum ex perſona ſunt, quæ ſequuntur? *Surrexi,vt aperirem dilecto meo,manus meæ ſtil lauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatiſsima*, Nã hi ſtatim atque eorũ aures Chriſti vocibus circunſonarũt, & manus eius immiſſa per foramen, id eſt,eius vis occulta ipſorum animos perculit,ſurrexerũt,ideſt,neglectis ijs, in quibus quaſi in lectulo quieſcebant,bonis, vnum adamauerunt Chriſtum;Itaque ſurrexerunt, vt aperirent ianuam dilecto,ideſt,vt non ſolùm ipſum ad ſe intromitterent, quem iam in animis habebant flammas amoris atq; fidei ſubijcientem ipſis,ſed vt in omnium mentes eundẽ inſinuarẽt,vtq; cũctorũ corda clauſtris infidelitatis remotis patere Chriſto facerẽt. Quod autẽ additur. *Manus meæ ſtillauerunt myrrham, & digiti mei pleni myrrha probatiſsima.* Quo ſignificatur ſumpto vaſculo myrrhæ pleno acceſsiſſe ſponſam ad fores intromiſſuram ſponſum, & myrrha introcũtem perfuſuram. Sed dum feſtinat vaſculum confregiſſe, & oſtij peſſulum cui manum admouerat, myrrha imbuiſſe, quantùm ad interiorem,de qua agimus, intelligentiam pertinet,ea myrrhę probatiſsimæ effuſione, qua manus eorũ qui Chriſto fores aperiebãt,imbutę ſunt, primò demonſtratur qui Apoſtolorum hortatu inducti, erexerunt ſe vt intrare ad ipſos volenti Chriſto aperirent, eos in ipſo intromiſsionis eius,id eſt,conuerſionis eorum ad ipſum initio,graui dolore correptos eſſe,quòd ſpretus antea ab eis Chriſtus,atque occiſſus fuiſſet. Myrrha enim in his literis pœnitentiæ acerbitatem ſignificat. Quod & euenit; Nam in actis de ijs, quos prima Petri concio ad Chriſti

Chriſti fidẽ adduxit, qui ter mille numero fuerũt, ſcribitur in hũc modum: His auditis compuncti ſunt corde,& dixe- *Acto 2.*
runt ad Petrum,& ad reliquos Apoſtolos: quid faciemus viri fratres? quibus Petrus: Pœnitentiam agite:& baptizetur vnuſquiſq; veſtrum in nomine Ieſu Chriſti:& in Apo- *Apoc. 1.*
calyp. etiam ſcribitur. Et plãgent ſuper eum omnes tribus terræ,& videbunt in quem confixerunt. Deinde declaratur eorum, qui Chriſti & Apoſtolorum vocibus ad fidem conuerſi ſunt, atque adeò Apoſtolorum ipſorum virtutẽ odorem inſtar myrrhæ ex ſe ſpiraſſe mirabilem, eumque latiſsimè propagaſſe cunctis hominibus eorum admirantibus ſanctitatem, vt commemoratur in actis Nam quo- *Acto. 5.*
niam illi erant ſumma religionis capita & Eccleſiæ Euangelicæ prima germina, è quibus propaganda erat Eccleſia & per totum orbem diffundenda, idcircò oportuit, non ſolùm vt egregia ſanctitate pollerent ipſi, ſed etiam vt in ſanctitatis maxima opinione eſſent apud omnes; quod & alio tranſlationis genere Chriſtus ſignificauit, eos cum nominauit lucem, ſic dicens: Vos eſtis lux mundi. Et Paulus *Matth 5.*
eodem, quà ſcribit, Bonus odor Chriſti ſumus in omni loco. Sequitur. *Peſſulum oſtij mei aperui dilecto meo, at ille declinauerat atque tranſierat.* Tranſierat nimirum, quia quando Iudæi Apoſtolorum ſuaſu conuerti ad fidem Chriſti cœperunt,& Euangelicam Eccleſiam cõficere, iam Chriſtus in cælum receptus apud homines eſſe deſierat. Vel certè quia aperiendi iſtud verbũ, Eccleſia illa Chriſti, ideſt, Apoſtoli atque Diſcipuli, non tàm referũt ad ſe, quàm ad alios Iudæos, in quorum animos introducere Chriſtum cupiebant. Itaque quo ſignificarent ſe in illis maxima ex parte luſiſſe operam, quòd nullis ſuis monitis, vt Chriſto aditũ patefacerent, adduci potuerunt, ſurrexiſſe ſe quidem dicunt,& manum ianuæ admouiſſe, aperuiſſe fores deniq;, hoc eſt, multum operæ,& ſtudij poſuiſſe in eo, vt corda

Iu-

Iudæorũ Christo paterẽt: at Christũ maximæ partis ipsorũ peruersione animi & obstinatione neglectũ, aliò declinasse. Quod & illę Pauli voces significãt, Vobis oportebat primũ loqui verbũ Dei, sed qm̃ repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce cõuertimur ad gẽtes. Nã quos Euãgelij præcones, eorũ perfidia excluſi prætereũt, ab ijs verè Christ⁹ declinat, sed quãuis plurimi Iudæorũ Christianæ assentiri doctrinæ noluerũt, & ob id abijsse Christũ, & ab illis discessisse Ecclesia videbat, nõ tñ ipsa destitit quęrere Christũ in illis, id est, non destitit iterum ac sæpiùs amore Christi incensa, non solùm Hierosolymis, sed etiam per omnes vrbes Iudææ, nec in Iudęa tantùm, sed omnibus in locis, in quibus erant dispersi Iudæi, ipsos ad Christi cultũ & amorẽ vocare, vt in Actis Apostolorum varijs in locis scribitur, idq; significant, quæ sequuntur, *Anima mea liquefacta est, vt loquutus est, quæsiui & non inueni illum, vocaui & nõ respondit mihi.* Nam Christi amor cordibus illorum fideliũ inclusus, eum postquàm loquentem audierunt, eique assensi sunt, ipsos conquiescere non sinebat, perurgebat q́ue ipsos Dei charitas, vt de se Paulus scribit, vsq; eò vt sæpiùs repulsi, speq́ue frustrati sua sæpissimè, famẽ pergerẽt Christũ in Iudæorum cordibus quærere. At quia ad extremũ, luserũt operã, Iudæis maxima ex parte Christo fidẽ nõ habentibus, id vt significetur, Ecclesia subiũgit. *Quæsiui, & nõ inueni illũ, vocaui & nõ respõdit mihi.* Quia quæsitus cũ esset à discipulis eius non est inuẽtus inesse in Iudæis, & vocatus ab eisdẽ respõsum nullũ reddidit, idest, nullo edito signo mõstrauit se in eorũ Iudęorũ animis habitare: imò potiùs lõgissimè abesse ab ipsis, apertissimis documẽtis ostẽdit. Nõ solũ em̃ amore cõplexi illũ nõ sunt, sed & acerbissimo prosequuti sunt odio, nec solũ ad corda sua nõ admiserũt illũ, sed & studioſè à suis animis fidẽ illius repulerũt, viasq; oẽs summo studio adhibito obstruxerũt, quib⁹ accedere ad ip-

ad ipsos poterat, nõ tãtũ Christo inimici facti, sed & ijs qui illũ annũciabãt, hoc est, qui in ipsorũ mẽtib⁹ illũ insinuare cupiebãt, redditi infestissimi, quare addit spõsa. *Inuenerunt me custodes, qui circumeũt ciuitatẽ, percusserũt me, & vulnerauerũt me, tulerũt palliũ meũ custodes murorũ.* Nam custodes ciuitatis sacerdotes sunt, & Iudæorũ principes, quibus cõmissa reipublicæ erat cura, Nã ij Ecclesiã Christi, idest, eos omnes, qui in aliorũ mẽtibus introducere cupiebãt Christũ, malis grauissimis affecerũt, ob id ipsũ, quia Christũ in alijs quærebãt. Nec enim spõsa aliã ob causam sibi à custodib⁹ plagas fuisse illatas dicit, nisi quia cupidè suum sponsum quærebat: quantũ autẽ hoc cõgruat cũ ipsa re, quanq́; ex illa dictũ sit, & expressum, in lib. Act. Apostolicorũ perspicitur, in cuius capite. 4. sic dicitur. Loquẽtibus illis ad populũ superuenerũt sacerdotes & magistratus tẽpli, & Saducæi, dolẽter q̃d docerẽt populũ & annũciarent in Iesu resurrectionẽ ex mortuis, & iniecerunt in eos manus. & posuerũt in custodiã, & quæ sequũtur: & in capite. 8. 9. &. 12. plagæ quib⁹ affecerũt ipsos cõmemorãtur, verè vt spõsa dicat dũ Christũ quærit, idest, Christũ Iudęis annũciat, eũ vt in eorũ cordib⁹ inueniat in custodes murorũ. i. in grauissimos Christi incidisse hostes, qui quò ipsam auerterẽt à quę rẽdo nihil nõ moliti sunt. Quos autẽ custodes ciuitatis vocat, eosdẽ murorũ custodes nominat, hoc est, bis nominat ipsos, quo doceat duorũ populorũ ac gẽtium acerbissima odia Christũ excitasse aduersum se, primò Iudęorũ deinde gẽtiũ; Nã vtriq; & varijs modis & lõgo tẽpore Ecclesiã vexarũt. Necverò sine causa est, q̃d & plagas sibi illatas memorat, & ablatũ palliũ esse dicit, vt in altero corporis cruciat⁹, in altero publicationẽ & direptionẽ bonorũ significet, aut certè alterũ ad apertos suos hostes refert, alterũ ad occultos inimicos, idest, ad hæreticos, & id genus homines flagitiosos & prauos, qui ipsam charitate atque fide, quæ

Acto. 4.

Actor. 8. 9. & 12.

sunt

sunt bonorum hominum vestimenta, vt eas istæ literæ nominant, nudare studeant, & certè nudant eius permulta membra. Quod porrò vtrumque hostiũ suorũ genus vrbis custodiæ præfuisse dicitur, eò dicit quòd sua vox, suumque quęrendi Christum in aliorum cordibus studiũ, quod priuatis hominibus maxima ex parte probatum est, & acceptũ, principibus viris vtriusq; populi, sacerdotibus Iudæorum & Romanorum Imperatoribus potissimùm fuit ingratum, & inuisum. Sed illi sua odia suamque sæuitiam in Ecclesiam expromere potuerunt: at vocem ei eripere, aut silentium ipsi imponere nullo modo potuerunt, quò magis enim ipsam opprimebant, eò clatiùs illa vociferabatur, id est, eò clariùs Christum annunciabat: idque mirificè exprimunt, quæ sequuntur, *Adiuro vos filiæ Hierusalem, si inueneritis dilectum, vt renuncietis ei, quia amore langueo.* Plagis enim sponsa affecta & pallio spoliata, neque cum custodibus expostulat de accepta iniuria, neque eos orat vt ablatam vestem sibi restituant, neque apud quemquam alium suum casum lamentatur, sed ad eas conuersa fœminas quæ sibi clamanti obuiam venerunt, id vnum eas orat vt de amore suo sponsum certiorem faciant, in eum si quando fortè fortuna inciderint, quia profectò Ecclesia illa Euangelica, id est, illi Ecclesiæ viri, qui tanta animi constantia repugnantibus & cuncta minitantibus, & acerbissima mala inferẽtibus mundi principibus victricia signa Christi toti orbi intulerunt, id est, ipsum annunciarunt vniuersis hominibus, quamuis grauissimè vexati, quamuis ferro atque igne appetiti, tamẽ neque se contra hostes armarũt suos, neque eos vnquam vlti sunt, neque saltem, vt eorum à se vim & iniuriam repellerẽt, copias aliquas collegerũt, aut aliorum opem rogarunt, sed ad omnes illorum aggressiones, impressiones, insultus, ad intentas ab illis neces atque cru-

cruciatus illud opposuerunt vnum. Christianus sum, Christum profiteor; vitam eripies, hanc vocem, hanc fidẽ nũquam eripies: omnia amittere possum, vt autem à Christo annunciando, amãdo, quærendo desistam, induci nõ possum, licèt me appetas malis omnibus, tamen hoc vnũ, & hoc semper à me audies. *Adiuro vos filiæ Hierusalem, si inueneritis dilectum meum, vt nuncietis ei quia amore langueo,* cui illæ. *Qualis est dilectus tuus ex dilecto, ò pulcherrima fœminarũ? Qualis est dilectus tuus ex dilecto, quia sic adiurasti nos?* Quia enim proximè superioribus sponsæ verbis illius in quærendo Christo, ideſt, cũctis hominibus annũciãdo studiũ, à quo studio nullis rebus aduersis remoueri potuit, ostẽsum est, ideò consentaneè hac spõsæ comitum oratione ostenditur eius illud studium non inane omnino, aut inutile fuisse. Inducuntur enim Hierosolymitanæ quædam fœminæ de dilecto ipsius rogantes ipsam, quarum in persona illi significantur Iudæi atque Gentiles, quicunque Christi præconum commoti vocibus eis adhæsetunt, & se ab eis disciplinam Christianam exactè doceri vehemẽter optarũt, in quorũ scilicèt cordibus ingressa fides altè radices egit. Itaque ij ad Doctores Euangelij conuersi, eos primùm pulcherrimos nominãt. Nam & Esaias de eisdẽ scribit. Quã pulchri super montes pedes euangelizantium pacẽ, euãgelizantium bona, ijs enim, quorum Deus aperire corda incipit ad credendum in Christum, doctrina & sermone, quæ de eo est, nihil videtur esse pulchrius: atque ijdem ardentissimo amore eos colunt, qui id lumen mentibus ipsorum inferunt. Ex quo illa sunt, quæ Paulus ad Galatas, & Lucas in actis scribunt, ille de Galatis. Testimonium perhibeo vobis si fieri posset, oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi: Hic de Ephesijs. Magnus autem fletus factus est omnium, & procumbentes super collum Pauli osculabantur eum. Deinde rogant eos vt se doceant, qualis

Ad Gala. 4.

Acto. 20.

sit dilectus iste, id est, volunt vt exactiùs ipsis exponant totam rationem & doctrinam Christi. Quorum votis sponsa in eorum persona obsequens, ita respondet. *Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus.* Describit enim sponsi sui corporis elegantiam. Venustissimum quendam, & omnibus modis speciosissimum depingens iuuenem, vt eius sub imagine Christi, vitæ atque omnium actionum eius præstantiam & excellentiam ante oculos ponat. Itaque id primùm vniuersè dicit, deinde per singulas partes exequitur. In quo aduerti primò debet quantùm in cognitione rerum diuinarum iam hæc Euangelica Ecclesia profecerit, quantumque ipsa se in hac re superârit, aliarum eius, quæ præcesserunt ætatum ratione habita. Nam sponsa ante hunc locum, modicè aut intra modum potiùs sponsum laudabat, de illius odore bono nonnihil dicebat; attingebat dulcedinem amorum eius, formæ ipsius præstantiam obiter perstringebat: commemorabat pernicitatem in cursu: at eius corporis, atque membrorum totam compositionem nusquam, præterquam hîc, exactè descripsit, quia antequam ad istam ætatem peruenirет, minus ipsa Deum cognoscebat. Nam ad hæc Euangelij tempora propriè illa Esaiæ pertinent. Et replebitur omnis terra scientia Domini. Illaque Ieremiæ. Et erunt omnes docibiles Dei, & cognoscent me omnes à minimo vsque ad maximum. Nam Deus eo in tempore humana vestitus carne, primò visus est ab hominibus. Deinde est & hoc diligenter cõsiderandum, sponsam, id est, conuentum Apostolorum & Christi prædicatorũ rogatũ de omni Christiana ratione atq; disciplina, eam vt perfectè explicaret, vnius Christi graphicè descriptam imaginem atque formam in medium protulisse: Nam neque Hierosolymitanæ fœminæ, id est, ij, qui se numero fidelium adscribi cupiebant, præter spon-

sponsum quidquam discere auent: neque Ecclesia, id est, Euangelici Doctores ipsos aliquid aliud præter Christum docent, quo intelligatur Christianam disciplinam in vno Christo tradendo, illustrando, explicando, nostris pectoribus inferendo, totam versari, idque vnum Euangelio effici atque quæri, vt qui ei fidem habet, in Christũ euadat, idest, ita planè ipsum referat, vt effectus vnum penè cum ipso, in eo magis, quàm in se viuat. Itaque Paulus totius suæ doctrinæ summam proponens, dicebat. Prædicamus Christum, & hunc crucifixum. Et alibi. Nihil arbitratus sum apud vos scire præter Christum, & hunc crucifixum Et rursus ad Romanos scribens, finis legis est Christus. Et ad Galatas. Filioli, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. Eius igitur in cognitionem auditores vt sponsa inducat, sic dicit, *Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus.* In quo à colore exorsa dicere, qui vt in corpore è temperatura ipsius existit, sic ad Christi rationem translatum id in eo significat, quod è complexu duarum naturarum, è quibus temperatus est, resultat, nimirum illũ concentum humani atque diuini, Græci quod apto vocabulo θεανθρικὸν nominant, itaque ab eo exorsa vitæ eius omnes partes exequitur, natiuitatem, pueritiam, docendi à baptismo factum initiũ, doctrinæ genus ipsum, sermones cælestes, admirãda opera, mortẽ, crucẽ, sepulturã, in vitã reditũ, denique ascensum in cælũ, quæ res Christianã cõtinent disciplinã, vti & Paulus insinuat, qua dicit Notũ autẽ vobis facio fratres Euãgelium, quod prædicaui, & subiungit; tradidi enim vobis imprimis, qđ & accepi, quoniã Christus mortuus est pro peccatis nostris secundũ scripturas, & quia sepultus est, & quia resurrexit tertia die secũdùm scripturas, & quia visus est Cephe, & post hoc vndecim. Nã de natiuitate eius est, quod ait. *Caput eius aurum optimum.* Nam vt à capite

1. Cor. 1.
1. Cor. 2.
Romano.
Gal. vlt.
1. Cor. 15.

omne initiũ motus ducitur, sic vitæ à natiuitate, quæ certè in Christo instàr auri fuit, quia qua die natus est inter homines, ex eo die hominibus aurea fluxerunt sæcula. Quod autem addit. *Comæ capitis eius sicut elatæ palmarũ, nigræ quasi coruus.* Ad eius sub parentibus actam pueritiam, atque iuuentutem significandam pertinet, ista enim natiuitati succesſerunt, sicuti & comæ à capite fluunt, & elatis palmarum sunt similia, quia acta sub patria potestate. Nã elatæ tenera palmæ germina sunt ex Hesychio, & sunt nigræ quasi coruus, quia in obscuro transacta luce historiæ caruerunt. At oculi, id est, eius vitæ ea pars, quam in oculis egit omnium, quando se in publicum dedit, ac doctrinæ, sanctitatisque suæ lumen vniuersis prę ferre cœpit. *Sicut columbæ super riuulos aquarum, quæ lacte sunt lotæ, & residẽt iuxta fluenta plenissima.* Vel quia à columba, & à Iordane eam orsus est fluuio, vel certè quia illa parte vitæ Christus, quæ in se continebat Spiritus sancti dona, quorum columba, & aqua sunt symbola, ea in aspectum atque in lucem protulit. Illa autem quæ de genis sponsa subijcit, dicens. *Genæ illius sicut areolæ aromatum consitæ à pigmentarijs.* Et quæ de labijs, cum dicit, *labia eius lilia, distillãtia myrrham primam*, Christi in ea parte vitæ consuetudinis cũ hominibus modũ, tum eiusdẽ doctrinæ genus & rationem significant. Nam animi pudentis habitus in genis perspicitur, quare genæ in Christo eius externum translatè notant habitum, quod ad consuetudines, quod ad congressus, quod ad modum in omni actione motu, gestuque pertinet. Et dicuntur esse sicut areolæ aromatum, in quibus varij visuntur flores, albi, purpurei, lutei, in vnam pulchri speciem aptè conspirantes, quo intelligatur ea omnia in Christo ex humili & graui decentissimè temperata prorsus fuisse venustissima. Qua de re *Esai 24.* Esaias scribit. Non clamauit, non audietur vox eius foris, cala-

calamum quassatum non conteret, linũ fumigans nõ extinguet, in veritate educet iudiciũ, nõ erit tristis, neq; turbulẽtus. Itaq; genę cõsuetudinis Christi modũ significãt: labia porrò doctrinæ declarãt genus in eo, quòd & lilijs similia esse, & stillare dicũtur myrrham primam: nam myrrheus amaror ad veritatem quæ nimis quã amara multis est, transferri in his literis solet: lilia autem rubentia, nã est, vt supra diximus, liliorum genus quoddã purpureũ, significant Christi singula verba lita fuisse amore ardentissimo. Vtrunq; autẽ declarat, ita ipsum in vtroq; seruasse modũ, vt neque seuera dicendo ab humanitatis comitate discesserit, neque dum amori, comitatiq; seruit, de veritatis seueritate quidquã remiserit. Sed de doctrina hæc: de operum autem eius, id est, de rerum ab ipso mirabiliter patratarum magnitudine, id quod sequitur, *Manus eius tornatiles aureæ, plenæ hyacinthis*, aut vt ex Hebręo quidã verterunt, *manus eius orbes aurei in quorum plenitudine tharsis.* Quasi dicas ornatas manus eius esse annulis aureis, quorum in palla tharsis pretiosus lapillus esset inclusus. Quo significetur quæ Christus fecit opera, in quibus naturę leges prętergressus est, supra omnem modum fuisse admiranda. Sed nihil admirabilius, nihil arcanis sacramẽtis fœcũdius eius morte ac sepultura fuit, quæ tamen eorum, quæ Christo acciderunt abiectissima esse visa sunt, vt & venter contemptissima humani corporis videtur esse pars. Itaq; de his rectè subiungit. *Vẽter eius eburneus, distinctus sapphiris.* Vẽter eius, id est, sepultura eius atq; crux, sic nominatæ, vel quod infirmũ quiddam vt venter, vti diximus, vel certè, quòd vt in ventre vitalia ferè omnia continentur, vtq; in eo congerũtur omnis generis cibi, sic in Christi sepultura atque cruce concluſi, & tanquam congesti fuimus omnes. Vnà enim cũ illo & in crucẽ sublati, & terræ postea mãdati fuimus, sepulturaq; affecti, vt ex eo, quod ipsi vtroq; in tem-

pore accidit, nos,qui in illo ineramus affecti,quod mori dignũ in nobis erat,& terræ mãdandũ id extingueretur atq; ſepeliretur totũ,eoq; extincto ac ſublato de medio, ſuus animo redderetur nitor gẽmeus atq; eburneꝰ, ideſt, noſter animus eniteſceret atq; ſplẽdeſceret gẽmis magis atq; ebore. Quod ſi occaſus Chriſti ac ſepultura talis,qualis quę ſo advitã reditus? Et ſi ea dignitate eſt infirmitas fortitudinis quãta erit virtꝰ? *Crura inquit eius marmorea ſuper baſes aureas.* Nã in cruribꝰ exſurrectionis Chriſti à morte exẽplum atq; ſymbolũ ineſt,ea enim erexit ſe ab occaſu Chriſtus,& ſtetit firmus, qui antea ceciderat. Et vt marmoreũ quod eſt,flecti nequit,ſic illa docuit ſe neq; morte,neque inferno vinci potuiſſe,ſed vtroq; ſuperato hoſte,& prætea deuictis,ac ſub iugũ miſsis alijs omnibus inimicis emicuit victor ijs ſplẽdoribus circumfuſus,quos amiſſurus nũquam eſſet,auri vt nitor indeficiẽs eſt. Ex quo ea crura baſi aurea fulta eſſe dicũtur. Et præterea additur. *Species eius vt Libanus,electus vt Cedri.* Talis enim apparuit, quãdo terras relinquẽs in cælum aſcẽdit ad patris conſeſſurus dexterã. Is namq; aſcenſus atque cõſeſſus proceritas Chriſti eſt, qua certè inter omnes eminet, vti Cedrus, Libanusvè in ſuo quiſque genere reliquos altitudine ſuperant. Guttur denique eius ſuauiſsimum,ideſt,ſpiritus is,quo ſuos afflauit,ipſum quando de cælo miſit, quique ideò guttur nominatur,qđ Deo digna verba ori noſtro ſuppeditet quod q; ſpiretur,vt anima ſpiratur ea,quæ gutture ducit: is ergo gutture Chriſti ductꝰ, & in Apoſtolos effuſus ſpiritus ſuauiſsimus eſt; aut vt dicitur in Hebræo id,eius palatũ dulcedines,quoniã non vno dulcis eſt modo, ſed innumeras habet dulcedines,ex quo id eſt,quod ſubijcitur,*& totus deſiderabilis.* Totus ſcilicèt Chriſtus ipſe,quando ipſa eius natiuitas,ipſa vita,mors ipſa,à morte exſurrectio,in cęlũ aſcẽſus, Spiritus ſancti de cælo miſsio, deniq; quidquid noſtri cauſa

cauſa egit, paſſus vę eſt vtiliſsimum atque optatiſsimum nobis accidit *Talis,* itaque ſponſa ait, *eſt dilectus meus,& ip ſe eſt amor meus filiæ Hieruſalem.* Quam illæ de integro rogãt dicentes *Quo abijt dilectus tuus ò pulcherrima mulierum? quo declinauit dilectus tuus,& quæremus eum tecum?* In quo dum ſuã operam ſpõſæ iſtæ fœminæ pollicentur,& ſe vnà cum illa ſpõſum quæſituras teſtãtur, apertè ſignificant, ſe illius oratione cõmotas,& ſponſi ipſius, de cuius pulchritudine audierant, amore correptas, illius inueniendi & ipſas cupiditate teneri, ideſt, ſignificãt, Eccleſiæ, ideſt, Apoſtolis, ac Diſcipulis de Chriſto concionãtibus gentes, quarum iſtę fœminæ perſonam gerũt aſſenſas amare cœpiſſe Chriſtum, & vnà cum Apoſtolis incubuiſſe in ſtudium inueniẽdi ipſius, ideſt, in ſtudium promerendi illũ,& imitandi, & ad ſe ipſos introducendi, ideoque dicunt. *Et quæremus eum tecum.* Nec verò quæremus dicũt ſimpliciter, ſed tecum quæremus, quo cõſtet Chriſtum rectè quæri, inuenirivè, niſi Eccleſia & comite,& duce non poſſe. Quod autẽ iſtæ gẽtes Eccleſiã rogant, vt ſe docear, quò Chriſtus diſceſſerit, id tribus interpretari mõdis poſſumus, quos ſingulos latiùs explicabimus. Primus, requirũt, cũ hoc dicũt, quod ad perfectã doctrinã videbatur deeſſe ſibi. Nã Euangelicæ doctrinæ partes ſunt duæ, vna, quæ mentẽ illuſtrat, altera, quæ mores animi fingit & firmat,& quoniã de prima ſatis dictum eſt in ijs; quæ proximè ſupra de ſpõſi forma & pulchritudinis præſtantia dicta ſunt, reliquum erat, vt aliquid diceretur de ſecunda: Id ergo ſponſa rogatur Nam quærere quò abierit ſponſus, eſt quærere quibus in locis gratè verſetur, quos animi mores amet. Nã Chriſtum verſari in ijs, quos diligit, certum eſt, ipſo dicente. Et ad eũ veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Itaq; de hoc Eccleſiam rogant ad Chriſtum modo conuerſæ gentes, quibus in perſona ſpõſæ capite ſequẽti Eccleſia reſpõdet.

CAPVT VI.

Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, vt ibi pascatur in hortis, & lilia colligat. Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi qui pascitur inter lilia Pulchra es amica mea, *suauis & decora sicut Hierusalem, terribilis vt castrorum acies ordinata. Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt. Capilli tui sicut grex caprarum, quæ apparuerunt de Galaad. Dentes tui sicut greges ouium, quæ ascenderunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est in eis. Sicut cortex mali punici, sic genæ tuæ absque occultis tuis. Sexaginta sunt Reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus, vna est columba mea, perfecta mea: vna est matri suæ, electa genitrici suæ: viderunt eam filiæ, & beatissimam prædicauerunt Reginæ, & concubinæ, & laudauerunt eam. Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata? Descendi in hortum nucum vt viderem poma conuallium, & inspicerem si floruisset vinea, & germinassent mala punica. Nesciui, anima mea conturbauit me propter quadrigas Aminadab. Reuertere reuertere Sunamitis, reuertere, reuertere, vt intueamur te.*

PRIMA EXPLANATIO.

Dilectus meus descendit in hortum suum. Cur per vrbem tam sollicitè quærebat ipsum, si descendisse sponsum in hortos sponsa cognouerat? Ergo hæc non ita accipienda sunt, quasi id antè nouisset sponsa, sed quasi nunc primum, vel audita sponsi voce, vel viso aliquo eius alio signo cognoscat, & ex eo signo, voceve gaudio necopinato correpta in hæc verba prorumpat. *Dilectus meus descendit in hortum suum ad*

ad areolam aromatum, vt ibi pascatur in hortis & lilia colligat. Quibus quidem verbis sibi ipsa quodammodo gratulatur de eo, quòd suum virũ inuenerit: vel certè subaccusat seipsam tarditatis, & stuporis, quòd sibi per sexcenta loca virum quærenti de horto cogitare non succurrisset: itaque dicit. Sed ò me stultã & cæcã, quã nunquã subierit cogitatio de horto. Hẽ in horto ille, quẽadmodum certissimis signis percipio versatur. Dicit autẽ, *Descendit*, quia locus & tanquam σκηνη huius dramatis constituitur Hierosolymis, quæ in edito montis loco sita eius montis ad radices hortos habebat, & pomaria amœnissima. Igitur vt illum ascendentem & appropinquantem aspexit, quod in re cupidè quæsita, & præter spem inuenta fieri sæpè solet, præ gaudio animi impos exclamat. *Ego dilecto meo & dilectus meus mihi qui pascitur inter lilia.* Cui ille, ex quo iam redijsse intelligitur, ita respondet. *Pulchra es amica mea, suauis & decora, vt Hierusalem, terribilis, vt castrorum acies ordinata.* Suauis in Hebræo non adiectiuum nomen esse videtur, sed vrbis nomen proprium, nisi quod Latinus interpres notationem verbi Hebraici reddere maluit, quam ipsum verbum retinere: id autem est תרצה Thirsa, quod à suauitate ductum vrbis nomen erat regiæ, atque nobilis in sorte Ephraim, in qua antequam cõderetur Samaria Israëlitici populi Reges residebãt. Appellabatur autem Hebræis Thirsa, quod Latinè redditũ sonat suauis: propterea quod & agri vbertate, & loci amœnitate, & ædificiorum magnificentia, atque cultu apta nimis erat ad vitam iucundè, & suauiter traducẽdam. Hierusalem porrò, & ipsa Regum Iuda vrbs regia fuit pulcherrima, & nobilissima omnium, non solũ Syriæ vrbium, sed etiam Asiæ propè totius. Igitur sponsus qui superius ita copiosè & accuratè laudauit sponsam, nullum vt neque cæteris, neque adeò ipsi sibi vberius ipsam laudandi locum videretur reliquisse, se ipse nunc aggredi-

tur ſuperare,& ſuperioribus laudibus, quibus videbat nihil addi poſſe,magnum etiam nunc addere parat laudum cumulum. Non enim vt antea exagro atque ruſtica re ſimilitudines ducit,aut capreas iam,hœdoſve, aut mala punica loquitur,ſed vrbes, & eas omnium pulcherrimas & nobiliſsimas vrbes ad ſimilitudinem confert. Etenim ea erat ſponſæ puchritudinis magnitudo, ea oris atque corporis totius maieſtas,aut certè ea videbatur ipſi eſſe, tamque illius auguſta imago ei,& obuerſabatur ob oculos, & per oculos in animum introibat,vt ea quanta eſſet nō poſſe declarari putaret,niſi ſimilitudine earum rerum,quę nō ſolùm pulchræ,ſed amplæ etiam,& multa rerum varietate præditæ eſſent, quæq; auguſtiſsimā ſpeciem haberent, quales ſunt vrbes regiæ,& cùm murorum,porticum,templorum,turrium,reliquorumque ædificiorum magnitudine,& varietate ſpectabiles,tùm ciuium numero, & populi vniuerſi frequentia, cæterarumque abundantia rerum, quæ ad vitæ cultum ſpectant,inſignes. Ex quo etiam genere eſt illud, quod ſequitur. *Terribilis vt caſtrorum acies ordinata.* In quo non tam à pulchritudine ſponſam laudat,quanquam & id quoque, eſt enim omnium pulcherrima res, maximèque aſpici digna militum acies inſtructa, quàm etiam laudat ab ea vi,quæ ſponſæ ipſi inerat, aut certè ineſſe ſentiebat ſponſus ipſe hominum animos, quamuis agreſtes & feros, & ab humanitate alienos amore domandi. Sic enim militibus ſub ſignis collocatis, ordinibuſque eorum diſpoſitis, armorum ſplendore, & ſignis militaribus acies effulgens,& ad aſpectum eſt pulcherrima, & ad victoriam potentiſsima Itaque ille ſponſæ vim, quæ non ſolùm ipſum incendebat,ſed etiam animum eripiebat ipſi,atque vt priſcè loquar,mentem expectorabat, amplius vix ferēs,iure quod ſequitur,addidit. *Auerte oculos tuos, quia ipſi me auolare fecerunt*, Quid enim aliud poſt tam exaggeratas

tas laudes dicere poſſet,magis conſentaneum quod eſſet, quam vt manu in altum ſublata,eaque verſus ſponſam oppoſita,vultuque & oculis leuiter auerſis ab ea,eidem diceret,vt auerteret ab ipſo oculos tantiſper, dum ſe colligit, dum reſpirat: incendi enim ſe illius luminibus,peruri,rapi denique,& extra ſe propè conſtitui. Quod quamuis petat, tamen nihil eſt quod minus fieri velit, ſed petit eo, vt iſta ratione eleganter doceat, nihil eſſe quod ab ipſo obtinere ſponſa ſua non poſsit, ſeque totum in illius eſſe poteſtate. Itaque amplificauit,& exaggerauit ſponſæ oculorum pulchritudinem,multo magis quā ſi illuſtriores ſtellis eos eſſe dixiſſet. At auolare,quod Græcos ſecutus poſuit Latinus interpres, in Hebræo eſt הרהיבני Harhibeni quod verbum è verbo,ſuperare me fecerunt,verti poteſt Ergo hoc veteri interpreti viſum eſt volare eſſe, quia qui volant, ſe in altum ſuſtollunt,alij ſuperbire id eſſe voluerunt:nā qui ſuperbi,ijdem etiam elati ſunt, ſeque ſupra cæteros efferunt, & ita verterunt. Auerte oculos tuos,quia ipſi me ſuperbire fecerunt:verteruntque mea quidem ſententia rectè omnes ad ſcriptoris ſentētiam, ſed nihil obſtabat quo minus verbum etiā verbo redderetur. Nam ſuperare me fecerunt,quod ad verbum dicitur in Hebræo, poëtica inuerſio eſt, pro,me ſuperarunt: Sequitur. *Capilli tui ſicut grex caprarum,quæ apparuerunt de Galaad. Dentes tui ſicut greges ouiū, quæ aſcenderunt de lauacro,omnes gemellis fœtibus & ſterilis non eſt in eis.* Quæ quoniam iam interpretati ſuperiùs ſumus, quod ſequitur videamus. *Sexaginta ſunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adoleſcentularum non eſt numerus: Vna eſt columba mea, perfecta mea, Vna eſt matri ſuæ, electa genitrici ſuæ.* Quibus iam verbis non tam pulchritudinem illius & venuſtatem commendat, ſuis, videlicèt, & proprijs laudibus ſatis ſuperius laudatam, quàm declarat magnitudinem erga illam amoris ſui, docens

cens ex omnibus suis vxoribus,quas plurimas habet,cùm florentes ætate,tùm dignitate præstãtes,vnam istam esse, quam ipse amet amore eximio,atque præcipuo.Sed vnde isti pastori,tot vxores atque concubinæ?Constat Solomonem plurimas vxores habuisse,etiam plures quam hîc numerantur.Nam habuit vxores principes septingentas, trecentas verò concubinas,quæ & ipsæ vxores legitimæ erãt sed inferioris notæ,& quasi secundæ classis vxores, quòd sine cæremonijs & ritu solemni in potestatem viris dabãtur,quodque plurimùm,aut seruæ erant,aut alioqui humili loco natæ,ex quo earũ filij à patre non scribebantur hæredes,sicut de filijs Keturæ tertiæ Abraham vxoris in Genesi legimus. Igitur vel Solomon hoc loco sub persona pastoris de se ipse agit,& in se Christi personam, cuius ille typus fuit,repræsentat:vel certè hæc à pastore isto dici accipienda sunt,per contentionem ad ea,quæ habebat Rex Solomon,ita vt non dicat se tot vxores habere, sed cũ eas habeat Solomon dicat,& affirmet illum amore in tot partes diuiso variè distrahi,se in vnius amore,& amplexu acquiescere:illum à plurimis fœminis amari,se nisi à sua vxore,quam eam ob causam,quòd vnica ipsi sit, columbam nominat, nolle diligi.multas illi voluptati esse, sibi vnam esse pro multis:quidquid pulchri ac boni in vniuersis illis diuisum conspiciatur,id totum collatum in vnum, atque coniunctum in sua inesse sibi videri,ideòque ipsam appellare suam perfectam:denique pluris à se illam fieri, quam quanti fiant reginæ illæ,& concubinæ omnes à Solomone:seque magis beatum esse vna,quàm sit beatus Solomõ tam multis vxoribus.Sequitur.*Viderunt eam filiæ,& beatissimam prædicauerunt reginæ, & concubinæ, & laudauerunt eam.* Quas superius adolescentulas nominauit, eas nunc filias vocat:filiæ autem Hebræis absolutè dictę pro virgunculis accipiuntur.Amplificat igitur cũ ista refert sponsus vehementer laudes sponsæ.Nam si ab adolescentulis, si à cõcubinis& reginis,id est,ab æmulis ipsa laudatur,perspicuũ est pulchritudinis suæ,atque virtutis præstantia omnem inuidiam superasse.Sed quid istæ filiæ,quæso,dicunt, quomodoque illã prædicant?*Quæ est ista,* inquiunt,*sicut aurora consurgens,pulchra vt Luna,electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata.* Quę est profectò vberrima,& qua nulla maior fingi potest laus.Nam quæ res in omni rerũ natura pulcherrimæ sunt,Aurora,Luna,Sol,militum acies instructa, eas in vnum conferunt:& quo plus artis atque venustatis haberet oratio,quasi per quosdã gradus ipsam crescere faciunt: per singula enim verba, quod sequitur verbũ incrementi aliquid addit.Nam vt auroręspecies pulchra sit,pulchrior certè Lunę est,Solis verò lõgè pulcherrima:acie porrò instructa nihil fieri potest, aut speciosius, aut admirabilius. Quod autẽ dicunt,sicut aurora consurgens,nõ est ita accipiendum,quasi ipsa sponsa ascẽdere ab inferiori aliquo loco dicatur,sed qualis aurora apparet cũ ascendit,id est, cũ appetente die surgit.Nam vt Latini appetendi verbo in aurora vtuntur,cum ea oritur,sic Hebræi ascendendi,vt constat ex illo:Dimitte me,quia iã ascendit aurora.Igitur qualis ea est cum consurgit, talem ipsis sponsam videri, id nimirum prędicant & affirmant:quod ex Hebraico textu fit planius,vbi pro ascendit משקפה verbum legitur,id est,aspicit aut apparet.*Descendi in hortum nucum,* vt *viderem poma conuallium,& inspicerem si floruisset vinea,& germinassent mala punica.* Hæc etiam sponsi verba sunt,non,vt aliqui putarunt, sponsę,quibus ille,quo omnem læsi,aut imminuti amoris à se remoueret suspicionem,& si quid offensionis in sponsæ animo inerat,id vt eximeret, atque deleret totũ, affert sui discessus probabilem causam:nimirum discessisse rei familiaris curandæ gratia,quod prætermitti sine detrimẽto,& in aliud tempus differri non poterat, Atque inquit, cum

Reg.3.ca. 11.

Genes. 25.

Gene. 33.

eum te tanti faciam, quantum quis plurimi potest, cuius tibi, quæ de te prædicaui modò, argumento esse possunt, suc censere mihi non debes, quòd te cùm euocassem priùs atque excitassem, fores mihi iam aperire volentem reliqui: nam dùm moraris, mihi succurit rei nostrę familiaris cura. Itaque descendi in hortum nucum (à nuce arbore, in eo consita, sic dictum) descendi itaque in hortum, vt viderē poma conuallium, & inspicerem si floruisset vinea, & si iā germinassent mala punica. Cui illa statim, & ad morem fœminarum respondet aptissimè: *Nesciui, anima mea cōturbauit me propter quadrigas Aminadab* Aut, vt ex Hebræo Græci interpretes transtulerunt, ἐθετό με ἅρματα ἀμιναδαβ, id est, posuit me currus Aminadab. Nam, inquit, quid tibi in mentem venerit, vt à me discedere velles, aut quò concesseris, nescio: illud vnum scio, dùm te amore perdita atque amens requiro, omnia vrbis loca curriculo, eaque velocitate obiuisse, vt nō sint velociores currus Aminadab. Anima mea id est, desiderium tui, inueniendi, nam anima pro desiderio sæpè in his literis ponitur. Aminadab autem, populus meus princeps, Latinè significat. Itaq; non est viri alicuius proprium nomen, sed duo potiùs Hebræa nomina, optimates qui sunt in populo significātia. Ex quo currus Aminadab, currus, quibus principes vtebantur viri sunt accipiendi. Nam curruum vsus interdictus erat vulgò Iudæis, vel ipsa lege, vel certè equorum ipsorum caritate, atque penuria. Hæc igitur vltro, citroque ab his dicta cum essent, discessuriq; e iam à scena & conspectu earum fœminarum, quæ vociferanti sponsæ venerunt obuiam, viderētur, illæ diei ortu iam luce, tenebrisque discussis (nam sub aduentum diei superiora intelligenda sunt agi) itaque nocte depulsa attentiùs sponsam in lumine contemplari cupientes, ipsam orant, ne se substrahat ab illarum conspectu, neve abeat tam citò. *Reuertere*, inquiunt, *reuertere Sunamitis*,

mitis, reuertere, vt intueamur te. Sunamitem illam vocant, id est, Hierosolymitanam ciuem: nam Hierusalē olim dicta est Salem. Ad hæc, quid sponsa responderit, capite sequenti dicemus, si tamen priùs explanauerimus veros huius capitis sensus.

ALTERA EXPLANATIO.

Dilectus meus descendit in hortum suum. Intra se, pectusque suum, qui hortus superiùs appellabatur tantoperè à se foris quęsitum Christū versari, ex aliquo signo anima fidelis præsentit. Itaq; exposito eius erga Deū ardenti, cōstantique amore, & amoris probatione iam exposita, ab hoc loco Solomon illapsus illos Dei, & amatorios illos plenos cælesti voluptate sermones, qui probationi succedunt, incipit explicare. Nec verò causa, aut mysterio vacat, quod tunc primū apparere illi Christus, & lætitiæ cælestis in animo exoriri lumē dicitur, cū primū de eo apud alios agere, & rudes atq; ignaros cœpit imbuere cælestibus disciplinis. Hoc enim ab ijs, quorū hîc persona agitur, id est, à viris in charitate Dei, & pietate perfectis, exigere solet Deus, vt hunc sanctis monitis alios instituendi subeāt laborē, quem certè ad laborē omnium maximè isti apti & idonei sunt. Verum quoties accidit, vt grauatè id isti faciant (nam iniquo animo sæpè ferunt diuelli se à cōplexu Dei, & ab otio illo sancto ad turbas molestiæ plenas traduci) quoties igitur id recusant facere, aut certè faciunt cūctanter, atq; grauatè, subtrahit se ab ipsorū cōspectu Deus, illosq; spoliat ea ipsa, quā tantopere adamauerunt animi trāquillitate, atque quiete: curatū ipsos, atque rerum aduersarū fluctibus iactari permittens, quoad experimentis edocti intelligant velle Deum, petereque ab ipsis, aliorum vt negotia suo otio anteponant:

vtque

vtque participes efficiant eius luminis, quod in animo inclusum gerunt, reliquos populos, & quod in ipsis est, beatæ vitæ eos compotes faciant. Quod si mutata sententia aliorũ salutem suæ anteferre quieti induxerunt animũ, restituit illis Deus suam præsentiã, eaque in ipso honesti muneris obitu illos perfundit lætitia, vt quod detrimẽto sum sibi futurum ad vitæ tranquillitatẽ, atque noxiũ putabant, fructuosum sibi esse id experiantur, ac pacis, iucunditatisque maximè efficiens. Quod vbi accidit, dici non potest, quantum eorũ sit, & quàm eximium gaudium, eo, quod amabant, & quo se spoliatos esse vehementer dolebant, in eo ipso: in quo minimè inesse putabatur inuento: quod gaudium quæ sequuntur significant. *Dilectus meus mihi, & ego illi qui pascitur inter lilia* Indicant enim ista, atq; demonstrant animum magno sibi aliquo præter spem oblato bono subita ità oppressum lætitia, non modo vt nõ eloqui, sed vix vt sibi licuerit, exclamare. Nam exclamantis simul atque admirantis, lætitiaq; prægestientis ista oratio est, eademque qualis admirantiũ, atque lętantium esse solet, verbis breuis, vi autem atque sententijs fœcunda. Nam cum dicunt. *Dilectus meus mihi & ego illi.* hoc planè dicunt, primum tantoperè à se desideratum sponsum tãdem aliquãdo venisse: deinde quòd venerit, magnum illius erga ipsos amoris indicium esse: ad hæc, vel ob id ipsum à se redamari debere: denique se beatos, atque fœlices esse. Hæc igitur illi. Deus autem ad interruptam consuetudinis suæ, atque sermonis suauitatem rediens, tantò cum illis agit familiariùs, quantò illi inferioribus iam superatis gradibus se ipsis effecti sunt maiores atque meliores, vt ex his quæ sequuntur, apparet. *Pulchra es amica mea, & suauis, & decora sicut Hierusalem, terribilis vt castrorum acies ordinata.* Hæc enim tribui non possunt nisi perfectis, eisque solis verisimè & aptissimè tribuuntur. Nam & Christus in Matthæi Euangelio, illos

illos ciuitati in edito loco sitæ similes esse dicit. Et procul dubiò illa perfectio, illaque bonorum copia, quæ est in consummata, & omnibus suis numeris perfecta virtute, nulla commodiùs quàm ista similitudine declaretur. Nõ enim putandum est perfecti qui sunt, eos priuato aliquo, aut vnius generis præditos esse bono: sed cùm multiplici & vario, tùm publicè cunctis hominibus salutari, atque vtili. Etenim si externi sapientes eam vim inesse voluerũt in ea, quam ipsi describebant, sapiẽtia, quæ certe à vera multum aberat, vt nisi qui sapiens esset, neminem hominis appellatione dignum arbitrarentur, sapiẽtes verò qui essent, eosdem esse assererent, & liberos, & ingenuos, & reges, & omnium rerum atque artium gnaros, atque peritos, quãtò veriùs nos dicemus, vniuersa simul bona, multorumque, cùm publicam, tùm priuatam salutem inesse in eo, qui Christiana perfectè sit excultus virtute. Itaque Christus Dominus omnium verarum virtutum, atq; bonorum non solùm author vnicus, sed æstimator & ponderator verus, cum perfectorum virtutis vim, atque naturam declarat, non alijs vtitur, quam nominibus earum rerum, quarum est latissimè patens, atque vtilissimus vsus. Primum enim eos lucem nominat, luce autem quid non dico dulcius, sed magis vtile ac necessarium, non hominibus solùm, sed cunctis sine exceptione rebus, esse omninò potest? Deinde salem appellat, in quo quodammodo vita quædam, & vt ita dicam, immortalitas omnium corporũ inest, & commune aduersus tabẽ, corruptionemque præsidium. Postremò, quòd ad hunc locum spectat, vrbi illos & ciuitati dicit similes esse. Quia quemadmodum in vrbe artis omne genus, & artificia continentur, suntque in ea, & domus ad inhabitandum multæ, & ad repellendos hostes firma præsidia, tùm maxima eorum copia, quæ ad vitæ vsus necessaria sunt; sic perfectæ virtutis magnitu-

do multiplicia in se bona continet, innumerasq; artes, habet, quibus prodesse in communi cunctis posit. Quod vt planius fiat nobis proponamus ante oculos vnum aliquē eorum, qui in hac Christiana virtute perfecti & excellentes fuerūt, sitque is Apostolus Paulus, qui necessitate quadam, vt de se diceret aliquando coactus ita prædicat de se se. Instantia mea & sollicitudo quotidiana omnium Ecclesiarum, quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror? Et alibi gentibus gentilem se, & Iudæis Iudæum factum, & ad singulorum ingenia atque mores, quo lucrifaceret vniuersos, suam naturam versasse, & accōmodasse commemorat. Idem Galatas iterum parturiebat: Corinthios monitis castigabat: docebat Romanos: cunctas denique nationes ac populos, imò verò terrarum cuncta, ceu Sol quidam se circumagens, radijs veritatis splendidissimis illustrabat. At quibus ipse, quantisq; abundabat cælestibus bonis? Quali ex Deo lætitia, atque voluptate perfundebatur? Portamus, inquit, thesaurum in vasis fictilibus: & alibi. Scio hominem in Christo, siuè in corpore, siuè extra corpus nescio, Deus scit, raptum huiusmodi vsque ad tertium cælum, & scio huiusmodi hominem, siue in corpore, siue extra corpus nescio, Deus scit, quoniam raptus est in paradisum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Ex quibus intelligitur, quàm aptè conferatur iustus, & perfectus vir cum Thirsa & Hierusalem regijs Iudæorum vrbibus. Quòd si non solùm ipsas res quarum ista sunt nomina, sed nominum etiā ipsorum notationes sequamur (horum enim nominum, vnum à suauitate ducitur, alterum à pace, aut pacis contemplatione) hoc igitur si sequamur, verissimè de perfectis viris dicetur Thirsæ & Hierusalem eos esse similes, id est, posidere eos solos, & intrà se se continere pacis, atque suauitatis omnem vim. Nam vt de suauitate dicam

2. Cor. 11.

2. Cor. 4.

2. Cor. 12.

(suaui-

(suauitatis nāque nomine cælestes animi voluptates atq; lætitias, quātæ maximæ in hac vita esse possunt, intelligo) itaq;, vt de suauitate prius dicā: quæ potest esse corporis, at que sensuū voluptas tanta, quæ ex diuitijs lætitia, quod ex hominū celebritate, & honoribus gaudiū, conferri quod possit cū eius hominis gaudio, qui charitate, morūq; imitatione Christo similis effectus, & eius in se se portās imaginē, Deumque, cū quo, non solū amoris necessitudo intercedit illi, sed quāta, nec intelligi quidē potest naturarū coniunctio, & salutis suæ præsidē, & voluptatis effectorē habens, cū summa præterea, & facultate, & voluntate alijs benefaciendi, tanquā mortalis quidā Deus sibi fœlix, cæteris salutaris in terris versatur? Pacē verò, qua fruūtur istiusmodi, quis vnquā queat dicere, ea quāta sit? Nam primum, quod totius vitæ tranquillæ caput, atque fundamentū est, iustificati per Christū, vt Paulus scribit. Pacem ad Deū habent: qui sicut eum, cui iratus est, maximis terroribus exagitat, ita quibus est pacatus & amicus indit animi pacem summam atque dulcissimam. Deindè sibi ipsis, suisque cupiditatibus imperant, easq; ita regunt, & rationi subijciūt, vt cupidè nō solùm facilè rationis imperata capessant, certè eius iniussu commouere se vix audeant. Postremò cum cæteris hominibus ita se gerunt amicè atque placidè, vt plurimis prosint, noceant nemini, & quod in ipsis est, cum omnibus perpetuam pacē conseruent: cū accidere nō possit, vt qui ipsi omni mala cupiditate sint vacui, cum alijs in contentionem veniant, aut honoris, aut diuitiarum, aut voluptatum, quibus ex contentionibus oriuntur seditiones & discordiæ omnes. Quæ profectò pax talis, ac tanta est, mihi vt vel hoc nomine videātur esse maximè cæci & miserandi Iudæi, qui cum ex vatum oraculis haberent, futurum Messiam, qui æternam pacem stabiliret, in animum inducere potuerunt, vt crederent eam sibi promitti

Rom. 5.

mitti pacem,quæ externorum bellorum ceſſatione continetur & terræ bonorum copia, eorumque vſu libero. Quam pacem,quoniam nondum viderunt,aut experti in ſe ſunt,veniſſe illum non putant,itaque venturum vaniſsimè ſperant. Neque attendunt miſeri,neque reſpiciunt ad hoc,quo de agimus,pacis genus,quod vnum maximè verum atque præſtans pacis genus eſt,in cupiditatum moderatione & iuſtitiæ cæleſtis adeptione conſiſtens. Cuius incredibilem & ante id tempus hominibus vim inauditam Dominus Ieſus nobis attulit: verus ille quidem Deus, ſed ex Iudęorum gente,& eorum Regis Dauidis ſtirpe homo genus ducens,eamque attulit & induxit aduerſus omniũ malarũ cupiditatũ fontem libidinẽ, in animis noſtris vim infundens cæleſtẽ, cum prius incentorẽ malorum atque ſeditionum ſathanã debellaſſet. Ex quo ea ſequuta eſt animi ſalus atque iuſtitia,quam diſputando & in angulis garriendo Stoici argutis ſuis cõcluſionibus verbis vix expreſſerunt,re verò nulli pręſtiterũt ante illud tẽpus: ex eo autẽ tẽpore deinceps innumerabilia eius exẽpla in omni ſexu, atque ætate ſunt viſa: plura illa quidẽ,& longè plurima primis illis & fœlicibus Eccleſiæ tẽporibus,quando ipſa Chriſti fides,atque religio per omnes orbis nationes diffundebatur: nunc verò etſi ſint multò pauciora,propterea q; nimis in anguſtũ propter noſtra delicta,reſpublica Chriſtiana redigitur,nõ tamẽ omninò deſunt,nec verò deeſſe vnquã poterunt in Eccleſia, & populo Dei aliqui, in quibus vigeat,atq; regnet Deus,id eſt,aliqui,in quorũ animis hæc Chriſti ſanguinis efficacitas extet. Qui neque metu debilitentur neq; ægritudine cõficiantur,neque libidine inflãmẽtur,neq; voluptate efferantur inani lætitia: qui neque aduerſis demittant animum rebus, neque inaniter ſe erigant lætis atque ſecundis: qui denique in vtraque fortuna & ſtatu in vno Deo gaudentes, conſtantiam animi,& tran-

tranquillitatem conſeruent,in quo pax conſiſtit ea,quę & ſola vera,& ſola ijs promiſsionibus ac prędictionibus Dei quæ de illa in ſacris habẽtur literis,digna pax eſt. Nam profectò nimiùm mihi humiliter,nimiumque malè de Dei ſapientia & poteſtate illi ſentire videntur,ſi exiſtimant, vel potiùs,quia exiſtimant,ipſum tot ante ſæculis tanta prædictionum aſſeueratione,& exaggeratione, tam ſæpè, tam multis verbis pro magno atque præſtabili, ac ſe effectore digno bono illis fuiſſe pollicitum futurum,vt ſublato metu hoſtium,bellis vacuam,& in magna frugum copia atq; affluẽtia lætã traducerent atque quietã vitã: id eſt, pollicitũ fuiſſe illis,id pacis bonum,quod primũ terrenum eſt,ac propterea caducũ: deinde eiuſmodi, vt ipſi ſibi homines ſæpè ſatietate bellorũ armis depoſitis, id ſtabiliant,atque conſtituant: poſtremò tale,vt eo non ſolùm non efficiantur homines honeſtatis ſtudioſi atq; probi, in quo ſita eſt humana fœlicitas,ſed ſæpiùs eo, affluentiaque rerum ea, quæ pacẽ ſequitur,corrumpantur,& maximis vitijs inficiãtur,adeò,vt quos res aduerſæ atque durę induſtrios efficiebant,eos pax atque copia luxu diſſoluat per occaſionem, videlicèt,efferentibus ſe ſe,atque effundentibus prauis cupiditatibus vniuerſis. Quod certè Iudæi, vel ex ſe ipſi potuiſſent diſcere,niſi eſſent nimis cæci. Quando enim pace iſta ſua, & bonorum externorum copia abundarunt, & non ſe omni tetro, & immani flagitio cõtaminauerunt? cùm contra res aduerſæ atque aſperæ erudirent ipſos, & pietatis ſtudioſos efficerent. At quid faciẽt? Literatè enim ſacræ literæ vbertatem agrorum, & bellorum finem promittunt. Promittunt ſanè, ſed quis eſt tam cæcus,qui eis vocibus pacis, atque bonorum præſtantius genus aliud ſubeſſe non videt? ſi tamen aliquid videt, ſique conſiderat,vel quid dignum Deo ſit,vel quæ ſit fœlicitatis humanæ ratio atque natura? Nam quid obſecro, ad beatam vi-

tam pertineat, quod sub ficu quis, atque vite sua iacens, baccasque legens, vnà cum amicis suis expers belli, atque metus lętum ducat, atque iucundum diem? Quod quoniã totidem ferè verbis scriptum à Deo Iudæi in sacris literis legunt, tanquam obsignatis tabellis cum eo agunt, & quãdiu id illis repręsentatum non fuerit, tandiu neque Deum suam fidem exoluisse arbitrantur, neque venisse Messiam credunt: credituri videlicèt mox atque deletis Iudęi nominis hostibus, suus illis Palæstinæ regionis ager fertilis, vt olim, atque vber reddatur: seq; ea copia, & ab externis bellis quiete beatos putaturi, quamuis intestina bella surgant in animo, quamuisq; & ira dominetur, & incẽdia misceat libido, metus territet, auaritia prædas agat, omne denique impurarum cupiditatũ agmen se infestis signis in animũ inferat: nullam que illi vitæ pacatæ atq; tranquillæ partem relinquat: quo quid absurdius dici, aut cogitari potest? Ergo illa omninò repudianda, & à promissionibus Dei reijcienda pax est, qua qui potiuntur flagitiosi, id est, omnium miserrimi esse possunt: illa verò ascisc enda, quam vere D. Paulus appellat pacẽ Dei, quæ omnem exsuperat sensum: quod neque quanta sit intelligere, nisi Deo docente possimus, neq; compotes eius esse valeamus, nisi ab eodem nobis donata sit: quòdque præterea sit tam firma, tamq; stabilis pax, eã vt nobis eripere, nisi prodamus ipsi nos, possit nulla vis. Itaque non sine causa, qui hoc in loco vrbi Hierosolymorum similis esse dicitur, iste tranquillitatis atque veræ pacis beatus possessor, idem terribilis nominatur, sicut castrorum acies ordinata: quo intelligatur, nullũ esse hostile robur tantum, nullum tãtum incursum, atque violentiam fortunæ, nullum denique malum, ei quod nocere aliquo modo possit, aut eius animi partium cõsensum & conspirationem dirimere. Quod illa Pauli satis declarant. Quis nos separabit à charitate Dei? Certus sum, quod neque

Philip. 4.

Roma. 8.

que mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque potestates, neque præsentia, neque futura, neque altitudo, neque profunditas, neque aliqua alia creatura poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro, &c. Etenim quod vnum maximè contrarium est, & inimicum ei paci, quam omnes vulgò vocamus pacem, bellum, atque hostes: id huic veræ, de qua agimus, paci, quæ in animi tranquillitate, & cupiditatum moderatione consistit, non solùm contrarium non est, nec modò eam non extinguit, sed auget etiam interdum atque confirmat. Nam, vt maximè nocere cupiant bonis viris ij, qui bellum ipsis inferunt, quid quæso noceant? quid ve illis eripiant? Opes credo. At eas, vel abijciunt ipsi, vel pro graui onere habent: itaque se leuari eo gaudebunt. At honores. Quos illi certè tanti faciũt, quãti quis faciendos eos magistratus putet, quos illis honoribus similes pueri inter se se per lusum instituunt. Sed eripient voluptates. At eas aduersum inexpiabile illi bellũ gerunt. At libertatem. Sed quonam id, quæso, modo possint, quãdo eripere illis animi virtutem non possunt? At eripient vitam. At hoc iam beneficium est, ab omni, scilicèt, dimicationis molestia, & periculo liberatos eò illos trãsmittere, quò peruenire ipsi maximè cupiunt. Ex quo intelligitur istos homines tanquam vulcanijs armis tectos, ab externis hostibus superari, lædique nõ posse: esseque, quod hîc dicitur, instructa acie firmiores. Sequitur. *Auerte oculos tuos, quia ipsi me auolare fecerunt.* Animaduerti debet perfectos non alijs pollere animi virtutibus, quàm proficientes, sed easdem ipsas virtutes, quas proficientes, aut inchoatas, aut certè parùm perfectas habent, perfectiores & absolutiores habere. Quam ob causam hoc loco Solomon eadem, atque ijsdem ferè verbis laudat, quæ superiùs, cum de proficientium charitate agebatur, laudauit.

dauit. Ibi primùm laudabat oculos: hîc ab eisdem laudandi principium ducit. Sed colũbarum similes esse dicebat tunc, nunc vt intelligamus eos, hoc est, quã illi significant, voluntatis, scilicèt, intentionem in Deum, in viris perfectis, suprà quam dici potest, esse perfectam, non adhibuit aliquid simile, sed ea orationis figura vsus est, quæ ex omnibus maximam vim ad amplificandum id, quo de agitur, & exaggerandum haberet. Nam cum dicit. *Auerte oculos tuos*, hoc planè dicit, sibi illos ita pulchros videri, itaque se ab ipsis affici, vt eorum non possit sustinere aciem atque vim, ne dùm laudare pulchritudinem. Eam autẽ cum laudari posse negat, laudat, vt antè diximus, maximè. Atque huic perfectioni oculorum, id est, intentioni animæ in Deum consentiunt, quæ ex ea fluunt, atque manant virtutes reliquæ. eæ autem sunt. *Capilli tui sicut grex caprarum, quæ apparuerunt de Galaad. Dentes tui sicut grex ouium quæ ascenderunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est in eis.* Quæ virtutes etsi laudantur hîc eisdem verbis, quibus superiùs sunt laudatæ, tamen proportione eius charitatis, à qua omnes ortum & originem ducunt, hîc, id est, in perfecto viro, cuius multò perfectissima charitas est, maiores & perfectiores eas esse, satis docet, quod sequitur. *Sexaginta sunt Reginæ.* Nam quemadmodum sponsa præcedere & superare dicitur istas fœminas, quibus erat cum ipsa idem cõiux communis: sic intelligi debet, viros perfectos in ijs virtutibus, quas cum cæteris amatoribus Dei, vel proficiẽtibus, vel incipientibus cõmunes habent, suo & proprio eminere modo, ita, vt quod in alijs, vel exiguum, vel mediocre est, id omne in illis perfectum sit. Qua ex perfectione virtutum, & omnis generis laudum præstantia id efficitur, meritò vt de illis dicatur, tum hoc, *Vnica est colũba mea*, tùm id quod proximè sequitur. *Viderũt eam filiæ Sion, & beatissimam prædicauerunt Reginæ, & concubinæ, & laudauerunt eam.*

Augusti. libr. 83. quæsti. q. 55.

Hier. lib. 2. aduersus Iouini.

eam. Nam perfecti omni iam inuidia sunt superiores. Itaq; illos cuncti laudant. Et certè tametsi illi, quos peccare delectat, virtutis splẽdorem in aliquo se efferentẽ ferre non queãt, ipsumq; quibuseũq; possunt, & reb⁹, & verbis obscurare nitantur; tamen reginæ, & concubinæ, & adolescentulæ, quibus idem est, & communis vir, id est, omnes illi, qui simili etiã ipsi virtutis studio tenentur, suspiciunt profectò ipsum, & quibus possunt maximis laudibus prosequuntur: Nam probi qui sunt atque religiosi, & inter se amant, & aliorum bona pro suis ducunt, & lætantur aliorum laudibus æque ac suis: vt potè qui & inuidentia careant, & libidine detrahendi alterius industriæ: sicut scriptum est Charitas non æmulatur, non agit perperam, non quærit quæ sua sunt. Religiosos verò, quos dico, eos intelligo, qui re tales sunt, non qui solùm nominantur tales: illis enim nihil est, neque inuidentius, neque bonis & industrijs viris inimicius. At probi de præstantibus & perfectis viris, quid? Quid? *Quæ est ista*, inquiũt, *Veluti aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt castrorum acies ordinata.* Quàm copiosè, atque adeò effusè, satis vt appareat ipsos ex animo loqui. Auroræ porrò, & Lunæ, & Solis in vnum collecta nomina planè significant viros perfectos per omnes laudis, atque virtutis gradus ad summum euasisse. Nam in aurora lucis initia sunt, & tanquam rudimenta, Luna luminis incrementis augetur: Sol autem in eo genere omnium perfectissimus est. Sequitur. *Descendi in hortum nucum, vt viderem poma conuallium.* Hactenus Deus in animam sanctam influebat cum voluptate: estque iste illapsus proximè superiore oratione à Solomone expositus, quàm aptè atque commodè verbis exponi potuit, nam pro dignitate vix vllis explicetur verbis. Attamen si de eo aliquid est dicendum, isto profectò modo dicendum est, quo dixit Solomon. Nam qui Deum tan-

1. Cor. 4.

quam amatorem aliquem inducivident molliſsimo & dulciſsimo carmine laudantem amicam ſuam, nõne vide re ſibi videntur illum veluti infuſum in ſanctæ animæ gre mium,eiq; præbentẽ infinitas ex ſe ſe voluptates,atq; læti tias? Itaque iſtis verbis voluptas,quam ex Deo ſancta perci pit anima,ſignificata eſt.His autẽ,quæ ſequũtur, doctrina quædã eiuſdẽ,& eruditio cõtinetur,quæ eſt altera pars hu ius diuini illapſus, quem ſuprà diximus ex voluptatis effe ctione,& eruditione cõſtare. At quid docetur? *Deſcendi*,in quit,*in hortũ nucũ*,vt *viderẽ poma conualliũ*,*& ſi floruiſſent mala punica*, hoc eſt,diſceſsi abs te, & ad quoddam tempus me ſubtraxi,tibique denegaui dulcem illũ fructũ amoris mei, nõ animi cauſa,ſed explorandi gratia,vtrũ vineæ, malaq; punica germinaſſent.Hoc autem eſt, quo rebus aſperis & difficilibus patientiam tuam,& humilitatem, charitemq; pertentarem, notumque iſta ratione tibi facerem,quos illæ virtutes in te,& quãtos fructus edidiſſent,quantũ pro feciſſes ipſa,quid vel tibi ad ſummum contẽdenti deeſſet. Ex quo intelligimus neminẽ in hac mortali vita,quamuis & multũ in virtute profeciſſe,& ſtrenuè aduerſus vitia cer tauiſſe,& plurima bella bellaſſe,& victorias maximas re portaſſe ſe videat,exiſtimare debere,poſſe ſe tanquam bel lis perfunctum,ocioſam degere ætatem reliquam. Nã hîc profectò altiſsimus virtutis gradus deſcribitur: in quo ta men qui erat conſtitutus ſubitò ſpoliatus fauore Dei , & nocte malorũ oppreſſus,toleraſſe dicitur multa grauia,at q; aſpera. Quod itẽ de ſe omnes,quãuis pij atq; perfecti co gitare ſemper debẽt,& ad huius vitæ tanquã perpetuã mi litiã,& quaſi belli dubios euẽtus ſe cõparare. Voluit enim Deus hãc vitæ noſtræ conditionẽ eſſe,vt, neq; proficiẽdi in virtute nobis vllus præfixus eſſet terminus, neq; verò à periculo,atq; metu deficiendi, atq; cadẽdi tẽpus aliquod immune,atq; vacuũ daret: quò his timoris,atq; cautionis ſtimu-

ſtimulis incitati, attentioreſq; effecti,omnibus animi in vnũ collectis viribus,acriùs ipſum amaremus. Quo de ti more,atq; cautione ſcriptũ in Pſalmo eſt. Seruite Domi- *Pſal.2.* no in timore,& exultate ei cũ tremore. Atq; hęc ſunt,quę iſto in loco ſanctã animã docet Deus,vel potiùs quę ab ſe doceri ſignificat. Quæ ſanè eruditio atq; doctrina cũ om nib⁹ hominib⁹ apta eſt,tũ in primis ijs conuenit,quos hoc loco Solomõ deſcribere inſtituit,perfectis nimirũ,& invir tutis ſtadio magnos progreſſus habẽtibus viris. Nam hi ni ſi iſta ſecuritatis falſa perſuaſione decipiantur,ad quam ta men perſuaſionem diuturnum ipſum ſtudiũ,quod in vir tute nõ ſine magno ſucceſſu poſuerũt,ipſos quodammo do aptos,ac pronos reddit,difficillimè loco moueri poſ ſunt,aut de eo gradu deijci,quẽ tenuerũt. Hæc igitur De⁹, cui iuſti,atq; ſancti reſpõdent. *Neſciui, anima mea poſuit me ſicut currus Aminadab.* Quibus verbis fatẽtur, & agnoſcũt, quòd inſtar curruũ Aminadab curſum ſuũ magna celeri tate cõfecerũt,id autẽ eſt,quòd ad exẽplũ hominũ ſui po puli principum, virorũ,ſcilicèt,optimorũ,& ſanctiſsimo rũ vitæ ſuæ curſum direxerunt,ad ſummũque ita cõtende rũt ſemper,ipſos vt nulla res aduerſa incidẽs,aut retrò ver tere,aut omninò retardare potuerit,id nõ à ſe habuiſſe,aut ſuis vllis viribus eſſe aſſequutos (hæc enim vis ſubiecta eſt illi voci *neſciui*) ſed id omne ab eo ſtudio & deſiderio Deo placẽdi,quod in ipſorũ animis idẽ accẽdiſſet Deus,manaſ ſe. Itaq; quam agnitionẽ ſui humilẽ, atque veram viri iſti perfecti,tunc cũ malis opprimebantur,habuerũt,eandem etiam nunc retinent liberati à malis. Quæ certè agnitio ita Deo grata & probata eſt, omnem vt ferè virtutem continere videatur . Sed quoniam fieri non poteſt, quin huiuſmodi abſoluta , atque perfecta virtus foras emanans , & in hominum oculos incurrens , eos primùm admiratione afficiat , deinde amore accen-

dat,

dat,postremò inducat ad id,vt summis ipsam efferre laudibus studeãt,atque cupiant,quò id exprimeret Solomõ sponsam fingit à scena iam discedere volentem à choro fœminarum reuocatam his verbis. *Reuertere,reuertere sunamitis, vt intueamur te.* Eamque ad ipsas cõuersam, quærentem isto modo,atque respondentem inducit. *Quid vid:bis in sunamite nisi choros castrorum?* Quæ iã verba ad cap. quod proximè sequitur,spectant:de quibus cũ ad id loci peruẽtum nobis fuerit,dicemus.

TERTIA EXPLANATIO.

Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum, vt pascatur in hortis, & lilia colligat. Quasi dicat mores,quos Christus amat,quorũ amore capitur, & cum quibus gratè versatur, tales esse debent,qualis est amœnus hortus, herbis aromaticis pulchrè consitus,in quo non solùm est quod oblectetur,sed etiam quod iuuet & pascuum sit.Nam ad Christiani hominis mores pertinent primùm morales virtutes, quarum cultu animus noster instar horti videtur esse virẽtis,& egregiè culti;ex quo alibi in sacris literis, tum arbori virenti,tum horto irriguo,& amœno comparatur hominis studiosi animus,vt Psal.1.Ecclesiast.42.Esai.58 Ieremiæ 31.Ezechiel.36.Ioelis.2.deinde supernaturales virtutes,vt accedant necesse est,sic dictæ,quòd sint ex genere cælesti, & in Deum propriùs spectent. Itaque illum magis quam superiores oblectãt ob diuinum odorem,quem ex se fundunt.Vnde & areolæ aromatũ translatè nominantur.Hæ autem omnes virtutes ad charitatem Dei & proximi referri debent,ad beneficentiam,ad pietatem,ad benignitatem,in Dei honorem,& proximi vtilitatem intentam,sicut scriptum est:finis præcepti est charitas de conscientia pura

pura & corde bono, hunc ergo finem & Christiani moris & institutionis scopum vt declararet,adiecit, *Vt pascatur in hortis,& lilia colligat*,Nam in pastu beneficentia significatur,in lilijs autem quorum est candor eximius, ingenuus in benefaciendo intelligitur animus nulla sui cõmodi cupiditate,& tanquã labe infuscatus,nihil planè ad se referẽs. Atque is sit primus hũc locum interpretãdi modus. Alter,sociæ,quæ gentiũ personam gerunt,sponsam,id est, eos,qui ipsis Christum annunciabant, interrogant, quò Christus abijsset,quibusve versaretur in locis: Id est,gentes miratæ Christum deseruisse Iudæos,promissus quibus fuerat, & è quorum stirpe ducebat genus, merito rogant, quònam gentium abierit,nùm ad alios demigrauerit populos,hoc est,rogant, vtrùm posthabitis Iudæis aliquam aliam gentem sibi peculiarem,in qua dominaretur, elegerit? Quibus sponsa respondet demigrasse illum ad hortũ suum,idest,ad eos ipsos,qui ista rogabant,hoc est,ad vniuersi orbis incolas, ad quos excluſa à Iudæis sponsa, id autem est, Apostolorum & Discipulorum Ecclesia mitebatur: vt scriptum est Marci vltimo Prædicate Euangelium omni creaturæ: quasi sic dicat. Descendit dilectus meus,siquidem id scire cupitis,ad hortum suum, id est,ad vos ipsos,qui ista quæritis,hoc est,sine exceptione ad vniuersos homines.Nã ad vos docendos misit nos Christus. Descendit, inquam, ad hortũ suum, quia in animo illi est ex sterili,& inculto agro,qui antea eratis,hortum efficere virtutibus innumeris consitum.Descẽdit ad hortũ suum, idest,descendit,vos vt hortum efficiat, vti prædictum est ab Esaia,quà dicit Lætabitur deserta & inuia, & exultabit solitudo,& florebit quasi lilium, germinans germinabit, & exultabit lætabunda & laudans. Gloria Libani data est ei,decor Carmeli & Sarõ,ipsi videbunt gloriam Dñi& decorẽ Dei nostri.Nã excluſus à suis, eos ipse vicissim fugit

Mar.vlti.

Esai.35.

ac

ac deserit,& pro vno,quem repudiat populo, omnes populos,omnes,qui terram,quàm latè patet,incolunt gentes,ad suam amicitiam adsciscit. Itaque ad vos demigrat, vt nostri ministerio atque voce omni virore gratiæ vos ornet, vt pascatur in vobis, & lilia colligat,id est,vt actuosæ & contemplatricis vitæ fructus è vobis metat. Quod autem in textu sequitur,*Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi,qui pascitur inter lilia*,id potest intelligi dictum, vel à sponsa,quæ rogatur,quæque hoc loco personam Apostolorum & Discipulorum Christi sustinet,id est,ab Ecclesia è Iudæis,vel ab ijs fœminis,quæ se illi sponsæ comites adiungebant,quæ Ecclesiam è gentibus referunt, si primo accipiatur modo,eo illa è Iudæis Ecclesia significat regnũ Dei, vnà cum Christi fide sic ad gentes esse translatum,vt non planè sint deserti Iudæi,ex his enim Deus prima elegit fundamenta Ecclesiæ Euangelicæ Apostolos & Discipulos,& ferè omnes illos,qui voce & vitæ exemplo Euangelij lumen toti orbi intulerunt;de quo etiam Esaias scripsit Si fuerit numerus filiorum Israël tanquam arena maris,reliquiæ saluæ erunt. Et Paulus ad Romanos scribens. Dico inquit,nunquid Deus repulit populum suum? absit. Nam & ego Israëlita sum, non repulit Deus plebem suam, quam præsciuit, an nescitis in Ecclesia, quid dicat scriptura? & paucis interpositis,rursus: sic ergo & in hoc tempore reliquiæ secundum electionem gratiæ saluæ factæ sunt. Hæc ergo ex Iudæis Ecclesia sic loquitur. *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui pascitur inter lilia*. Quasi ita dicat, etsi ò gentes dilectus meus, vti supra dixi, ad vos accesserit,vos vt suum hortum efficeret, hoc est, vos vt coleret omni cultura cælesti, tamen meum populum ab ipso omninò desertum esse id nolo à vobis intelligi. Nam in me, id est, in ijs omnibus, quoscunque elegit ex illo populo,manifestissimè docuit, quãtùm

Esai.10.

Rom.9.

tùm eum populum amet; & ego dilecto meo, id est, & ego sum dilecti mei, (datiuus pro genitiuo in significatione possessionis Hebraico more) & dilectus meus mihi, id est, & dilectus est meus, (eodem Hebraismo) hoc est, me amat,ad me omninò attinet,illum ita possideo, vt ad aliam nũquam sit diuersurus. Nam certè præter posteros Abrahæ nullos homines Christus neque diligit,neque ad gratiam suam admittit, quos enim admittit eos ad familiam Abrahæ prius pertinere facit,eiusque stirpi per fidẽ inserit,de quo Paulus ad Romanos scribit. Qui filij sunt promissionis,æstimantur in semine. Et ad Galatas dicit. Si autem vos Christi, ergo semẽ Abrahæ estis secundum promissionem hæredes. Idemque docet oliuæ illa similitudine,in quam rami ex oleastro excisi inseruntur. Sin autem altero modo ex persona comitum,quæ gentium referebant Ecclesiam, ista dicta esse accipiantur, sententiam continebunt valdè superioribus consentaneam. Nam his sibi ea Ecclesia gratulatur de eo,quod annũciabatur,Christum ad ipsam demigrare velle,suum vt hortum constitueret in ea, naturale enim est, vt lęta aliqua nunciata re nobis applaudamus ipsi, fortunamque prædicemus & osculemur nostram,idque indicãt istæ voces. *Ego dilecto meo & dilectus meus mihi.* Quibus hoc ferè dicit, ò me fœlicem, siquidem vt mihi renunciatum est, & ego dilecti tota sum, & ipse totus meus futurus est, meque ex inculta amœnum & pascuum hortum effecturus. Tertius interpretandi modus talis est. Quærebat sponsa Christũ, & dum quærebat, in vrbis custodes incidit, à quibus plagis affecta multis fuit, ijs illa non deterrita perstabat in quærendo, nec in quærendo tantùm, sed in laudando ac celebrando eo apud omnes, quos obuios habebat. Quibus rebus allegoricè significabatur illius prioris Ecclesiæ, tùm in annunciando Euangelio studium ac-

Galat.3.

dentiſsimum:tum in tolerandis eius annunciationis cauſa grauiſsimis malis inuictus animus. At erat admiratione dignum, homines tanta erga Deum pietate præditos, quanta ij erant,è quibus prima illa conſtabat Eccleſia, ita à Deo,vt videbatur,neglectos eſſe,eos vt omnes pro ſua libidine, carcere,exilio,ac morte mulctarent,id certè illo Eccleſiæ Euangelicæ tempore multi ſecum, & cum alijs ſæpe admirati ſunt Solomon ergo,eam admirationem vt exprimerer,ſocias ſpōſæ,ſic loquentes ac rogātes inducit. *Quò abijt dilectus tuus ò pulcherrima mulierum? Quò abijt dilectus tuus,& quæremus eum tecum?* Quod eſt perinde ac ſi dicerēt, es tu quidem certè pulcherrima,præſtas,quod negare nō poſſumus,inſigni morum honeſtate,inſigni virtute, Chriſtū amas,quantū quis amare ardentiſsimè & veriſsimè poteſt,tamē quod non mirari nō poſſumus,videris ab eo planè negligi;cuſtodes vrbis,ideſt,omnes orbis magiſtratus tibi ſupra modum infenſi,te ad pœnā omnibus horis, omnibus orbis partibus,& ad ſupplicium rapiūt,illorū libidini videris permiſſa:cunctorū ludibrio es expoſita, ita vt non ſolū te Deus negligere videatur,ſed penè exoſam habere.Quò ergò abijt iſte dilect⁹ tuus? Quæ illi cauſa eſt tui negligendi,ac in tantis malis deſerendi? Huic quæſtioni ipſa diuinitus edocta verè reſpōdet. *Deſcendit dilectus meus in hortum ſuum ad areolam aromatum, vt paſcatur in hortis,& lilia colligat.* Cauſam in eo explicans,quare Deus & illo tempore vniuerſam Eccleſiā,& alijs tēporibus lectiſsima quęque Eccleſiæ membra vexari à malis permiſerit. Id enim certè permiſit, vt virtutes,quas in ea ſeuit, rebus aduerſis tanquam gelu compreſſæ,deorſum in animo radices agē tes, & vberius germinantes illuſtria ſui documēta ederēt Nam cùm multæ cauſæ ſunt,propter quas Deus homines pios verſari in malis permittat,tùm illa eſt potiſsima,quæ ad eorum augendam virtutem & illuſtrandam refertur.

Virtus

Virtus enim,vt Paulus ſcribit,in infirmitate perficitur. Et vt alibi dicit. Tribulatio patientiam operatur, patientia ſpem, ſpes autem non confunditur. Ergo, inquit Eccleſia, ſi quis veſtrum miratur, cur me ſponſus tantis deſerat in malis, curque me à cuſtodibus vrbis vexari atque ſauciari permittat.Et ſi quis eius rei à me cauſam requirit,is, ſciat, non à me ſponſum diſcedere, ſed ipſum mihi in eo valdè conſulere, non à me ille abijt, ſed in me,hortum ſuum potiùs deſcendit, id enim, quod vos diſceſſum interpretamini,acceſſus potius eſt, quod odio adſcribitis, amori aſsignare debetis:externum auxilium ſubtrahit,vt interius ad animū vim ſuam magis inſinuet:totum enim hoc mei animi colendi, & maximarum virtutum germinibus conſerendi cauſa facit. Paſcitur mea patientia: iſta impugnatione malorum meam ergà ſe pietatem conſpicuam omnibus reddit: odore illius bono cunctos homines replet, nullum vt aroma illo ſit odoratius: nec id ſolùm,mea vt erga illum charitas notior reddatur, efficit, ſed etiam vt exiſtat ardentior & maior: non ſolùm, vt alij videant,quantùm ipſum amem,ſed etiam vt ardentiùs amem ipſum.Nam vt ignis ventis agitatus fit maior, ſic amor in illum meus hac procella malorum auctior efficitur.Quare inquit. *Ego dilecto meo & dilectus meus mihi.* Quaſi dicat.Licet me omnes odio proſequantur, infeſti mihi ſint,plagas imponant,tamen ab inquiſitione ſponſi mei remouere me non poterunt,nec modò non remouebunt,ſed nec retardabunt quidem,calcaria potiùs efficaciſsima addent: non ſolùm me non deterrebunt à tam præclaro ſtudio,ſed ſtudium meum erga ipſum magis accendent; non ſolùm amorem iſtum mihi non eripient, ſed ne profeſsionem quidem eius imminuent, ora potiùs laxabunt mea, vt clara & libera voce teſtificer, dicens. *Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi.* Quæ voces

1. ad Cor. c. Rom. 5.

Z ſigni-

significationem habent illius publicæ, & ingenuæ confessionis, qua viri Ecclesiastici tempore persecutionis à iudicibus causarum rogati, & à carnificibus varijs tormẽtorũ generibus torti, se profitebãtur Christianos esse, & Christi maximos amatores. Quæ quoniam professio ipsi Christo gratissima erat, id vt significaretur & intelligeretur, iure sponsus statim inducitur summis laudibus sponsam celebrans, atque ita dicens. *Pulchra es amica mea, suauis & decora sicut Hierusalem, terribilis sicut castrorum acies ordinata.* Nã tribuit illi pulchritudinem propter multarum ac maximarum virtutum, quas illa habuit Ecclesia, ornatum mirificum: suauitatem autem propter Spiritus sancti donorum illi Ecclesiæ collatam copiam, ex quo tota dulcedine redũdabat. Dicit prætereà eam esse similem Hierusalem, vbi sanctæ, quòd sicut in illa Deus sanctissimis colebatur cęremonijs, eique quotidie sacrificabatur, sic ipsa singulis diebus semet in mortẽ pro Christo offerebat inimicis suis, seq; ipsam super arã charitatis igne immolabat Deo ex se offerens holocaustum. Et quia Hierusalem visio pacis interpretatur, erat certè illa Ecclesia Hierusalem, quia fremẽtibus aduersus ipsam & tumultuantibus vniuersis gentibus, in medio malorum maximorum altissima ex Deo pace fruebatur, vi sancti Spiritus, omnibus quæ perturbare ipsius animum poterant, angoribus atque curis cõpressis ac ferè ex ipsa sublatis. Dicit deniq; eã esse terribilẽ, vt formidabilis est ordinata acies, quia nõ solum se inuictã præstitit aduersus inimicos suos, sed eos ipsa tolerando & patienter agendo cum maximo orbis stupore tandem vicit, & ad nihilum redegit. Sed pergit. *Auerte oculos tuos, quia ipsi me auolare fecerunt.* Laudauit ipsam vniuersè superiori versiculo, nunc autem singulas eius partes laudat ab oculis initio facto. Etsi enim suprâ sponsus laudes Ecclesiæ recensuit, tamen decuit, vt eius laudes nunc iterum celebrarer, quia

quia non est eadem laus Ecclesiæ Euangelicæ, & eius, quæ Mosayca coluit instituta. Itaque, id vt intelligeretur, iterũ sponsam laudat sponsus, & vberiùs quã priùs, prout ipsa se Ecclesia in virtute superauit. Priùs pulchrã ipsam esse dicebat, nũc præterea suauẽ & decorã, & florentissimæ ac sanctissimæ vrbi similem, & militum aciei instructæ omninò parem, in quo, vt dicebam, & illius eximia significatur sanctitas, & animi inuicta fortitudo, & egregia erga Deum pietas declaratur, idque ita exaggeratè atque amplè, nulla vt ipsi tribui potuerit laus aut maior, aut vberior. Quod autem vniuersè fecit, idem facit eius cum laudat oculos. Est enim ista oculorũ magis, quàm superior amplificata laus. Nã suprà rectè atq; planè. *Oculi tui columbarũ.* Hic obliquè & amatoria quadam ratione, dũ se auertit à contu endo, quod sponsæ oculorum vim affirmet non posse ferre, eorum pulchritudinem magis explicat, idq; docet, quod re ipsa videmus accidisse Ecclesiæ Euãgelicę, quæ, ei postquã Euangelij lumen illatum est, incredibiliter in cognitione rerum diuinarum profecit, & non solùm clariùs quam antea Deum cognouit, sed etiã multo verius ac magis purè coluit ipsum: hæc enim sunt duo tanquã lumina Ecclesię, Dei cognitio, atq; cultus. Quã autẽ ea Deo grata nũc sint, spõsus in personã ipsius figuratè ostẽdit, cũ dicit. *Quia ipsi me auolare fecerunt.* Nam est perinde ac si dicat. Quia me isti tui oculi rapiũt ad se se, aut quia me superârũt, aut præualuerũt mihi, vt dicitur in Hebręo. Etenim ista duo lumina fidei viuacitas, & vni Deo addicta volũtas omnia à Deo extorquere atq; obtinere possunt, vsq; eò, vt pro sua in nos eximia pietate humano more superari se ab eis affirmet ac vinci. In cuius rei typo Iacob in lucta præualuit Deo, & Moses Dei animũ in Hebręos iracundia succensum precibus viciſſe dicitur, & ab ira ad indulgentiam flexisse. Sed ab oculis ad capillos, & dentes, & genas oratione

Gen. 32. *Exod.* 32.

descendit, eisdem ea laudans verbis, quibus suprà initio capitis quarti fuerat vsus. Nam inquit. *Capilli tui sicut grex caprarum quæ ascenderunt de monte Galaad: dentes tui sicut greges tonsarum, quæ ascenderunt de lauacro, omnes gemellis fœtibus, & sterilis non est inter eas, sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce: sicut cortex mali punici, sic genæ tuæ absque occultis tuis.* Vt enim doceat vtramque Ecclesiam, veterem atque nouam easdem ferè dotes habere, eandem fidem, gratiam, promissiones, doctrinam, idcircò eadem vtrique membra attribuit, & attributa eodem propè modo laudat, vt verò declaret hæc ipsa animi ornamenta donaque cælestia vtrique Ecclesiæ communia, maiora in Ecclesia Euangelica esse, magisque illustria, ideò eam statim confert cum veteri synagoga, & synagogæ anteponit. Nam dicit. *Sexaginta sunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus. Vna est columba mea, perfecta mea, vna est matri suæ, electa genitrici suæ.* His enim, quas reginas, & concubinas, & adolescentulas vocat, & quibus, quamuis pluribus & forma & dignitate præstantibus, sponsus anteponit columbam suam, veterem significat Ecclesiam, quæ verè multum Euangelicæ cedit in omni genere cælestis pulchritudinis. Significat autem his reginis cõcubinisq; synagogã, primò ob earũ multitudinẽ, nõ quòd hominũ frequẽtia in ea maior (nã in vno terrarũ cõclusa angulo, quî potuit cũ Ecclesia Euãgelica, quæ quã latè orbis patet, tã latè ipsa diffunditur, vllo modo cõferri?) Sed quòd multiplices sacrificiorũ ritus & variã Dei colẽdi rationẽ habuit, cũ Ecclesia Euãgelica vnico sit cõtenta sacrificio. Deinde quia etsi nomen Solomonis hoc in loco reticeatur, tamen illius persona subesse intelligitur. Nam sponsus, quò magis suam laudet sponsam, eam confert cum vxoribus Solomonis, quas habuit plurimas, vt in libris Regum scribitur, id scilicet dicens: se 3. *Reg.* 11.

magis

magis vna sua beatũ esse, quã sit beatus Solomon tã multis vxoribus. In vxoribus autem & cõcubinis Solomonis, synagogæ, quę ipsi Solomoni regni iure nupta fuit, imago cõtinetur. Itaq; in spõsa nostra Ecclesia illi antefertur, cuius Ecclesiæ præstantia nõ modò ipsi sponso nota fuit, sed apud omnes testata gẽtes de qua etiã Esai. prædixit. Et scietur in gẽtibus semẽ eorũ, & germẽ eorũ in medio populorũ: omnes, qui viderint eos, cognoscẽt illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus. Vnde meritò additur. *Viderunt eam filiæ, & beatissimam prædicauerunt reginæ, & concubinæ laudauerunt eam.* Nam nullũ fuit hominũ genus, cui Euãgelicæ præstantia Ecclesiæ admirationi non fuerit, quod nõ ipsam prædicauerit, quodq́ nõ in eius populo se numerari voluerit, vt constat ex Apocalypsi, qua scribitur. Et vidi ex omnibus gẽtibus & tribubus, & populis, & linguis stãtes ante thronũ, & in cõspectu agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum. Nec solũ, qui Christi Aduentum sequuti sunt homines Ecclesiæ Euangelicę pulchritudinẽ admirati ei assensum præbuerũt, sed & qui Christi natiuitatem præcesserunt sancti viri & fideles, in eius post futuræ speciem intuentes, exarserunt amore ipsius, eamq́ue beatissimam prædicauerunt. Quod illa indicant. Abrahã exultauit vt videret diem meum: vidit, & gauisus est. Itẽq́ue illa: Beati oculi, qui vident, quæ vos videtis. Illudq; Petri. De qua salute exquisierunt, & scrutati sunt Prophetæ, qui de futura in vobis gratia prophetauerunt, quibus reuelatum est, quòd vobis nunciabant, ea quæ nunc nunciata sunt vobis per eos, qui euangelizauerunt vobis Spiritu sancto misso de cælo, in quem desiderant Angeli prospicere: sed & id apertiùs indicãt, quæ sequuntur. *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis, vt castrorum acies ordinata?* Nam hæc fœminæ illæ dicunt, quæ admirantes sponsam Esai. 61. Apoc. 7. 1. Petr. 1.

inducuntur, earum enim orationem Solomon imitatur, admirationis autē in ipsarum inclusæ animis indices sunt voces istæ *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens?* Quæ enim omnium rerum pulcherrima & splēdidissima sunt, ea afferunt, auroram, Lunam, & Solem. Aurora certè post noctis tenebras, à paruis initijs principium ducens, breui tempore totum orbem luce replet, nec retro vertitur, aut remittit lumen suum; sed quò magis procedit, eo illustrior euadit. Luna verò noctem illustrat, diē Sol, sic etiam nostra Ecclesia breuissimo tempore ignorātiæ cæca depulsa nocte lumine suo totum orbem perfudit; eadem à paruis principium duxit, & lucet nocte atque die, quoniam neque aduersis frangitur, neque secundis effertur rebus, sed in vtroque persistit inuicta tempore. Quare etiam terribilis esse dicitur, vt castrorū ordinata acies,
Apoc.12. ad quod illud Apocalypsis alludit de muliere amicta sole, & pedibus lunam premente, quæ huius Ecclesiæ fine dubio imaginem retulit. Sed sequitur. *Descendi in hortum nucum, vt viderem poma conuallīū, & inspicerem si floruisset vinea, & germinassent mala punica.* Hæc supra tribuebamus sponsō, ijs vt se apud sponsam de suo discessu purgaret, quomodo illi ea tribuunt quidam explanatores Hebræi: sed & tribui possunt sponsæ, quæ socijs proximè superiùs ita rogantibus. *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens*, ita respondeat *Descendi in hortum nucum, vt viderem poma conuallium.* Fingitur enim sponsa sponsi videndi studio, quē adesse præsentiebat, commota accelerare gradū, motu autem ipso trepidantibus luminibus sui splendore sociarū oculos perstringere, easque ob eam causam dicere, quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgēs? hoc est, quæ festinat, lucis radios iaciens ex se, & instar auroræ omnia circumcirca illustrans? Quare eis respondere, Descendi in hortum nucum, & causam in eo reddere, quare festinet, & vnà quo festinet declarare. *Descendi*, inquit, *vt viderem*, id est descendo, vt videam, præterita pro præsentibus vsitato moræ sacræ scripturæ, vt in hac allegoria in persona sponsæ illa Ecclesia declaret se festinare, hoc est, vltrius semper incursu Euangelij procedere, eo quòd studeret se diffundere per omnes gentes, & per omnes terrarum oras. Nam ipsam pleno progredientem gradu, & Euangelij lætissimum nuncium vltriùs semper proferentem, nec de suo studio ob aliorum impugnationes quidquam vnquam remittentem, emicantemque, vt Luna emicat atque Sol, cuncti admirabantur & eius festinationis, hoc est, illius tanti & tam fœlicis progressus taciti secum causam quærebant, erat autem illi, vt sic festinaret, ea causa præcipua atque maxima, quod demandatum ipsi erat sub mūdi finem, quippe illius ætate postrema, vt intra id spatiū Euangelium annunciaret omni creaturæ, id est, vt cuncta terrarum loca cælesti satu consereret. Quare ait. *Descendo ad hortum nucum, vt videam poma conuallium; & inspiciam, si floret vinea, & si germinant mala punica.* Quasi ita dicat: si meum admiramini nullis obicibus impeditum cursum, si que eius causam inquiritis, sciatis ob id festinare me. Quia descendo ad hortum nucum, id est, Quia propositum habeo descendere, hoc est, peragrare orbem terrarum totum. Quem arcana ratione ideò hortum אגוז, id est, nucis vocat, quod אגוז alphabetica ratione, ea quæ אחגש nominatur, literis commutatis est חשץ, id est, nouem, is autem numerus, vt qui valdè imperfectus sit, quòd ei ad perfectionem ipsa vnitas desit, aptè terrarum referebat orbem idolorum cultui tunc deditum, & ob id vnius ac veri Dei cognitione carentem. Peragrare igitur, inquit, totum terrarum orbem cupio, vt videam, hoc est, vt curem poma conuallium, hoc est,

Aug. quæstionum Euangelicarū libr. 2. q. 40.

vt ipsum seram pomiferis arboribus: vt vineta in eo pangam, vt malo granatis vestiam, vt colam ipsum, vt fructuosum reddam ex infructuoso & sterili, vtque, quæ in eo seui, plantaria, omni cultura adhibita efficiam, vt vigeant, vt fructum quàm vberrimum ferant, studeo inquam, peragrare orbem totum, & cælesti vbique iacto semine videre, vtrùm homines ad vitam germinare velint, hoc est, æternæ vitæ dignos fructus proferre. Illa enim nominum atque rerum varietas, conualles, pomaria, vineta, maloque granata, varias terrarum oras, diuersa gentium & populorum ingenia, alias alibi culturas adhibitas apertè significat: quibus consentanea sunt, quæ sequuntur: nimirum. *Nesciui, anima mea conturbauit me propter quadrigas Aminadab.* Significat enim se in eo, non tam suo iudicio duci, quàm diuino nutu atque impulsu moueri, nec id suarum virium opus esse, sed diuini atque latentis auxilij, quo sua interiùs permouetur mens, & ad cursum Euangelij incitatur. Descendo, inquit, ad hortum nucum, id est, omnes terras peragrare volo, & quia tempus vrget, festinandum mihi esse video, sed cum me ab isto cursu tam multa reuocent, tamen, *Nescui, anima mea conturbauit me*, id est, tamē nescio quî fiat, vt desistere ab eo nō possim; ardet enim mihi animus, mēs mea istius decurrēdi spatij, atq; obeundi muneris studio flagrat, quie tē mihi imperare non valeo, me animus conturbat meus, id est, mei animi desiderium me arripit. *Propter quadrigas Aminadab.* Aut, vt ex Hebræo, verbum de verbo vertisolet. Ponit me quadrigas Aminadab, id autem est, instar quadrigæ ad cursum incitatissimæ ponit, hoc est, efficit, vt momento temporis obire orbem cupiam, tanta celeritate, quanta esse solet earum quadrigarum, quibus principes vtuntur viri. Vel certè, quod magis puto, inest in hoc ellypsis quædam huius voculæ, inter. Ita-

Itaque verti potest, *Anima mea posuit me inter quadrigas Aminadab*, id est, populi principis, id quod ab Ecclesia arcano & verissimo sensu dicitur, eo vt significet se dùm Iudæis Christum annunciat, hoc est, dum in ipsis Christum inquirit, nec inuenit, inscientem quodammodo ad populū esse delatam principem, id est, ad Romanum peruenisse populum, qui in toto dominabatur orbe. Quo in populo, vt constat, Ecclesia euangelica sedem suam & domicilū constituit. Itaque dicit, *Descendi in hortum nucū, vt viderem poma conuallium*, id est, descendi ad populum Iudæorum, quem meritò & hortum vocat, quòd magna Dei cura cultus esset, & varijs bonis tanquam arboribus consitus, ex quo, & alibi sæpe in his literis vinea & hortus nominatur, vt apud Esaiam, Hieremiam, Ezechielem, & alios sacros scriptores, & nucum hortum appellat eum, quod amari aliquid semper habuerit, quatenus ingratus aduersus Deū & rebellis ipsi sæpius fuit. Ad eum igitur descendit hortū, quia apostoli & discipuli Christi, è quibus illa Ecclesia cōstabat, ad eum populum docendum, & ad Christi fidem vocandum primùm missi sunt, itaque descenderunt ad illum, Christum ei annunciarunt, ad fidem illi habendam ipsum cohortati sunt: multa denique cum ipso egerunt, *vt viderent poma conuallium, & si germinasset vinea, & si floruissent mala punica*, id est, vt re ipsa cognoscerent, vtrū ad Christi fidem, cuius semina per legem acceperat, efflorescceret, sed dùm ad Iudæos descendunt, eosque toto orbe sparsos quærunt, eis vt annuncient euangelium, (Nam apostoli, vti ex eo libro constat, qui acta apostolorum cōtinet, quācumque ingrediebantur vrbem in qua modo Iudæorum Synagoga esset, primùm adibant Iudæos, eisque annunciabant euangelium, à quibus repulsi vbi erant, se conuertebant ad gentes.) itaque dùm Iudęis annunciant Christum, principi populo, hoc est, Romano misceri cœpti sunt.

Psal. 45. *Ecclesiast. 24.* *Esa. 51. & 61.* *Hierē. 31.* *Ezech. 36* *Ioel. 2.*

Quod quoniam quodammodo illis accidit præter opinionẽ & expectationẽ ipsorum. Nam principio Ecclesiæ euãgelicæ vehementer à multis dubitatũ fuit, vtrùm gentes admittendæ in Ecclesiam essent, & quatenus admittendæ; vt ex Actis Apostolorũ colligitur ex quo illa fuerunt. *Actorũ. 11. & 10.* Et obstupuerunt ex Circuncisione fideles, quia & in nationes gratia Spiritus sancti effusa est. Et rursus, disceptabant aduersus Petrum, qui erant ex circuncisione fideles, dicentes, Quare introisti ad viros præputium habentes? quibus cum Petrus rationem sui facti reddidisset exponens ea, quæ ipsum eadem cum illis sentiẽtem sanctus docuisset spiritus, Lucas subiungit. His auditis tacuerunt, & glorificauerunt Deum dicentes. Ergo & gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam, Et quod Paulus ad Ephe- *Ephes. 3.* sios scribit. In mysterio Christi, quod aliis generationibus non est agnitũ filijs hominũ, sicuti nunc reuelatum est sanctis Apostolis, & prophetis in spiritu, gentes esse cohæredes, & cõcorporales & comparticipes promissionis eius in Christo Iesu. Itaque quoniã hoc præter opinionẽ illis euenit, id vt sponsa significaret, nescisse se dicit, quomodo inter populi principis quadrigas cõstituta sit. Quòd autem ad eas deuenerit, id dicit deberi tribui animæ suæ, sic enim Christi nominat spiritũ, q̃ eo agitetur nostra mens, sicut corpus anima agitur. Eius nãq; spiritus doctrina & inductu Ecclesia se ad gẽtes cõtulit, quæ Romano cõtinebãtur imperio, quasi dicat, nõ iudicij & arbitrij sui id fuisse, quòd se gentibus miscuit, sed voluntatis atque impulsus Dei, qui certè illam posuit inter quadrigas Romani, id est, principis populi, quia non solũ erudiri illum populum ab ipsa voluit, sed etiam fecit, vt Ecclesia in eius populi summa sede collocata atque constituta, principẽ inter omnes locum teneret. Idque illæ significant Aminadabi quadrigæ, inter quas sponsa poni dicitur. Quæ res totũ illud tempus

pus complectitur, quod ab ingressu Petri & aliorũ discipulorũ Christi in vrbe Roma fluxit, vsque ad Cõstantini magni tempora, quando Romanis imperatoribus Christum amplexis, & idolorũ euersis templis in pretio & honore esse cœpit Christianum nomen, quo etiam tempore Ecclesia Romanis sibi adiunctis principibus, & plurima hominum multitudine ad ipsam confluente, mirè aucta in maximum splendorem ac dignitatem venit, ipsamque ex eo indiscriminatim omnes admiratæ sunt gentes. Quarum admirationem, Solomon vt exprimeret, fœminas inducit sponsam admirantes, & exquisitis laudibus ipsam prosequentes. Nam sequitur. *Reuertere, Reuertere. Sunamitis, Reuertere, vt intueamur te*, Orant enim sponsam, se pro personæ decoro subtrahere ab ipsarum conspectu volentem, ne se subtrahat, aut certè, vt consistat, dùm accuratiùs ipsam contemplantur. Quam cum sunamitem, id est Hierosolymitanam nominant, id certè significant, quod futurum Esaias prædixit ita scribens. Quoniam de Sion exibit lex, & verbum Domini de *Esai. 2.* Hierusalem. Eo enim in loco lex Euangelica tradi atque euulgari cœpta est, & ex eo in orbem effundi, & qui eam primi euulgârunt, Iudæi genere fuerunt. Itaque ab Iudæis instituta primò, & de Iudæis coalita, adiunctis postea gentibus intra spatium trecentorum annorum mirè creuit Ecclesia. Quibus exactis annis laudari à socijs fingitur, cùm ante id tempus vnus eam sponsus inducatur laudans, & præterea nemo, quò intelligatur ante id tempus propter imperatorum aduersus Christianos edicta & propter turpes notas ipsi falso inustas à Christiani nominis hostibus vni Deo, cui nota erat, suã innocentiã probasse. Cæterum vulgò apud homines multũ laborasse fallacię opinione, vt doctorũ ei⁹ ętatis hominũ scripta apologetica indicant, postea verò ipsius pietate & integritate

illu-

illustribus documentis patefacta, eam cùm reges mutata sententia colerent,& vulgò cuncti probarent, magnā admirationem mouisse hominibus vniuersis. Quorum hominum personam illæ fœminæ gerentes ab illa petunt, ipsis vt copiam faciat sui diligentius videndæ atque laudandæ. Quibus ipsa annuens, se per ocium contemplari ab eis, atque laudari sinit, atque ita respōdet. *Quid videbitis.&c.* de quibus dicemus, cum cap 7. interpretabimur.

CAPVT. VII.

QVID videbis in Sunamite, nisi choros castrorum? Quam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia principis, iunctura fœminum tuorum sicut monilia, quæ fabricata sunt manu artificis. Vmbilicus tuus crater tornatilis, nunquam indigens poculis, venter tuus sicut aceruus tritici vallatus lilijs. Duo vbera tua sicut duo hinnuli gemelli capreæ. Collum tuum sicut turris eburnea, oculi tui sicut piscinæ in Hesbon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis. Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit cōtra Damascum. Caput tuum sicut Carmelus, comæ capitis tui sicut purpura Regis iuncta canalibus. Quam pulchra es, & quam decora charissima in delicijs. Statura tua assimilata est palmæ, & vbera tua botris. Dixi, ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius, & erunt vbera tua sicut botri vineæ, & odor oris tui sicut malorum. Guttur tuum sicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum, labijsque & dentibus illius ad ruminandum. Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius. Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis. Mane surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala punica, ibi dabo tibi vbera mea. Mandragoræ dederunt odorem in portis nostris, omnia poma noua & vetera dilecte mi seruaui tibi.

PRIMA EXPLANATIO.

QVID videbis in Sunamite, nisi choros castrorum? Numeri enallage est in illo. Videbis. Nam illas fœminas spō-

sa ro-

sa rogat, quæ partes chori agunt in hoc dramate, & quarū rogatu iam abitura constitit. Quid videbis in Sunamite, id est, videbitis. Itaque & Græca, & Hebræa exemplaria omnia. Quid igitur videbitis, id est, quid in me est aspici dignum, quod conspectum vos ita delectet? quid, cuius aspectu oculos vestros pascere, vosquemet oblectare velitis? aut, quæ vos tanta cupido tenet inspiciendi mei? Nam illæ inspiciendæ ipsius causa, vt ne abiret, ipsam rogarunt. *Nisi choros castrorum.* Aut, vt in Hebræo dicitur, *sicut choros castrorum.* Nam redeunte illa, & ad fœminas, quę ipsam vocabāt conuersa, quò melius ipsam inspicerent, bifariā diuisæ illæ & altrinsecùs sibi respondentes, vtrūque sponsæ latus cinxisse sunt intelligendæ. Plures igitur cū essent, & in duos ordines diuisæ aciei speciem præseferebant. Atque hæc spōsa cum dixisset, fœminarū chorus, quo ostenderent nō sine causa fuisse, quòd illam diligentiùs inspicere & contēplari vòluerunt, formæ eius, atque totius corporis pulchritudinē, laudibus in cælum ferunt, ac ita ferè dicunt. Curte curiosius inspicere cupiamus, rogas? quæ quanta es, ex pulchritudine tota constas. Nam vt à minimis ordiamur, ipsi pedes tui quā puchri sunt? quàm venusti incessus? *Quā*, inquiunt, *Pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia principis.* Pedis astricta breuitas commendatur, nec pes modò, sed incessus ipse, & totius corporis in incedendo motus laudatur, qui certè in pulchritudinis partibus meritò numeretur, quod ingenui, ac bene nati animi in eo indoles quędā, & species eluceat. Vnde consentaneè nominauerunt illā filiam principis, aut, vt Hebraicæ vocis notationem reddamus, liberalis atque profusi; hoc est, liberalem ipsam, & generosam esse dixerunt, magnoque & alto animo prædi tam, iuxta proprietatem Hebraici sermonis, quo qua quis re eximiè præditus est, eius rei dicitur esse filius, idque dixerunt ob eam causam, quia ab ipsa animi excelsi indole

omnis

omnis illa in inceſſu venuſtas fingitur,& exiſtit.Dicunt ita
que.Primùm quàm concinni pedes tui, quamque ad pe-
dem apto vteris calceo:in inceſſu porrò ipſo quanta gra-
tia, quæ venuſtas,quæ animi in ea elucens indoles, non vt
obſcuris parentibus edita,rurique educta,ſed,vt regio or-
ta ſanguine,regieque inſtituta nobis omnibus videaris.Et
pergunt. *Iunctura fœminum tuorum ſicut monilia,quæ fabricata
ſunt manu artificis.* Pro iuncturis Hebraicè eſt חמוק Ha-
muq: id autem circulum, aut orbem ſignificat, ex quo
coxæ vertebra hamuq ab Hebræis appellatur,eamque ver
tebram Hieronymus iuncturæ nomine à ſe ſignificatam
intelligi voluit. Significatur autem à parte totum ipſum
fœmur. Itaque iunctura aut vertebra fœmoris tui,aut cer-
tè fœmora tua tanquam monilia, quæ fabricata ſunt ma-
nu artificis. Igitur laudatur fœmur, quòd neque exile ſit,
neque gracile,ſed denſum,modicèque obeſum:itaque ro
tundum, vt ſi circulum exactè factum ipſi circundes,eum
ad vnguem repleturum ſit, ex quo rectè Græci interpre-
tes, hoc loco verterunt ῥυθμοὶ τῶν μηρίων σου , nam ῥυθμὸς
rectè dicitur in omni eo,quod modulatè atque adfabrè fa
ctum eſt. *Vmbilicus tuus crater tornatilis non indigens poculis.*
Tornatilis quod dixit Hieronymus,exactè rotundus intel
ligi voluit:nam in Hebræo eſt סהר Sahar, quod eſt rotun
dum,ex quo etiam Luna cum ſuum orbẽ cõpleuit סיהרא
Sihara ab Hebræis appellatur. Itaque alij vertunt, vmbili-
cus tuus crater Lunæ, id eſt, ad inſtar plenæ Lunæ rotun-
dus eſt vmbilicus tuus. Pocula verò,hîc quæ dicuntur, nõ
quibus potatur,ſed id ipſum quod potatur & bibitur, id
eſt, potiones ipſæ intelligendæ ſunt,vt in illo,

Poculaque inuentis Acheloia miſcuit vuis.

Quas Hebræi מזג Mazeg appellãt. Mazeg autẽ vino aqua
diluto atque miſto cõficitur. Dicitur itaque vẽter ſimilis cra-

cratẽri rotundo,ac vini pleno:quoniam quod ad pulchri-
tudinem attinet,in ventre hæc ſpectari ſolent,rotunditas,
modicuſque ac ſucci plenus tumor: quod idem alia adhi-
bita ſimilitudine adhuc explicant magis. *Venter tuus*, in-
quiunt, *ſicut aceruus tritici cinctus liliis.* In aceruo enim gra-
nis tritici cuncta complentibus,atque omniex parte circũ
quaque ſe æquabiliter in orbem effundentibus, nihil aut
hiat,aut ſubſidet,aut omninò inæquale eſt.Sed à vẽtre ad
vbera aſcendunt.Itaque dicunt. *Duo ubera tua ſicut duo hinnu
li gemelli capreæ.* Iã de hoc ſuprà. *Collum tuum ſicut turris ebur
nea.* Et hoc ipſum per ſe ſatis eſt perſpicuum: candor enim
colli,atque nitor,eiuſque iuſta longitudo & rectitudo cõ
mendatur. *Oculi tui ſicut piſcinæ in Heſbon, quæ ſunt in porta fi-
liæ multitudinis.* Hesbon vrbs eſt cis Iordanem in ſorte Ru-
benitide,in qua olim Seonis Regis Amorrhæorum regia
fuit, ſtagnis,aquiſque abundans,vt ex Ioſue libro liquet, *Fi
lia multitudinis.* Hebraicè Barrabim, nomen eſt proprium
eius portæ,ad quam piſcinæ iſtæ fuiſſe dicuntur,quæ ſic ap
pellabatur,quòd iuxta illam forum eſſet peramplum, &
multorum hominũ capax. Itaque forum ipſum Barrabim
appellabatur,id eſt,grande,& peramplum forum,cui foro
vicina quæ erat vrbis porta,ex eo patrio caſu porta Barra-
bim,id eſt,porta filiæ multitudinis dicebatur. Sed quid eſt
in piſcina,quod ad pulchros oculos ſignificandos poſsit
transferri? Primũ amplitudo. Nã magni oculi, & vt Hiſpa-
nè dici ſolet,raſgados,pulchri habentur:ex quo Homerus
Iunonem βοῶπιδα appellat ob magnitudinem,credo, ocu-
lorum iuſtam atque decentẽ. Deinde ſerenitas,ex quo exi
ſtit lumen & ſplendor. Poſtremò quies & tanquã ſtabili-
tas,quæ cũ ipſa in oculis grauitatis eſt, & decoris plena:
tùm certè conſtantis animi,atque ſimplicis eſt indicium.
Nam quorum crebrò palpebræ, atque oculi magna ce-
leritate mouentur, aut timidi ſunt, aut omninò va-

fri

fri atque fallaces. *Naſus tuus ſicut turris Libani, quæ reſpicit cõtra Damaſcum.* ף Aph. Hebræis propriè & literatè naſum ſignificat. Naſus porrò tranſlatè interdum pro excandeſcentia ponitur, interdum pro grauitate oris ea, quę oritur ex habitu animi celſi atque magni: quoniam earum rerũ clara ſigna in naribus natura impreſsit. Nam iratis nares tument, atque dilatantur, & qui animoſi ipſi ſunt, aut qui magnum aliquid, atque arduũ concipiunt animo, multũ ſpiritus naribus trahere ſolent, atque reddere: ex quo ille inter alia generoſi equi ſigna.

Tum ſiqua ſonum procul arma dedere,
Stare loco neſcit, micat auribus, & tremit artus,
Collectumque premens volvit ſub naribus ignem.

Eſai. c. 2. Et Eſaias. Quieſcite ergo ab homine, cuius ſpiritus in naribus eius, id eſt, ab homine magni ſpiritus, quod Latini ſermonis conſuetudine dici ſolet, hoc eſt, animo magno & excelſo. Itaque ſe ipſe exponens addit: Quoniam excelſus eſt ipſe. Atqui ea formæ ſpecies maximè pulchra eſt, atque admirabilis, in qua partium apta figura atque decor oris quadam ſeueritate & maieſtate temperatur. Nam illud ex pulchro atque graui temperamentum quicunque vidēt, ita amant, vt vereantur etiam, atque admirentur. Excitat enim in contuentium animis magnum omninò amorem ſui, ſed honeſtum tamen, non leuitatis, aut laſciuiæ comitem amorem. Arbitror itaque hoc loco, Naſi vocabulo, pro Hebraici ſermonis proprietate ſignificari, ſeuerum illud atque altum, quod in huius ſponſæ elucebat ore: quod turris ſimilitudo adhibita, ita eſſe declarat. Nam ſicut illa in ſaltu Libani, id eſt, in Iudęæ finibus contra Damaſcum infeſtam Iudæis vrbem, locata turris, Iudæis ipſis præſidio & ornamento erat, hoſtibus verò Syris & Damaſcenis formidini atque terrori: ſic illa pulchro ac formoſiſsimo ſponſæ ori adiuncta diuina grauitas, illaq; animi in ipſa

ipſa facie celſitudo elucens, tùm ipſius pulchritudinē amplificabat, tùm eandem tutam reddebat à petulantia & iniuria hominum, quorum ex animis eximebat omnem, nõ ſolùm conandi, aut audēdi turpe aliquid, aut inſolens, ſed etiam cupiendi, & ſperandi cogitationem. *Caput tuum ſicut Carmelus.* Caput, id eſt, vertex capitis. Nam Hebraicè ſic. *Caput tuum quod ſuprà te eſt.* Carmelus mons in Iudæa, Helię & Eliſei vatum domicilijs nobilitatus. Dicunt igitur extare ipſam, & eminere ſupra cæteras fœminas, ſicut Carmelus mons vicinos, & circumiacentes ſuperat montes. Sed quod ſequitur, difficiliores explicatus habet. *Comæ capitis tui ſicut purpura Regis iuncta canalibus.* Huius nanque explicãdi cauſa, primùm, quod puto me antè dixiſſe, ſciri debet in Syria & Palæſtina, & toto illo Orientis tractu nigram comam, aut ſubrubeam, quę ad purpureum colorem non nihil accedat, commendari: deinde aduertendum Hebraica hoc loco ea eſſe ratione conſtructa, verti vt poſsint, cũ hoc modo, quo à Hieronymo ſunt cõuerſa, tùm illo, quo Græci interpretes illa verterunt, καὶ τρίχωμα κεφαλῆς σου ὡς πορφύρα βασιλεὺς δεδεμένος ἐν παραδρομαῖς. Id eſt, comæ capitis tui ſicut pupura, Rex ligatus in canalibus. Eſt autē vtriuſq; verſionis propè eadem ſententia, niſi quod hæc posterior ad amatorium ſermonem propiùs accedit: quare interpretemur vtramque. Igitur in priori laudantur capilli à colore, eo ſcilicèt, qui apud Hebræos pulcherrimus habebatur. Nam dicunt videri ſibi ſponſæ capillos tales, quales lanæ murice atque purpura tinctæ apparere ſolent: & addūt ad epithaſim, quales lanæ regiæ purpura imbutæ, & canalibus iunctæ, quo intelligatur, cùm pretioſiſsima purpura, & ea non vſu detrita, ſed à tinctura recenti comparari ſponſæ capillos. At in poſteriori Græcorũ interpretũ verſione, quod dicitur. Rex ligatus in canalibus, valet ad capillorum pulchritudinē amplificandam: Nam dicũt eosvſq;

adeò pulchros esse, vt Rex ipse, id est, sponsus eis in amore ita accẽdatur, vt sint illi pro vinculis: vel potiùs eis pro vinculis ad illũ illaqueandum, atque vinciendũ ipse amor vtatur. *Capilli tui sicut purpura*, hoc est, pro gentis illius more, & iudicio, pulcherrimi. *Rex ligatus in canalibus* id est, illaqueatus, & irretitus amore ipsorum capillorum: quos translatè canales vocat, ducta similitudine ab aqua, quę cũ per canales decurrit, crispari dicitur: quẽadmodum capilli fœminarum oblongi, & per humeros earum effusi crispantur, vndareq́ue & ipsi dicuntur humeris. verbo ab aquis translato. *Quàm pulchra es & quàm decora charissima in deliciis.* Apto epiphonemate transitum ad vlteriora faciunt. Sequitur enim. *Statura tua assimilata est palmæ, & vbera tua botris.* Vuarum, scilicèt, quas ferret ea vitis, quæ palmæ adiũcta, & per eam serpens, palmæ ramos sarmentis implicabat suis. Nã, vel ex hoc loco constat in Palæstina vites iuxta palmas seri solitas, sicut iuxta vlmos in Italia. Venustissimè autẽ procerum, atque elegans sponsæ corpus palmæ arbori, cuius item est insignis altitudo, & proceritas, simile esse dicunt: vbera autẽ in pectore extantia & prominentia botris vuarum ijs, qui eminebant è palma ab ea vite, quæ implicabatur cum ipsa. Sed quod addunt, id è communis naturæ affectu, atque more expressum est. *Dixi, ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius, & erunt vbera tua sicut botri vineæ, & odor oris tui sicut malorum.* Nam naturale est, vt pulchri species in quocunque enitens ad se alliciat intuẽtes: in fœmina autem elucens etiam sui potiundi desiderio ipsos accendat. *Dixi*, id est, eximiæ tuæ pulchritudinis vis per oculos ad animum admissa, eumq́ue incendens, hæc illi dictat desiderij ardentissimi plena verba. *Ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius*, sequitur *Guttur tuum sicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandũ, labijsque & dentibus illius ad ruminandum.* Hoc in loco Latinus interpres Hebraicum

textũ paraphrasi reddidit: nam ad verbum sic verteretur. *Guttur tuum sicut vinum illud bonum, quod vadit ad dilectum meũ directè, loquens labijs dormientis.* Quæ est vini optimi ac generosi descriptio ex coniunctis & consequentibus. In qua illud, *ad dilectum*, quod dicitur, nullam certam personam significat, sed quomodo Latini vocabulo, quis, vti sæpè solent, & Hispani voce, Hulano, sic isto loco ad neminem vnum sermo certo dirigitur. Sed, *Quod vadit directè*, siue vt in Hebræo למישרים, Lemesarim, de vino dictum, optimæ notæ significat vinum, quasi tale sit, rectè quod bibi possit, vel certè quia dum bibitur propter sui bonitatem, lenitatemque inoffenso, vt ita dicam, pede directè per os ad fauces delapsum, inde in corpus traijcitur: quod est vetusti ac generosi vini proprium. Id enim cum voluptate facillimè bibitur, vt potè quod omni austeritate careat: haustum porrò tum demum se, vimque suã prodit. Nam quò propter vetustatem è tenuioribus constat partibus, eò citiùs in sublime elatum, omnes capitis sensus in suam redigit potestatem. Id igitur Hebræi vadere directè appellant, quomodo Hispani de vino eius generis dicunt: Que se cuela sin sentir, vt ex illo satis liquet, vbi dicitur. Ne aspicias vinum cum rubescit, & cum splendet in vitro: ingreditur enim blandè, id est vadit directè (sic enim Hebraicè legitur משרים) & in nouissimo mordebit, vt coluber, & sicut regulus venenum diffundet. Nimirùm longè alium se quã quod initio pollicebatur, ostendens. Etenim initio mitis, ac lenis nihil hostile præ se ferebat: at posteaquam in pectus admissum est, in caput, atque in mentem inuadens, quas turbas non mouet? Nam vt maiora illa omittam bella debellata super mero, sermonis certè vsum propè eripit. Linguam namq́ue hæsitantem reddit: vocum in loquendo sonos immutat: verba literis, ac syllabis fraudat: eorumq́ue structuram & ordinem re- *Prou. 23.*

ctum perturbat. Quare additur, *Loquens labijs dormientis.* id est, qualiter dormientes, hi autem sunt qui instante somni capiendi tempore somno grauantur, loqui solent. *Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius.* Dignum amante fœmina responsum. Nam dicit, qualis ipsa, aut quam pulchra sim nescio, neque verò vtrũ talis vobis videar, qualẽ me esse dicitis, valdè laboro: illud vnũ scio, cuiusuismodi sim, totã viri mei esse: à me illũ amari: ab ipso me vicissim diligi: illi vni gratificari me, & placere cupere: id solùm in votis mihi esse: vestros verò de me sermones atque iudicia, & omninò laudes de me vestras non tanti facere. Itaque illas veluti fastidiens, & ad virum conuersa. *Veni,* inquit, *dilecte mi, egrediamur in agrum, cõmoremur in villis.* quo nos scilicèt, ab his turbis, & hominũ molestijs subducentes, agriq; amœnitate fruẽtes, amori nostro liberè indulgeamus. *Mane,* inquit, *surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala punica, ibi dabo tibi vbera mea. Mandragoræ dederunt odorem suum.* & quæ sequũtur. *Mane surgamus ad vineas.* Nã sub aurorã nihil est agro amœnius. *Videamus.* Aut per futurum, vt in Hebræo est, videbimus, *Si floreat vinea, si flores fructus parturiunt.* Flores inquam vineæ: id est, videbimus vtrum vites flores emittant, aut ipsi earum flores fructus iam edere incipiãt: Nam in Hebræo sic, *Si floruit vinea, si apparuit noua vua, si floruerunt mala punica.* Sequitur. *Ibi dabo tibi vbera mea.* Et ne solum, inquit, inuitari te agri amœnitate à me putes, summam ibi mei copiam tibi faciam. *Mandragoræ dederunt odorem suum.* Repetẽdum à communi superiùs verbum, nimirum, & videbimus si mandragoræ dederunt odorem suum. Præstant enim odore mandragoræ, vt Plinius tradit. Denique addit. *In portis nostris omnia poma noua & vetera dilecte mi seruaui tibi.* Et ad alias, inquit, vel opportunitates, vel voluptates huius vitæ rusticæ, ad quam te voco: illud accedet etiam, quòd abundabis

dabis maxima optimorum fructuum ad vescendum copia. Legam enim ipsa tibi, imò verò lecta, ac domi habeo reposita poma, atque baccas arborum omnis generis, quibus tu vti, atque vesci possis. Atque hac fini hoc caput cõcluditur, cuius iam ad principium reuertamur.

ALTERA EXPLANATIO.

QVam pulchri sunt gressus tui in calceamentis filia principis. Quare in hac carminis parte, in qua de perfectis agitur, præter spõsum nouæ personæ inducantur, quæ spõsam laudent, iam superiùs dictum est: nunc verò illud est dicendum, atque quærẽdum, quidnam causæ sit, cur ista laudatio, diuerso atque adeò contrario a superiore laudatione ordine à pedibus laudandis exorsa, in capitis laudibus terminetur. Nec enim id causa, vt arbitror, vacat. Etenim, quod iam suprà diximus, in hac laudatione figuratè, vt cætera omnia, significatur id, quod re ipsa accidere videmus viris virtute præstantibus, quales sunt, qui perfecti nominantur. Illos enim mortales vniuersi, quorum modò animus non omninò profligatus sit, aut virtutũ officijs infensus, admirantur, & laudant: quod non æquè contingit ijs, qui virtutis studio quo quo modo dediti sunt, aut qui progressus iam aliquos in eo fecerunt. Homines porrò aliorum hominum rectè facta vident, animi autem rectum atque diuinum habitum, virtutesque, quæ illi insunt, ex quibus ipsa rectè facta oriuntur, & manant, non vident, sed ex ijs quæ vident coniectura colligunt. Ex quo fit, vt cum laudare ea volunt, id primùm laudibus prosequantur, quod illis primò videndum occurrit, quodque cætera, & cognoscendi, & laudandi causam ipsis attulit. Nam principio ista operũ exteriorum honestate commoti, eos, à quibus ea edebantur,

admirari cœperūt,& in illorū animos introspicere. Quod igitur Latini officiū appellant, quo nomine quidquid ex virtutis inductu,atq; præscripto,vel publicè, vel priuatim rectè & honestè fit,cōprehenditur:id sacræ literæ figuratè pedes vocant:non solū quia minus dignitatis atque luminis habent ista rectè facta,quàm illa animi interiora ornamenta,à quibus oriuntur:sed quia istis virtus insistit, eisq; tanquam gressibus in hoc mortalis vitæ stadio progreditur. Nam societas hominum inter ipsos,cōmerciaq́ue humana omnia his continentur officijs. Vocari autē ista offi cia pedes in arcano sermone,omnes ferè scriptores docēt
Ioan.16. in illo Christi:Qui lotus est, nō indiget nisi vt lauet pedes. Hos ergo pedes ij, qui eorum honestam speciem oculis hauriunt homines,pulchros esse dicunt:tùm quòd honesta sunt ista officia,& ob id dignitatis plena,tū quòd sunt, vel publicè, vel priuatim vtilia, & ob eam causam apud omnes gratiosa, & vt ita dicam,popularia: præcipuè autē ea,quæ à charitate,& à pietate Christiana ducuntur, quæ modestiæ & humilitatis specie mirabiliter commendata in benefaciendo,atque in inseruiendo alijs ponuntur ferè omnia, quo quod populis sit gratius profectò effici nihil potest. At quàm rectè cum ista laude Christiani officij id, quod sequitur, iungitur, *Filia principis*. Nisi enim vir perfectus & sanctus filius principis esset, id est, nisi generoso, & munifico, ac digno principe animo esset præditus, ea, quam diximus, officiorum dignitate careret. Quid verò si hi pedes nobis sint, id quod video rectè esse posse, humilitas ea,atque lenitas,ac mansuetudo,quæ sunt proprię Christianæ disciplinæ virtutes,& quas perfecti in ea disciplina, & vultu, & incessu, & omni oris habitu præ se ferunt, quibus certè virtutibus nihil amabilius esse potest, num minus aptè cum his virtutibus cohærebit, quod sequitur,filia principis?Imòverò aptissimè. Christiana enim virtus

virtus suis coloribus describetur, si quorum pedes, hoc est,quorum humilitas & mansuetudo laudantur, ijdē prædicabuntur principum filij,excelso,scilicèt,& exaggerato animo præditi. Nam vt nihil est Christiano homine humilius,atque mansuetius,ita nihil est eodem altius, atque sublimius. Etenim quod in Christi persona adoramus,& credimus ineffabili modo coniungi duas naturas, sublimem vnam,humilem alteram, idem quodammodo videre licet in ijs,qui Christo suo capiti, virtute & morum imitatione sunt similes. Sunt enim simul & humiles & excelsi, tùm natiuitate, tùm moribus. Natiuitate quidem excelsi sunt,quoniam ad Deum ipsum ortus sui eius, quo in nouam vitam nascuntur,principium,& originem referunt, quodq́ue eius originis in se habent præstātissima semina: humiles autem & abiecti,quoniam quod attinet ad parētes veteres ab inquinatissimis sordibus genus ducūt. Moribus porrò,& conditione vitę propter suam modestiam, & fragilitatis suæ assiduam cogitationem & cognitionē sunt humiles Itaq́;modestissimè de se sentiūt,nihil sibi arrogāt,tribuūt sibi nihil,cedunt omnibus, seq́; submittunt etiā inimicis,neq́; est aliquod tam abiectū,atque vile munus,quod vel se indignum putēt,vel aliorum salutis causa libenter non subeant,illudque non parū sæpè verè, & ex animo optant contemni se à cæteris,& sperni,& pro nihilo haberi. At eisdē rursus nihil est maius, atque sublimius. Nam neque seruiunt voluptatibus, neque cedunt doloribus, neque se vinci sinunt ab aliqua cupiditate praua, neque hominum minas, neque aduersæ fortunæ tela extimescunt,& quibus rebus seruiunt mortales cæteri, ijs illi omnibus imperant : tamq́ue alto sunt animo, vt sua præstantia indignum existiment, impertire aliquid desiderij sui atque cogitationis, nisi rebus cælestibus atque diuinis. Itaque immortalitatem, æternas diuitias, diui-

nam vitam, congressum & conuictum penè familiarem cum Deo illi, & semper cogitant, & ardētissimè affectant. Quid illa, ea si quis pro dignitate commemoret? nam mihi his commentariorum angustijs excluso copiosè illa, & enucleatè explanare non licèt. Quàm igitur illa sunt animi excelsi, quòd de cunctis hominibus, nihil inde præter rectè facti conscientiam ad se referentes, benemereri studeant? Quod infestissimis suis hostibus non grauatè commodant? Quod ita sunt animo liberali, & ad benefaciendum propenso, vt non opes & facultates suas modò, sed vitam etiam pro aliorum salute profundant? Ex quo concluditur hoc esse proprium Christianæ virtutis, vt repudiatis & à se remotis superbia & arrogantia, quibus vitijs omnis Philosophorum vita & institutio inficiebatur: modestia verò & mansuetudine, & humilitate animi ascitis & adiunctis, diuersissimas res & quæ in vnum coire posse nō putabantur, summam animi celsitudinem cum incredibili humilitate consociet. Quare conuenientissimè in hac eximię virtutis, atque probitatis imagine, cum pedum pulchritudine, hoc est, humilitatis virtute, regij sanguinis dignitas, & illustris generis claritudo à Solomone coniuncta est. Quibus etiam consentanea sunt, quæ sequuntur. Nam rectis officijs laudatis quatuor summę virtutes, à quibus ducuntur omnia officia laudantur, ac primò de fortitudine dicitur. *Iunctura fœminum tuorum sicut monilia, quæ fabricata sunt manu artificis.* Nam fortitudinem, fœmorum, atque tibiarū declarari nominibus ex eo intelligitur, quòd retrò vicissim ipsum fortitudinis nomen ad fœmora signi-
Eccl. vlti. ficanda translatè vsurpatur: vt in illo. Et nutabunt viri fortissimi, in quo fœmora per metaphoram viros fortissimos, aut fortitudinis dici omnes consentiunt. Est autem Christiana fortitudo, sola vera, & perfecta fortitudo: vt potè quæ pro pietate nullum, aut certamen fugiat, aut periculum reformidet. Itaque aptè comparatur circulo, cuius est figura perfecta, aut certè fœmori ad circuli orbem accommodato. Temperantia deinde in ventre, atque vmbilico significatur, quo de dicitur. *Vmbilicus tuus crater tornatilis non indigens poculis* Itemque. *Venter tuus, vt aceruus tritici vallatus lilijs.* Nam vt in tritici aceruo propter causam superiùs dictam, nihil incisum angulis, nihil anfractibus, nihil eminens, nihil lacunosum conspicitur, sic temperans moderationem, & æquabilitatem, & omnium rerum mediocritatem in omni vita conseruat. His succedunt vbera: de quibus. *Vbera tua sicut duo hinnuli gemelli capreæ.* Quæ ad eas virtutes spectant, quæ ad alterum referūtur. Inde ascensus ad collum, & ad oculos fit. De illo. *Collū tuum sicut turris eburnea.* De his. *Oculi tui sicut piscinæ in Hesbon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis.* Quibus eæ, quas suprà diximus, designantur virtutes, nisi quòd, vel ex ipsa similitudinum ratione absolutiores & perfectiores in hoc ordine atque gradu hominum, quàm in superiore intelligēdæ sunt esse. Ab his ad nasum peruenitur, in quo grauitatis, atque prudentiæ inest symbolum. Quæ prudentia, *Sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum,* Ita ipsa altè eminens omnia longè, latèque speculatur. Vltimum atque supremum est caput, Charitas Christiana, videlicèt, quæ ita præest, atq; supereminet reliquis virtutibus, vt eas non solū regat, & in viā, qua vna ad Deū peruenīri potest, inducat: sed ita perficiat, & vnamquamque earum in suo genere absoluat, vt ipsarum nulla, ei si desit charitatis ista perfectio, pro vera virtute sit habenda. Meritò igitur ea, vt Carmelus esse dicitur, omnia, scilicet, loca circumposita longo interuallo superans. Ab hac virtute cogitationes bonæ, quæ oriūtur, capilli ij sunt, qui esse dicūtur. *Sicut purpura Regis.* Nam inest in illis, ipse idem charitatis ardor, vnde initium duxerunt Itaque igneæ sunt, neque quales ca-

pilli,qui ſuperiùs deſcripti ſunt,quos nitorem modo, & rectum ordinem habuiſſe diximus:ſed quales,qui modo laudantur,ſimiles optimæ purpuræ,id eſt,ardentes atque flagrantes.Nam qui perfecti ſunt in Deo amando,cogitãdoq; ſemper occupantur,egrèque & moleſtè, & non niſi ab ipſa neceſsitate conſtricti cogitationum ſuarũ partem aliquã terrenis rebus impertiuntur.Nã meditãtur in terris cæleſtem vitam,quæ certè continenti,atque perpetua cõtemplatione,atq; charitate Dei conſtat: eſtque ea huius cæleſtis vitæ meditatio res Deo longè gratiſsima. Ideòq; additur.*Rex ligatus in canalibus*. Intereſt enim, miſcetq; ſe ſe,quemadmodum Spiritus ſanctus teſtatur,eruditis cogitationibus,redamatque eum qui ſe amat, ac de ipſo continenter cogitat,& arctiſsimo charitatis vinculo cum illo conſtringitur,ac penè miſcetur:ſicut ſcriptum eſt.Qui adhæret Deo,vnus ſpiritus fit cum eo,in quo ſumma abſolutio virtutis & pietatis conſiſtit.Quare ſequitur.*Quàm pulchra es,& quam decora chariſsima in delicijs*.Quia enim chariſsima eſt,ideircò ſupra modum,& pulchra eſſe dicitur, & decora,& delicijs,hoc eſt,omni cæleſti dulcedine & voluptate redundans.Tot porrò ſimul iuncta bona,totque & tam præclaræ in vnum confluentes virtutes animi habitum efficiunt quàm altiſsimum heroicum & propè diuinũ,quo de metaphoricè dicitur.*Statura tua aſsimilata eſt palmæ*.Quod autem ſequitur,*& vbera tua botris*.Ideò dicitur,quia inter omnes iſtas virtutes, quæ commemoratæ ſunt,illæ maximè eminent,quæ ad alterum referũtur,qualis eſt iuſtitia,charitas, liberalitas, & ſi quæ aliæ huius generis ſunt. Nam hæ,cùm alicui ineſſe videntur,inuitant nos ad amandum ipſum,itaque incendunt,vt coniunctiſſimi cum illo eſſe cupiamus: ex quo eſt illud, quod ſequitur.*Dixi,aſcendam in palmam,& apprehendam fructus eius, & erunt vbera tua ſicut botri vineæ*. Sed addunt.*& odor oris tui*

Prou.8.

1.Cor.6.

tui ſicut odor malorũ.Guttur tuum ſicut vinũ optimum,dignum dilecto meo ad potandum,& labijs ac dentibus illius ad ruminandũ.
Quod ideò dicunt, quia ſermones bonorum virorum, quos de Deo habent,ſiue cum præcepta ſalutis edunt, ſiue cũ flagitia & peccata hominũ oratione caſtigant,ſiue cũ monẽt,ſiuè cũ cõſolantur,ſiuè cũ facta ſanctorũ atque res geſtas cõmemorãt,ſunt ſuprà quã dici poteſt dulciſsimi. Nã vt ſcriptũ eſt.Bonus homo profert bona de bono theſauro cordis ſui. Sic laudati iuſti ita reſpondent. *Ego dilecto meo & ad me conuerſio eius*.Etenim laudes, quas ſibi ab hominibus tribui vident, vel non agnoſcunt, vel certè ita ſentiunt, ſi quid in ipſis ſit laude & celebratione dignum,id nullo ſuo merito collatum ipſis eſſe, totum alienum eſſe,de quo ſibi,ſi quicquam arrogent,ſcelus ſe & facinus inexpiabile commiſſuros putant Itaque reſignant Deo plenè, atque integrè ſua munera, itaque ferè dicunt. Quòd viuimus, quòd ſpiramus, quòd vigemus: quòd non poſtrema ſcelera admittimus, quòd eſſe boni cupimus, aut quòd omninò aliquem in ea re conatum, & ſtudium adhibemus, quòd benè de nobis homines & præclarè ſentiunt,id totum agnoſcimus diuini muneris præcipuè eſſe, nobiſque ob id, quà à nobis eſt,nihil, aut laudis, aut mercedis tribui deberi fatemur. Illud verò vnum curamus maximè atque cauemus, ne tantæ Dei erga nos indulgentiæ, atque charitati aliquando parum gratè reſpondiſſe reperiamur. Quare profitemur ac dicimus, qui nos tantum amauerit nullo merito noſtro, quique nos tot bonis, ac beneficijs affecerit, ipſum quàm maximè atque ardentiſsimè amari quis poteſt, tàm à nobis amari, atque diligi. Velle nos certè id atque cupere, in eoque ſtudium adhibere maximum, Deus vt à nobis ardentiſsimè ametur. Itaque hæc dicunt: tamque

Luc.6.

peni-

penitùs in illorum animis humilitas insedit, vt mundi laudes, & ad homines bonam existimationem, populares{q;} honores, quos qui paulò vel natura, vel virtute modestiores sunt, non nimis cupidè insequuntur, oblatos tamen sibi & sponte ab hominibus attributos, non ingratè susci-piũt; qui autem ambitiosiores sunt, insano propè studio & amore, & quibuscunque possunt & modis, & rationibus quærunt, eos illi honores odio habeant, & tanquam maximam virtutis pestem fugiant, lædi{q;} se putent, & insidias suæ virtuti fieri, cùm ita vel laudantur, vel honore afficiuntur: ex quo sunt, quæ sequuntur. *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis.* Ab his, scilicèt, inanis gloriæ & adulatricis linguæ insidijs ac periculis remoti atque tuti. *Mane surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt, si floruerunt mala punica.* Erit enim multò præstantius, atque iucundius virtutibus alendis atque augendis per otium vacare, ac summo mane, id est, diligẽtia, atque vigilãtia summa operam isti studio nauare, quã vanis hominum vocibus aures præbere, eorum{q;}que laudibus capi. *Ibi dabo tibi vbera mea.* In quo vno, videlicèt, omne bonorum studium, omnis{q;}que ipsorum cogitatio consumitur, si quomodo assequi id vnquam possint atque perficere, vt in tota sua & mente & anima & corpore regnet & dominetur Christus. Et ideò in portis, inquiũt, nostris. *Omnia poma noua, & vetera dilecte mi seruaui tibi.* Quasi ita dicentes. Quidquid in nobis est, siue abs te olim cum natura satum, siue industria nostra & labore postea, te præcipuè vires atque opem suggerente, additum & adiectum, siue hoc nouum, siue antiquũ illud & vetus quemadmodũ agnoscimus habere abs te, ita reddimus tibi: seruire{q;} tibi ipsi volumus & animo, & corpore, & officijs omnibus sine intermissione, aut interpellatione aliqua. Hæc igitur perfecti sentiunt, & quo ad homini in hac vita datũ est,

est rectissimè efficiunt, aliaque præterea, de quibus capite sequenti dicetur.

TERTIA EXPLANATIO.

Quid videbis in sunamite, nisi choros castrorum? In Hebræo autem, *sicut choros castrorum.* Itaque pro diuersitate lectionis variè id exponi atque interpretari potest. Si primo modo, quid inquit, in me admiramini, aut diligentiùs inspicere vultis? Certè choros castrorum, id est, infinitam multitudinem hominum cõfluentem ad meam fidem. Vel certè nihil in me molle aspicietis, sed castrorum choros, id est, militaria omnia & laboris ac sudoris plena, non aulis regum, in quibus delitiæ dominantur apta, sed ijs hominibus digna quibus propositum est in cælum ascendere per arduum virtutis iter. Nam Christiani hominis vita militia quædam est. Vt enim is suas habeat delicias & eas omnium optimas, quia ex meliori sunt genere, tamen habere non apparet. Quod enim apparet, laboris plenum est. Ostentat autem id quod laboriosum est se cupientibus introspicere, id est, sequi, & ad eius numerum aggregari, quo significet, qui se Christianos esse volunt, ijs propositum esse debere non molle ocium, sed militiæ perdifficilis durissimos labores. Sin autem Hebræa sequamur, ea vel dici ab spõsa damus, vel à socijs spõsæ: si primũ, quid me inquit, inspicitis instar aciei in duas partes diuisæ. Sin alterum, quid in te, inquiũt, cõtemplemur rogas? haud dubiè sicut choros castrorum, id est, contemplamur te similitudinem gerentem cum castris militantibus, nam & copia abundas fortissimorũ hominum pro fide & religione certantium, quorum quisque suum ordinem seruat, & quasi vallo & fossa, sic omni genere diuinorum præsidiorum circumsepta es atque

munita

Universidad de Deusto
Biblioteca

munita. Itaque hinc ducentes principium illam per partes laudant orſæ laudationem à pedibus. Nam ſequitur. *Quàm pulchri ſunt greſſus tui in calceamentis filia principis.* Laudant autē illam contrario ordine quàm ſpō ſus ſuprà laudauit ipſam, ille à capite ad pectus vſque, hæ à pedibus vſque ad caput: cuius diuerſi in laudando ordinis ea poteſt eſſe cauſa, quia ſponſus interiora reſpicit, quæ potiſsima ſunt: homines verò ea quæ in oculos ipſorum incurrunt. Et certè gentes, quarum iſtæ fœminæ perſonam gerunt, ea Eccleſiæ ætate in oculis eos habebant, à quibus Euangelium docebantur, quiſque doctrinam cæleſtem ad ipſas deferebant. Itaque illos primò laudant, laudant autem quando greſſus Eccleſiæ ac pedes commendant, nam ijs vocabulis celeritas in annunciando Euangelio, & ex eo Euangelij præcones ipſi figuratè ſignificari ſolent, vt videre licèt in Eſaia, & in Paulo: Adde qui infimi mundi iudicio erant, eos in Eccleſia Euangelica habitos eſſe primos, ſicut ſcriptum eſt. Infirma mundi elegit Deus, vt fortia quæque confundat: &, Confiteor tibi pater, quia abſcōdiſti hæc à prudētibus, & ſapiētibus, & reuelaſti ea paruulis. Infimi autem ſunt pedes in corpore: quare hos pedes atque greſſus laudibus principio celebrant, quia ijs nihil eſt ſublimius in Eccleſia. Præterea, vt ſacri vates fore prædixerunt, Euangelica doctrina primò tradita fuit hominibus obſcuris & humilibus, vt eorum poſtea opera, qui ſapientes & clari erant, mitterentur ſub iugum fidei. Sic Eſaias in perſona Chriſti, euangelizare pauperibus miſit me. Et ipſe Chriſtus apud Matthæum: cæci vident, claudi ambulant, pauperes euangelizantur, id eſt, pauperibus annunciatur Euangelium, quare quia ea doctrina ad humiles & obſcuros homines primùm delata in eis vires ſuas explicuit, ideò

Eſai. 52.
Rom. 6.

ideò initium laudandi Eccleſiam gentes faciunt à pedibus, id eſt, ab ijs hominibus, quibus ſe primùm oſtendit, & in quorum animis domicilium poſuit cæleſtis ver bi ſapientia, magnis illis quidem viris re ipſa, ſed opinione hominum obſcuris atque infimis. Laudant ergo greſſum & inceſſum Eccleſiæ, & eam filiam principis nominant, id eſt, ſatam à Deo, vel certè præditam generoſo & alto pectore, idque, quod valde mirum eſt, ex inceſſu colligunt, aut exiſtere dicunt. Quia ex Chriſtiana humilitate ſpiritualis maxima exiſtit altitudo. Et quia nulla in re Eccleſiæ virtutis magnitudo magis perſpecta fuit, quàm in eiuſdem inceſſu atque greſſu, hoc eſt, in eis hominibus, qui ex ipſa in orbem decurrerunt ad annunciandum Euangelium, id eſt, in Apoſtolis & Apoſtolicis viris, quorum vt conſtat, incredibilis fuit in proferenda doctrina Chriſti animi celſitudo atque robur. Sed à pedibus ad fœmora aſcendunt. Nam addunt. *Iunctura fœminum tuorum ſicut monilia, quæ fabricata ſunt manu artificis*, id autem eſt, fœmora tua ſunt exactè perfecta, ac ſi ex auro facta eſſent ab artifice peritiſsimo, aut certè aptiſsimè coniuncta ſunt cum coxa atque tibia. Sed cum fœmora cohærere cum reliquo corpore dicunt, eius omnium partium inter ſe nexum & copulationem laudant, hoc eſt, figuratè prædicant ordinem Eccleſiæ & corporis myſtici partium inter ſe concentum & coniunctionem, qua nec admirabilius, nec artificioſius excogitari quidquam poteſt. Qua de re Paulus ſcribit, ex quo totum corpus per nexus & coniunctiones ſubminiſtratum & conſtructum creſcit in augmentum Dei. Sed pergunt. *Vmbilicus tuus crater tornatilis nunquam indigens poculis; venter tuus ſicut acervus tritici vallatus lilijs*: Hæ duæ res & rotundæ ſunt, & tumorem quendam habent, ex quo ad ventris

Coloſſ. 2.

formam

formam declarandam rectè transferuntur,qui & orbiculatus est,& tumet. Sunt autem in Ecclesia ventris instar,vt plerique volunt,vulgo fideles,quòd, vt magnitudine venter superat singulas partes corporis , sic numero isti reliquos Ecclesiæ ordines vincunt. Is autem venter tumet ob multitudinem,& est sicut aceruus tritici, quia constat è partibus multis & minutis,& non indiget poculis, quia & hos irrorat gratia Spiritus sancti. Sed & his nominibus cœtus Ecclesiasticos & publicos conuentus significatos putant,quòd sicut in ventre omnes congeruntur cibi,sic ad hoc cœtus omnes Ecclesiæ ordines conueniunt,eosque cœtus esse dicunt instar acerui tritici, & poculis non egere, quòd alimoniæ spiritualis & ipsi habeant , & alijs suppeditēt summā copiam: sequitur. *Duo vbera tua, sicut duo hinnuli gemelli capreæ.* Quæ nominētur in Ecclesia vbera, de eo non constat inter omnes, alij Regē & Pontificē, quòd eorum duorum rectione alatur Ecclesia, alij duo testamenta , quæ cibum animi largè suppeditant , alij duas rationes legum, aliarum scriptarum, aliarum sine scripto traditarum , sunt qui duos Apostolorum principes Petrum & Paulum præcipuos Ecclesiæ altores & institutores . Nec desunt , qui ad doctrinam & Sacramenta ea transferant, quòd ijs rebus fidelium animi enutriantur, ea autem paria vniuersa rectè dicuntur esse , sicut gemelli capreæ , propter paritatem & inter se concentum ac similitudinem . Sequitur. *Collum tuum sicut turris eburnea.* Doctores atque Pastores Ecclesiæ collum translatè nominari omnes consentiunt , tùm quòd coniungant caput cum corpore, id est, Ecclesiam cum Christo, tùm quòd, sicut collo nerui ad omnes corporis partes pertinent, sic eorum ministerio animi spirituale robur à Christo ad Ecclesiam deriuetur. Ex quo in Psalmo figuratè: Accipiant, dicitur, montes pacem populo,& colles iu- *Psal.71.*

stitiam.

stitiam: tùm quòd quemadmodum collo , & anima ducitur,& cibus transmittitur , eodem modo per hos reliqui fideles,& cælestem spiritum hauriant , & cibum spiritualem capiant . Ijdem dicuntur esse sicut turris eburnea, vt turris, propter firmitatem , qua præcipuè præditi esse debent ad eos labores sustinendos qui cum suo munere coniuncti sunt , qui certè sunt maximi: vt ebur , propter candorem , hoc est , vitæ atque morum puritatem nullis infuscatam aut contaminatam vitijs. Sequitur . *Oculi tui sicut piscinæ in Hesbon, quæ sunt in porta filiæ multitudinis .* Oculi sunt Prophetæ , & qui in Ecclesia dono intelligentiæ præstant , qui longè latèque futura prospiciunt. Porrò quod sequitur . *Nasus tuus sicut turris Libani, quæ respicit contra Damascum.* Id ad eos Ecclesiæ homines declarandos spectat, qui sagaciter occultas hæreticorum insidias , ac dolosas eorum artes odorantur, quiq; eas detegunt,& in lucem proferunt, qui que pollent dono eo, quo interiores animi cuiusque sensus explorari possunt,& quales sint, sine errore cognosci. Quod autem addunt . *Caput tuum sicut Carmelus , & comæ capitis tui sicut purpura regis iuncta canalibus .* Pro eo atque aliter à Latino , aliter à Græcis interpretibus de Hebræo conuersum est , variè & ipsum exponi potest . Nam Græci , vt suprà diximus , ita hunc versum transtulerunt . *Caput tuum vt Carmelus , comæ capitis tui vt purpura , rex ligatus in canalibus .* Ergò Latina sic, Caput tuum, id est, Christus, ad Ephesios primo, qui est caput corporis Ecclesiæ, sicut Carmelus, mons videlicet altissimus, feracissimus & amœnissimus, itaque rectè transfertur ad Christum, qui & altissimum gradum obtinet, & in se ipse continet atque producit ex se infinitam bonorum copiam , ex quo & alibi sæpè mons nominatur . Huius capitis comæ martyres sunt, cum illo ma- *Ephes.1.* *Dan.2.*

ximè coniuncti, vtpote, qui ipsum propius imitantur, ij dicuntur esse eximiè purpurei, quod sanguine suo purpurant, quem pro Christo vnà cum vita profuderunt. Et sunt iuncti canalibus, quòd pœnæ eos atque supplicia constrinxerunt. Nam canalibus aqua significatur, ea, quæ per canales decurrit. Aquæ porrò nomen in his literis ad res aduersas & toleratu difficiles significandas, transfertur. Latina igitur sic, Græca autem isto modo. *Caput tuum* Christus, *vt Carmelus*, quia omnibus supereminet, *& comæ eius*, martyres, *vt purpura*, quia flagrant charitate, *Rex ligatus in canalibus*, id est, ipse idem Christus, qui & caput & Rex noster est, aduersorum tolerantia maximè insignis fuit, pœnis præcipuè lætatus est, eas enim & ipse studiosè tolerauit, & à suis patienter tolerari voluit, & eorum studium erga se hoc vno maximè officio probari. Itaque & altissimus est, & malorum tolerantissimus fuit, & cum summa bonorum maximorum quæ in se continet copia, summam item vim rerum tristissimarum & acerbissimarum, quas est passus, coniunxit. Quare canalibus ligatus fuisse iure dicitur. Addunt porrò. *Quam pulchra es, & quam decora charissima in deliciis: statura tua assimilata est palmæ, & vbera tua botris.* Gentes enim Ecclesiæ Euangelicæ illo primo eius ætatis tempore magnitudinem admiratæ, quæ aduersariorum impugnatione crescebat, & augebatur quotidie magis, quò magis eam ferro atque igne Romani Imperatores vastabant, ipsam iure palmæ arbori, quæ pondere depressa se erigit, similem esse dicunt, eius vt ostenderent non solùm in aduersis tolerantiam, sed ex aduersis incrementum maximum. Atque, vt palmæ isti, è qua similitudo ducitur, implicata erat, vt fingitur, vitis plena vuarum botris, qui è palma pendentes

Esai.2.

dentes sponsæ vbera referebant, sic illi Ecclesiæ, eò quòd instar palmæ erat, quòd grauissimis oppressa malis, animi robore connixa in fide & amore Christi crescebat, ipse Christus, vitis vera qui esse dicitur, arctè implicabatur, eamque variè circumambiens fouebat. Qua ex re varij exorti botri, cælestis cuiusdam suauitatis vino pleniſsimi, quasi si essent è palma nati, dependebant ex ipsa, hoc est, inerant atque hærebant ipsi Ecclesiæ, eis vt frueretur: erantque ipsi veluti vbera, quæ sugens sua mala ferebat, non solùm toleranter, sed etiam lætè atque cupidè. Sequitur. *Dixi, ascendam in palmam, & apprehendam fructus eius, & erunt vbera tua sicut botri vineæ, & odor oris tui sicut malorum, & guttur tuum sicut vinum optimum, dignum dilecto meo ad potandum, labijsque & dentibus illius ad ruminandum.* Quæ etiam à puellis sponsæ comitibus finguntur dici, eisque explicare quanto eius potiundæ desiderio tenerentur. Nam his Spiritus sanctus declarat, non solùm in quantam sui admirationem Ecclesia homines adduxerit illo, quod diximus tempore, sed etiam quanto studio omnes se illi aggregare, & eius bonorum participes fieri contenderint, id est, declarat, concursus ex omnibus orbis partibus factos ad Ecclesiam. Qua de re extant, vatui illustres vaticinationes. Esaias gentes Ecclesiã ingredi festinãtes, seq; mutuò ad id cohortãtes inducit, quà dicit. Et erit in nouissimis diebus præparatus mõs domus Domini in vertice montiũ, & eleuabitur super omnes colles, & fluẽt ad eum omnes gẽtes, & ibunt populi multi, & dicẽt. Venite, ascẽdamus ad mõtẽ Dñi, & ad domũ Dei Iacob, & docebit nos vias suas, & ambulabimus in semitis eius. Et rursus. Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui. Leua in circuitu oculos tuos, & vide, omnes isti congregati sunt, venerunt tibi, &

Esai.2.

Esai.60.

& permulta similia alijs in locis. Sequitur. *Ego dilecto meo, & ad me conuersio eius*. Hæc sponsa quibus à suis laudata cum esset ostendit, se ijs laudibus minime efferri. Nam ad sponsum conuersa suum in eius amore acquiescit, ac de eo vno sibi placet, ac ferè ita dicit. Vtrùm talis sim, qualem me esse dicitis, nescio, nec de eo multùm laboro, hoc vnum scio, nos inter nos amare mutuò, & quæ prædicatione ac laude digna in me sunt, si quæ sunt, ex eo quòd ab illo amer, habere me. Nam sine dubio omnis illa copia maximorum bonorum, quibus Ecclesia Euangelica modò dicta est abundare, ex ista Dei ad ipsam conuersione, id est, amore & fauore manabat. Itaque Ecclesia his verbis fontem suæ fœlicitatis demonstrat, ac simul, mihi vt videtur, prædicit instare tempus, quando inimicorum suorum sedata rabie, & persequutoribus sublatis, & Romanis principibus ad Christum conuersis, pace & tranquillitate cum magna Christiani nominis fruatur gloria. Nam dicit, credo vos ista ex animo, at non deerũt, quibus contra, quòd me multi oppugnant, ac circum obsident, despicabilis videar. Sed vt varient hominum de me iudicia, tamen satis ipsa habeo, quòd ego dilecti mei sum, id est, sum in eius tutela: itaque se aliquando conuertet, ac me qualis vobis videor, talis vt cunctis appeream, efficiet. Interim tamen dùm ista perficiuntur, quòd conspectum hominum declinare vellet, id est, cuperet Ecclesia turbas contradicentium effugere, & remoto ab arbitris loco suis amoribus per ocium vacare, id desiderium vt explicet, quæ sequuntur subiungit. *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis, mane surgamus ad vineas. Videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiũt, si floruerũt mala punica, ibi dabo tibi vbera mea, Mãdragoræ dederunt odorem suũ in portis nostris omnia poma nouа*

& vetera dilecte mi seruaui tibi. Nam sub imagine sponsæ, quæ publicum fugiens, ad secreta & amœna agri loca virum suum vocat, & quo magis illi suadeat vitæ rusticæ delicias ipsi ante oculos ponit, inducitur hic Euangelica Ecclesia vrbes fugiendi cupida, ad deserta eremi loca Christum inuitans. Quod profecto ipsi accidit à morte Christi anno ferè ducentissimo quando cũ fidelium numerus in ea permultum augeretur, eorum plurimi imperatorum qui Christiano nomini infensi erant, edicta atque gladios declinantes, vrbibus relictis ac terræ bonis spretis, se in desertis abdiderunt locis, monasticam instituentes & frequentantes vitam. Nam ex illo præcipuè tempore, monachorum cæleste viuendi genu, frequentari cœptum est in Ecclesia. Eorum igitur ex persona nunc dicitur. *Veni dilecte mi egrediamur in agrum*. Nam ij vnum Christum complexi ac nullam cæterarum rerum rationem habentes, ad deserta profecti loca in speluncis & in terrę cauernis abdentes se se, nõ magis ab oculis quam ab animo remouerunt humana omnia, nec solum studium bonorum terræ abiecerunt, sed præcipuè in studio cælestis pietatis vigilarunt, quod eos ad id Christi amor maximus iugiter excitaret. Quare addunt. *Mane surgamus ad vineas, videamus si floruit vinea, si flores fructus parturiunt*. Diem enim cum nocte in oratione iungentes ieiunijsque, & rerum diuinarum meditationibus semper intenti, omnis eorum cura versabatur: tũ in se rẽdo cælestibus seminibus cordis sui agro, tũ in vidẽdo, vtrùm ritè germinarent quæ tanta cura seuissent, semina. Hoc est auebant cognoscere, vtrùm in rectissimis studijs & institutis suis quidquam proficerent. Ex quo vasta illa & inculta eremi loca isto cælesti satu reddita sunt culta & illustria. Qua de re aliquando Hieronymus, ò desertum Christi floribus vernans. Et certe nõ incõmodè re-

Esai.35. feratur ad istaEcclesiæ tẽpora illa Esaiæ vaticinatio quà dicit. Lætabitur deserta, & inuia, & exultabit solitudo, & florebit sicut liliũ: germinãs germinabit, & exultabit lætabũda & laudãs, gloria Libani data est ei, decor Carmeli & Saron: ipsi viderunt gloriam Domini & decorem Dei nostri. Nam & hoc est, quòd figuratè subijcitur. *Ibi dabo tibi Vbera mea*, aut, vt ex Hebræo alij *amores meos*. Quia curis vacui, & à cupiditatum maculis atque sordibus puri, & defixi in vna contemplatione Dei, in amore eius totam vitam ducebant. Quod autem ad extremum inferunt. *In portis nostris omnia poma noua & vetera dilecte mi seruauit tibi*. In eo significant illam virtutem inesse sibi, quæ eius generis hominum, id est, perfectorum atque monachorum est propria, quam nostri abnegationem sui & resignationem vocant, quòd ea efficiatur, vt exuamus ipsi nosmet, & in Dei potestate omnia nostra ponamus, nulliq́ue rei ad animũ accessum demus præterquam Deo.

CAPVT VIII.

QVIS mihi det te fratrem meum sugentem Vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deosculer, & iam me nemo despiciat. Apprehendam te, & ducam in domum matris meæ, ibi me docebis, & dabo tibi poculum ex vino condito, & mustum malorum granatorum meorum. Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Adiuro vos filiæ Hierusalem, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit. Quæ est ista, quæ ascendit de deserto delicijs affluens, innixa super dilectum; sub arbore malo suscitaui te, ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua. Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum, quia fortis est vt mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio, lampades eius sicut lampades ignis atque flammarum.

Aquæ

Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, neque flumina obruent illam: si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione, quasi nihil despiciet eam. Soror nostra parvula est, & Vbera non habet quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est? Si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea: si ostium est, cõpingamus illud tabulis Cedrinis. Ego murus, & Vbera mea sicut turris, ex quo facta sum coram eo quasi pacem reperiens. Vinea fuit pacifico in ea quæ habet populos: tradidit eam custodibus, vir affert pro fructu eius mille argẽteos. Vinea mea coram me est, mille tui pacifice, & ducenti ijs qui custodiunt fructus eius. Quæ habitas in hortis amici auscultant, fac me audire Vocem tuam. Fuge dilecte mi, & assimilare capreæ, hinnuloque ceruorum super montes aromatum.

PRIMA EXPLANATIO.

QVanquam hæc capitum notis separantur, tamen non à nouo capite oratio ducitur, sed est cum superiore oratione coniuncta atque continens. Reddit enim hîc sponsa causam, propterquam ruri permanere vnà cum sponso tantoperè cupiat, quod proximè superiori capite dixerat se velle atque cupere. Nam dicit se ad eam amoris magnitudinem iam peruenisse, pati vt nullo modo possit sibi vllum amore, & complexibus vacuum præterire tempus. Quare qua libertate puellæ fratres suos germanos & infantes humeris palam circumgestant, & amplexu atque osculo fouent, quam illis copiam atque facultatem tribuit ipsa germanitas, fratrumque ipsorum puerilis ætas: item sibi in votis esse ait domi, foriſque illius semper hærere lateri, semperque ex ipsius ore dulcia oscula legere cunctis, qui id viderint, non solùm non reprehendentibus, aut turpe

ducentibus,sed fauentibus potiùs,& approbantibus. At id quoniam neque pudor patitur, neque mos permittit luce palam in vrbe fieri, quoniamque ipsa hominum societas multas quotidie affert causas,quæ amantibus, quominus continenter,sineque interpellatione se ament, solent esse impedimento: fatetur idcircò ruris ac vitæ rusticæ libertatis studio teneri se & eam ob causam in rus vocasse virum suum *Quis mihi te det*,inquit,*fratrem meum sugentem vbera matris meæ,vt inueniam te foris,& deosculer, & iam nemo me contemnat*.Idque dicit,nõ tam interrogans alium, quam exoptans.Nam Hebraicus sermo hoc potissimum loquendi modo in optando vti solet.Optat autem quid? Vti illo vt fratre minimo,atque pusione. Cuius verò causa? Nullus vt se pudor, aut honestatis, & hominum iudiciorum respectus à deosculando prohibeat Ar prohiberi se atque impediri,cur molestè fert ? Quia gradibus iam ad summũ amorẽ ascẽdit,& quia infinitũ est quod amat, vni amori vacare studet.Sed cur hîc potissimũ ista cõmorat?Quia reddere causam vult, quare,quod statim superiùs dixit,cuperet hominum cœtus,atque vrbes fugere,quòd sibi,scilicèt,hunc amoris perpetuũ vsum, atque fructũ eriperent. *Quis mihi te det fratrem meum sugentem vbera matris meæ*?Id autẽ est,vt quod attinet ad amori, atq; oculis vacandi libertatem,te perindè vti possim, tanquam puero,ac mihi ipsi fratre germano, & vt quomodo cum illis agitur.*Inueniam te foris & deosculer*.Id est,vt quamuis te foris inueniam,in media via atque in ipsa publica luce liberum mihi sit in tuos amplexus ruere, teque deosculari. *Et iam nemo me despiciat*. Nemo inquam mihi id probro, ac vitio vertat, & in metaphora cœpta persistens adiungit. *Apprehendam te,& introducam te in domum genitricis meæ*. Sic enim pueros sorores puellę,si quãdo eos in via reperiunt, lætæ & festinæ arctè cõplectuntur,atque dissuauiantur, in do-

domumque deducunt. Et in metaphora adhuc perseuerans. *Ibi me docebis*: Quia cum deducũt sorores puellæ pueros fratres germanos domum,quid egerint, quove abierint,ipsos rogãt:ad quæ illi, ne rogati quidem,vt sunt pueri garruli,& ad loquendum prompti,balbutientes respondent: ac mira gratia cuncta miscent, atque confundunt, sibique ipsi in loquendo instant Quorum illæ singula verba,& risu,& osculo excipiunt:tum illis pemmata dant,atque mellina, & illi ætati aptos eiusmodi prædulces cibos. Vnde sequitur. *Et dabo tibi poculum ex vino condito, & mustum malorum granatorum meorum*. Poculum ex vino condito meliceratũ credo intelligit, cuius vsus erat in delicijs. Hæc igitur illa cum diceret,atque optaret, quæ tamen nullo modo,aut certè difficilè fieri posse videbat,tum desiderij magnitudine,tum desideratæ rei difficultatis cognitione, atque adeo fœminei sexus imbecillitate animo victa defecisse dicitur,iamque deficiẽs opis implorandæ causa dixisse. *Læua eius sub capite meo,& dextera illius amplexabitur me*. Nam implorantis opem ista verba sunt,quamuis futuri temporis voce prolata. Petens igitur,se vt collabentem manu & amplexu fulciret, exanimata corruit. Ipsam porrò collapsam,& ex deliquio somno oppressam sponsus, quod ex oratione eius,quæ sequitur,intelligitur,molliter in lectulo collocasse fingitur,& silentium fieri imperasse. *Adiuro*, inquit,*vos filiæ Hierusalem,ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit*. Qua de adiuratione iam superiùs, quod satis esse possit,dictum videtur.Hæc igitur cum gesta essent, iamque à scena discessissent, rursus eodem redeunt, aut certè à Solomone quasi redierint, inducuntur postremum huius carminis actum peracturi. Inducuntur verò è agro redeuntes,atque ascendentes,mutuoque inter se complexi. Ascendentes autem dico, quia vt ante diximus, huius dramatis scena ponitur Hierosolymis vrbe

loco edito, atque sublimi posita. Horũ ergo redeuntiũ, in scenamq; introeuntiũ primo aspectu fœminarũ chorus commotus, & quòd perfamiliariter inuicem amplexi in scenam introirent, admirans in hæc verba prorupit. *Quæ est ista quæ ascendit de deserto innixa super dilectum?* Et certè hoc sibi per omnes homines licere sponsa paulò ante optabat: non licere autẽ, ægrè & dolenter ferebat, vsque eo, vt animo defeciſſe dicta sit, quod suo desiderio publicus mos obstaret. Quid igitur causę est, quare nũc spreto timore, & hominũ existimationis, ac publici moris nulla ratione habita, innixa super dilectũ, in publicũ prodire audeat: idq; veluti suo iure vsurpet sibi, quod ei nemo vnquã quidem concederet? Est hoc ita natura cõparatum, vt qui aliquando acerba, ac luctuosa aliqua re obiecta, mœroris magnitudine oppressi vel exanimati conciderunt, vel in insaniã versi sunt, ijdem postea luce menti reddita, recuperataque salute, sensu penè omni earum ipsarum rerum, quarũ primo incursu tam grauiter læsi sunt, extincto & amisso, eas non ampliùs reformident, ac vereantur. Vt si quis, exẽpli causa, in honore & existimatione, graui aliqua acceptа ignominia læsus, ob eam causam insanus ex dolore effectus sit: idem postea sanitati restitutus idem illud malum, quod tam illi graue, atque intolerabile antea videbatur, non modo leuissimè iam fert, sed etiam pro nihilo ducit. Etenim atrocitas ipsa mali, magnitudoque doloris in animum irruens, ipsumque opprimens, deinceps dolendi ex eo, atque mœrendi omnem facultatem, atque sensum eximit. Quod idem corpori accidit. Visu enim audituve, aut nimia luce, aut immodico sono obrutis, hoc est, ijs ipsis rebus, in quibus proprium est eorum, & naturale bonum positum, cum modum excesserunt offensis, ita sæpè afficimur, vt visentiendi obstupefacta, aut extincta, oculis, auribusque apertis & integris,

gris, neque audiamus ipsi, neque videamus. Quod intuẽs Solomon (nihil enim ab eo positum est in hoc Carmine, quod non ab ipsa natura rerum ductum fuerit & expressum) itaque id intuens, atque obseruans, quoniam sponsam primò induxerat grauiter dolentem, quod hominũ existimationis metu impediretur, & palam, & passim spõso suo frui: quoniamque ex dolore in animi deliquiũ inciderat: eandem post deliquium viribus recuperatis inducit palam incumbentem viro suo, ipsumque complexam, ac nihil minus quam hominum oculos aut iudicia curantẽ. Ex quo etiam hominum existimationis, & iudiciorum contempru est, quod fœminarum choro rei nouitatem admiranti, illaque superiora dicenti. *Quæ est ista quæ ascendit innixa super dilectum?* nihil ipsa respondit, sed ad suum virũ cõuersa. *Sub arbore*, inquit, *malo excitauite, ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua* Aut, quomodo haud dissimili sententia ex Hebræo ad verbum in Latinũ conuersum legimus. *Ibi peperit te mater tua, ibi peperit quæ genuit te.* Quibus verbis hoc profectò dicit meminisse se nunc illius diei, quo die primum in illum sub malo iacentem ipsa ruri errans casu cum incidisset, visaque nec opinato ab ipso esset, amari ab eo cœpta est. Qua sub malo, inquit, mater tua, vt fama est, compressa olim fuerat, & grauida effecta: vel certè ediderat te illa sub ista arbore, quemadmodum fereba tur. Dicit porrò hæc sponsa, aut certè dixisse fingitur à Solomone pro amantium ingenio, atque consuetudine aptissimè & conuenientissimè. Nam qui amant, omnium eorum, quæ in amore illis vnquam contigerunt, actionum, scilicet, omnium suarum, & dictorum tanquam historiam propositam semper ante oculos habent: nullaque de re, aut cogitant sæpiùs, aut libentiùs loquuntur, quam de suis præteritis voluptatibus, easque effluere, aut sibi ex animo elabi, sæpiùs memorando non sinunt,

neque

neque solùm singuli secum,sed vterque inter se ista conferunt,deque his mutuò colloquuntur,nullo sæpè, aut rerũ aut temporum seruato ordine:sed pro re nata,aut pro eo, quod illorum animi libido fert, vt quidque illis primum se offert,vt que est illis quidque ad commemorandum dulcissimum,ita planè referunt. Sæpèque illud euenit,vt cum ad exitum,aut certè ad aliquem amorum suorum statum, vel miserum, vel fœlicem peruenerunt, commemorare gaudeant principia amoris sui ea, à quibus exorsi ad eum fœlicitatis,aut miseriarum gradũ peruenerint. Sic ille Virgilianus pastor tandem indigno Nisæ deceptus amore,inter alia.

Sepibus in nostris paruam te roscida mala,
Dux ego vester eram,vidi cum matre legentem.
Vix fragiles poteram à terra contingere ramos
Alter ab vndecimo tum me cum ceperat annus,
Vt vidi,vt perij,vt me malus abstulit error.

Sic hoc loco aptè,vt cætera Solomon,sponsam,quæ consequuta iam fuerat, ipsam vt suus vir summo amore diligeret,nunc inducit commemorantẽ prima exordia amoris sui. Itaque dicentem. *Sub arbore malo suscitaui te, ibi corrupta est mater tua.* Nam cum ipsa secum,& cum animo suo quãtum amaretur à viro suo cogitaret,ipsa rei adeptæ magnitudinis cogitatio,naturæ quodam cursu, retrò mentẽ illius & animum reuocauit, ad ea scilicet, cogitanda, ex quibus ista manarunt: eademque effecit,vt omnia illa, vel tempora, vel loca, quæ ipsi, vel causam attulerunt amandi,vel quouis modo suffragata sunt in amore grata, & recordatione & oratione prosequeretur. *Sub arbore malo suscitauite.* Rectè id & κατὰ τὸ πρέπον Nam fœdera amorum pastores sæpè feriunt in syluis,ibidemque pastores fœminæ fœtus suos plurimum edunt. Sequitur. *Pone me vt signaculum super cor tuum,vt signaculum super brachium tuum,quia fortis est,vt*

est,vt mors dilectio,& sicut infernus æmulatio. Lãpades eius lãpades ignis,atque flammarũ,aquæ multæ non potuerũt extinguere charitatem,nec flumina obruent illam:si dederit homo omnem substãtiam domus suæ pro dilectione,quasi nihil despiciet eam. His verbis sponsus gaudio se atque lætitia efferentem,sponsam monet,ne quid suo erga ipsam amore indignum aliquando committat. Nam cum omnis offensa in amore permolesta est ijs qui inter se amant, tum illæ molestissimæ quæ intercedunt,postea quam vterque alteri sui copiam fecerunt. Quare amandi leges sponsus præscribit sponsæ, hoc potissimum loco atque tempore,quando,vt ex superioribus constat,ipsorum mutuus amor ad summum peruenerat. *Pone me,* inquit,*vt signaculum super cor tuum.* Si enim, ait, meus erga te amor,pro eo ac debet charus tibi, atque gratus est,caueto,ne labe aliqua fidem, qua mihi es obstricta commacules,aut amorem imminuas, quo me hactenus es prosequuta. Volo vt me semper gestes in oculis: vt de me vno cogites,exigo: quoque modo quis annulum signatorium inserit digitis,quos quisque in se,& facillimè,& sepissimè videt,eodem modo, me tibi esse propositum cupio. Etenim, amo te ardentissima charitate quam plurimum. Amore verò eiusmodi,vt nihil est vehemẽtius, ita nihil est ad quamuis minimas offensiones magis irritabile. Irritatus porrò gignit suspiciones grauissimas, quo nullum est malum dirius,ipse adeò vt infernus, ipsaque mors præ eis floccifaciẽda sit. Non enim igniti carbones sic corpus vrunt,atque illæ animum ægritudine, atque cura conficiunt. Sed conficiunt animum: amorem autem ipsum accendunt. Accidit que hoc per admirabile, vt amori suspicio addita ea,quæ maxima pestis amoris est,ipsum non modo non extinguat, sed etiam supra modum accendat & augeat, tantumque & talem efficiat, vt ne si flumina vniuersa, ipsumque in eum infundas mare ardorem eius extin-

extinguas,aut te in libertatem vindicare valeas,vel periculo omnium fortunarum tuarum Has igitur sponsus leges cum sponsæ tulisset,illa dum tacet probare eas, & sibi imponi placere indicat:& reticēs isto propè modo loquitur. Hoc mihi curæ erit,intelligo enim in eo omnes spes, omnesque fortunas meas versari. At tu vicissim sororem meā curato,cuius me imbecillitas,ac solitudo sollicitat. Nam, vt vides,neque forma satis,neque compositione mēbrorum corporis præstat:itaque aliquid consilij atque rationis ineamus necesse est, quo illam in matrimonium collocemus. *Soror*,inquit,*nostra paruula est,& vbera non habet :Quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est* Id est, soror est mihi exiguo & perpusillo corpore,& quod deforme in fœmina habetur,depresso pectore & vberibus: quare prouideamus oporter,quid facto opus sit in die quando alloquenda est:vel vt in Hebræo dicitur quando de ea multū, & sæpè loquendum est:id autem est cum de illa collocanda agetur. Tunc enim vtriusque coniugis parentes multa inter se agunt,& ab vtroque ad alterum multi vltro, citroque commeant,ijsdem de rebus acturi. Intulit autem Solomon hunc sermonem, hoc loco imitatus communem vitæ morem. Solent enim nouæ nuptæ, posteaquam ex animi ipsarum sententia viris nupserunt, altero, aut tertio à nuptijs die,dum calet adhuc lætitia, & nuptiarum celebritas: tunc enim facillimè, quemadmodum vsu venire videmus, inducuntur parentes ad nuptui tradendos reliquos, si quos habent, filios: itaque in ipsis nuptiarum festis diebus solent nouæ nuptæ, si quas habent sorores natu minores,vel ipsis audientibus,sermones,quosdam iacere de earum collocatione & futuro matrimonio: vel quia sua iam sorte contentæ, sororum eas cura sollicitat,vel certè ratæ,id quod sæpè euenit,ipsas natu minores sorores inuidentia & cura morderi. Est enim id genus

nus in hac præcipuè re maximè inuidum. Itaque affici tacita inuidentia quadam ob fœlicitatem ipsarum, sibique similem aliquam fortunam optare opinantur. Quare quo illis ex animo huiusmodi curam atque molestiam eximāt, natu maiores sorores, eos, quos dixi sermones,iaciunt,ac similia loquuntur. *Soror nostra paruula est, & vbera non habet, quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est.* Sequitur. *Si murus est,ædificemus super eum propugnacula argentea : si ostium est,compingamus illud tabulis Cedrinis.* Quod vel sponsa ipsa dixit,vel sponsus roganti spōsæ respondit:eius autē re sponsi hæc sentētia est,vt corporis ista vitia, arte corrigāt, & quod illi minus à natura tributū est,ipsi suppleant, vestitus,atque ornamentorū exquisito aliquo genere. Quemadmodum si quis vetustos vrbis muros reficiēs, eis turres atque pinnas addat auro illusas,aut egregia aliqua pictura ornatas,aut si quis ianuæ fores vestiat tabulis cedrinis Et quoniam hæc loquens sponsa animaduertit, sibi sua pulchritudine satis cōmendatæ,opus non fuisse aliundè ascitis ornamentis ornari, placuisseque ipsam viro suo nullo adhibito exquisito cultu, de eo sibi ipsa quodāmodo gratulatur,ac subijcit. *Ego murus,& vbera mea sicut turris, ex quo facta sum corā eo,quasi pacem reperiens.* Quibus significat. Pro muro,& pro turribus argenteis,hoc est,pro aduentitijs & exquisitis ornamētis suam sibi pulchritudinem fuisse: aut certè tantum fuisse viri sui erga ipsam amorem, & animi inductionem, vt quæ sibi minus inerant bona, inesse tamen viderentur illi præ amore. Sed de sororis suæ collocatione posteaquam dixit, iam quiddam adiungit, quod ad rem suam familiarem pertineat. *Vinea*, inquit, *fuit pacifico in ea quæ habet populos : tradidit eam custodibus, vir affert pro fructu eius mille argenteos. Vinea mea coram me est, mille tibi pacifice, & ducenti ijs qui custodiunt fructum eius.* Nam solent nouæ nuptæ, (est enim hoc, vt cætera omnia

ex

ex media vitæ consuetudine ductum & expressum.) Itaque nouæ nuptæ solent, præsertim eæ quibus res familiaris angusta est, est autem angustior ferè omnibus ijs, qui antequam paternam hæreditatem adirent, nupserunt: ergo illæ statim cum viris suis, vt suam illis curam probent, solent agere de facultatibus suis, quo illas modo amplificare possint, quem in cultu, atque victu sint adhibituri modum, quaque ratione pro suo censu vitam instituturi. Vnde sponsa nunc, etsi, inquit, nobis minus lauta res familiaris est, tamen non est ita angusta, quin suppeditare nostris sumptibus possit. Nam, si Solomoni vinea ea, quā habet, nō procul à nostra vinea in eodē vineto, reddit millenos aureos in singulos annos, & præterea alios ducenos ijs, quorum custodiæ illam commisit: profectò par est, nos è nostra vinea, quæ ipsa à nobis colitur, quæque nobis solis tota fructificat vberiores redditus percepturos. Atq; hæc est plana horum sententia verborum: inest tamen in ipsis verbis obscuritatis nonnihil Itaque ea illustremus necesse est. *Vinea fuit pacifico.* Id est, Solomoni. *in ea quæ habet populos.* Hebraicè בעלהמון Baal Hamon, quod ad verbum dominium, aut possessionem populorum significat. Videtur autem esse nomen vineti, ex eo sic dicti, quod plurimorū, ac maximè partis populi vineæ in eo essent. *tradidit eā custodibus*, id est, locauit colonis & vinitoribus, *vt affert pro fructu eius mille argenteos*, id est, quisque, Hebraica phrasi, itaque coloni singuli mille argēteos quotānis Solomoni pensitant. At, *vinea mea coram me est, mille tibi pacifice & ducenti ijs, qui custodiunt fructus eius.* Argumentatur à minori, ac positis conclusionis principijs reticet, quod ex ipsis sequitur. Additq; ellipsin, ac recti sermonis inuersionem. Constabit autem integrè, & oratio, & conclusio isto modo. Ex redditibus vineæ tuæ mille nummi tibi cedunt, Solomon, & ducenti ijs, qui custodiunt fructum eius, vinea autem mea coram me.

me est. Id est, mea industria atque opera custoditur, & colitur: nihilque ex eius fructu, aut cultor, aut custos decerpit. Igitur maiores nos ex ea percipiemus prouentus, quā percipit ex sua Solomō. Prætermittit autē dicere id, quod ei, qui cū loquebatur, erat notū, & erat ad conclusionem efficiendam necessarium, suam vineam, neque numero, neque genere vitium cedere Solomonis vineæ. Quæ cum illa dixisset, cūq; his dictis videretur omnis ista actio concludi, pro valete & plaudite, Solomon clausulā addidit superioribus consentaneam. Nam facit sponsum hortatem sponsam suā, vt recinat aliquid, quod & ipsi voluptati sit, & riuales atque procos eos, si qui erant, quos ipsorum inter se mutuus amor offenderet, mordeat, atque perurat. Hortatur autem his verbis. *Tu quæ es in hortis amici auscultāt, fac me audire vocem tuam.* Vocat autem amicos eiusdem instituti socios suos, pastores, scilicèt, reliquos, è quibus non nullos habebat æmulos amorum suorum. Igitur, inquit, quoniam illi te auscultant. *Fac me audire vocem tuam.* Hoc est, illis audientibus, fac vt ego te audiam canentē aliquid, quod mutuum amorem nostrum testetur. Cui illa obtemperans è vestigio. *Fuge*, inquit, *dilecte mi, similis esto caprex, hinnuloque ceruorum super montes aromatum.* Fuge, id est festina, ex proprietate sermonis Hebræorum, apud quos receptū est, vt alia verba pro alijs ponantur, cum res significant, aut actiones affines aut coniunctas, aut quarum vna ex alia sequi solet. Sic consolari dicūr pro dolere: quoniam ijs qui dolent, consolatio adhibetur: vt in Esaiæ illo. Ego consolabor de hostibus meis. Sic mentiri pro subijcere se victori: quoniam qui se ita subiiciunt adulantes multa mentiuntur. Quale est illud Psalmi: Mentientur tibi inimici tui. Itemque illud: Filij alieni mentiti sunt mihi Sic etiam fugere, pro festinare: quoniā, qui fugiunt, festinant maximè. Ergo optat, idq; se optare cantu testatur, vt quādo domo

Esai. c. 1.

Psal. 65.

Psal. 17.

ipsum abesse contigerit, maturet reditū sponsus: & quanta celeritate hinnuli fugam arripiunt, tanta in redeundo vtatur ipse, id est, quanta potest maxima. Quæ dum optat, satis testatur à se ita ipsum amari, vt ne ad punctum temporis velit diu elli ab eo. Qua attestatione & professione amoris sui, neque sponso ipsi quidquam gratius accidere potuit, neque pastoribus riualibus dirius atque molestius. Sed rursus à principio hoc ipsum caput exponere ordiamur.

ALTERA EXPLANATIO.

VIS mihi te dare fratrem meum sugentē vbera matris meæ, vt inueniam te foris, & deosculer, & iam nemo me contemnat. Desiderant hoc loco in persona spōsę perfecti, vel certè dū desiderare dicūtur, quid illa amoris perfectione prædi ti homines desiderare debeāt, admonētur, aut potiùs, vt id quod res est, semel dicamus, ista desiderij indicatrice oratione, quid illi efficiant, quo vè modo se in amore gerant, explicatur. Itaq; desiderant sibi vt iam per omnes homines liceat omni tempore, atque loco palā amare Deū: hoc est, non solùm tacitè secum de Deo agere, sed apud omnes se illius amatores esse profiteri, eaque sola semper moliri, quibus hic suus amor testatior & illustrior efficiatur: siue illa homines probent siue quod sæpè cōtingit, irrideant, variè q; interpretentur. Etenim plurimę sunt aduersus Dei sanctissimas, & æquissimas leges inductæ in vitā hominū & praua viuendi cōsuetudine corroboratæ sentētiæ, quas boni odio prosequuntur: perfecti verò in amore Dei & virtute præstātes viri palam negligunt, atque despiciunt. Ipsa enim illos magnitudo charitatis, qua feruent, in sublime efferens, superiores ipsos facit, non solùm corporis sui, eiusque cupiditatū, sed etiam populi iudiciorum atq; sermonum; eademque tribuit

buit ipsis iustam, & excellenti virtuti licentiam debitā, cūcta semper suo arbitratu, & agendi, & dicēdi. Itaque quod hîc figuratè describitur, quoad rerum natura patitur, ipsi faciunt atque imitantur: cum Christo, tanquam cum fratre germano in oculis omnium dulcissimè & coniunctissimè viuunt, neque quid de se alij iudicent, curant: imò cōstātia, & libertate in amando, ipsaque tandē veritate assequuntur, vt qui illorū amoribus antea obtrectabant, iam ipsi sibi displiceant, illosque admirētur: oraq; sua impia à detrahendo & obloquendo ad laudandū & celebrādum conuertant, dicantq;, & prædicent, illos esse Deo similes in quo minime certe fallūtur. Sic enim censendum est, qui ad hanc magnitudinē peruenerunt amoris, quique id iam assequuti sunt, vt spiritu & veritate Deum colentes, nulla aut rerum humanarum, aut hominum iudiciorū ratione habita, & priuatim, & publicè in Dei amore occupentur, eos fratres Christi germanos esse, ac proindè Dei filios prędicari & haberi, vt disertè Paulus testatur de hoc genere ad Romanos scribens. Qui spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt. Verum enim verò, quamuis nulla res sit, quæ istiusmodi homines arcere, aut submouere queat ab assidua charitate, & meditatione Dei: quamuisque vel in medijs vrbibus, medijsq; hominū cœtibus otiū sibi ad vacandum Deo, & locum vacuum constituant, vt potè, qui ipsi secum circumferant altam quandam quietem, ac omniū earum rerum, quæ perturbare animum possint solitudinem: tamen quando cumque illis facultas datur, vitandi atque fugiendi cœtus hominum, à quibus ipsi semper animo absunt, id illis gratissimum accidit: facultatemque eā amandi Deum, amore non solùm non interrupto, sed ne interpellato quidem, sibi oblatam cupidissimè amplectuntur. Itaque quod in ipsis est, vrbes fugiunt, solitudines amant, desertisque & ab hominum con-

greſſu remotis locis, vt alijs quidem videntur ſoli, at vt ſe habet ipſa res, magnis diuinarum & cæleſtiū rerum gregibus ſtipati, ætatem in amore dulciſsimo degunt. Quare cum ſoli ſunt holocauſtum ex ſe Deo integrè offerunt, tradunt q; ſe charitati ſuper arā totos penitùs inflāmandos. Cum autē in vrbibus & inter homines verſantur, idē quidem illi ſacrificiū perficiunt: ſed dū timent, ne quid ſibi ab hominibus obijciatur, quod ipſis modo aliquo ſit impedimento, quominus integrè & perfectè id holocauſtū Deo offerant, excitati atque commoti ab eo ipſo deſiderio inhærendi ſemper Deo, quod in ipſorum animis continēter verſatur, iſta ſæpiùs loquuntur atque iterant. *Quis det te mihi fratrem meum ſugentem vbera matris meæ, vt inueniam te foris.* Atqui Dei natura intus, extra que omnem mundum complexa non modo fouet ipſum, atque continet, & cum vniuerſas, tum ſingulas illius partes regit, atque temperat: ſed ineſt in earum vnaquaque & emittit ex ea, atque vibrat, tā quam radios, claras quaſdam & illuſtres ſuę diuinitatis ſpecies. Sed quamuis inſit, atque eluceat Deus in vniuerſi natura: tamen quoniam ea nullo modo tanta eſt, vt continere ipſum quantus eſt poſsit, aut vllo ſuo bono Dei omnē perfectionem, atque bonum exprimere: idcircò, qui ex rerum naturæ inſpectione gradū ſibi ad aſcendēdū ad Dei contemplationem & amorem conſtituunt, non ſolùm cognitionem de Deo habēt imperfectam, & ab eo quod res eſt, multum diſtantem, ſed etiam quod in rebus creatis & viſibilibus inſiſtunt, & in eis perſcrutandis & inſpiciendis morantur, periculum interdum adeunt inhærendi tanquam in viſco, ſic in amore earundem. Quam ob cauſam viri perfecti, qui omnes iſtas perueniendi ad cognitionem, & charitatem Dei exploraue-runt iam, & obierunt vias impetrare à ſe, vel ab eo amore potiùs, qui ardentiſsimus erga Deum in ipſorum animis

mis dominatur ac regnat, non poſſunt, vt hac imagine Dei, quæ ad ipſorum oculos ex mundi ornatu, & ad eorūdem animos ex fidei doctrina confluit, ad cognoſcēdum contenti, nihil aliud præterea requirant. Sed quo magis profecerunt in amore, quoq; ſunt magis perfecti, eo auēt magis, auent dixi? eſtuant potiùs deſiderio atq; afflictātur, ita, vt niſi re adepta nō conquieſcant, videre ipſum per ſe Deū. Id autem eſt, quod in hoc carmine dicitur *foris*, hoc eſt, non in rerum vniuerſitate veluti incluſum, ſed extra hunc mūdi ambitū, ſupraque æthereos omnes orbes dominantē in cūctis, & præſidētē rebus, nuda facie, & vt Paulus ſcripſit, reuelata, ipſum videre: & in eandem imaginē transformari. Quod profectò continget illis cum ab hac vita, quæ cum morte atque miſeria omnia habet communia, demigrarint, & in puriſsimis cæli regionibus vitā vixerint immortalem, atque beatam. Quod cum euenerit, illud etiā eueniet, quod ſequitur. *Et iam nemo me contemnet.* Nam de illa beata futura vita eſt, quod Paulus ad Coloſſenſes ſcripſit: Cum Chriſtus apparuerit, vita noſtra, & vos apparebitis cum ipſo in gloria Ad hæc verò mortalis vitæ tempora pertinet, quod idem ad Romanos ſcribens, Omnia, dixit, ſubiecta eſſe vanitati. Vanitatem autē cum nominat Hebraica proprietate, corruptionem, inſtabilitatē, viceſque fortunæ alternas, & vitæ caſus acerbos, & luctuoſos intelligit. Quæ cum omnibus qui in hoc ſalo iactamur, communia ſunt: tum neſcio quomodo maiore impetu, ac magis infeſto agmine in bonos inuadunt: ita vt, quod ad eum fructum attinet, qui è terrenis bonis percipitur, illi ferè ſemper omnium miſerrimi, & deſpicatiſsimi fuerint, quemadmodū pro certo Paulus ſcripſit. Nam ſi in hac vita tantùm in Chriſto ſperantes ſumus, miſerabiliores ſumus omnibus hominibus. Et alio in loco ipſum tanquam agmen malorum infeſtum bonis producens,

2. Cor. 3.

Coloſſ. 3.

Rom. 8.

1. Cor. 15.

atque explicans. Sancti,inquit, ludibria & verbera experti,insuper & vincula, & carceres lapidati sunt, secti sunt, *Hebr.11.* tentati sunt, in occisione gladij mortui sunt: circuierunt in melotis, in pellibus caprinis egentes, angustiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus. Itaque in hac vita boni mille modis contemptui habentur, at contemnet illos nemo,imò potiùs omnes admirabuntur, & beatos prædicabunt cum immortalitatē adepti,claraq́;luce fulgētes,& quod caput bonorū est cum Christo ipsorū capite, amoris atque eiusdem spiritus fœdere,nullo vnquam tempore dirimendo,colligati,atque coniuncti, omnibus impijs, atque bonorum inimicis sempiterna pœna affectis in lætitia diuina,in infinita cælestium bonorum copia, in claritudine,in regno fœliciſsimum æuum ducent temporibus sempiternis.Opportunè autē ista cōmemorata sunt à Solomone hoc potiſsimum loco Nam tametsi vitā hāc mortalem cum immortalitate commutare omnes cupiamus:tamen perfecti viri sunt, qui propriè cum Paulo di-*Philip.1.* cunt:Desiderium habens dissolui,& esse cum Christo. Et certè per omnes amoris diuini gradus ad summum euecto homini quid restabat aliud,nisi,vt id desiderare se diceret,cuius vnius cōsequendi causa tantos à principio suscepisset labores?Hoc est,vt optaret foris,id est, extra corporis huius custodiam,& terræ tenebrosa loca inuentum videre Deum, in quo vno pietatis præmium collocatū est, & beata vita. Id enim certè Paulus,vt potè, qui perfectus planè in amore esset, cum ad metam peruenisset sui cursus, optabat:Bonum, dicens, certamen certaui, cursum *2.ad Timo.4.* consummaui, de reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi in illa die iustus iudex.Et quoniam iam vlterior gradus, quem adderet,quove ascenderet nullus reliquus erat:rectiſsimè Solomon, vt huius vltimi gradus explicationem compleret, quæ ad ecstasim pertinebant,

nebant,adiecit:dicens,*Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.*Et quæ sequuntur.*Adiuro vos filiæ Hierusalem,ne suscitetis neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.* Quæ quam vim habeant,etsi superiùs dictum à nobis est,tamen illud necesse est vt dicamus modo,minus accuratè hîc,quam superiùs,minusque multis verbis atque obtestationibus caueri quiescentis in amore sponsæ trāquillitati,atq; somno,idque fieri, nō quod minus graue malū sit perfectos,quā incipiētes,aut proficientes à dulciſsimis suis studijs,& sanctiſsimo illo contēplationis ocio retrahere:sed quod minus omninò metuēdū sit, atque formidandū,vt auocari,atq; retrahi vllis interpellationibus possint perfecti,vt potè, qui sint præditi maiore, & firmiore virtute quā cæteri.Quæ verò deinceps sequūtur,vsque ad capitis finē,non continent aliquem gradū amoris nouū, qui nullus iam erat, sed eiusdē tertij gradus qui explicabatur,absolutionem continent,&,vt ita dicam, quandam expolitionem.Nam explicant perfectorū cum ad summum amoris perueniunt proprios quosdam atque intimos sensus,legesque amandi huius generis proprias.Ac primū ex illorum persona sic dicitur.*Sub arbore malo suscitaui te, ibi corrupta est mater tua,ibi violata est genitrix tua.* Paulus charitatē Dei erga genus humanum admirans,ac prædicās, ea maximè ratione illā amplificat,quod aduersus eos, qui Deo & studijs & moribus aduersabantur, Deus extiterit beneficus, atque largus. Ita enim ad Romanos scribit. Com- *Ad Romā.5.* mendat Deus charitatem suam, quod cum inimici essemus, reconciliati sumus Deo per mortem filij eius: Et quidem est hæc diuinæ charitatis erga nos,cùm propria laus, tum verò ita magna atque ampla, vt ea maior ne cogitari quidem vlla possit. Nam si, quod Chri- *Ioan.15.* stus dixit, Maiorem hac dilectionem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis.

qui,quod ipſe fecit,pro inimicis atque hoſtibus,atq; adeò pro ijs,qui ad vetus odium,nouum & immane addentes flagitium,interimendi illis conſilium inierunt, & ad exitum perduxerunt, mortem oppetijt, is vel ipſam charitatem viciſſe,nouumque,& antè id tempus inauditum amoris exemplum induxiſſe in vitam putandus eſt,ſine dubio. Quod ſi quis velit huius facti momenta ſingula ponderare, tam multa profectò in eo inueniet teſtimonia amoris Dei,vt charitatis diuinę lumen nō magis oſtēdatur nobis, ex eo quod plurimū ad oſtendendū, fidemq; faciendā valet,quod pro inimicis mortuus eſt,quā ex eo quod à principio ipſi cauſam attulit,vt pro illis mori vellet, atq; decerneret. Nam vt multa prætereā quæ hac in re inſunt,& quā uis copioſè,& rhetoricè dici,& exaggerari poſſunt, quanti illud amoris ſignū fuit:quā magni, quā teſtati , quam ſe efferentis,neque vllis iniuriarū obicibus cohiberi ſe patiē tis,quod eo ipſo tempore quo maximè iratus eſſe debuit hominibus, quod,dæmonis fallacia monita & conſilia ſequuti ab ipſo defeciſſent: ipſo itaque tempore, quo illud ſcelus flagrabat, ſceluſque propè omnium maximum, & quod non exemplo ſolùm,ſed contagione atque labe vniuerſæ hominum poſteritati erat nociturū, tantum valuit apud Deū ſua bonitas,iſq; amor quo homines proſequebatur,vt quo eos liberaret à morte,in quam ipſi ſe præcipites dederant,hominem ſe fieri,& ab ijs ipſis, quos meritò auerſabatur naſci,eoſque parentes & maiores habere, ac denique quas illi meriti erāt pœnas,pro omnibus luere,ipſe ac ſubire voluerit:idque ſe facturū pollicitus fuerit, illis ipſis qui peccauerant, eoq; ipſo tēpore, quo illos ſceleris ipſorū, atq; peccati arguebat. Et ad ſerpentē cōuerſus,Inimicitias inquit,ponāinter te,& mulierē,ſemē tuū,& ſemē illius,tu inſidiaberis calcaneo illius, & ipſum cōteret caput tuū. Ipſum autem Chriſtus eſt,beatum,videlicèt,ſemē

Gene. 3.
Leo Pap. ſermo 2. de Natiu.

à prima

à prima illa fœmina peccati principe,longa generationū ſerie,multa poſt ſecula naſciturum. In quo quot ſunt, & quam multa admiratione,atque adeo ſtupore digna? Primum ſuſcepiſſe Deum curam ſalutis eorum, qui à ſe defeciſſent. Deinde, eorum qui defeciſſent nulla maiori vi compulſi,ſed leuitate quadam ſumma,& certe ingratitudine incredibili inducti. Præterea, eorum qui ſe, hoc eſt, conditore ipſorum,& amatore,& benefactore relicto dęmonis,cui nullo erant obſtricti beneficio partes eſſent ſequuti. Ad hæc incubuiſſe illum in eam curam,ipſomet tēpore,quo hominum aduerſus ipſum maximè recens erat ingratitudo & impietas. Deinde, quæ amanter erga homines,& benignè facere decreuerat,eis ipſis quos exoſos habere oportebat,& certè peccati merito habebat maximè exoſos ſtatim fuiſſe pollicitum. Poſtremò, quod omnia ſuperat,cum varijs eos poſſet ſeruare modis, ſuæ erga illos charitati ſatisfieri poſſe non credidiſſe,niſi ipſe ſe eorum ſaluti immiſceret:remque eam omnem adminiſtraret per ſe,factuſque ipſe homo , & humanæ conditionis ſubiens labores,quo illi benè beatèque viuerent mortem ipſe acerbam,& ignominioſam obiret. Atque quemadmodum ab illo primo dilecto, quo humani generis tanquam radix vitiata eſt,& infecta, quidquid poſtea peccatur,vel priuatim vel publicè deriuatur & ducitur, omneſque noſtri ex illo fonte redundant mœrores, atque dolores:ſic ſalutis item noſtræ,& à peccato liberationis, beatitatiſque omninò,& fœlicitatis humanæ,eodem illo tempore iacta ſunt fundamenta. Illa enim promiſsio Dei de futuro aliquo,qui à muliere genus cum duceret,ſerpentis caput,ideſt,impotentem illius dominationem confringeret,Deum multa poſt ſecula in terras adduxit, indutū humanis membris,id eſt , Chriſtum nobis dedit ſummum, atque vnicum,& libertatis noſtræ vindicem,& diuinæ vi

tæ nobis atque beatiſsimæ authorem. Vt qui contemplc-
tur ſanctorum & Deo charorum hominum virtutũ præ
ſtantiam, & animi ipſorum dotes egregias, atque diuinas,
illudq; quod ex his tanquam viuis lapidibus, aureum atq;
gẽmeum, & omni egregio opere, & artificio viſendũ cõ-
ficitur ædificium, is ſi iſta reuocet, ad ſuos fontes, inueniat,
illam omnium bonorũ altitudinem & exaggerationem,
qua vſque ad diuinitatis conſortium extollitur humana
natura, & quidquid poſtea à Deo hominum cauſa eſt per-
fectum tanquam radicibus niti illis rebus, quæ promiſſæ
à Deo & ſtabilitæ ſunt illo funeſto & eodẽ fœlici huma-
no generi die, quo interdicta illa arbor eſt violata, eandẽ-
que ipſam arborem teſtem fuiſſe reperiat, tum noſtræ er-
ga Deum ſummæ impietatis, tum ipſius erga nos clemen-
tiæ incredibilis: iudicaturuſque ſit eſſe veriſimum, quod
Paulus in eadem quidem ſcripſit cauſa, ſed ad diuerſa tem
pora ſpectans, nimirum, ſuperabundauiſſe gratiã, vbi de-
Rom. 5. lictũ abundauit. Quis enim id vnquam nõ dico ſperare fu-
turum, ſed omninò cogitando ſibi fingere, aut in animũ
ſuũ inducere auderet, quiſve crederet fraudibus concipiẽ
dis, & à Deo ſe ingratiſsimè alienando, prouocaturũ fuiſ
ſe hominem tantam Dei erga ſe beneuolentiã, tantumq;
amoris incendium in diuino pectore excitaturum? Quiſ-
que iſta conſiderans, ſecumque reputans, nõ & ipſe amo-
re ardet, & charitatis aduerſus Deum flammis corripitur?
AEquum certè eſt nos omnes corripi eo igne atque arde
re. Sed quamuis ad omnes retractare iſta ſecum, & medita
ri pertineat: tamen id, quomodo quidem fieri decet, illi ſo
li faciũt, qui arcto charitatis vinculo cũ Deo coniuncti ab
ijs diuinis donis, quibus abundant, admonentur atque ex-
citantur, vt cogitent & inquirant, qua ſua induſtria, quove
merito ſuo ad eum, in quo ſunt, neceſsitudinis cum Deo
& amoris gradum peruenerint. Statim enim vident, vt po
tè

te quorum mens cæleſti perfuſa lumine, verum quod eſt
continuò diſpiciat, itaque vidẽt ſtatim vaſa miſericordię, *Rom. 9.*
quod Paulus Hebraica ſcripſit proprietate, ſe eſſe, id eſt, ma
gnas diuini amoris, atque miſericordiæ opes continentia
vaſa: idque vidẽtes dum beneficia in ſe diuina alia ex alijs
conſiderant, retroque memoriam referunt quam longiſsi
mè poſſunt, ipſa rerum inter ſe nexarũ ſerie deducti ad ip-
ſum caput, vnde iſte Dei effuſus amor proferre ſe in lucẽ
cœpit, perueniunt: hoc eſt, cogitando incidunt in id, quod
Deus ſibi voluit eſſe principium declarandi, atque teſtifi-
candi ſuum in homines ex tota æternitate iam con-
ceptum amorem. Quò cũ peruenerunt, intelligunt, quod
abalienare Deum ab ipſis maximè debuit, primum ho-
minis ſcelus, quod fuit omnibus nobis, qui in illo conti-
nebamur, ſcelus commune, id Deo cauſam attuliſſe, ſeu
potiùs ſumpſiſſe ſibi ex eo Deũ atque arripuiſſe cauſam
humanum genus multò effuſius, quam à primo facere ſta
tuiſſet amandi: & quod ad diſsidiũ & inexpiabiles inimici
tias ſuapte natura valebat, Deo ſeruandorum hominum
ſtudio magnoperè incenſo nõ ſolùm arctioribus neceſsi
tudinũ vinculis cum eo coniũxiſſe nos, ſed permutatione
quadam & communione bonorum facta, noſtra nobis
cum illo mala, ipſius item nobiſcum cum ipſo bona com
munia feciſſe. Quarum ex conſideratione rerum & con
ſiliorum ſummi Dei maxima admiratione afficiũtur, eiuſ
que admirationis indices ſunt voces iſtæ. *Sub arbore malo*
excitauit te, ibi violata eſt mater tua, ibi corrupta eſt quæ genuit te,
ſiue. *Ibi peperit te mater tua, ibi edidit te tua genitrix*. Nam in-
quiunt cum tua erga nos ingentia merita cum indigni-
tate noſtra conferimus: cumque ad nos ipſos contuẽdos,
quos tot beneficijs & tanta liberalitate proſequeris con-
uertimus oculos: quid in homine amando ſequutus fue
ris auemus cognoſcere. Itaque in eam inquiſitionem in-
greſsi

greſsi,quæcunque vel hominibus inſunt, vel ab eiſdē geſta ſunt intuētes,aciem tandem mentis noſtræ referimus, ad primum noſtri generis ortum,quo in ortu,atque principio clarè videmus vt nos amares,nobiſque benefaceres inductum fuiſſe te à ſola bonitate tua,adeò,vt cum in nobis nihil eſſet,amorē quod prouocare poſſet,ineſſent autem contra quam plurima,quæ ad incitandum odium,& accendendam indignationē valerent,quod peccādi nos, &abs te deficiēdi principiū fecimus,id tu tibi initium eſſe volueris, ad omnes amoris opes in nos effundendas , & quæ arbor impietatem erga te noſtram vidit,eadem teſtis fuerit maximi tui atq; ſummi de noſtra ſalute promiſsi.Ibi enim excitauimus te: ibi tuam in nos charitatem in lucē produximus:ibi vt ſe efferret iſte tuus amor,& vt quantus eſſet teſtaretur,effecimus.Ibi peccando occaſionem dedimus tibi,vt quo hominem redimeres,ipſe homo fieri deberes:& quia nos præcipitauimus in ſummas miſerias vt ipſe velles te ad noſtram humilitatem deijcere:& quia te fugiebamus,vt quo nos apprehenderes, in animum ipſe induceres noſtrū corpus induere , & inter homines ex hominibus naſci:ibi corrupta eſt mater tua , ibi etiam peperit te mater tua:corrupta eſt ſerpentis ſuaſu, peperit te tuo dono,atque beneficio.Ibi enim profectò cunctorum viuentium mater Eua,cum te in eius ſemine atque poſteritate numerarivelle pollicitus es,quodammodo peperit: tuncque videri potes natus fuiſſe,quando ex eo tempore virtus natiuitatis tuę cœpit eſſe hominibus ſalutaris.Nam in cuius naſcituri fide,iam tunc tantum bonæ ſpei lumen exoriebatur,is certè natus iam tunc cenſeatur, & certitudine promiſsi,& efficacitate benefaciendi.Ibi igitur peperit te mater tua,cumque te peperit,ſimul edita in lucē eſt omnis noſtra ſpes, omnis ſalus,omnis fœlicitas.Tantumque peccando propter excellentiam tuæ bonitatis conſequuti

quuti abs te ſumus,quantū præclarè agēdo vniuerſi homines per omnē vitā promereri nunquam poſſemus. Atq; hæc iuſti maxima iam cum Deo charitate coniuncti,recolentes prima initia huius amoris ſui,& ſimul Dei admirantes benignitatem cōmemorant:quibus à Deo reſpondetur hoc modo. *Pone me vt ſignaculū ſuper cor tuū;& vt ſignaculum ſuper brachium tuum,quia fortis eſt vt mors dilectio,& ſicut infernus æmulatio. Lampades eius,vt lampades ignis atque flāmarum. Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem,neque flumina obruent illam , ſi dederit homo omnem ſubſtantiam domus ſuæ pro dilectione,quaſi nihilum deſpiciet eum.* Quibus verbis admonet illos Deus,vt quanto ſe maioribus bonis ab ipſo affici intelligunt,quantoque apertiùs vident, ipſo cū illis clementer,atque benignè agente,à ſumma nō ſolùm inopia,ſed etiam indignitate & vilitate ad clarum & altū locum,ad ingenteſque diuitias ſe eſſe perductos: tāto maiorem ſollicitudinem, & curam adhibeant,vt ne quid vnquam admittant vel ad volūtatem,vel ad animi cogitationem,quod non eo dignitatis,atque claritatis gradu dignū ſit.Sed quemadmodum piè ſe erga ipſum & amanter gerendo, tantum apud ipſum gratiæ locum cōſequuti ſunt, eos vt pro intimis amicis haberet:ſic ſciant , & intelligant in eo ſe ſtatu conſiſtere, eumque diutiùs locū retinere nō poſſe,niſi continenter & ardenter amādo.Neq; verò quia ipſo tam amico & penè ſocio, dulciſsimè & familiariſsimè hactenus vſi ſunt,idcircò ſibi deinceps remiſsius agere,licitū putare eſſe debere: neve exiſtimare ipſis , ſi quid deinceps peccauerint,atque deliquerint,ad veniam aditū ſtatim facillima ratione patere. Quo enim illos maiore amore & beneficijs proſequitur,eo religioſius , ac magis ſollicitè ab ipſis coli ſe velle: & quoniā illos ad intimā ſuā familiaritatem admiſit,ideò ipſum attentiùs inquiſiturū in ſingula ipſorum facta atq; dicta.Antea ſi quid peccaba-

Auguſti. epiſt. 29.

tur

tur,id aut humanæ fragilitati,aut ignorationi potuisse cõcedi:iã verò qui tãta luce perfusi sint, quiq; tot gratiæ, & charitatis donis sint ad bene agendum muniti, ijs ad insscientiam, atque imbecillitatem causandam vix vllum locum relinqui. Quò magis sua spõte deinceps quoque minus,aut cupiditatis impulsu,aut alterius cuiusquã hortatu peccaturi sunt,eò peccaturos maiori periculo. Antea quẽ admodum in ampla familia industriæ & officiosæ puellæ gratæ esse solẽt familiæ domino,sic illos gratiæ,& amoris locum quendam apud se obtinuisse,iã eos pro coniuge habere,& quidẽ legitimis cęremonijs, & verisimo fœdere iũcta,& copulata secũ coniuge. Quare admonere illos vt videant,qualis amor vxoris esse debeat erga suum virum, tales eos erga ipsum esse debere: certè ipsum animum maritalem eis,& amorem exhibiturum. Quo amore,vt nullus est ardentior amor,ita nullus est irritabilis magis. Excubare enim semper viros in vxorum custodiam: neq; vt alia à se illas,sed vt easdem secũ diligere: ex quo effici, vt quò magis ipsas amant,eò maiorẽ,de eo,quod ab eis fit cõtra coniugij fidem,dolorem & indignationẽ concipiant: eoque succendũtur zelo & furore,vt neque precibus placari possint,nec pretio. Ignem infusa aqua extingui: illorũ verò amore,atq, ira æstuantem & ardentem animum ne ipsis fluminibus infusis posse mitigari: quę duo maximè sęua maximèq; inexorabilia esse videtur,mortem, & infernũ penè exorari facilius illis posse. Et profectò res ita se habet,maximo periculo ab ijs peccatur, qui peccandi causis ferè omnibus carent, quales sunt viri perfecti, & in altissimo charitatis gradu cõstituti. Nã quibus multa dedit Deꝰ; ab ijs plurima exigit: & quo maiora in illos beneficia contulit, eò ægrius fert se negligi ab illis, vixque exorari se sinit, vt illis ignoscat. Nam in hoc genus hominum propriè, vt mihi videtur, Paulus inuehitur, cum ad Hc-

Hebræos magna seueritate, & verborum, & sententiarum scribit. Impossibile est eos qui semel sunt illumina- *Ad Hcb. 6.*
ti, gustauerunt etiam donum cæleste & participes facti sunt Spiritus sancti, gustauerunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi,& prolapsi sunt rursus renouari ad pœnitentiam. Quod quamuis non sit ἀδύνατον quomodo eo verbo Dialectici vtuntur, est tamen quomodo sacræ loquuntur literæ ἀδύνατον, id est, arduum & perdifficile. Nam qui nulla maiori vi compulsi nullaque vehementiori cupiditate obcæcati, aut in fraudem inducti sua sponte se in peccati foueam demittunt, cum alioqui essent magnis gratiæ præsidijs aduersus omnes hostiles insidias & insultus muniti scelus concipiunt prope inexpiabile. Vix enim digni sunt,quibus detur venia petentibus: aut certè quoniam magnũ semper fuit in clemẽtia Dei paratũ perfugiũ ijs,qui se ab impietate reuocãt,& ad iustitiam regredi volũt,cuiusuis illi sint vel cõditionis,vel ordinis,sunt certè isti,de quibꝰ loquor vix digni,quibꝰ hoc ipsum,vt displicere ipsis sua male facta incipiant,& vt deserere eam vitã & prauè à se factorũ pœnitere velint,Deus in animum,atque in volũtatẽ immittat. At quòd istorum salus vbi semel peccato aliquo amittitur, tam sit recuperatu difficilis,non tam ex Dei ingenio, (est enim placabilis & propitiabilis natura sua Deus,& ad benefaciendum semper intentus,) itaque non tam ex Dei ingenio contingit,quam ex ipsius, & delicti, & delinquentis ratione atque natura Sunt enim omnes huiusmodi lapsus lethales atque mortiferi: propterea quod qui ista peccant, peruersa animi atque voluntatis obstinatione quadam omnia ferè salutis & bonæ valetudinis, quibus erant circunsepti præsidia, omniaque illa dona Dei,quæ in se habebant, quorum ad animos in officio cõtinẽdos maxima vis esse solet,repulerũt à se & peccando

do veluti ſuperarunt, atque vicerũt. Itaque ſuo facto effecerunt deinceps, vt ſibi illa adiumento minus eſſe poſſent, minuſque virium ad ipſos ſanandos haberent: certè minus ſe illis efficaciter ad bonum moueri, minuſq́ue à peccato retrahi ipſi poſtea ſentiũt, atq; experiũtur. Nõ quod illa vim ſuam amiſerint, aut quod minus quã antea, quod in ipſis eſt erigere, & conuertere ad Deum animum hominis poſsint, ſed quod ipſa illorum mẽs oppreſſa magnitudine ſceleris, cuius ipſi nulla propè externa res cauſam attulit, ipſa potiùs ſibi ſua obſtinatione peperit: ſceleris, inquam, non aliunde nati, ſed ab ipſomet animo, & ab intimis illius ſenſibus orti, atque profecti obtorpuerit, & recti, atque honeſti ſenſum propè omnem amiſerit. Nam ſicut qui firma & integra valetudine ſemper per totam vitam vſi ſunt, quod prædiți eſſent bene conſtituto, atque valẽte corpore, vbi id illis euenit, vt aliquo morbo corripiantur periculoſiſsimè ęgrotãt, vix vt vllis medicamẽtis poſsint ad ſanitatẽ reſtitui: propterea quod quæ tam firmas vires fregit, atque deiecit, ea profectò immenſa quædam mali vis fuit: quare naturæ virtus magnitudini mali cedens, atque ſuccumbens, nec ipſa contra aliquid niti, nec oblata ipſi ab induſtria medicorum ad morbum propulſandum arma poteſt arripere, itaque tandem opprimitur & extinguitur: ſic certè ſentiendum eſt, quæ iniquitas adultam & perfectam, & cupiditatibus profligatis, & penè deletis in animo latè dominantem, maximarumq; choro virtutum circunſeptam charitatem è animo expulit, ipſumque peccatis peruium fecit, eam iniquitatem radices egiſſe in animo ita firmas, atque altas, euelli vix vt poſsit. Et hoc cauſæ habuit Solomon, quare hoc præcipuè loco. cũ de perfectorũ virorũ perſona & amore agebatur, hac admonitione vteretur. Etenim illis maximè prouidendũ eſt, ne à charitate decidãt, ne à peccato vulnerari ſe ſinãt, quam-

quamcũque enim plagam acceperint, ea illis plaga propè immedicabilis futura eſt. Sequitur. *Soror noſtra paruula eſt, & vbera non habet, quid faciemus ſorori noſtræ in die quando alloquenda eſt?* Quid in hac imagine, & amorum diuinorum imitatione tam accuratè deſcripta ſibi Solomõ velit, qui in eius poſtremo tanquam actu ſponſam ipſe inducat, de ſorore ſua minore collocanda ſollicitam, quo faciliùs intelligamus, eorum nobis vitas proponamus ante oculos, qui qualis hoc loco ſpõſa eſſe deſcribitur, tales & ipſi fuerunt perfecti in amore & charitate Dei, quorum nobis ſacræ literæ plurima exempla ſuppeditant: videamuſq; ecquis illorum fuerit, cui ad tam altum amoris & fœlicitatis culmen euecto, obiectum ſit aliquid, quod ipſum affecerit ſollicitudine atque cura. Nam is ſi inuentus fuerit, nobis dabit viam & rationem interpretationis in hoc loco, qui ſine dubio ea continet, quibus animo ſollicitari perfecti ſolent. Sed quem prius inſpiciamus, quam Paulum? aut in quo potiùs perfecti erga Deum amoris exemplum quæramus? Quid verò ſcriptum de illo eſt, quod ad hũc locũ interpretandum & illuſtrandum pertineat? Quid? Inſtãtia mea quotidiana & ſollicitudo omniũ eccleſiarum, quis infirmatur, & ego non infirmor? quis ſcandalizatur, & ego non vror? Et de Galath. ad ipſos. Filioli quos iterum partu rio donec formetur Chriſtus in vobis. Et de ſuis contribulibus ad Roman. Veritatem dico in Chriſto, non mẽtior quoniam triſtitia mihi magna eſt, & continuus dolor cordi meo. Optabam enim ego ipſe anathema eſſe à Chriſto pro fratribus meis, qui ſunt cognati mei ſecundum carnẽ, qui ſunt Iſraelitæ. Ergo quod perfectis curam & ſollicitudinem afferat, nihil eſt præter eorũ, quos vel à gratia Dei decidiſſe, vel in ea parum valere vident ſalutem, atque incrementum: idq́ue eſt illorum proprium, vt has minores natu ſorores ſuas infirmas & perpuſillas, id eſt, infirmos

Baſili. in cantica.

2. Cor. 11.

Galat. 4.

Roma 9.

aut imperfectos homines,quos illa , qua Deum amant, charitate amplectuntur , velint atque cupiant charos Deo esse , & eundem obtinere apud illum gratiæ & amoris gradum quem ipsi obtineant , aut etiã ampliorem , adhibeantque ad id non solùm vota sua ipsi,sed industriam atque operam , nullum recusantes, aut deprecantes laborem , dummodo eorum saluti & vtilitati prospiciatur . Nam primùm eos incitat ad hoc studium,atque stimulat amor Dei, qui in ipsis est. Nec enim ferre patienter possunt, cui omnes deberi vidẽt omnium amores, cum non ab omnibus certatim amari. Deinde accenduntur ad idem misericordia erga eos ipsos qui se sua sponte ab amore diuino remouent , & sanctissimam omnium,& vtilissimam Dei amicitiam discindunt . Quæ ipsa in proximos misericordia à charitate, qua Deum amant,existit,à qua omnis in proximum benignitas,atq; amor exoritur.Itaque aliorum salutem æquè atque suam curãt,eosq; hæc vna cura sollicitat. Nec enim sunt de illorum hominum numero,quos secũdæ res obliuisci suorum faciunt,ipsa potiùs eorum gratiæ magnitudo atque fœlicitas ad cogitandum & agendum de aliorũ salute illos inducit . Dicunt igitur. *Soror nostra parvula est, & vbera non habet:quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est?* Quibus quærentibus respondetur: vel potiùs ipsi sibi respondent.*Si murus est,ædificemus super eum propugnacula argentea: si ostium est , compingamus illud tabulis Cedrinis.* Id nimirum affirmantes atque dicentes Deum, quod sapientia eius,& moderatione ea,qua vniuersas res, aptè & accommodatè ad earum naturas administrat dignum est ita esse semper,itaq; fuisse,tũ in vniuersos , tũ in singulos animatũ homines, vt dũmodo exorari ipsi se & duci permittant,ac tantũ se esse saluos nõ nolint propitius illis futurus sit,nec vnquã desiturus,quoad eos,nõ saluos tantũ, sed

sed florẽtes,etiam atque fœlices efficiat.Itaque areã illi atque solũ exhibeãt quod Deo cæleste ædificiũ superstruere volẽti,nõ sit repugnãs,ipsum certè iacturũ fidei fundamẽta firmissima,eisq; iactis eas ædificiorũ,id est, charitatis & bonorũ operũ moles excitaturũ,quib⁹ nihil fieri possit illustrius. *Si murus,* inquit,*est,ædificabimus super eum propugnacula argentea,si ostium est cõpingemus illud tabulis Cedrinis.* Duo sunt tanquã principia & fundamẽta,& verò tãquam cardines,in quibus vitæ Christianæ ratio & institutũ versatur. Vnus est,vt gratiæ Dei in nostra corda intrare volenti aditum præbeamus: alter,vt admissam eam & ingressam firmiter retineamus, quamuis nos aliò vocẽt seculi atque carnis illecebræ: alter positus est in rectè incipiendo,alter in perseuerando constanter & firmiter: quòd gratiæ aditum præbemus ianua figuratè dicimur: quod perseueramus in gratia constantes, contra omnes insultus dæmonum dicimur murus . Ergo quia de sorore natu minore, idest,de imperfectis & peccatoribus hominibus quæreba tur quid illis faciendum esset, quò nubere Deo possent, hoc est,obtinere excellentem aliquẽ gradum gratiæ apud Deum,conuenientissimè & verisimè respondetur, dent illi operam, vt ianua atque murus sint : ianua qua ad ipsos gratia Dei intret, murus quo inuadentem hostem repellant. Id enim si fuerint, sique & gratiæ faciles, & aduersus peccati impugnationes se fortes præstiterint: hoc est, si & rectè instituerint vitam suam , & in suis rectis institutis perseuerauerint,additis quotidie à Deo maioribus gratiæ donis, maioribusq; in ipsos cælestium bonorum atque virtutum ornamentis ab eodem collatis , eos in viros magnos & illustres , & Deo charissimos euasũros. Vnde sequitur. *Ego murus, & vbera mea sicut turris , ex quo facta sum corã eo quasi pacẽ habẽs.* Sequitur porrò.*Vinea fuit pacifico in ea,quæ habet populos:tradidit eã custodib⁹,vir affert profru*

ctu eius mille argenteos. Vinea mea coram me est, mille tui pacifice & ducenti ijs qui custodiunt fructum eius. Vineæ nomen hoc in carmine transferri ad significandas eas res, quarum præcipuo studio quisque tenetur, & in quibus maximè elaborat, quo percipiat ex eis fructum aliquem voluptatis atq; lætitiæ, iam superiùs memini me dixisse. Porrò alij alijs rebus capiuntur. Nam quidam, quorũ est maxima multitudo, suæ ipsorum naturæ & cõditionis ignari, quasi ex corpore constarent solo, quæ corpori vtilia & iucunda sunt, ea habent in bonis: occupanturque proindè vel in coacer uãdis opibus, vel in voluptatibus cõparandis, vel in ambitionis studio. Quidam alij meliùs eruditi à Deo ipso atq; edocti inanitate istarum omnium rerum perspecta partẽ sui principem, id est, mentem atque animũ colunt: virtuti busq; omnis generis qui est animorum cultus optimus, ipsum exornãt. Atq; vt omittamus dicere cætera quib⁹ efficitur, vt horũ institutũ vitæ, aliorũ omniũ institutis sit multo præstantius, sunt enim innumerabilia, illud vnum quod quidem nemo neget, nũc dicã. Hoc genus vitæ bonorũ eo præstare cæteris viuẽdi rationibus, quod ex se se aptũ totum est, neq; ex fortunæ, aut cuiusquam alterius pẽdet arbitrio: cum contra in reliquis vitæ institutis, quæcũque errore cæci appetunt homines, ita dominentur casus, atque fortuna, vt quãuis boni vllam partem haberent, à quo quidem plurimum absunt, (nihil enim effici potest vel leuius illis, vel magis inane, inane magis dixi? imò magis plenũ verisimis malis. Nã quam polliceri vidẽtur copiosam & iucundam vitam adeò non præstant, vt nusquam alibi neque malorum copiam maiorem, neque dolorum acriores morsus experiamur.) Sed vt illa instituta in se haberent aliquid boni, quando quidam eo sunt stupore animi præditi, vt verorum amisso sensu malorum nullo afficiantur dolore ex malis, quibus ambitio.

bitiosorum atq; asotorum vita redundat: sed vt bona illa sint, illud certè, vel ipsi illi qui ea amant cõcedent fluxa esse, atque fugacia bona, & planè eiusmodi, vt nemo eorũ, qui ipsa semel fuerit adeptus habeat in sua potestate, atq; manu, ea quandiu velit, quãtumq; velit habere, ex quo effici, vt qui videãt eripi sibi illa in horas singulas posse, metu amittendi torqueantur sempiterno: sintque in summa illorum copia miserrimi. Quod si id illi minus sentiunt, seque quod externis bonis florere videant, fœlicibus annumerari volunt: aut se solos fœlices atque beatos esse ducũt: sancti profecto viri multò verius ipsi sibi, de eo, quod adepti sunt, bono gratulabuntur: institutũque & cõditionem vitæ suæ magis amabunt, ac pluris ducent. Itaq, colligẽt, si illi, quorum omne bonum fortunæ temeritati subiectum extra ipsos est, fructus lætitiæ magnos videntur sibi ex eo percipere, seq; pro beatis volũt gerere, qui quod nos facimus, toti ex se pendent, vt potè qui ea sectentur, atque possideant bona, à quibus nemo eos vnquam inuitos diuellat, neq; verò impediat quin hauriãt ex eis quãtũ volũt, eos veriores multò quã superiores, & lætãdi, & perpetuò gaudẽdi causas habere, verèq; ipsos beatos, atq; diuites esse Nã vinea, inquiunt (sic enim istã allegoriã interpretor, atque id à Solomone dici arbitror hoc maximè loco, postquã sanctæ vitæ perfectionem & absolutionẽ exposuit: quo ex collatione ad alia genera magis eius præstãtiã doceret.) Ergo inquiunt, *Vinea facta est pacifico mea quæ habet populos* Quod de vno dictum, ad vniuersos debet intelligi pertinere qui ista sectantur externa bona, quæ ideò dicuntur popularia, vel quod sint magna bona, opinione vulgi atq; populi, vel quod populi, hoc est, multorum prædæ & direptioni sint exposita. Illi igitur habent hanc suam vineam in vineto populo communi, hoc est, in aliorũ potius, quam in sua ipsorum potestate: cuius magis declaran

di causa statim additur. *Tradidit illam custodibus.* Nec enim sine multorum auxilio excoli, ideſt, comparari ac retineri illa bona possunt. Ex quo existit quod sequitur. *Vir affert pro fructu eius mille argenteos.* Id est affert parum pro spe & optato prouentu. Nam quî fiat, vt quod è manibus quotidie elabi potest, quodque fallax atque fugax sit, solidam quietem afferat? Sed hæc ambitiosi & asoti: quid verò sancti, atque iusti? Quid? *Vinea,* inquit, *mea coram me est.* Habent enim secum, & intra se bona sua, ab omni incursu & iniuria fortunæ libera, & ob id fructuosissima bona. At gaudent cæteri suis bonis, & pro fructuosis ea habent: At hoc magis declarat, quantum, & quam magnum sit iustorum & perfectorum hominum bonum: ideòque ex illorum persona additur. *Mille tui pacifice & ducenti ijs qui custodiunt fructum eius.* Nam inquiunt, si, ex eo quod alieni iuris totum est, & cuius vos, ò auari, & asoti, nullo modo estis domini, incundè vitam, atque beatè trã sigitis: quod non tam ex veritate ipsa dicimus, vos iucundi aliquid atque boni sentire quam ex errore vestro & falsa opinione affirmamus: sed si ita videtur vobis, lætabilia ista vestra bona esse, & iucunda, & beatæ vitæ efficientia: quid nos dicemus quorum omne bonum positum extra fortunæ aleam, situm est in nobis ipsis? Quid nos, ad quos nullus casus aspirat: nulla externa vis potest se appellere? Qui arbitratu nostro, diuitias nobis quantas volumus, comparamus? Quibus pro voluntate nostra fœliciratis modus præfigitur? Quibus denique vinea nostra, funduſque is, ex quo quietis & beatæ vitæ fructũ demetimus, coram oculis est, à nobis colitur, nobis solis fructificat, nihil ex eo amittendi metus, atque cura decerpit? Quæ cum essent dicta, peruentumque à Solomone esset ad eam quam exponere instituit iusti vitæ absolutionem, iam exequitur, quod vnum restabat adhuc, vt ad

ad id charitatis fastigium euectus homo, vna iam cũ Deo semper esse cupiẽs, redemptionem corporis sui à Deo peteret, hoc est, reuelationem, vt sacræ loquuntur literæ, filiorum Dei. Quę profectò bonis omnibus, atque iustis cõtinget, cum Christus vita nostra apparuerit, suoque aduentu mortalitatem extinxerit: seque qualis est mundo ostenderit, circunfusum gloria & maiestate. Id igitur quia restabat, vt huius Christi aduentus, & omnium in melius restitutionis maturitatem orarent, ac peterent, ex persona spõsi illis præcipitur non solum id vt cupiant, sed vt eius se cupidos cantu, id est, aperta & ingenua voce testẽtur, inquit. *Quæ habitas in hortis amici auscultant te, fac me audire vocem tuã.* Præcipitur autem nõ quod perfectus homo alicuius hortatu aut imperijs in hoc indigeat: sed quia charitas Dei quę diffusa est in illius corde, & qui in eius animo viuit Christus, hoc sui aduentus desiderio illũ accendit, idcircò quasi imperio opus sit, ita describitur. Nam accendi atque incitari ad id ab Spiritu sancto, testatur Ioãnes in Apocalypsi, cum dicit. Spiritus & sponsa dicunt, veni, & qui hoc legit dicat, veni, veni Domine Iesu. His porrò illi hortatibus atq; iussis cupide obsequuntur. Itaq; ex ipsorum persona statim subditur. *Fuge dilecte mi, similis esto capreæ, hinnuloque ceruorum super montes aromatum* Quo cantu meo quidẽ sensu nihil Christo est auditu iucundius. Hortatur enim illum vt maturet suum reditum, nuptias initurus cum Ecclesia, quam sibi sanguine suo, & sanctissimis cæremonijs desponsauit. Qua de re statim fusius dicetur. *Apo. vlt.*

TERTIA EXPLANATIO.

QVIS mihi det te fratrem meum sugentem vbera matris meæ, vt mueniam te foris, & deosculer, & iam nemo me despiciat. Apprehendam te, & ducam te in domum matris meæ, ibi me docebis, & dabo tibi poculum

ex vino condito, & mustum malorum granatorum. Summa quę dam amoris coniunctio, eaque non occulta, sed aperta & testata apud omnes, & quod potissimū est, ab omnibus approbata his significatur, vt suprà diximus, verborum atque rerum figuris. Talem enim coniunctionem, & consuetudinis vsum cunctis notum, & à nemine reprehēsum hic sponsa desiderat, in eoq; significat votum Euangelicæ Ecclesiæ quo ab ijs, qui ipsam persequebantur, diu atque multū vexata, optauit, sibi ab eorū persequutionibus liberatæ, vt liceret palàm profiteri Christū & veluti in vlnis gestare ipsum approbantibus vniuersis. Nam, vt in fine diximus capitis proximè superioris, Ecclesia Euangelica oppressa à tyrannis in deserta sese conferebat loca, & eò suū sponsum vocabat, quo significatum est id, quod ipsi accidit illis primis temporibus, quando persequutionis metu multi fideles vrbibus relictis aspectum hominum præsentiamque vitabant. Itaq; sicut illis verbis hæc fideliū fuga significabatur, sic oratione ista ea significantur, quæ post illa tempora in Ecclesia acciderūt: illas enim persequutionum procellas tranquillitas sequuta est, &, qui Ecclesię inimici erant, Romani principes ei postea obsequuti sunt, ex quo id sequutum est, quod hîc concedi sibi sponsa postulat, vt in publica luce cum omnium approbatione Christi fidem deinceps Ecclesia profiteretur. Hæc enim desiderij sui significatio eius, quod re ipsa accidit, declaratio est, & dùm optare fingitur id, quod optat assequutura prædicitur. Quod indicant, quæ sequuntur. *Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me.* Nam his amplexus ratio atque forma describitur, amplexus autem consensus mutui, & eorum qui inter se amant, coniunctionis, & ob id pacis redditæ ac restitutæ symbolum est. Quare cùm se sponsi amplexu fultam sponsa dicit, proculdubiò significat obti-

obtinuisse ab illo se atque impetrasse, quod optabat: optabat autem nemo vt sibi molestus esset, quòd Christum in omnium oculis coleret, id est, optabat omnium concessu dari sibi, vt clara voce profiteretur ipsum. Id ergò assequuta dicitur, & quò id magis constet subiūgit. *Adiuro vos filiæ Hierusalem, ne suscitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.* Cauet enim Christus suæ Ecclesiæ tranquillitati & quieti, & dùm sponsus adiurat atque obtestatur sponsæ comites, ne illius somnum interturbent, id certè significat Christum precibus Ecclesiæ ad misericordiam flexum cunctis præcipere, ne illi ampliùs molesti sint, id est, finē imponere eius persequutionibus atque malis. Ijs autem sublatis in celsissimā sedem dignitatis & honoris Ecclesia statim ascendit, visaque est omnibus admirabilis. Quare iure additur. *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto, delicijs affluens innixa super dilectum?* Omnes enim gentes, & præcipuè Iudæi magnitudinem atque gloriam, ad quam Ecclesia peruenit, posteaquam ab inimicis suis liberata est, hac oratione admirantur. Nam quæ ad id vsque tempus à permultis grauiter vexabatur, & apud plurimos sinistra fama laborabat, quòd religionis videretur colere superstitiosas & impias, ea, postquam edictis imperatorū idola sublata sunt, qualis esset, publicè innotuit, eius enim tunc sanctitatis illustrissima species omnibus cœpit apparere, & Ecclesiastici ordinis latè emicuit splendor: tunc literæ sacræ, tunc diuinæ studia doctrinæ, tunc Doctores sancti magno ingenio atque sapientia viri omni ex parte suum ostenderunt lumen. Itaque omnium oculos Ecclesia tunc in sui admirationem conuertit, cuius admirationis testes sunt voces istæ. *Quæ est ista, quæ ascendit de deserto delicijs affluens innixa super dilectum?* Dicitur autem ascēdere de deserto, quoniam de gentibus potissimum erat collecta: Nam gentes deserti vocabulo sæpè significat Esaias, vt in illo, Ponam de- *Esai. 14.*

„ sertum in stagna aquarũ, & terram inuiam in exitus aqua-
„ rum: dabo in solitudinem Cedrum, & spinam, & myrthũ,
„ & lignum oliuæ, ponam in deserto abietem, vlmum, & bu
„ xum simul, vt videant, & sciant, & recogitent, & intelligãt
„ pariter, quia manus domini fecit hoc, & sãctus Israël crea
„ uit illud. *Delicijs affluens*, siue ex Hebræo, *adhærescens dilecto*,
„ *& delicias faciens cum illo*. Quò significaretur, nõ vt antea fur
tim & in locis abdytis illam cum Christo versari sed pa-
lam in templis cantu cum ipso deliciari, & clarissimis voci
bus canendo atque precando ipsum profiteri. Itaque hæc
dicuntur vel de tota Ecclesia iam è malis emergente, &
post sæuas tempestates tranquillitatem ac serenitatẽ ade-
pta, vel de parte illius ea quæ in monachis & eremitis illo
tempore floruit, quæ, *de deserto ascendebat*, quia in desertis lo
cis, quæ maxima repleuerat multitudine se ad culmen pie
tatis, & ad supremum christianę virtutis erigebat gradum,
& affluebat delicijs, propter consolationis cælestis, qua abũ
dabat, immẽsam copiam, *& innitebatur super dilectum*, Quia
ne ad momentum temporis patiebatur diuelli se ab eo,
& quia ex ipso omnis illa manabat cælestis, qua fruebatur
dulcedo. Nam licet in omni ætate Ecclesiæ, nonnulli in ea
fuerint homines spirituales, & contemplationis laude præ
stantes, tamen longè plurimos ac prẹstantissimos illa tulit
ætas, quam dicimus, sequitur, *Sub arbore malo suscitaui te, ibi*
corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua, aut, vt in He-
bræo, *Ibi peperit te mater tua, ibi enixa est te tua genitrix*. Quod
à vita pastoritia ductum Solomõ mirabiliter ad id, de quo
agebatur, transtulit, eo vt doceret Christum in eodẽ, quo
editus est loco, initium fecisse amandi Ecclesiã gentiũ: vel
certè ex eo, quod ipsi accidit in natali loco suo, sumpsisse
causam, suum vt amorem à Iudæis ad gentes transferret,
quæ res multum cohæret cum ijs, quæ proximè præces-
serunt. Nam proximè inductę sunt sponsæ comites in Iu-

dæorum

dæorum persona admirantes sponsam è deserto ascen-
dentem, & delicijs affluentem, hoc est, vti diximus ad-
mirantes Ecclesiæ Euangelicæ è gentibus potissimum
constantis, ei postquam restituta pax est, hominum
multitudinem, virtutum splendorem, cælestium do-
norum affluentiam: id enim sine dubio omnibus, sed
præcipuè Iudæis admirationem maximam mouit, quia
accidit omninò præter opinionem & spem ipsorum,
vt gentes ad communionem cælestis vocarentur gra-
tiæ, & vt vocatæ concurrerent ex omni populo tan-
to animorum consensu, tantosque & in vera pietate,
& in omni excellentia progressus facerent, vt eorum
tandem conuentus rerum potiretur. Itaque initio Ec-
clesiæ cum admiratione dixisse quosdam in Actis le- „ *Actorũ*
gimus. Ergò & gentibus pœnitentiam Deus dedit ad „ 1.
vitam? & Paulus ad Ephesios scribens: mysterium ab- „ *Ephe.* 3.
sconditum esse dicit gentes esse cohæredes & concor- „
porales & comparticipes promissionis Dei in Christo „
Iesu. Quoniam autem natura ita comparatum est, vt
eorum, quæ miramur causas cognoscere statim veli-
mus, nam ex earum ignoratione existit admiratio: auet
autem quisque id scire, quod ignorat, idcircò Solomon
consentaneè eius rei tàm admirandæ causam subijcit, &
vt subijciat Ecclesiam inducit ea agentem atque loquen
tem cum Christo, quæ eius rei causam cõtineat, id est, qui-
bus percontationi earum fœminarũ, quæ mirantes indu-
ctæ sunt, fiat satis. Nam cũ dicit, in arbore malo, sub qua vio
lata mater spõsi fuerat, amari ab ipso cœptã fuisse, figuratè
significat, ab arbore crucis Christi, sub qua mater ipsius re-
spublica Iudęorũ se violauit & fœdissimè contaminauit,
quia impie & ingratè ipsum in eã egit, causam esse ductã,
vt ipse suũ amorẽ ad gẽtes prẹcipuè trãsferret, & mirũ nõ
esse eos Christi sinu atque complexu foueri, & cælestibus

redun-

redundare delicijs, qui ipsum, vt primùm de eo audierũt, amore complexi sunt, cum à suis ijs, quibus fuerat promissus, & à quibus ducebat genus, non excluſus modo, sed & affectus fuerit probrosa & crudeli morte. Nam gentium salutem ex impietate Iudæorum erga Christum & ingratitudine esse ortam, sacræ testantur literæ, vti constat ex illa vineæ & vinitorum, quibus locata fuerat Christi parabola. Nam eam mox vt audierunt Pharisæi, cum rogarentur à Christo, quid ipsis de vinitorum improbitate videretur, & quo statuerent eos dignos esse supplicio se ipsi imprudentes damnarunt, atque dixerunt; Malos malè perdet, &
Matt. 21. » vineam suam locabit alijs agricolis. Quorum sententiam
» Christus probans subiecit: Ideò dico vobis quia auferetur
» à vobis regnum Dei & dabitur genti facienti fructus eius,
» eoque spectat illud etiam, quod in ore habebant Aposto-
» li, quoties eorum de Christo orationem ad aures suas nõ
Actorũ » admittebãt Iudæi. Vobis primùm oportuit prædicari reg-
15. » num Dei, sed quia indignos vos effeciſtis, ecce conuerti-
» mur ad gentes. Denique, vt Paulus ad Rom. scribens affir
Rom. 11. » mat, illorum, id est, Iudæorum delicto salus est gentibus.
» Et infrà, Nolo vos ignorare fratres mysterium hoc, vt non
» sitis vobis ipsis sapientes, quia cæcitas ex parte contigit in
» Israël, donec plenitudo gentium intraret. Cæcitas autem
» Israëlis in eo maximè extitit, quòd quem omnibus opta-
» bant votis, in quem spem salutis collocauerunt suæ, eum
præsentem non agnouerunt, sed pro hoste habitum in crucem egerũt Igitur ex ea arbore, in qua semet corrupit genitrix Christi Iudæorum Respublica, natum est, vt plenitudo gentium intraret in Ecclesiam, id est, vt gentes Christo innixæ, & ab ipso maximis beneficijs affectæ delicijs omnibus circũfluerent, idque significat sponsa cum dicit, *Sub arbore malo excitauite*, id est, ex arbore crucis causam sumpsiſti vt me tantum amares, quantum isti admirantur,

ibi

ibi corrupta est mater tua, id est, quia ibi in illa scilicet arbore, hoc est, in illo facto impio & crudeli respublica Iudæorũ, quæ te genuit, corrupta & violata est. Nam eo indigna effecta est tua beneuolentia atq; gratia, ex quo iustè illã deseruisti, ac mihi aditum patefeciſti, vt intrarem ad amorẽ tuum. Et vt vno verbo dicam, quia populus Iudæorum corruptus fuit in illa arbore, idcircò ego suscitaui tead me amandum: & ex eodem fonte & mea manauit dignitas, & illius populi casus atque calamitas deriuata est. Sequitur. *Pone me vt signaculum super cor tuum, vt signaculum super brachium tuum, quia fortis est vt mors dilectio, dura est vt infernus æmulatio: lampades ignis lampades eius atque flammarum: aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. Si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione quasi nihil despiciet eam.* Hoc quidam tribuunt sponsæ, quibus agit cum sponso, vt in se amando perseueret. Sed rectiùs iudicant qui ab sponso dici arbitrantur. Nam his verbis Ecclesiam Euangelicam ab impugnatione hostiũ suorum iam liberatam, & in summa claritate atque gloria in oculis omnium constitutam hortatur Christus, vt studium colendi atque amandi nunquam remittat: vtque se ita in amore gerat, vt vitet omnes quamuis minimas offensiones: se enim, vbi quid in eo peccatum fuerit, eò laturum grauiùs, quò ipsam amat ardentius: & eò animaduersurum seueriùs, quo eã ornauit cumulatiùs. Hortatur autem eam ad hanc amandi diligentiam conueniẽtissimè in hoc loco. Nam quoniam suprà de ea Ecclesiæ dictum erat ætate, quando eam omnes propè gentes vexabant, & dicendo ad id peruentum fuerat tempus, cùm mutatis sententijs, & animis ad pacem conuersis odia illa inueterata aduersus ipsam non solùm deposuerunt, sed etiam eximio illam cultu atque beneuolentia prosequutæ sunt: idcircò ipsa rerum consequentia poscebat,

bat,vt de eo, quod post illa tempora sequutum est,diceretur aliquid, id est,vt diceretur aliquid de Ecclesiæ à persequutionibus liberatę regno,&principatu ciuili,qui principatus in Constantino Romanorum Imperatore incipiens vsque ad nostram ætatēnon parùm imminutus peruenit vlteriùs processurus, quantum Christus concesserit.Nihil autem dicere potuit, magis quod aptū esset huic Ecclesiæ ætati tranquillæ,& in ciuili potestate florētis,quā vt admoneret illā,ne rerum suarum fœlici elata successu, suique oblita pristina suę erga Christum pietatis studia remitteret, ac se superbè efferens vinci permitteret à luxu, ab auaritia, à desidia, à similibus vitijs. Quòd ita natura hominum comparatum sit, vt eos res aduersæ in officio contineant, secundæ & ad voluntatem fluentes inaniter efferant, ac luxu dissoluant.Hoc igitur ipsam Christus grauissimis verbis iterùm atque iterùm monet,sic dicens; *Pone me vt signaculum suprà cor tuum*, Quasi dicat. Quòd à seruitute, & oppressione tyrannorum in regnum vindicata sis,& in maximam nominis claritatem : quòd mea cura factum sit, vt, qui tibi molestus esse audeat, nemo sit reliquus:non ideò putare debes, remissiùs agere licitū esse tibi. Quò magis ab alijs curis vacua es meo beneficio, eò diligentiùs atque studiosiùs meo amori atque cultui vacabis. Primùm quia debes, quòd maioribus à me sis affecta beneficijs, deindè quia necesse habes: versaris enim nisi prouideris in maiori, quàm antea periculo. Non enim si hostes externi sublati sunt, existimare debes, qui tuæ virtuti insidietur, esse neminem, Hæc tranquillitas, qua frueris, hæc nominis gloria qua circumfluis, hoc regnum quod obtines facilè te, nisi caueris, de statu perfectæ pietatis deijcient. Quare moneo, edico, ante denuncio, *Pone me vt signaculum suprà cor tuum, vt signaculum super brachium tuum*. Me, inquam, in pectore

pectore fixum gere, nunquam remoue ab oculis, quòd ad me colendum & ampliùs demerendum pertinet, id vnum cogita. Caue ne meam beneficentiam in licentiam vertas; caue putes, quia te diligo effusè, ideò omnia tibi per me licere, contrà potiùs quia te amo, obseruari abs te diligentius volo. Est enim zelotypus amor, zelotypia porrò nullus est impotentior affectus, fortis est vt mors, durus vt infernus, igne ardentior,lam pades eius lampades ignis atq; flammarum. Quare iubeo, qualem te in turbidis exhibuisti rebus tuis, talem in secundis te exhibeas fortem, inuictam, mei amantissimam. Nam hoc est, quod subijcitur. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, neque flumina obruent illam*, Aquarum enim nomen in his literis ad maximas calamitates significandas transfertur, & quod additur, *si dederit homo omnem substantiam domus suæ pro dilectione tanquam nihilum despiciet eam*, vt sensus sit, aquæ multæ, id est, res aduersæ, quas pertulisti, non potuerunt tuam erga me aut charitatem extinguere, aut obruere pietatem. Ergo, *si dederit homo omnem substantiam domus suæ*, id est, si opes tibi datæ sint & copiæ, quantæ maximæ dari possunt, *tanquam nihilum despiciet eam*, hoc est, despicere eas debes ac non tanti facere, vt ob eas aliquid de pristino amore meo minuendum putes: mala non potuerunt extinguere, cur extinguant, aut minuant res ad votum fluentes? monet ergo hac oratione Christus externa dominatione florentem Ecclesiam, ne se decipi à fœlicitate patiatur, atque ita monet, vt tacitè indicet se aliquid sinistri suspicari atque augurari de illa.Nam qui talia monent, ab eo, quod in eorum suspicionibus versatur,& eos timore angit, inducuntur vt moneant, qui enim cauet, timet: timor autem ex opinione oritur mali impēdētis: subest itaque in hac admonitione futuræ

in

in Ecclesia ex eo postquam principatum terrenum adepta est, in omni genere virtutum remissionis atque lãguoris prædictio, eaque certè, quòd euentus probauit, nimis vera. Dici enim non potest quantum sit remissum de illa antiquæ charitatis præstantia. Quod & Christus prędixit futurũ dicens. Et quoniam abundabit iniquitas, refrigescet multorum charitas: & Paulus apertiùs, Spiritus, inquiens, manifestè prædicit, quòd in nouissimis temporibus discedent quidam à fide attendentes spiritibus erroris; & alio in loco. Hoc autem scito, quòd in nouissimis temporibus instabunt tempora periculosa, & erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi. Et Petrus similiter. Hoc primùm scientes, quòd venient in nouissimis diebus in deceptionẽ illusores iuxtà proprias concupiscentias ambulantes. Itaque hæc oratio & manifestam admonitionem cõtinet, & tacitam prædictionem, & totum illud Ecclesiæ tẽpus complectitur, quod à Cõstantino Imperatore ad hæc vsque tempora effluxit. Quod autem sequitur, *Soror nostra parvula est, & vbera non habet. Quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est?* In quo sponsa de sororis suæ iam nubilis, sed parùm elegantis collocatione aut secum ipsa agit, aut cum sponso certè suo in eo ea dicuntur, quæ ad illa pertinent quę nunc peraguntur in Ecclesia. Nam sub persona huius sororis natu minoris, & parùm forma præstantis, cuius de collocatione sponsa sollicitari dicitur, multi significantur populi atque gentes longè à nostro orbe remotæ ad Christum adducendæ noua quadam Euangelij tradendi ratione: hoc est, significatur Hispanorum nauigationibus reperti orbis, eiusque incolarũ ad Christi fidem nuper facta conuersio. Id enim certè his significari figuris Hebræi quidam Doctores viderunt quodammodo ac tradiderunt. Scribunt enim hæc dici de gente vltra flumina AEthiopiæ ad Dominum tandem adduc-

Matt. 24.
1. ad Tim. 4.
2. ad Tim. 3.
2. Pet. 3.

adducenda, cuius magna mentio fit ab Esaia & Sophonia prophetis. Quæ certè gẽs hæc ipsa, quã dicimus, est. Quærunt ergò sponsus & sponsa inter se quando ad spirituales nuptias hanc gentem vocabunt, quid ipsis faciendum sit, & cur quærant exponunt. Quia, inquit, *Parvula est, & vbera non habet*, id est, quia imbecilla est, & rectæ institutionis atque doctrinæ caret vberibus. Nam ingenij imbecillitas, & morum prauitas, & rectæ institutionis defectus multum obstare videntur euangelio suscipiendo, id enim, sicuti in bona satum terra fructum edit vberrimum, sic ineptæ commissum ac sentibus plenæ malè prouenit. Et sanè ista gens ijs omnibus malis laborabat, itaque minus vberes fructus tulit, quam olim tulerunt gentes, quibus principio Ecclesiæ annuntiatum est euangelium. *Soror*, inquit, *nostra*, eam gentem sororem suam nominat, quod ipsam vocatura erat ad eiusdem corporis societatem, & ad cælestis generis communionem. *Parvula est.* Mentis scilicet acumine ad peruidendum quid ius postulat, & animi viribus ad id obeundum, recta quod ratio præcipit, quales esse omnes huius noui orbis incolas constat. *Et vbera non habet*, id est, doctrina caret, qua alipossit. Nam propter mentis ipsorum imbecillitatem ipsum ius naturæ multis in rebus non agnoscebant ferinis imbuti institutis ac legibus. *Quid faciemus sorori nostræ in die quando alloquenda est?* id est, quando vocanda est ad cælestes agni nuptias quid agemus? quomodo illi persuadebimus? qua ratione illius animum rudem, & tot modis ad veri lumen contemplandum inceptum inducemus ad id, vt euangelio assentiri velit? Hæc enim quæstio atque inquisitio difficultatem inesse in ea re, de qua quæritur, indicat. Habuit autem Indorum ad Christum conuersio difficultatem maximam plures ob causas, primùm quia vtrùm omninò esset ignoraba-

Soph. 3.
Esai. 19.

Ec tur,

tur, deindè quia non niſi difficillimè & periculoſiſsimè ad eos adiri ab Euangelij Doctoribus poterat: poſtremò quia ipſi paruo ingenio ſunt & leui animo ac prauiſsimè inſtituto. Eas igitur difficultates vt ſubindicet Eccleſia Euangelica, quid conſilij capiat quærit, quando eam gentem vocabit ad ineundas cum Chriſto nuptias. Cui quæſtioni aut ipſa ſponſa ſibi, aut, vt nonnulli volunt, ſponſus reſpondet, ita dicens. *Si murus eſt ædificemus ſuper eum propugnacula argentea: ſi oſtium compingamus illud tabulis cedrinis.* Muro addita propugnacula argentea ipſum ornant, & ſimiliter fores tabulis cedrinis conueſtitæ pulchriores ſunt, & in vtroque externa ornamenta arte adhibita & adiuncta, non ſolùm innatum decus augent, ſed & quod natura aut deerat, aut prauum erat, celãt & occultant. Ait igitur Chriſtus, cùm earum gentium, de quibus quæritur, conuerſionis tempus aduenerit, quod in eis aut deeſt, aut prauum eſt, arte corrigendum eſſe, aut certè dicit omnes illas difficultates ortas, partim ab ipſarum gẽtium conditione atque moribus, partim à longinquitate regionum, quas incolunt, peculiari ratione ac prouidẽtia à ſe eſſe ſuperandas, idque quomodo ſit facturus declarat, duabus diuerſis metaphoris, quas ſi ritè expendamus, earum gentium ingenia declarabunt nobis, & totam earundem ad Chriſtum conuerſionis rationem. Nam primò earum gentium aliæ ſunt feræ omnino & incultæ, & in eo quòd ſemel ipſis placuit viſumve eſt, nimiũ pertinaces, quas rectè appellat, murus, propter animi ipſarũ ac morum duritiem nullis rebus domabilẽ. Aliæ verò ſunt vſq; eò natura faciles, eas vt nullo negotio ducas quocunq; velis, ſuntq; apertę eædem & ſimplices & ingenio imprimis cãdido ac miti, has itaq; aſsimilat oſtio, vtriſq; tamẽ conſentaneè ad ipſarũ naturã ea adhibet aut certè profitetur ſe adhibiturũ eſſe, quæ maximè ipſis conueniant, vt murum propugnacula

cula decent, & oſtium ianuæ cedrinæ ornant. Deindè hæ gentes ita religionẽ ſuſceperunt noſtram, vt propter ipſarum naturæ atque ingenij imbecillitatem in pietatis inſtitutis non multũ profecerint, nõ enim hactenus ea ſanctitatis ediderunt documenta, quæ prima olim Eccleſia edidit, nihil in illis in hoc genere rarum aut eximium conſpicimus, itaque magis externo cultu atque ritibus, quàm interiori animi pietate ac perfectione ſe Chriſtianos eſſe teſtantur. Quod item declaratum eſt ſimilitudinibus iſtis: nam propugnacula muro addita, & oſtio fores adpoſitæ, externa ſunt & aſcititia ornamenta. Poſtremò in iſtarum gentium ad Chriſtum conuerſione vis quædam eſt adhibita: non enim euangelium illis annuntiatum eſt, vt olim annũtiabatur per inermes homines, ſed armati, aut certè ij, quibus armati homines præſidio erant, pietatis doctrinam ipſis tradiderunt, cuius etiam rei quædam ſignificatio atque prædictio in ijs metaphoris ineſt, nam neque muro addi propugnacula poſſunt, neque cedrinæ fores confici ſine ferro atq; vi. Et quia eiuſmodi omnis vis lõgè abfuit à prima illa è gẽtibus collecta Eccleſia Euãgelica, vt potè quæ ſua ſpõte ac ſumma alacritate animi Chriſtum eſt ſequuta, id ſponſa, quæ eius Eccleſiæ nũc perſonam gerit, in animo verſans, nam id ei in memoriã reduxit facta ſororis mentio, ſibi de eo, quod ſponte ſua in Chriſtum credidit, placens ſibi gratulatur ac dicit. *Ego murus, & Vbera mea ſicut turris, ex quo facta ſum coram eo quaſi pacem reperiens.* Quaſi dicat, quando in oculis tuis pacem reperi, id eſt, quando deſerta impietate tecum in pacem redij, ego ipſa murus fui, hoc eſt, vt impietatem deſererem, & te fide & amore colere vellem, nulla mihi vis illata fuit, ipſa ego mea ſponte in tuam fidem conceſsi. *Et Vbera mea fuerunt ſicut turris*, id eſt, quæ me ornarunt virtutũ vbera corpori meo inerant, nõ externè

tantùm addita & adiũcta erant, non enim externo tantũ ornabar cultu, ſed multò magis interioribus animi præſtabam bonis, quæ me bona vberem reddebant: nec ſolùm mihi ipſi aptam, ſed & multis alijs valde vtilem. Atq; his præſens Eccleſiæ ætas ſignificata eſt. Quæ autem mox ſequuntur ad vltimum eiuſdem tempus, quod, vt apparet, iam imminet ſignificandum pertinent. Nam quod è vatũ prædictionibus, & Pauli ſcriptis, & Eccleſiaſtica traditione ſatis conſtat euangelio toto orbi annunciato, omnibuſque gentibus in Eccleſiam intromiſſis poſtremo Eccleſię ac mundi tempore Iudæi ad fidẽ Chriſti conuertẽdi ſunt, ijſque conuerſis mũdus finiendus. Ita enim Lucas ſcribit.

Luc. 21 „ Et conculcabitur à gentibus, donec impleantur tẽpora na
„ tionum. De eo igitur ſunt, quæ ſequuntur, *Vinea fuit pacifico in ea, quæ habet populos, tradidit eã cuſtodibus: Vir affert pro fructu eius mille argenteos. Vinea mea coram me eſt, mille tibi pacifice, & ducentibus, qui cuſtodiunt fructum eius* Nam vineę allegoria rẽ

Eſai. 5. publicam Iudæorũ cõſueto ſcripturarũ more deſcribit: & eius ſtatũ præteritũ, quod ad religionis ac virtutũ omniũ perfectionẽ attinet, confert cũ eiuſdẽ eiſdẽ in rebus cõditione futura, dicit enim cõuerſis ſub mũdi finẽ ad Chriſtũ Iudæis eorũ Eccleſiã atq; cõuẽtũ vberiores, quã antea edebat, editurũ virtutũ fructus, ſed dicit inuolutè & præciſè. Nã vt hos Iudæorũ Reipublicæ duos ſtatus ſignificet duarũ vinearũ mentionẽ facit, alterius à Solomone cõſitæ & vinitoribus traditæ, alterius à ſe cõſitæ & cultæ, hanc q; poſteriorẽ priori anteponit, in eo declarãs Iudæos prẽter id, quod olim ſub tutela Dei fuerunt, iterũ ſub eadẽ futuros, Nec futuros ſolùm, ſed meliori conditione futuros. Quos enim Deus antiquo tempore; antequam naſceretur Chriſtus, per miniſtros colebat ſuos, eos Chriſto nato quando in Eccleſiã introducet per ipſũ Chriſtũ accuratè colet, &, quomodo ſupradictum eſt, magnis animi bonis ditabit.

Ait

Ait ergo, *Vinea fuit pacifico*. Quaſi dicat, vinea, quæ fuit pacifico, hoc eſt, Solomoni Iudæorum reſpublica, cui olim Solomon præfuit, qui typum geſsit & perſonam Chriſti, id eſt, reſpublica, quæ Chriſto nondum in lucem edito, ſed ſub typis & figuris latẽti ſeruiuit, quæque nõ ſolidè ipſi fructificauit, ſed ipſi partim, partim alijs. Quia lex vetus eorum, qui ſe colebant, animos à terrenarum & caducarum cupiditate rerum non penitùs liberabat: proponebat enim illis atque pollicebatur eas ipſas terrenas res pro præmio pietatis ſeruatæ atque cultæ. Ea igitur, *Vinea mea, quæ mea coram me eſt*, id eſt, ea reſpublica, mea quæ fuit, iterum coram me erit, iterum meæ ſubijcietur poteſtati: idque iure fiet, quia mea, hoc eſt mecum peculiari ratione coniuncta. Nam ex illa ego originem duxi, & ex ea Doctores, qui me ad fidem erudierunt, accepi, ex illis propagata ad hanc amplitudinem, & nominis claritatem perueni: mea igitur quia eſt tàm multis nominibus vt genitrix, vt magiſtra, vt eiſdem initiata ſacris, quòd eundem ipſa olim tectè coluerit, cuius ego nunc fidem apertè profiteor, quia igitur mea eſt coram me erit, id eſt, mecum tandem coniungetur, & mecum ſua ſcilicet gnata tandem in gratiam redibit, & conuertentur, vt prę dictum eſt à Malachia, corda patrum in filios, & eundem, „ *Malac.* quem ipſa colo, & illa colet Chriſtum Ieſum, coletque *vltim.* cum maiori fructu quam olim. Nam eam ad omnia mea admittam bona, in ſinu meo recipiam, & fouebo ipſam, nec ſolùm tunc in oculis geram, ſed & nunc cordi infixam gero illam, quod ardet profecto mihi deſiderio ſalutis ipſius. Nam hæc verba, *Coram me eſt*, magni cuiuſdam deſiderij atque voti ſunt indices, itaque quoniam eis Eccleſia Euangelica non ſolũ prædicit Iudæorũ futurã ad fidẽ conuerſionẽ, ſed etiã demonſtrat quãto eius teneatur deſiderio, ideò quò ſignificetur id eius & vaticiniũ ratum

& votum non inane futurum ſponſus ei tacitè annuit, atque ita dicit. *Quæ habitas in hortis, amici auſcultant te, fac me audire vocem tuam.* Quod enim Eccleſia de futura Iudæorum reipublicæ ad Chriſtum conuerſione & optarat & prædixerat, id quia ad exitum perduci non poterat, cã niſi ipſe Chriſtus vocaret, ideò inducitur ſponſus his verbis vocans ipſam & ad verę fidei confeſsionem inuitans, hoc eſt, approbans & ratum fore decernens, quod de eius cõuerſione ratiocinabatur ſponſa. *Quæ habitas in hortis.* Cõpellat enim Iudæos, quos hac circuitione verborum aptè nominat, quò eos meminiſſe faciat peccatorum ſuorum. Nam primus ad conuerſionem aditus poſitus eſt in deteſtatione vitæ anteactæ, deteſtari porrò id, cuius non meminit, nemo poſsit. Reuocat autem illis in memoriã anteactam vitam, quando hortos, in quibus habitaſſe dicitur, memorat. Nam prima mali labes apud Iudæos ab idolatria initium accepit, quòd ad vitium valde proni Iudæi erant, vt è libris Iudicum atque Regum colligitur, idolorum autem is cultus, cui ſe addicebant Iudæi, in hortis ſignificatur. Itaque id nomen in eam partem atque ſignificationem in his literis ſępe accipitur. Eſaias. Confunden
Eſai.1. „ tur ab idolis, quibus ſacrificauerunt, & erubeſcetis ſuper
Eſai.65 „ hortos, quos elegeratis: & alio in loco, Populus, qui ad
„ iracundiam prouocat me, ante faciem meam ſemper
Eſai.66 „ qui immolant in hortis. Et rurſus. Qui ſanctificabantur
„ & mundos ſe putabant, in hortis poſt ianuam intrinſe-
„ cus ſimul conſumentur, dicit Dominus. Itaque Chriſtus ad ſui fidem atque cultum conuerſurus Iudæos illos de eo, in quo vitioſiſsimè offenderunt nominat, vt meminiſſe ipſos eorum quæ prauè geſſerunt, faciat quòd eorum memoria neceſſaria eſſet ad agendam pœnitentiam, pœnitentia porrò eos ad ſalutem erat intromiſſura: tum vt qui ſe ita nominari vidiſſent, & ob id meminiſſent

niſſent anteactæ vitæ ſuæ, liquidò perſpicerent, quòd ab errore reuocati ad Eccleſiæ cœtus admitterentur, cæleſtium bonorum vt participes eſſent id non ipſorum deberi meritis ſed à Deo benignè ipſis & liberaliter dari. Vocat ergo Iudæos Chriſtus. At quid petit ab ipſis? Quid? *fac me audire vocem tuam.* Petit, vt ſe fidei & amoris cultu proſequantur, nam cordis fidem oris confeſsio ſequitur, ex eo igitur quod poſterius eſt ac conſequens id declarat, quod antecedit. Petit igitur, vt recinat aliquid quo ſuum erga ſe amorem teſtetur, id eſt, petit vtrumque, vt ore atque corde veram profiteatur religionem, idque cùm petit, vires ipſi ad ea præſtanda ſuggerit, id eſt, efficaciter petit. Nam ſtatim is populus ſe Chriſto audientem præbens iuſſa eius exequitur, itaque Chriſtum ſic vocans inducitur, *fuge dilecte mi, & aſſimilare capreæ hinnuloque ceruorum ſuper montes aromatum.* Nam his verbis & ſe Chriſti amore ardere confitetur, & hortatur reditum ſuum vt maturet. Itaque quod rogatus is populus, vt amorem ſuum cantu teſtetur, id facit, eo ſignificat ſe Chriſto Ieſu iam obedire velle quod autem id potiſsimùm in cantu ponit, vt fugiat, id eſt, vt reditum ſuum maturet, in eo docet vbi ipſe ad Chriſtum conuerſus & intra Eccleſiam admiſſus fuerit totius orbis inſtare finem nihilque aliud reſtare præter poſtremum aduentum Chriſti. Quare id optat, vt dùm optat inſtare ſignificet: & certè vt ſe verè & ex animo Chriſtum amare demonſtret. Nam qui eum diligunt, etiam eius diligunt aduẽtũ, qui ipſis eſt futurus glorioſus, hoc eſt, eius diei maturitatẽ ſummè deſiderant. Sed quoniã ante Chriſtus dixerat, *Amici auſcultant te*, neceſſe eſt videamus, quoſnã amicos nominet, qui huius populi cãtũ obſeruẽt, & quorũ aures Chriſtus velit circũſonari iſtis cantibus. Nõ enim etſi amicos illos nominat veri amici cenſendi ſunt, ſed veris

amicis per fraudem immixti & ſpecie tenus amici, re ipſa hoſtes acerbi, vt pote qui eius omnes nutus ad ei nocendũ obſeruent: quales certe ſunt illius rectores populi, qui cũ ſe Dei amicos eſſe falſò ſimulent, & eius gloriæ ſtudere videri velint, ſummo tamen ſtudio curant, ne qua ſe ad animos ſuorum Chriſti vera fides inſinuet. Hi ergo etſi auſcultent, id eſt, etſi inuigilent, vt Iudæorum populum à vero Dei cultu remoueãt, tamen vt nulla eorum arte ac fallacia prohibitus impediatur à vera fide id nunc enixè ſponſus ab ipſo populo petit, rogatque vt non tanti faciat inſidioſas illorũ fraudes, vt amoris ſui teſtẽ vocẽ ob id contineat, aut reprimat. Nec tãtũ is populus admonetur, hos vt negligat fucatos amicos ſuos, ſed etiã vniuerſè admonemur omnes, eorũne nos aui cõſilijs duci, aut artibus decipi, aut impugnatione vinci ſinamus, qui ſe amicos Dei ſimulant, ac veris Dei amicis immiſcent, quales multi eorum ſunt, qui ad Chriſtianorum aggregantur numerum: vnde in Hebræo non tam amici nominantur, quam ſodales, aut ſi verbum pro verbo redditur adiuncti, atque aggregati. Nam ſub Chriſtiano nomine, interque eos qui dici ſe & haberi volunt veræ pietatis cultores, multi latent, atque occultantur erga pietatem ita malè animati, vt quod ipſam à ſe profligarunt, eo non contenti, etiam ex aliorum animis eliminare illam pergant, & quod in ipſis eſt, nullo eam loco conſiſtere ſinant. Nam quoſcumque vident id agere, vt bonis & antiquis moribus ſuum animum ornent, ſeque Chriſto commendent, eos contra obſtinato animo pugnant: interdum quidem aperta vi, plurimùm autem dolo, atque ijs artibus, quarũ ad inſidiandum & occultè nocendum maxima ſolet eſſe vis. Qua in impugnatione ſibi proponunt, primum, vt ad ſimilem ſuæ vitæ ſectam, illos inducant: ſin id non poſſunt, illud deinde calumnijs & moleſtijs inferendis conan-

conantur, vt, & illis vitam acerbam efficiant, & alios ſimilium malorum timore perterrefactos abſterreant à præclaris ſtudijs, quo nullum certè eſt aut dirius, aut luctuoſius malum. Nam & caueri qui tales ſunt, difficillimè poſſunt propter communem religionem, qua ſe in noſtram familiaritatem inſinuant: & nocent grauiſsimè, quia, quo id impunius faciant, boniſque perniciem faciliùs creent, bonorum ipſi ſpeciem, atque colorem induunt, & pietatis ementito nomine, religioniſque armis, armantur aduerſus pietatem, atque religionem. Atque vt quiſque optimus, ac maximè ingenuus eſt: ita maximè in iſtorum incurrit odia, eorumque eſt iniurijs expoſitus. Sed nulla tanta vis eſt, quæ fide erga Deum & charitate in eundem ipſum perfectum animum, ipſe ni deſit ſibi, loco mouere poſsit. Nã, vt humana omnia præſidia deficiant, vtq; viciſſe ſibi videantur ij, qui in vno caſu & calamitate bonorũ ſuam fœlicitatem poſitam eſſe arbitrantur: tamen illi vinci nequeunt. Habent enim quo confugiant in omni acerbitate & indignitate fortunæ, ſpei in Deo eiuſque iudicio inuictum præſidium. Quo ſiſi atque corroborati præſidio non admodum curant, quam alij ſcelerati in ipſos & iniurij exiſtant: quam ipſos aut calamitate afficiant, aut falſas de ipſis opiniones in vulgus diſſeminent, perſuaſi futurũ tempus, quando depoſita hac mortalitatis veſte, qua nũc ipſorum animi ſplendor occultatur & tegitur, immurati ipſi in melius ab eo qui reformaturus eſt, vt Paulus ſcribit, Corpus humilitatis noſtræ transfiguratum corpori claritatis ſuæ: hoc eſt, à communi bonorum vita Chriſto Ieſu, qui tunc apparebit immortali vita affecti, & luce circũfuſi cæleſti, cunctis ſpectantibus omnium ætatum hominibus, ipſo eodem Chriſto & iudice, & teſte, & præcone, non modo reſtituentur in eum honoris gradum, vnde deiecti per iniuriam fuerunt, ſed diuinis etiam celebrabũtur *Philip. 3.*

laudibus ad æternitatem, diceturque de illis etiam. Hi
Apoc.7. sunt, qui venerunt ex magna tribulatione, & lauerunt stolas suas in sanguine agni. Itaque tandem ad consortium regni inuitati ab eodem atque assumpti simul cum ipso in sempiterna gloria, & fœlicitate regnabunt. Quare ad hoc tempus anhelant: hunc diem suspirant: in hunc Christi ad orbem iudicandum aduentum, votis omnibus & desiderijs feruntur: sonatque perpetuò in illorum cordibus simul à fide in Deũ, & à charitate, quæ in ipsis erga eundem Deum est, elicita ista vox *Fuge dilecte mi similis esto capreæ, hinnuloq; ceruorum super montes aromatum.* Quæ profectò vox, vt illis plurimum conducit ad ægritudinem leniendam, vtque ipsos spe optima replet, ita fucatos illos amicos, quos sacri scriptores Græca, & apta voce pseudoprophetas, pseudoque Christianos appellant, ingenti mœrore afficit: Christo verò ipsi ita grata accidit, nihil vt ferè sit, quod auditu iucundius à nobis ad illius aures perueniat. Nam qui ab ipso petimus, summa vt adhibita celeritate veniat orbẽ iudicaturus, id sanè petimus, vt magnitudinem potestatis suæ, quę iacere nunc multis videtur orbi ostendens, & in sublime efferens se multorum opinione iacentem, peccati atque mortis imperium omninò deleat: vtque, quod quotidie oramus, cum preces illas ad Deum patrem fundimus, quarum nobis verba ipse Christus prębuit, eius regnũ iã tandẽ adueniat additoniq; suæ subijciat vniuersa, nullo deinceps derelicto, qui repugnare aut rebellare audeat, aut se impiè cõtra ferre, erroribus in vitam disseminãdis, & à vero ipsi⁹ cultu mortalibus auertẽdis: petimusq; præterea, vt multorum de ipsius prouidẽtia querelis finem imponat, vt recta quæ sunt in luce, & in laude constituat, prauâ flagitiosaque notet sempiterna ignominia: vt deniq; fractas iam priori suo aduentu & accisas diaboli vires, & copias, accendi

dendi amplius ad hominem omni potestate illi sublata, ipsoq; addicto & incluso ignibus sempiternis penitus euertens, impijs pœnas, pijs præmia persoluat. Quæ certè omnia glorioſa ipsi futura sunt, iustis lætissima, impijs verò tristia, & acerba Ex quo fit, vt hęc spiritus atq; spõsæ Christũ, vt aduentũ suum maturet hortãtis oratio, pro eo qualisquisq; est, ita ipsum afficiat. Christo namq; ipsi orari se, & tanquam admoneri eius officij sui, quod ipsius maximè est illustraturũ gloriã, pergratũ omninò est: boni verò spe rãtes fore, vt immortalẽ atq; glorioſam vitã aliquãdo adepti, ab omni tandẽ malo atq; molestia liberentur libentissimè, ac suauissimè in eius tẽporis atque dieiassidua & cogitatione, & mentione acquiescunt: impij autem & tyranni, quo nisi iniquissimo animo vocem eã audiant, quæ ipsis cum iniustissimæ suæ dominationis abolitionẽ, tum luctuosissimas calamitates denuntiat? Quam ob rem hortãdi sunt omnes, tales vt esse laborent, qui hanc vocẽ nõ solũ æquis auribus accipiãt, sed etiam cupidè illam ipsi & libenter vsurpẽt: quiq, huius cælestis carminis cãtu Christo grato, ipsis læto, impijs luctuoso atque tristi sine intermissione personent: hoc est, vt Christi aduentum omnes diligant. Quod si semper aliâs id fieri debuit, hoc certè tẽpore, & hoc misero statu Christianæ reipublicæ maximè faciendum nobis est: quãdo videmus pietate eliminata, & omni antiquo more & disciplina deletis, tot vitiorum & quæ vitia semper comitantur, malorum agmina in Ecclesiam, non modo inuasisse, sed domicilium in ea posuisse, consedisseque, ac penitus insinuasse se, & infudisse per eã vniuersam, & in mores abijsse nostros ita penitus, vt omni humana desperata ope, salutis & mutationis in melius, ferè nulla nobis reliqua sit spes præter eam, quæ posita est in Christi aduentu, cuius illustratione aduẽtus impietas est extinguenda. Nam per Deum immortalẽ, quid

mali

mali abest, quod si adesset, nostra tempora miseriora efficere & calamitosiora posset? externus hostis, isque potentissimus, & infestissimus Christiana regna deuastat: nos inter nos collidimur intestinis dissidijs: de religionis doctrina orta dissensio, à paruis primum ducta initijs, ita creuit paulatim, vt innumerabiles populos, atque nationes ab Ecclesiæ corpore diuidens, in errores induxerit pernicioſos & impios. Quod porrò syncerum adhuc, & ab errore doctrinæ liberum ac fidei veræ retinens, manet in Ecclesia, quod quam sit perexiguũ sine graui animi dolore memorare nõ possumus: ita est cõtaminatũ omni peccatorũ genere atq; corruptum: ijs animi morbis laborat, tã exitialibus, tã immedicabilibus, nihil vt esse minus videamur, quã quod dicimur, & nominamur Christiani. Quare instemus omnes, & quo quisq; apud Christũ magis valet gratia, eò instet magis, vehemẽtiusque cõtendat precibus, atq; lachrymis, vt lumẽ vultus sui, qđ infernæ omnes horrẽt acies, amplius cælo inclusum cõtinere nõ velit: vt oriatur iam tandem terris, quas scelerum atque errorum nox densa opprimit: vt adsit denique tantoperè à se adamatæ Ecclesiæ ruenti, idque non tam nostri gratia, quanquam id quoque, quam ipsius gloriæ causa precemur. Nam etsi optabile sit, vt salvis nobis atque incolumibus Ecclesiæ rebus perditis Christus subueniat, suæque ipse consulat gloriæ, cuius grauiter opinio apud plurimas gentes nostra culpa laborat: id tamen si fieri nequit, sique necesse est, vt nostro interitu & regnorum inter se collisione, & imperij ruina aduenienti Christo via muniatur, suæ gloriæ seruiat ipse, de nobis suo arbitratu, quod volet statuat. Statuet autem ille, nisi quod bonum atque æquum sit, nihil. Itaque sub eamus, si ita necesse est, omnes acerbitates nos, debitasque nostris flagitijs pœnas luamus, dummodo nihil sit quod illius aduentum retardet, aut quod efficiat,

ciat, serius vt lætus ille & optatus bonis dies oriatur, in quo Christus de illustri & claro cæli loco cunctis mortalibus se ostendens, iusque rectitudine summa dicens, suum nomen impiorum temeritate, & prauitate obscura tum, vindicauit in splendorem, asseretque sibi honorem suum: cui propriè omnis debetur gloria, atque laus per infinita sæcula, Amen. Ecclesiæ igitur ab ipsius exordio, id est, à mundi initio, per omnes eius ętates vsque ad sæculi finem ducta & in hoc carmine explicata ratio hac fini concluditur.

AD

AD DEIGENITRICEM MARIAM CARMEN EX VOTO.

TE seruante ratem maxima Virginum
Iam portum incolumis, iam teneo, licèt
Iactatus grauiter, dum sua Protheus
In nos suscitat agmina.
Te fas, teque pudor, nudaque Veritas
Et recti studium, & simplicitas potens,
Et frangi indocilis mens bene conscia
Coniuncto sequitur pede.
His tu me socijs æquoris improbi
Mersum Vorticibus lucis ad aureæ
Vsuram reuocas, & melioribus
Lætum constituis locis.
Et donas facilis, qua sacer Idida
Mulcebat Iebusi culmina barbito:
Dum flammæ impatiens pectora saucia
Pandit carmine nobili.
Donatum & studijs Vilibus eripis,
Illatumque polo lucis ad intima
Admittis pauidum templa, animum & noui
Inspiras mihi carminis.
Abscede impietas, iam penetralia
Cæli sacra patent, iam Videor pios
Exaudire sonos, alma canentium
Alterno pede gaudia.

Et sanctos thalamos, hinc bona Virginum
Sponsum turba sonant, hinc nitidus chorus
Lectorum iuuenum, dulcia matris, &
Sponsæ nomina concrepant.
Audin? Quæ teneas dic bone pascua
Quo dilecte cubes dum terit igneus Virg.
Sol cæli medium, ne Vaga montibus
Incerto pede deferar.
O reclude fores sydere pulchrior Iuue.
Virgo, ò cur renuis, nam irruit atra nox
Et Venti resonant, æthereaque aqua
Perfusus madeo caput.
Quæ saltus colitis, callida tendere Virg.
Neruos turba, meo dicite Virgines
Dilecto, Vt properet, nam æstuo, amoreque
Sæuo saucia langueo.
O Nymphæ Hermonides sic capreas manu Iuue.
Sit certa, & celeri cuspide figere
Dilectæ placidum parcite rumpere
Somnum, atque alta silentia.
Vt syluas reliquas, ardua Vertice Virg.
Præcellit Libani culminibus sacris
Cedrus: sic inuenes inter amor meus
Formosum caput extulit.
Adnatas nitet Vt purpureo rosa Iuue.
Spinas inter hians ore, Syonias
Sic formæ egregio lumine Virgines
O coniux mea præteris.

Virg. *Aure an ne cupida vocem ego amabilem?*
An fallor potiùs, quin vocat abditus
Obiectis foribus, quin caput aureum
Inter reticula emicat.

Iuue. *Quid cessas, abijt pulsa tepentibus*
Auris frigida hyems, iam pluuiæ graues
Iam cessant, variè floribus enitet
Tellus multicoloribus.
Iam cantu querulo carmina turtures
Auditi canere, & iam crepuit iugis
Falx in vitiferis, & sua protulit
Ficus dulcia germina.
O surge, ò propera, charior ô mihi
Ipsis vita oculis, surge columbula
Exesus paries, vel caua saxea
Cui dant grata cubilia.
Ostende ò faciem, vox tua personet
Aures sponsa meas, nam neque dulcius
Quicquam est eloquio, nec mage fulgidum
Aut pulchrum facie est tua.

Virg. *Quantum cerua micat montibus auijs*
Quantumque hinnuleus dum pauet omnia
Seu vox insonuit, seu nemus infremit
Dilecte haud secus aduola.
Hæc lecti iuuenes, turbaque virginum
Alternant liquido gutture, cælitum
Applaudet manibus cœtus, & insonant
Cæli læta palatia.

F. LVYSII LEGIONENSIS AVGVSTINIANI THEOLOGIAE

Doctoris, & Diuinorum librorum primi apud Salmanticenses interpretis.

IN PSALMVM VIGESIMVM SEXTVM EXPLANATIO.

ILLVSTRISSIMO D. D. GASPARI QVIROGA, S. R. E. CARDINALI Archiepiscopo Toletano, rerum fidei supremo iudici. F. Luysius Legionensis Augustinianus. S. P. D.

RES aduersas, Quiroga Cardinalis amplissime, vulgo homines in malis ponunt, Stoici in fugiẽdis numerabãt, rectè autẽ institutara tio disciplinaq; Christiana in bonis ducit. Nõ qp acerba & amara, amara & acerba non sint: sed quòd ægris amara quæ sunt, sæpè sint salutaria, ægrotamus autem omnes; laboramusq; alij alijs animorũ morbis. Sed et sæpe accidit bonis præsertim, & Dei amatoribus viris, vt isthæc nõ solũ vtilia ipsis sint, sed etiã vt acerba esse desinãt, atque adeò vt gustatu, atq; perpessu dulcia illis & iucũda reddãtur: tãta est Christi bonitas atque dulcedo erga eos, qui omnes suas spes in ipso collocãt. Quod & ipse, tametsi nullo modo is sim, qui numerari seruis Dei possim, tamẽ benignè me cũ Deo, & clementissimè agẽte expertus in me sum

sum illo meo calamitoso, vt vulgò iudicatur, & misero tẽpore cũ quorũdã hominũ artibus in suspicionẽ læsæ fidei criminose vocatus, semotus ab hominũ nõ solũ sermone, & congressu, sed etiã aspectu per quinq; fere annos in carcere & in tenebris iacui. Ea enim tũ animi quiete atq; lætitia fruebar, quã nũc luci redditus, & amicissimorũ mihi hominũ consuetudine fruẽs, sæpe requiro. Vt mirari satis non possim, quãtus in humanis rebꝰ error, & deceptio versetur, quãq; ab eo qp sunt, pleræq; res aliæ esse credãtur. Illa enim quæ mala esse magna oẽs putãt, & certè ipsa p se si spectẽtur sunt maxima; nihil enim eorũ, quæ, vel animũ ægritudine afficiũt, vel corpori molestiã afferũt, ab illa abesse vita putãdũ est, sed quæ mala credũtur maxima, ea expertus sum voluptatibꝰ dulcissimis esse plena. Neq; id totum ex eo erat, qp me optimæ mẽtis meæ cõscientia cõsolaretur, quaquãet ea me sustẽtabat plurimũ: est enim illiꝰ magna vis, sed cõscientia recta, vt æquo animo feras aduersa facit, nõ autẽ iucũda ea vt sint, efficit. Itaq; leniebat ægritudinẽ cõscientia, sed quod me potissimũ cõsolabatur, neq; cõsolabatur solũ, sed & lætitia interdum perfundebat tãta, quãtam

non queo dicere, vis quædam bonitatis Dei erat immensa, & incredibilis. Qua de vi, ac bonitate diuina, illo, quod dico, tẽpore, dũ extare mihi eius ocij aliquẽ fructũ volo & legendo assiduè, atq; scribẽdo à molestis cogitationibus animũ auoco, in vicesimũ sextũ Dauidis Psalmũ quædã sum cõmentatus: quæ nũc cũ relegerẽ ita me affecerũt, vt ea nõ inutiliter edi posse cẽserẽ, quod itẽ alijs nõnullis visum est. Itaq; illa nũc edo. Edo autẽ, Cardinalis illustrissime, sub tuo nomine ea de causa, quòd p̃ te profectò habeo, ea vt possim edere. Nã cũ causa, liscq; mea sæpe cognosci cœpta eius cognitione varijs rationibus intermissa, et in aliud tẽpus dilata, ita produci videretur, nemo vt vires, aut animi, aut corporis mei tãto oneri sufferturas esse speraret, tu, ea vt cognoscerentur atque terminaretur æquum esse censuisti, cognouistiq; eã ipse per te, & ea cognita, atq; eiꝰ veritate perspecta & crimine, & suspicione criminis exsolutũ, libertatiq;, ac dignitati meæ pristinæ redditũ, me tandem meis, meosque mihi restituisti. Quo beneficio nullum maius in hoc genere, neque à bono viro optari debeat, neq; qui ipse bonus sit vir, possit cuiquã tribuere, à te certè nihil aliud expe-

ctandũ fuit, qui tamet si virtutibus sis ornatus omnibus, tamẽ præ cæteris vnã iustitiã ita coluisti, & adamauisti semper, ea vt te summa integritatis laude cõmendatũ per omnes honorũ gradꝰ adid, in quo es, fastigiũ euexerit. Quò etiã mihi gratius, & honestius fuit absolui tuo iudicio, hoc est, vt ego interpretor, & vt omnes, quibus tua est nota virtus: cui autẽ ea sit ignota, quæ clarissima luce, & maximarũ rerũ administrationibꝰ sit semper versata? Itaq; eò mihi gratiꝰ fuit iudicio absolui tuo, id est, iudicio, vt omnes norũt, veritate ipsa subnixo, nõ gratia alicuius eblãdito, aut expresso. Quare integritas tua innocentiæ mihi magnũ testimoniũ reddidit, eadẽq; effecit, liceat vt mihi lucis iã, atque vitæ libero vsu fruenti, huius generis quædã edere: eisq; edendis & ad te mittẽdis nõ solũ accepti abs te beneficij memorẽ me esse ostendere, sed etiã mei memoriam in te renouare. Sed alia aliàs, nunc huic libello velim pro tua humanitate des locum inter tuos libros, paruo illi quidẽ, sed quamuis paruo, tamẽ & multis nominibus tibi à me debito: & meæ in te summæ obseruantiæ omnibus fidem facturo. Vale.

IN PSALMVM VIGESIMVMSEXTVM

EXPLANATIO.

QVamquam hic Psalmus apud Hebræos ανεπιγραφος est, idest, sine historiæ argumento, tamē, quod è Græca inscriptione colligitur, videtur scriptus à Dauide esse, quo tēpore Saulē fugiebat, atq; ea occasione potissimum, quòd ad ipsum Ceilæ cōmorantem cōfugisset Abiatharus sacerdos eiusdem Saulis & ipse iram & crudelitatem declinans. Nam cū Dogæus quidā genere Idumæus Saulis Regis libertus ad ipsum Regē detulisset Nobe in ædibus summi Sacerdotis Achimelechi Dauidem versatum, ab eodem fuisse adiutum, & consilio, & armis, & cōmeatu, ira exarsisse Saul scribitur, & vt sunt Regum in ira præcipitia consilia, Achimelechum ipsum ad se accersitum, & cum eo magnum sacerdotū numerum ferro interemisse, & vrbem Nobem, ad quam, ne suspicio quidem criminis pertinebat, excindi mandasse etiam traditur. Hac igitur ex cæde & vrbis ruina tāta vnus cùm euasisset Abiatharus Achimelechi summi Sacerdotis filius, & ipse Sacerdos summus ad Dauidem se contulit secum deferens Ephod. Id autem fuit apud Hebræos sacræ vestis genus, quo sacerdotes illorum, cùm diuina responsa requirebant, semper vtebantur. Quæ res Dauidi dubijs in rebus præsidio ac saluti fuit. Nam quoties consilia sua explicare ipse non poterat, quòd vel imminere sibi aliquod periculū metuebat, vel hęrebat in rebus dubijs oblata sibi sacerdotis & sacræ vestis opportunitate vtebatur, & per Abiatharum diuinum consulebat oraculum, eiusque admonitu, quæ instabant, mala declinabat. Cuius rei ex-

experimētum cœpit paulò post Abiathari ad ipsum aduē tum. Opem ferebat Dauid per ea tēpora Ceilæ Iudæorū vrbi, cuius ex agro hostes Syri prædas agebant. Id cum Saul cognouisset Dauidis opprimendi occasionē, cui rei semper studio imminebat, eam optimam arbitratus, cōparata militum manu Ceilam versus ire cœpit, quod cum incertis rumoribus fama ad Dauidem pertulisset, suspicio illi obiecta est & metus non leuis, nùm se Ceilani proditurі essent, & Sauli tradituri. Qua de re Deum per Abiatharum consulens cum oraculo didicisset fore, magnum vt vitæ periculum adiret, siquidem diutius Ceilæ moraretur ob Ceilanorum in ipsum perfidiam, Ceilā maturè reliquit. Igitur in ipso aduentus Saulis & copiarū ab ipso comparatarum primo nuntio, atque metu, vel certè statim postquā oraculi admonitu laqueos exuit Dauid in quos imprudens se induit, credibile est hunc Psalmum esse confectum, cuius exordia gratulatione de periculo, quod Dei admonitu euaserat, cum tacita quadam & amara hostium suorum irrisione constant, extrema verò in imploranda ac sibi ampliùs concilianda Dei ope atque gratia ad ea propulsanda pericula, quæ restare videbat, versantur. In quo etiam mentio quædam fit eius temporis, cum in tabernaculū Dei ex fuga primū se recepit, ibiq; delituit eo vsque quoad se ipse collegit, cuius diei atque facti recens, scilicet, memoria adhuc in illius animo residebat. Cum igitur sanctus Dauid partim lætaretur, quod oraculi admonitu præsens periculum vitauisset, quodque sibi potestas esset Deum, quoties vellet, suo arbitratu rogandi: partim sibi adhuc vehementer metueret ab hostibus suis, quorum quamuis impias manus effugerat, tamen eorundem cruenta odia & insidiæ perpetuæ, quem tandem exitum habituræ ad extremum essent, per-

2. *Reg.* 23.

timiescebat: cumque ob eam causam fluctuaret animo alternis & spei, & timoris fluctibus agitatus tandem ab ipsis experimẽtis fiduciam concipiens Dei auxilium sibi nõ defuturum, inanes illos, & degeneres metus coercuit, & trãquillitate animi ac serenitate cõstituta lætus ac bonæ spei plenus in has voces prorupit. Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Quas quidem voces ita Dauid ex sua persona protulit, vt prophetico, quo excellebat spiritu, in Christũ Iesum, cuius humana vita quamuis ærũnosa & telis inimicorum obiecta, tamen summis Dei præsidijs communita fœliciſsimum exitum erat habitura, optimè quadrare præuiderit, & ex persona illius præcipuè accipi voluerit In quo etiã illud intellexit formulam quandã cũ Deo agendi à se in hoc Psalmo præscribi, qua cuncti ærumnosi atque miseri, qui in vnius Dei præsidio cõfiderent, cõmuniter vti possent. Quæ res nobis in causa fuit, vt hũc præcipuè Psalmũ interpretari vellemus, qđ eius pleraq; omnia hoc meo tẽpore aptè à me, & verè vsurpari posse viderẽ. A quibusdam enim hominibus, quos nõ iniuria aliqua ipsis à me illata, sed industriæ meæ opinio nõnulla mihi reddidit inimicos, insidioſisimè circunuẽtus, & calumniis oppressus non solum pristinis meæ vitæ bonis atque ornamẽtis careo, sed etiam hoc cõmuni spiritu, atque libero excludor. Quo in malo, hoc vno solatio me consolor, quo ex sacrarum literarum lectione & meditatione diuinæ bonitatis afficior. Nam cum aliquid benignè & misericorditer à Deo factum, aut cùm innocentem aliquem de inimicorum manibus liberatum in eis literis lego, aut cum Dei prouidentiam atque bonitatẽ Dauidem ita pleno ore prædicãtem in his carminibus audio, suaſque in Deo omnes spes collocantem ipsum conspicio, diuinæ mihi bonitatis atque prouidẽtiæ in animo tãtũ elucet lũmen, tãtaque excitatur, atque existit in me bona

na spes, vt minime dubitem, quin noſtris ille rebus, id est, veritati, cuius nunquam deserit patrocinium, subuenturus aliquando tandem sit, & magnum atque præsens auxiliũ allaturus. Qua spe fretus omnes huius mei casus molestias facilè & æquo animo perfero, nonnunquãq́ue & ipse cũ Dauide dico. Qui tribulãt me inimici mei, ipsi infirmabuntur, & cadent: illudq́ue sæpiùs, quod in hoc ipso carmine scribitur. Insurrexerunt in me testes iniqui, & mẽtita est iniquitas sibi: meq́ue rursus illis verbis confirmo: quoniam pater meus & mater mea dereliquerũt me, Dominus autem assumpsit me: illiſq́ue maximè. Si consistãt aduersus me castra non timebit cor meum: si exurgat aduersus me prelium in hoc ego sperabo. Sed de nobis aliàs, nunc Dauidici carminis interpretationem aggrediamur, quod ex persona Dauidis nobis enarrandum in primis est, sic tamen, vt cùm visum fuerit ad Christi personam propriè & ad miserorum communem causam vniuersè tractandam liberè digrediamur. Iam igitur, quid dicat, audiamus.

DOMINVS *illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, à quo trepidabo?*

IVRE tu quidem ista sancte Dauid: nam si Dominus lux tua est, quę tanta malorum nox potest irruere, quæ mẽtem tuam tenebris errorum inuoluat? Si idem salus, quis tibi à morte potest inferri timor? Si robur tibi, atque vires Deus suppeditat, quem contra quamuis infestiſs. hostem non cõsistes? imò quas hostium copias non delebis? Tria bona commemorat, lucem, salutem, robur, quibus animi vita continetur. Etenim totidem infestamur malis. Nam aut ignorantiæ tenebris à vero aberramus, aut animi imbecillitate & tanquam morbo à recto deficimus, aut hostili & externa vi impellimur ad malum. Itaq́ue noſtri Theologi beatæ vitæ consequendæ rationem, & instrumẽtum

omne in his rebus positũ & collocatũ putant Primùm,si Deus nostræ menti veritatis lumẽ præferat,deinde si infusa cælesti iustitia animũ languentẽ sanet, postremò si aduersus hostiles infestationes,& insultus cõtinẽter ipse nos protegat,& robur nobis adijciat ad perseuerãdũ in bono. Atque vt isthæc Dei dona in se agnosceret sanctus Dauid, & ea cũ lætitia & gratulatione prędicaret,rebus ipsis,quas paulò ante expertus fuerat,adducebatur.Nam cũ Ceilæ in maximo vitæ discrimine versaretur,idque ignoraret ipse, Deus illi & dubitanti lumen oraculo prætulit,& periclitãti salutẽ fuga attulit,& fugienti pro arce munitissima fuit: quippè qui illum in tutissimis locis collocârit. Itaq; lumẽ ad oraculum redditũ,salus ad declinationẽ instantis periculi, protectio ad opportunitatẽ loci editi atque muniti, in quẽ se contulerat,referenda sunt. Quibus rebus cõmemorandis cũ sibi Dauid gratulari intelligẽdus est, vt ante dixi,tum etiã cõfirmare & erigere animũ suũ ad deinceps intrepidè agendũ,& si quæ adhuc timoris vestigia in eius mente remãserant,ea huius à Deo accepti beneficij recordatione delere atque obliterare,& cum animo suo quodã modo ita loqui censendus. Quid agis anime? quid paues? quid causę habes,cur iam amplius sollicitere? est ne in quo nocere tibi hostes tui possint? nũ dolo te,aut consilio præuertent? nùm viribus aut copijs superabunt? Deus tibi lumen præfert,quid agere,à quo tibi cauere debeas per singula momenta te docet: Deus ponit pedes tuos tanquã ceruorum, & in excelsis te atque munitis locis ab incursu inimicorum tutum constituit: idem exhibet se tibi & in itinere ducem, & in fuga comitem, & in exilio sociũ: idem & in rebus dubijs consilio,& in anxijs solatio, & in formidolosis ac periculi plenis auxilio te iuuit:scis hæc ita esse,expertus ipse es, degenerem ergo & inanem timorẽ pone atque abijce:etenim tàm longè abesse debes ab eo quàm,

quãm longè abes à periculo,à quo,quando salus tua Deo curæ est, profectò abes longissimè. Sed Dauid optimus vir,atque sanctissimus, vt de fauore & auxilio Dei lætaretur, adducebatur ijs beneficijs, quæ paulò ante plurima atque maxima Deus in ipsum contulerat: vt verò speraret id sibi perpetuum futurum, egregia quadam, qua se pollere apud Deum non nesciebat gratia, consequebatur.Nos autem quicumque eiusmodi sumus, vt cupiditatibus deuicti nostris Deum nobis iratum nostra culpa reddiderimus, cùm mala insurgere & obsidere nos incipiũt, cumque incidimus in aduersam aliquam,& acerbam fortunam, qua spe niti poterimus? ad cuius auxilium confugiemus? cui salutem commendabimus nostrã? quibus copijs confisi minas, & insultus malorum despiciemus? vtrũ nobis peccatoribus, & flagitiosis, & à Dei gratia nostro peccato repulsis idem, quod homini sanctissimo dicere atque iactare licebit? *Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo?* Est ille quidem lux atque salus proposita omnibus, sed ego miser meis peccatis me ea luce priuaui, & in densissimas tenebras conieci. Adfert Deus salutẽ quod ad se attinet vniuersis, sed ego peccando salutem diuinam à me repuli, & perniciem certam mihi accersiui. Quid ergo est? deficiam animo, & aduersis succumbam, meque inimicis meis vinciendum & constringendum tradam? minimè istud quidem,vt cedam atque deficiam, resistam potiùs atque hoc ipso acriùs ac vehementiùs,& precibus,& votis contẽdam: etsi mihi facultatem mea flagitia ademerunt communiter cũ Dauide dicendi, *Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo?* at profectò nulla res obstiterit, quominùs submissè & suppliciter dicam, Domine esto lux mea, esto salus mea ne timeam. Quare desperet nemo, nec se ab huius orationis communione excluſum quis putet: nam siuè gratia apud Deũ valet,

let,& potest certè idem quod Dauid verè dicere:siue gratia Dei priuatus est,& potest pœnitendo assequi idem vt dicat,quandoquidem quam certum est Deum suis pro luce in rebus turbidis,& pro salute esse, tàm exploratum esse debet eorum,qui deserta iniquitate ad hunc numerum bonorum virorum aggregare se velint,nemini aditum intercludi.Nam quí fiat,vt Deus ad bonam mentem redeũtes ab se repellat,qui viæ atque virtutis oblitos & in peccatis morantes blandissimè vocet? Vocet dixi, imò hortetur,imò illis,modo ipsum audire velint non solum delicti veniam,sed iustitiæ atque gratiæ apud se magnum gradũ, firmumq; ad benè viuendum suæ prouidentiæ præsidiũ, atque adeò post bene actam vitam opes immensas, & præ
*Matt.*11,, mia sempiterna polliceatur.Venite, inquit,ad me omnes,
,, qui laboratis,& onerati estis, & ego reficiam vos: & per
Psal. 144 Prophetam.Propè est Dominus omnibus inuocantibus
,, eum,in veritate.Quare si propè adest, vel certè quoniam semper propè adest ijs,qui ipsum inuocant opem paratus afferre, inuocemus audacter ipsum omnes, & cum Dauide dicamus alacriter tũ illud, Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Tùm hoc, quod statim subijcitur.

DVM appropiant super me nocentes,vt edant carnes meas: qui tribulant me inimici mei,ipsi infirmati sunt,& ceciderunt.

QVOD Dauid dixerat à Deo salutem atque præsidiũ sibi esse paratũ, quodque ea de causa imperauerat animo suo,nullos vt hostium conatus metueret,id ne quis fortasse arbitraretur,ab inani fiducia potiùs, quàm à veritate ipsa profectum,& arrogantiùs quàm veriùs dictum esse iudicaret:argumento ducto ab ijs rebus,quas expertus ipse in se esset, probat atque confirmat, Cùm enim, inquit, aliquando hostes in me mei irruissent feri & cruoris auidi (quod vel ad illud tempus, cùm domum ad Dauidem à Saule

Saule sunt missi satellites,qui illum cubantem obtruncarent,vel certè ad hoc,quod dicimus, fuga euasisse periculum,quod ipsi à Ceilanorum perfidia imminebat,est referendum.) Igitur,inquit,cùm odio inflammati, & sanguinis mei hauriendi cupiditate incensi sæui atque truces hostes instarent,mihique ipsi nulla expediendę salutis cõmoda ratio videretur esse reliqua, in ipso illorum ad me opprimẽdum cursu, & lethalem plagam inferendi tempo ris articulo illi spe sua frustrati miserè corruerunt, ego autem lætus euasi.Quæ huius versiculi sententia,etsi satis cõmodè expressa est in ista, qua vulgò vtimur iure probata, & cunctis Latinis editionibus antelata editione Psalmorum:tamen mirè elucet in Hebraico sermone, verbum si pro verbo reddatur,hoc videlicêt modo. In ipso appulsu nocentium aduersus me ad edendum carnem meam hostes quidem & inimici mei in me, at ipsi impegerunt & corruerunt.Sic enim legimus inimici mei לי .cuius vocu læ hoc loco magna vis est ad irruentis,vt diximus, & iam plagam penè inferentis hostis incursum declarandum. Quod autem Græci interpretes verterunt κακοῦντας, id est, nocentes,& Hieronymus in germana illa Psalmorum ex Hebræo traductione vertit maligni,id,quoniam Hebræũ verbum מרעים paruo punctorum vocalium discrimine, vel malefaciẽtes significat,vel amicos,fortasse aliquis hoc potiùs modo isto loco id verbum accipiat,nulloque recti sensus periculo vertat. Dum appropiant super me amici mei, vt edant carnes meas:eos vt homines Dauid simulatè appellet amicos, qui cum amici illi esse deberent,quòd ab eo multis ac magnis beneficijs affecti essent:necem tamen ei,& interitum moliebantur, quales erant Ceilani. Nam quos capitis sui periculo ab hostium incursu tutos reddebat ipse, quosque ob recens beneficium fideles futuros arbitrabatur sibi, eorum perfidia penè proditus

tus fuit. Hos igitur, atque his similes alios appellat sodales suos Dauid, omni, scilicèt, hoste nocentiores amicos: vtrosque autem, & hos fallaci specie tectos inimicos, & illos apertos & professos suos hostes Saulem, Saulisque satellites, quos צרי, id est, oppressores suos vocat in ipso aggressu, & prædæ capiendæ articulo præda è manibus elapsa falsos spe atque delusos turpiter corruisse, cum gaudio & irrisione commemorat. Atque harum quidem rerum, quæ his duobus versiculis continentur, nimirum & periculi amicorum fraude creati, & belli per eos qui se profitebantur hostes, illati, & ad opprimendum hominẽ innocẽtem coitionis factæ ab vtrisque: ad hæc in ipso penè certaminis conflictu diuinitùs oblati præsidij, cum innocẽtis salute, & hostium ignominia atque ruina tanquã vestigia quædam, atque signa in ijs rebus, quæ Dauidi euenerunt, reperiuntur impressa: imago tamen vera in Christi Iesu humana, atque mortali vita sic extat, vt minimè dubitari debeat, quin eam sibi propositam habuerit Dauid, cũ ista canebat. Nam vt præteream, quæ superiori versu dicũtur, proprias Christi voces videri. Etenim alij, quamuis iusti viri, de diuina luce splendoris aliquid ad se deriuant, & de immensis Dei opibus nonnullas ad se transferunt copias, & de illius infinita vita nonnihil, quod tamen ipsis satis superque sit, hauriunt & accipiunt: neminitamen ipsorum datur, ipsa vt met vita atque luce Dei viuat atque illustretur. At Christo Iesu, in quo corporaliter, vt Paulus
Coloss. 2. scribit, plenitudo diuinitatis inhabitat, communione quadam diuinorum bonorum, & cum Dei verbi persona humanæ naturæ ineffabili vnione, ipse Deus pro salute, pro vita, proque fortitudine est. Itaque vt hoc prætermittam propriè Christo cõpetere, vt dicat, *Dominus illuminatio mea, & salus mea quẽ timeb.*? quis hunc alterũ versiculũ audit, cui nõ statim in mentẽ venit illius noctis, in qua Dominus Iesus

sus impia Iudæorũ, & Romanorũ militũ manu cõprehensus, atque vinctus fuit? Nã quis vnquã amici personatecẽtus inimicior cædisque auidior fuit, quã proditor Iudas? quisue accessus, atque congressus, aut in speciẽ magis blandus, aut re ipsa magis hostilis eo eiusdẽ Iudæ ad Christum accessu esse potuit, cũ ipsum deosculatus militibus, qui Christũ comprehensuri venerant, quibusq; se ille ducẽ præbuerat, ea re signum dedit ad comprehendendũ: & quod erat pacis & amoris symbolũ, eo pro classico ad ineundũ prælium vsus est? Quid? nonne & hunc occultum hostem, & alios palã inuadentes inimicos sola voce Christus ita perterrefecit atque prostrauit, vt quod reliquum est huius versiculi, quodque sequitur, *Qui persequuti sunt me inimici mei, ipsi infirmati sunt, & ceciderunt*, in re gesta dici, non vaticiniũ de futura esse iure omnibus videatur? Quamquam non in illa nocte modo atque in illis tenebris hostes in se irruẽtes Christus deuicit, sed multò veriùs postera & in sequẽti die media luce, cùm ab eisdem indignissima morte affectus est, ipso illo actu moriendi, ipsoque extremo spiritu debellauit. Debellauit, inquam, tùm Iudæos funestæ illius cædis satellites, & ministros: tùm Sathanam, Sathanæque addictas aëreas potestates tanti sceleris duces & authores, sicut Paulus scripsit. Spolians principatus, & po- Coloss. 2.
testates traduxit confidenter palam triumphans illos in semetipso. A cuius enim vita dæmones suæ tyrannidi arbitrati sunt exitium imminere, quemq; ob eam causam interficere studuerunt, is moriẽs domos illorũ euertit, regna vastauit, imperiũ extinxit, hominesque eos, quos captos illi & constrictos tenebant, in lucẽ libertatis asseruit, ipsosq; hostes Christus non quidẽ illos repellendo aut se contra inferendo, sed sustinendo, & telum quodammodo totum corpore recipiendo vicit, & contriuit, ipso scilicèt, illorum incursu atque impetu, probè vt naturam illius

Matt. 21. lius referret lapidis, quo de scriptum est: Qui autem ceciderit super illum, conteretur. Nam & hæc illi nequissimo serpenti tanquam fata iam inde ab initio Deus præcine-
Genes. 3. bat, cum ei dixit. Tu insidiaberis calcaneo eius, ipse autem conteret caput tuum. Colubri enim in obuium aliquem impetum interdum faciunt, & pedem ei mordent, nam altiora ore petere nequeunt: id cùm accidit, sæpè etiã euenire solet, vt is, cuius mordetur pes, calce comminuat colubro caput, quod ille nocendi causa pedi propè subiecit: ita fit, vt coluber, dum alterius lædit pedem, ipse in capite plagam accipiat, eamque accipiat ipso eodem pede quem petebat percussus, & quod primum erat, non petitus ad necem, sed petens ipse alium. Eadem igitur illi hosti, qui cum natura optima esset conditus, suaque ipse sponte prauus effectus esset serpentis astum imitatus, eiusque in se sucipiens formam lethale in nos virus infudit, euentura prædixit Deus: siquidem vnquam ausus fuisset, vel potiùs, quoniam futurum erat vt auderet calcaneum Christi adoriri, quod & euenit. Nam primùm, dum omnia venena sua aduersus Christum expromit in carne Christi, & in eius humana vita lædenda, quæ infima, & terræ veluti proxima pars illius est, constitit ipsius omnis impressio: ipse autem & regno, & malè parta dignitate spoliatus in capite, vt minimũ lethalem accepit plagam. Deinde non à Christo ille circumuentus aut in certamen euocatus est: sed circumueniens ipse Christum, & impetum in illum faciens sibi pestem conciuit. Postremò victus est neque magnis copijs, neque armorum aliquo genere inaudito & nouo, sed ea ipsa re, in qua, vt sibi visus est, superior erat, eo pede, id autem est, carne ea, cui vulnus intulerat, ea vita, quam morte extinxerat, atque adeò ipso illo à se illato vulnere atq; morte malè ipse & perpetuò perijt. Nam è Christi sanctissimo corpore vulneribus confosso immensa vis pretio-

pretiosissimi sanguinis profluens, beatum quidem piorũ hominum populum à peccatis atque à delictis expiauit & emundauit omnibus: AEgyptios verò insequentes, hoc est, dæmonum bonis viris infesta agmina vndis illis sui sanguinis veluti obruta deleuit, & extinxit. Itaque quam antiquus ille serpens Christo molitus est necem, ea exitialis ipsi fuit, & vt scriptum est. Incidit in foueam quam fecit. Et ad Christum oppugnandum aggressus in ipsa aggressione, vt hîc dicitur, infirmatus est, atque cecidit. Sed iam ad Dauidem reuertamur.

SI consistant aduersus me castra, non timebit cor meum: si exurgat aduersum me prælium, in hoc ego sperabo.

QVAE est ex tota superiori oratione collecta sententia, qua sanctus Dauid de eo, quòd suas res Deo curæ esse videbat, fiducia concepta asseuerat tantùm abesse ab eo, vt suorum hostium minis moueatur, vt ne, si se vndiq; obsideant atque circunstent, in timore futurus sit, etenim sibi spem addi ea re, non metum iniici. Sed quod dicitur. *In hoc ego sperabo*, ambiguum videtur, vtrum in Deo, an in ipso eodem, cuius meminit, bello spem suæ salutis cõstituat, sed hæc ambiguitas in oratione Latina est, nam in Græco, & Hebraico sermone, quod ex codicibus Græcè liquet, & Hebraicè cõscriptis nulla plani sensus latebra, aut obscuritas latet. Nam in Hebraico sic. בזאת אני בוטח Septuaginta porrò. ἐν τούτῳ ἐγὼ ἐλπίζω, in quibus satis apparet, Dauidem hîc bellum, atque hostium castra demonstrare, & in eis ipsis hostium suorum armis spem incolumitatis suæ posuisse dicere, quo magis ex eo perspiciatur diuinæ potentiæ magnitudo. Nam profectò qui Deum piè colunt, id ab eo roboris in animo accipiunt, vt in desperatissimis suis rebus non modò non frangantur metu, sed etiam, vt ea ipsa, quæ sibi aduersa esse & inimica vidẽt, pro ipsis stare, & pro instrumentis ad victoriam obtinendam sibi esse arbitren-

tur: neque temerè id, aut sine idoneo argumento, quòd sit maximè proprium magnitudinis & sapientiæ summi Dei, consilia & conatus malorum hominum in suam ipsorum perniciem conuertere: eosque capere atque irretire suis ipsorum artibus. Etenim illud est maximum victoriæ genus cùm hostes nostri ijs ipsis, quibus fidunt, & armis à nobis & artibus superantur. Quod vt planiùs intelligatur, altiùs ista nos & tanquam à capite reperamus. Duæ sunt rationes, siuè duo tempora potiùs, (nec enim plura esse possunt,) in quibus seruis suis Deus opē solitus est, & præsidium afferre. Nam aut præuertit mala atque aduersa antequam aduenient, & eorum causas præcidit, aut postea quam aduenerunt, & in seruos ipsius incumbentia eos oppresserunt admirabili aliqua nec opinata ratione dispellit ea & ad nihilum redigit. Quarum rationum illa prior suauior fortasse ipsa est, & optabilior ijs præsertim, qui parū adhuc in virtute profecerunt, quique nondum satis viriū collegerunt in animo suo ad malorum acreis morsus fortiter perferendos. Talibus enim optandum est vitæ huius tanquam nauigationis cursum sereno cælo, marique tranquillo sine ventorum insultu, & sine iactatione conficere. At verò alia ratio posterior, cùm præstabilior iudicatur esse, tùm à Deo sæpiùs vsurpatur: propterea quod & vtilior nobis est, & Dei gloriam illustriorē reddit. Nobis enim reflantes ventos nonnunquam, & aduersa tempora pati valdè quidem est vtile atque conducens, vel ad animi parandam virtutem, vel ad eandem, siquidem iam parta sit, alendam, & quando interdum sopita iacet excitandam: glorioſum autem Deo, quæ superari nullo modo humanis viribus atque consilijs mala possunt, ea, cùm se maximè corroborauerunt, maximèque exaggerata sunt, nullo negotio & tanquam nutu dispellere, & charos ipsi populos ab impijs hominibus prædæ loco habitos, è medijs ipso-

ipsorum faucibus eripere, suisque ipsos euertere & machinis, & consilijs. Quo de genere illa sunt, quæ sanctus Moses mare rubrum transgressus Deo scribitur cecinisse: vt, Dixit inimicus, persequar, & comprehendam, diuidam spolia, & implebitur anima mea. Euaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea. Flauit spiritus tuus, & operuit eos mare, submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus. Quis similis tui in fortibus Domine? quis similis tui, & faciens mirabilia? & quæ sequuntur. Nam profectò aduenientia mala antè videre, & illorum impetum auertere, aut certè ipsos malorum fontes excindere, est illud quidē ad beneficii rationem peramplum, sed ad fidem faciendam de bonitate, & potentia Dei ambiguū, & obscurum. Id enim à Deo administrari, atque fieri ita homines ipsos, de quorum agitur salute, sæpè latet, vt quoniam mali quod instabat periculum non fecerunt, quale, & quantum beneficium acceperint, nonnunquam etiā vtrum omnino acceperint, nesciant. Quòd si & ipsi malum imminere sibi aliquod aliquando cognoscant, atq; ad præcauendum id, atque vitandum, aliquid ipsi operentur & faciant, itaque accidat, vt vitent, quod impendebat malum, atque declinent: tametsi ipsi sibi re ipsa auxilio nō fuerint, tamen fuisse auxilio sibi putant, suasque partes in tuenda salute sua nonnullas fuisse gloriantur: neque pati possunt æquo animo vllo modo, vt Deus, cuius vnius cura atq; sapientia mali cursus aut impeditus est, aut aliò cōuersus, solidam istam gratiam ab ipsis incat. Ex quo fit, vt Deus, qui & suæ gloriæ studioſissimus est, & salutis nostræ cupidissimus hanc viam auxilii ferendi minus sæpè frequētet: illud verò alterum iter sæpiùs insistat, idque adeò interdum studioſè faciat, vt obliuiſci seruorum suorum nōnunquam, & lentè ac remissè agere videatur: impios furere homines, & in bonos impotenter sæuire, ac bacchari

Exod. 15.

permittens, quo paulò post ex eisdem illis, qui se iam pro victoribus inferebant, deuictis atq; mactatis, & seruis suis eis, quos periculo eripuit, maiorem causam lætandi, & reliquis mortalibus vniuersis laudandi se, atq; celebrandi vberius argumentū exhibeat. Sicut scriptum est. Dicturus est Pharao super filijs Israël, coarctati sunt in terra, mare illos concluſit, & indurabo cor eius, & persequetur vos, & glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu eius. Quod ipsum re præstitit: nec ex innumerabili copia exēplorū, quæ nobis suppeditant sacræ literæ, ad id, de quo agimus, magis accommodatū, magisque illustre exemplum vllū proferamus. Nam cùm Iudęorum populus, qui Mose duce decedens ex AEgypto fœlicia Palęstinæ loca, & auitas sedes petebat, in varia pericula incidisset, Deo id non permittente solùm, sed quodammodo agente, in ipso periculorum, ac discriminis summo articulo præsens illi auxiliū, atq; salus semper ab eodē ipso Deo mirabiliter est oblata adeò, vt totum illud iter, quamuis, & spatijs locorum, & temporis diuturnitate longissimum non magis castris, & stationibus Iudæorum, quàm in ipsorum periculis auxiliorum diuinitùs collatorum notis atq; signis fuerit distinctū. Excesserunt ex AEgypto, cedentes paululumq; progressos, & in iniquum locum adductos AEgypti Rex Pharao magnis copijs maxima celeritate collectis ipsos insequutus est: hic cum neque resistere inermes armatis possent, neq; se in fugam dare locorum iniquitate cōclusi, quòd abvtroque latere vasta solitudo atque montes, antè verò obstaret obiectū mare, à tergo autē hostis instaret, diuisit Deus subitò aquas maris, viamq; per medios fluctus dedit populo suo: quam viam Iudæi ingressi, incolumes in aduersum littus peruenerunt: AEgyptios verò, qui eadem via ausi sunt Iudæos insequi, diuisæ aquæ vnà rursum coëuntes miserè immerserunt. Vix mare traiecerant, cùm laborare

Exod.14.

re cœperunt fame, atque escarum inopia: cui inopię Deus & statim & copiosè subuenit. Nam cælesti rore concretū cibum suauissimum illis dedit, neque dare destitit, quādiu in desertis illis locis versati ipsi sunt, id est, per annos quadraginta. Nec multò post, cum aquæ penuria premerētur, scaturire è rupe fontē fecit. Idem rursus serpentem erexit æneum, cuius aspectu sanarētur, quicumq; venenatorum serpentum morsu saucij essent: sauciabātur autē quotidie plurimi, magnoque cum dolore atque cruciatu vitā amittebant, quòd ea loca venenatis serpentibus abundarent. Sed quid singula persequor, quæ cùm innumerabilia sunt, tùm omnibus, qui diuinas literas legent, sunt æquè atque mihi nota? Illud tantum dico, cum ijs malis ille populus premeretur, vt miser omninò esse, & ærumnosus ijs, qui procul ipsum aspexissent, videri omnibus posset: factū tamen esse Deo in ipso tempore auxilium illi semper, atque opem ferente, vt non solùm mali expers esset, sed vt etiam fœlix & beatus euaderet. Quod Esaias vates eisdem de rebus agens scripsit: Et in omni, inquit, tribulatione sua non est tribulatus. Atqui pronum fuerat Deo paucorum dierum itinere, nulla circuitione, nullis ambagibus, nullo viæ errore laborum & periculorum expertes Iudæos in promissæ terræ possessionem inducere. Vtrùm igitur illorum fœlicitati inuidisse putandus est Deus, an potiùs consuluisse & prospexisse eorumdem saluti? prospexit certè saluti illorum, suæque simul in eo gloriæ consuluit. Nam dùm potentiæ suæ & erga illos prouidentiæ tot edit ipsismet spectantibus, & tàm illustria documenta, id assequutus profectò est, vt se deinceps illi, quod ipsorum salutis atque adeò pietatis totius caput erat, & ardentiori prosequerētur charitate, & maioribus quotidie laudibus celebrarent: qui vnus ex tota ista prouidendi, & benefaciendi ratione maximè gratus Deo, atque optatus fructus percipitur. Idigi-

Esai.63.

tur quia cognoſcunt,& ſperant iuſti homines,in malis,videlicèt,& aſperis ſuis rebus auxilium Dei ſibi præſto affuturũ,idcircò cùm in mala incidunt, nõ modò æquitatem animi facilè retinent,ſed etiam in medio ipſo metuendarũ & horribilium rerum tumultu maxima pace, & quiete fruuntur:& quò magis humana præſidia eos deficiunt,eò magis ſalutem ſuam eſſe Deo curæ,& celeriùs ab ipſo auxilium ſibi affuturũ credunt. Itaq; animo erecti atque alacres,ſpeque optima pleni non modò ſe non dant ægritudini atque mœrori, aut humile quidquam faciunt ſupplicìter,& demiſsè:ſed ne,ſi quid fortaſsis opis atque virium in ipſis eſt ad nocendum ſuis hoſtibus, eo aut vtuntur,aut vt iniuriam ſibi ab ipſis illatam alia iniuria repellere, aut omninò parem vicem illis reddere velint, animum ſuum vnquam inducunt,quin potiùs illorum impugnationẽ ſuam propugnationem,inimica ipſorum conſilia ſua eſſe præſidia arbitrãtur,vires,copias,opes illorum pro ſuis ipſi ſummis opibus ducunt ſcientes,quod Paulus ſcribit,quòd tri-
Rom. 5. „ bulatio patientiam operatur,patientia ſpem, ſpes autem
„ non confunditur:dicũtque & ipſi cum Dauide *Si conſiſtãt aduerſum me caſtra,non timebit cor meum. Si exurgat aduerſum me prælium,in hoc ego ſperabo.* Sequitur.

VNAM petij à Domino,& hanc requiram,vt inhabitem in domo Domini cunctis diebus vitæ meæ,& videam voluptatem Domini,& viſitem templum eius.

VOLVPTATEM non voluntatem in emendatis vulgatæ editionis codicibus legimus, cui lectioni Hebræa,atque Græca exemplaria ſuffragantur. Viſitandi autem verbum hoc loco ex Hebraicæ vocis, cuius loco ponitur, ſignificatione interpretatum ſignificat luſtrare, & curioſè inquirere:itaque viſitare templum, quod hic dicitur,idem eſt, quòd adyta illius omnia perluſtrare. Nam hoc deſiderat,aut certè deſiderare ſe dicit ſanctus Dauid, atque

atque ita deſiderare ardenter, vt niſi id adipiſcatur, conquieturus non ſit, nimirum verſari ſemper in ſanctiſsimo templo, & tanquam in oculis Dei, eiuſque ſacri atque pulcherrimi habitaculi optatiſsimo aſpectu ſemper frui, & quotidiano ipſo & domeſtico vſu nota ſibi facere omnia illius quamuis arcana & interiora loca. Quæ quamuis de viſibili, & in terris poſito Dei tabernaculo, cuius ſumma erat apud Hebræos religio, dicantur à Dauide, etenim modò in illo delituerat Saulis iram fugiens: itaque vigebat in ipſius animo eius loci, qui ſibi ſalutaris quidem modò, dulcis autem atque gratus ſemper anteà fuiſſet, maximum deſideriũ. Quamuis igitur hæc de tabernaculo Moſaico dicantur: tamen propriè referenda ſunt ad æthereum, atque inuiſibile Dei templum, & ad cæleſtem cum Deo viuendi rationem eam, qua cum ab hac vita diſceſſerunt pij homines ac ſancti,fruuntur, & in quam ipſe Dauid incenſo ſtudio ferebatur. Nam eius rationis atque vitæ cæleſtis terrenum illud tabernaculũ atque templum imaginẽ referebat. Sed quorſum hæc dicet aliquis? aut quî cum ſuperioribus coniungantur? Optimè illa quidem inter ſe, aliuſque ex alio verſiculus tam nexus eſt, quàm animi affectus, qui hiſce verſiculis explicantur, alij naſcuntur ex alijs. Itaque naturam ipſa imitatur oratio. Etenim ſpes contraria timori eſt, nam timor ex opinione imminentis mali oritur, ſpes ex opinato futuro bono, vnde mali timor pelli nequit niſi boni futuri ſpe: quo fit, vt depulſi timoris commemoratio ipſa ſtatim cogitationem nobis ſubijciat eius boni,cuius conſequendi ſpe firmatus & corroboratus animus timere deſijt. Quæ quemadmodum in cogitationẽ, & in mentem veniunt, ſic etiam in oratione ponuntur, quod certè Dauid hoc loco fecit. Nam poſuerat ſuperiùs, atque affirmauerat, ne ſi vndique hoſtes ipſum ob-

siderent sui, se in timore futurum vllo modo. Sed quæ res istos tibi animos facit sancte Dauid ipsum si roges? qua ve id fiducia iactas? Quia, inquit, nihil mihi ab inimicis posse noceri video. Etenim in ijs rebus spes omnes meas, atque fortunas constitui, quas mihi aduersarij mei nunquam eripient. Nam votorum meorum, atque bonorum omnium hæc summa est. Deo semper assistere, ab eo nunquam diuelli, in splendidissimo cælti loco, quæ propria eius est sedes, perpetuò versari: illis cęlestium spirituum sanctissimis cœtibus iugiter interesse: viuere in luce semper, in gaudio, in veræ gloriæ sempiterno splendore. Mihi omnis ratio, cum virtute est, cum pietate, cum Dei cultu: cætera in quibus casus, & fortuna dominantur, nec ipse valdè appeto, neque ad me planè pertinere puto: in ijs ludat fortuna vt volet, irruāt hostes, atque grassentur, suo arbitratu prædas agant, facilè patiar me ijs spoliari rebus, quas neque pro meis, neque pro bonis vnquam duxi. Meum bonum, vnus Deus est, eiusque diuini boni sempiterna possessio: cuius, vel spem viuo, vel fructum mortuo nemo mihi hostis eripiet. Et sanè duæ res sunt, quæ bonos viros in malis atque in laboribus constitutos, maximè consolantur. Vna est illa eorum spes, quam in Deo opitulatore, atque adiutore suo firmiter collocatā habent: de qua spe superiore versiculo satis est dictum. Altera quod, quæ illi pro suis bonis ducunt, eam naturam habent, vt in hostiū potestatē venire, aut possessoribus inuitis eripi nullo modo possint. Nā hostilis vis cum eousque progressa est, vitam vt eripiat bonis, atque innocentibus viris, vlterius quo progrediatur non habet, id verò si hostes effecerint, sique inuisum sibi bonorum sanguinem hauserint, non modo nihil mali illis attulerint, sed etiam plurimum boni contulerint. Mors enim in hominibus iustis per sophisma quodammodo dicitur. Etenim viuunt tunc maximè cum primū ab his terre-

terrenis, & mortalibus excesserunt locis. Scimus, inquit Paulus, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quod ædificationem ex Deo habemus domum non manufactam, sed æternam in cælis. Id igitur, quia boni sciunt, aut si minus quam Paulus sciunt, certè si per ipsos nō steterit, certò futurū credūt, atq; cognoscūt: erecti atq; alacres fortunæ tela nō modo despiciūt, sed nō nunquā etiam cupidè excipiūt, tanquā suæ segetē gloriæ. Quod si qui sumus, qui aduersarum rerum, vel metu terreamur adhuc, vel præsentia afflictemur, id non tam in ipsa re, quam in errore nostro esse, & idcircò nobis accidere existimare debemus: quia vel ignoramus adhuc veri rationem boni, vel in eo quod compertum habemus, fallacis huius vitæ illecebris deliniti, nondum satis altè, atque firmiter omne nostrum studium defiximus. Quare quicumque huiusmodi sumus, reuocare debemus animum ad meliorem rationem: & vt ipse se, ac sua bona cognoscat efficere. Quæ ille, cum in vna virtute, & ardenti erga Deum charitate ac pietate, ac cælestis vitæ fructu ponenda intellexerit: cumque ad ea consequenda bona, Deo in primis opem ipsi, & auxilium ferente, satis facultatum, atque virium in se inesse perspexerit: cumque eas vires atque facultates sibi inuito adimi non posse, cognouerit: profectò, & bona sua ista, in sua vnius potestate posita ab omni maleuolorum, & inuidorum hominum incursione, & iniuria esse libera iudicabit: & omnes acerbos vitæ casus contemnet: & tanquam de excelso, & munito loco, inanes hostiū suorum clamores vicisse se iam, & debellasse arbitrantiū negliget, atque ridebit: hocque Dauidis ad omnia fortunæ damna, atque tela tanquam scutum opponet. Vnā petij à Domino, & hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini cunctis diebus vitæ meæ. Nam per Deū immortalem, hostis amare quid insolescis? quid potuisse te, atq; 2. ad Cor. c. 5.

effeciſſe tantopere iactas? in quo putas nocuiſſe, aut nociturum eſſe te mihi? Omni, inquis, te dignitate ſpoliabo. At innocenter, atque integra fide actæ vitæ conſcientiam nũ quam eripies. Efficiam, vt de te cuncti homines male, & loquantur, & iudicẽt. At Deus, cuius vnius ſunt incorrupta iudicia, iudicabit benè. Quamquã qui, quæſo, ſunt iſti homines, aut quot, aut quandiu iudicabunt? Quin vitam eripiam tibi. Benè profectò narras, ab inuidorum, ſcilicèt, & maleuolorum, & tui ſimilium hominum grege, ad beatos bonorum virorum cœtus me transferes. Sed ſententiæ huius verſiculi tanquam genus vidimus: nunc ſingula eius verba breuiter percurramus. *Vnam petij*. Libido atque cupiditas plura appetit, neque ſatiatur vnquam: at rectè inſtituta ratio vnum bonũ, quod & ipſum ſummum ſit bonum, deſiderat. Nam neq; bina aut plura eſſe poſſunt ſumma bona. *Petij à Domino*. Rectè à Domino, quoniã vanæ ſunt cogitationes hominum in ſe ſatis virium, atque præſidij eſſe arbitrantium, ad fœlicem, & beatam vitam: aut eam collocantium in aliquo terreno, atque interituro bono. Aliunde enim, id eſt, à Deo ea nobis petenda, & accerſenda eſt: nec ſolùm à Deo poſtulanda, ſed collocanda etiam in ſolo ipſo. *Et hanc requiram*. Omnes quidem veram ſibi fœlicitatẽ optant, plurimi etiã petũt, pauci requirunt: quãdo requirere eſt cura atque diligentia adhibita, iterum atque ſæpiùs quærere. Atqui niſi qui requirunt, ideſt, qui perſeuerantes in ſtudio virtutis inſtant, & tanquam pulſant ad oſtium diuinæ pietatis, atq; clementiæ, eam nulli conſequentur. Verè enim dictũ eſt.
Matt. 24. Qui perſeuerauerit vſq; in finẽ, hic ſaluus erit. Sed quid Dauid requirat, audiamus. *Vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ*. Plurimi ſunt, quos cum virtute verſari, & apud pietatẽ tãquam hoſpitari eo vſque delectat, quoad, ſcilicèt eorũ inteſtinæ cupiditates nimia ipſa copia obtuſæ,

ſæ, atq; cõſopitæ ſilẽt in ipſis, atq; quietẽ agũt: qui ijdẽ cupiditatibus poſtea reuiuiſcẽtibus, & ex interuallo redeũtibus, ad primum earũ aſpectũ, atque vocẽ virtuti hoſpitiũ renunciãt, & ad nota ſibi iuſtra demigrant. Cõtra autẽ ſanctus Dauid, non ad breue aliquod tempus deſiderat verſari cũ Deo: ſed per totam vitã perpetuò cũ illo eſſe, neque hoſpitari apud illũ, ſed in eiſdem ædibus communiter habitare. Intelligens nimirũ, crebros illos & alternos ad virtutẽ acceſſus atque receſſus, illaſque itiones & reditiones animi eſſe non ſolùm leuis, ſed etiã eiuſmodi, quo deſperare non poſsis ipſum aliquando, non dico præclarum aliquid, ſed ne mediocre quidẽ, vel effecturum, vel aſſequuturum *Vt inhabitem in domo Domini*. Aptè hoc eloquitur atque verè. Sola enim beata vita iure domus dicatur: dom' inquã, in qua ſtabilis ad quieſcendũ ſit, & ad ſuauiter inhabitandum ſedes. Nam cæteræ res, quas plerique inſano interdum ſtudio inſequuntur, opes dico, & voluptates, poteſtateſque & imperia, habent illæ quidẽ ſpeciẽ quandã boni, ſed leuem ſpeciem atque fallacẽ, itaq; alliciunt ad ſeſe amœnitate quadam eos, qui vitæ huius iter inſiſtũt, & de via feſſos ipſos, & æſtuãtes collocare tanquã in vmbra poſſunt: diu autẽ illos in quiete continere, aut requieſcendi & commorandi diutiùs apud ſe facultatem illis dare non poſſunt. Idq́ue ita eſſe, vel illi ipſi maximè teſtificantur, qui ſtultitia atq; errore cæci, ipſumq́ue ignorantes domicilium boni ad illa ſpecie ampla, re autem ipſa omni ſupellectile vacua diuerſoria ſe contulerunt. Notæ enim ſunt illæ iſtorum hominum voces: Quid profuit nobis ſuperbia, & diuitiarum iactantia quid contulit nobis? tranſierunt omnia illa tanquam vmbra, tanquam nuntius percurrens: cæteraq́ue quæ in hanc ſententiam plurima lamentantur, quod vnum in omni ipſorum vita verè profectò ſunt loquuti. Veteris enim *Sapien. 5.*
domi-

domicilij atq; fallacis ſubita ruina ſemel oppreſsi, tunc plane ſenſerunt in exitium ſibi id eſſe conuerſum, quod ad requiem putauerunt fore: ſpeq; ſua ipſos miſerè fuiſſe fruſtratos. Quanquam illi ne in ipſo quidem tempore, cũ requieſcere ſibi videbantur, vllum veræ tranquillitatis, atq; quietis fructum, mea quidem ſententia percipiebant. Nam quis ignorat quanti auaris ſuæ conſtẽt diuitiæ? quibus ſit obnoxia moleſtijs, atq; adeo miſerijs honorũ ambitio? quam nulla ſyncera, atque homine digna voluptas ſit in vita voluptaria? imò quot occultẽtur, & quam ſæui ſub horum ſplendore nominum tortores animorũ? Quoniam ſic certè natura cõparatum eſt, vt quãdiu rebus vtimur, quatenus à natura ipſa nobis conceſſum eſt illis vti, id eſt, quãdiu adhibemus eas ad naturales earum vſus, intraque eum modum, qui eſt à natura præſcriptus: tandiu vt nobis illæ ſint iucundæ atque dulces: quod ſi violatis temerè, atque tranſgreſsis finibus ijs, quos natura rebus pepigit, officijſque rerum, & muneribus, & ordine naturali peruerſo, efficimus, vt altera inuadat in alterius poſſeſsiones: & ſuum ipſa officium negligens, alienum vt munus obeat, poſtulamus: vt ritè id & gnauiter obeat, nunquam profectò aſſequemur: inſuper ipſum illud amittemus naturale bonum, quod ipſi inerat: illaſque ad vſus noſtros ei à natura datas opportunitates & cõmoditates: nec minus faciemus abſurde quã, qui calceis, quos pedibus detraxiſſet, caput induere conaretur, faceret: ſi tamẽ tam abſurdus quiſquam eſſe, vllo vnquam modo atq; ratione poteſt. Etenim is etſi plurimum operæ in eo poſuiſſet, ſeque confeciſſet multo labore: perfeciſſet ille quidem pedes, vt nudi manerent, caput tamen ipſum nihilo magis texiſſet, ipſumque amiſiſſet artis vſum: ſimiliter iſti faciunt, quicumque animum ſuum boni infinitè cupidũ explere volunt, aut opibus, aut honoribus, aut voluptatibus

bus perſequendis: quique vitæ tranquillæ atque beatæ ſedem vllam ſtabilem conſtitui, in ijs rebus poſſe putãt, aut certè ſibi conſtituunt. Torquent ſe certè illi, atque diuexant: nullum tamen ſolidum conſequuntur bonum, nedũ illud ſummum quod expetunt. Itaque quod vitæ quotidiana exempla nos docent, nulli egentiores ſunt, quã qui maximè diuitijs affluere putantur auari: nulli ad ſeruilem conditionem propiores, nulli qui cuncta digna, indignaq; magis perpetiantur, quam honoris atque gloriæ ſtudioſi: nemo qui maioribus doloribus non ſolùm animi, ſed etiã corporis torqueatur, quam qui velis, vt dicitur, atque remis voluptates perſequitur. Quod ob eam cauſam illis iure atque meritò accidit, quia naturæ ordine violato, quibus rebus modicè vti, ac pro viatico debuiſſent in iſto vitæ tanquam itinere, ab ijs demẽtia quadam obcæcati, ſummum ipſum bonum requirunt: & quo vti interdum poſſent, pro non incommodo diuerſorio ad animum refocillandum (quamquam qui firmiore ac vegetiore animo ſunt, ne iſta quidem diuerticula, iſtaſve refocillationes magnopere curant) ſed quo vti poſſent ad diuertendũ, eo frui volunt pro ſtabili & ſempiterno domicilio, ſedemque ſibi in eo beatæ vitæ conſtituunt. Quæ profectò beata vita, quamuis nullas alias ſedes haberet, nunquam tamen ſe pateretur collocari in huiuſmodi nugacitate inanitateq; rerum. Nam quod vnum tectum commune illi, quæ verorum bonorum perpetua dicitur eſſe poſſeſsio, eſſe poſsit, cũ ambitione, cũ auaritia, cũ voluptate, caducis, videlicèt, atque fallacibus bonis? illa certè cum virtute commoratur: in Dei pietate, atque cultu tanquam in ſanctiſsimo fano quieſcit: in cæleſti domo, & in Deo ipſo videndo, fruẽdoque ſuam habet & propriam ſedem, quam ad vnam ſedẽ nos omninò debemus omni ſtudio contendere, ſi modo quales ſemper eſſe cupimus, beati atque fœlices, tales

vnquam

vnquam futuri sumus. Ibi enim veræ illæ opes sunt repositæ, quas neq; tinea demolitur, neque fures effodiũt, aut furantur: immortales ibi honores sunt, & incorrupta, ac nullo vnquam æuo marcescens dulcissima, honestissimaq; voluptas. Vnde sequitur. *Vt videam voluptatem Domini.* Quæ vna, scilicèt, & vera voluptas est, & omnium maxima voluptas, quippè quæ ex summi, & optatissimi, & omnẽ animi nostri cupiditatem, explentis, atque satiantis boni consequutione, in altissima pace, & lætissimo gaudio sequatur. *Et visitè templũ eius.* Nã his duabus rebꝰ cõtinetur absoluta & cumulata beatitudo: Dei cõtemplatione, scilicèt, qua ex contemplatione oriuntur innumeræ voluptates, & cognitione templi Dei, id autẽ est, vniuersi huius, quod vnum est templũ augustissimum, atque maximum. Nam hæc naturæ rerum cognitio veluti cumulus additur, visioni illi, contemplationiq́ue Dei, in qua propriè ipsa beatitudo consistit. Igitur has naturæ partes, atque rationes beati viri, in cælesti illa & futura vita cognoscent, eaq́ue ex cognitione capient summam voluptatem. Nã quod aliud puris & bene affectis animis exhibeatur gratius spectaculum, quam est hoc, quod illis à Deo exhibetur, cum de altissimo & maximè splendido loco cæli, in omnis mali experti vita ipsi constituti, non solùm, vident illa.

Defectus Solis varios, Lunæque labores
Vnde tremor terris, qua vi maria alta tumescant
Obicibus ruptis, rursusque in seipsa residant,
Quid tantùm Oceano properent se tingere Soles
Hyberni, vel quæ tardis mora noctibus obstet.

Sed multò illis maiora, ac recõditiora cognoscunt: causas nimirum omnium rerum, & cuiusq; rei principia interiora atq; propria, ipsarumq́; inter se naturarum, atque rerũ consensiones, & dissensiones arcanas, quarum est, vt maximè

xime occulta, ita ad cognoscendum maximè iucunda causa atque ratio: aliaq́ue his similia permulta. Sed nos institutum persequamur.

QVONIAM abscondit me in tabernaculo suo, in die malorum protexit me in abscõdito tabernaculi sui, in petra exaltauit me.

REDDIT nunc causam superioris sui dicti, atq; sententiæ, id est, causam exponit, quare tãtoperè desideret residere in tabernaculo & tẽplo Dei, quod, videlicèt, expertus fuisset, ipsum sibi fugienti, atq; perterrito salutare hospitiũ præbuisse: quod delituit in eo, quod eius, veluti, gremio receptus se primum confirmauit, ex magno & graui timore. Quæ dicens Dauid, intelligi à nobis voluit, non tã loqui se de terreno tabernaculo (quamquam & id semper ipsi, & cum aberat ab eo optabile, & cũ aderat gratum & amabile visum est,) quam de æthereo atque cælesti. Cuius adeundi facultatem omnibus sanctis hominibus præuidebat aliquando tandem futuram, per illum ipsum, quem in nongentesimum propè annum, ex se ipse propagaturus erat, sibi similem filium Christũ Iesum. Itaq; Dauid ad ea potissimũ tempora suas cogitationes, suaq́; desideria cõferebat. Nã ex eo qđ expertus fuerat sibi malorũ vndis iactato, illud Dei terrenum tabernaculum fuisse portum salutis, facilè coniecturam faciebat, quãto in cælesti illo, & æthereo templo omnia futura essent tutiora, meliora, suauiora. Ergo à terrenis gradum ad cælestia sibi cõstruxit, & occasione eius beneficij quod acceperat in tabernaculo eo, quod fecit Moses, ad aliud tabernaculũ, nõ huius creationis, sed quod ędificationem habet ex Deo desiderio verorum bonorum aspirauit, mortaliq́; ex vita cõseruata immortalis, & beatæ vitæ amore inflammatus est. Quod autem sequitur. *In petra exaltauit me.* Id fortassè aliquis in eã sententiam accipiat, vt se exaltatum in petra Dauid fuisse dicat,

dicat,id est,in loco edito atque munito,extra omne periculum positum:propterea quod posteaquam ab vrbe Ceila discessit,ad deserta Ziphæi montis loca & præruptas,atque hostibus inaccessas rupes se contulit.Sed mihi magis placet hoc hemistichio,petræq; appellatione in arcanis literis nota significari Christū:cui sanctus Dauid acceptā referat salutem omnem,& liberationem suam. Illud nimirum diuinitùs edoctus intelligens, vnum esse Christum, per quem omnia nobis à Deo patre,& obtinenda,& petēda bona essent:cuius exemplo,instructi nos non solùm in rebus lætis agnoscere debemus Christi beneficio atq; dono,lætè nos atque fœliciter agere:sed in asperis & turbidis ad eius vnius præsidium debemus cōfugere:quod præsidium paratum cunctis est,qui ad ipsum confugiunt.Nō enim ille nos confugientes ad ipsum vnquam deseret,aut hostibus prodet:sed tuebitur potiùs,atq; defendet: quomodo solet ille semper eos,qui ipsi supplicant,tueri atque defendere.Cuius quidem defensionis, etsi plures sint rationes atque modi,tamen ex ijs omnibus rationibus, illa haud dubiè est præstantissima ratio,qua se Dauid hoc loco defensum esse prædicat,cum dicit. *Abscondit me in tabernaculo suo,in die malorum protexit me.*Nam huius occultationis ea vis est,non vt Deus à nobis auferat mala,quibus opprimimur:sed vt sensum malorum in mediis malis dū versamur,nobis eripiat,noscque dolori subtrahat:non tam corporis fuga, quam animi traductione ad meliora bona,& ad ea omninò gaudia, quorum incredibilem vim immittere solet Deus,& offerre seruis suis iis, qui iniuria opprimuntur.Et quoniam diuinorū auxiliorum duo genera,seu duæ diuersæ potiùs auxilii ferendi rationes sunt à nobis superiùs expositæ: vna cum malorum aduentus præciditur, altera cum repellitur eorum impetus:sit hæc ab vtraque diuersa ratio tertia,in qua ipsa quidem mala,tametsi

metsi nos premant, non repellūtur:sed eorum mutatur efficientia,atque vis. Etenim etsi Deus semper auxilietur suis,tamen non semper eorum hostibus, aut arma detrahit, aut vires,aut facultates nocendi: quin illud sæpè permittit,mali vt in bonos sęuientes,& fortunis illos euertāt & tormentis subijciant,& denique vita priuent. Quî igitur,dicet aliquis,auxilio locus est,aut quę opitulandi ratio Deo relinquitur,eousque progressum, vbi est?Magnus sanè locus,& optima atq; Deo maximè digna opitulandi ratio.Nam ad hūc modum laborātes suos seruos Deus suo veluti in gremio amantissimè recipit,receptosque abscōdit,idest,eos dolori subtrahit,eripiens ipsis malorum sensum,hoc est,vt iterum interpreter,efficit, vt mali morsus non sentiant. Efficit autem partim verisimis rationibus illos erudiendo:plurimum autem,& longè plurimum id efficit,eorum imbuendo sensus cælesti tanta dulcedine, vt malorum deinceps tormenta,atque ictus, non ad cruciatum illis valeant,sed ad lætitiam & voluptatem.Ita fit, vt quæ acerba alijs sunt,bonis cum in ea incidunt sint læta&voluptatis plena quod illi assequūtur,nō sensus stupore aliquo,sed diuinæ dulcedinis abūdantia:qua eorū pleni sensus vbi sunt,nullus dolori quo se insinuet,aut vbi resideat vacuus locus relinquitur,atque,vt aquæ stilla in ignē immissa nō extinguit ipsum,sed magis accendit:sic ad bonorum sensus malorum morsu accedens,atque in eos insinuare se cupiēs dolor,illa lætissimorū gaudiorū quibus affluūt magnitudine,non absorbetur modo,sed quæ Dei virtus est,ex dolore voluptas efficitur. Ex quo intelligitur, quā sint boni aduersus mala omnia mirificè à Deo armati atq; protecti:quando dolor ipse simul atque accedere, ac peruellere eos incipit dolor esse desinit. Quo certè fieri nihil potest quod, vel ad leniendos bonorum animos,vel ad irridendos impiorum conatus sit acommo-

datius: ruere videlicet, illos, furere, sæuire, ignes admouere, noua excogitare supplicia, alia aliis mala addere, nullũ denique modum imponere suæ importunitati: eo porrò suo, omni labore atque conatu, non modo dolorẽ vllum non attulisse bonis, sed pro eo segetem illis atque materiam suppeditasse eximiæ cuiusdam, atque maximæ voluptatis: nec dolendi solum nullam, sed gaudendi etiam plurimas, atque maximas attulisse illis causas. Atque huius generis auxilij, & à malo liberationis cum interiorum bonorum sensu, externorum malorum sensus hebetatur, & extinguitur in ijs, quos Deus veluti occultat in atriis dulcissimis domus suæ, tanquam imago quædam fuit, quod illis tribus viris genere Hebræis in sacris literis scribitur accidisse: cum iussu Regis impii quod immanem statuã, quã erexerat, atque dedicarat, adorare nolent, vincti in rogum ardentẽ immissi sunt. Illis enim ignis vincula, quibus constricti tenebantur, ademit: ipsos verò neque vsit, neque detrimento, aut dolore affecit vllo: ita quod ad illorum perniciem comparabatur, valuit ad salutem illis & ad vinculorum dissolutionem. Sed quamuis huius rationis exẽpla aliquot extent in iis hominibus, quos instituit lex vetus: tamen hæc tota laus in mediis malis gaudendi, & ex dolore voluptatem capiẽdi, propria est Euangelii: in quo pretiosissimi Christi sanguinis pro mundo effusi, maxima viget virtus atque vis diuina. Itaque in ipsis Euangelii primordiis de Apostolis dicitur, exiisse illos gaudentes à cõcilio quod digni habiti essent, pro nomine Iesu contumeliam pati: & illa oratio ad Euangelii tempora pertinet. Omne gaudium existimate fratres, cum in varias tentationes incideritis: & nostrorum, id est, cultorum Euangelicæ legis vox illa est. Non solùm autem, sed & gaudemus in tribulationibus. Nam certè ante Christi ad nos aduentum graue hominibus videbatur inopes esse, durũ ignominia

Dan. 3.

Act 5.

Rom. 5.

minia affici, non ferendum dolore cruciari: itaque exiliũ nobis triste erat, morbus molestus, mors acerba atque dira. At posteaquam filius Dei naturam humanã secũ coniungens, miram illam cum hominibus societatem coiuit, vt particeps ipse nostrarum miseriarum effectus, nobis cõmunicaret bona diuinitatis suæ, quæ pro aduersis habebãtur in vita, quæque homines horrere soliti erant mala, sic ea condiuit, & omni tanquam felle ab eis detracto dulcia fecit, vt præter mali nomen in iis certè, qui Christi sunt, quique capiti suo, & fidè, & rectè factis adhærent, nihil iam de sua pristina acerbitate retineant. Neque enim fieri poterat, quin accedente natura Dei ad nostram naturam, omnia eius mala illo diuinitatis, veluti Oceano obruta, & immersa mala esse desinerent. Itaque quæ mala nostra culpam in se, atque scelus habent, ea Christus, vt potè qui ab omni peccati labe purissimus esset, non quidem admisit, sed quæ nos admisimus, in se ipso luenda, & delenda suscepit: crucique affigens ea, sanctissimo suo cruore, quod ad se attinet, penitus eluit. Quæ autem doloris atque pœnæ mala sunt, eorum omnium sensum atque gustum percepit, perferreq; illa, atque subire voluit: quo illius gustu detraxit illis, quidquid veneni in ipsis inerat, nobisque ad ea non solùm fortiter ferẽda, verũ etiã cupidè appetenda præiuit: sicut Paulus scripsit de ipso, dicens: Qui pro omnibus nobis gustauit mortem. Ex quo etiã illa est mortis amara irrisio, quæ propriè ad nouæ legis tẽpus spectat. Absorpta est mors in victoria, vbi est mors victoria tua? vbi est mors stimulus tuus? Quod certè in mortẽ nõ magis magnificè, quam verè dici, re ipsa, atque facto, magnoq; fortitudinis & memorabili exẽplo, cũ virorũ tũ fœminarũ post auditum in terris Christi nomẽ, ad mortẽ certatim conuolantium, infinita millia comprobarunt. Nũquam enim, neque tanta

Ad Heb. 2.

1. Cor. 15.

alacritate animorum, neque tam pronis, & incensis studijs ad voluntariam mortem, & acerbissimos cruciatus, tot martyres properarent, si mors illis pro morte esset, aut potiùs nisi ipsum mori, ipsumque cruciari dulcedine redundare, atque adeò melle illitũ esse, illis videretur. Et certè ipsi sæpè affirmarunt, carnificinam ipsam, cælestis voluptatis officinam sibi videri: & per ardentes prunas nudis pedibus cum incedebãt, per amœna prata, & sparsam humum rosis, se incedere arbitrari dixerunt. Atque vt ex infinita copia id potissimum proferam exemplum, Theodoretus quod scribit historiæ Ecclesiasticæ grauis author, hoc quale sit, ex eo satis intelligetur, quod Antiochiæ Christianus quidam iuuenis dixit. Nam is, cum Iuliani imperatoris iussu quòd idola irrisisset, medio foro, magnoque in hominum conuentu virgis diutissimè & sæuissimè cæderetur: cumque eius interea nõ solùm eiulatus vllus nõ audiretur, sed ne gemitus quidem, cunctis qui aderant admirantibus rogatus à quodã, quî perferret dolores tãtos, tam æquo, atq; adeò læto animo, respondisse fertur, nullo se ex plagis dolore affici cũq; instaret ille rursus, & eius ipsius stuporis causam quæreret, asistere sibi dixit, atque affirmauit, ex quo primum cædi cœptus esset, diuina specie quemdam iuuenem fouentem ipsum, atque omnem abstergentem dolorem. Atque idem, postea cum solui iussus esset, & abire permissus illo iuuene, qui ipsum comitabatur recedente ab illo statim, & abeunte, grauissimè doluisse scribitur: quod diceret millies mori, non solùm cædi virgis maluisse se, quam illo tam dulci, tamque bono comite caruisse, O Christi sanguinis vim incredibilem: ò pietatem, & dulcedinem Dei, ò fructus virtutis vberes, dulcesque iam & iucundos, non solùm fructuosos dolores. Sequitur.

Theo. eccle histo. lib. 3. c. 11.

ET

Et nunc exaltabit caput meum super inimicos meos.

QVOD olim, inquit, Deus fecit, vt me ab hostium meorum insidijs atque manibus liberaret: idem nunc tametsi eorum copiæ atque vires augeantur, efficiet: multo que quam antea efficiet vberius. Nã à primò vt Deus mihi bene, & vellet, & faceret sola adducebatur bonitate sua, at nũc quo vel cõstantiæ rationem habeat, suũ in me beneficium tuebitur: nuper insidias, & cruẽtas inimicorum meorum manus à me repulit: nũc, vt spero, illos subijciet meis pedibus: id enim valet quod dicit. *Et exaltabit caput meum super inimicos meos.* Nã eo Hebræi iustã victoriã significare solent, ex ipso, scilicèt, habitu victoris erecti atq; stãtis, victis ad illius pedes interim suppliciter abiectis. Itaq; hoc in re militare dictũ victoriã significat, in rebus luctuosis & tristibus lætitiam, vt in illo. Subleuauit Euilmerodab caput Ioachim: in omni denique re excellentiam in eo, quo de agitur. Ex quo ille. 4. *Reg.* 25.

Verum hæc tantum alias inter caput extulit vrbes
Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Quod si cui placeat Dauidem hoc versiculo fuisse vaticinatũ victoriam eam, quã Christus adeptus est de peccato atque morte sæuis & maximè nobis infestis hostibus: siq; dicat aliquis, Christũ ipsum à Dauide caput vocari, eumq; exaltãdum esse dici super inimicos suos. Hoc si quis velit, id mihi nõ solũ non displiceat, sed etiam probetur vehementer: atque eo magis, quod video sacros vates solere instituta à se primo de suis, aut aliorum rebus gestis, orationi attexere, atq; miscere futurarum atque magnarũ rerũ sua vaticinia. Et enim ipsa narratione & commemoratione rerum à se, vel ab alijs gestarũ, propter occultam similitudinem aliquã, quã illæ res gestæ cũ futuris rebus à Deo efficiendis magnis atque sublimibus habent, commota sæpè vatum mens, haurienque diuinum maius & perfe-

ctius lumen, in medio orationis cursu eas illas videre inci pit, quod à principio non faciebat, quod cũ vatibus accidit, vt ex præsentibus, aut præteritis futura prospiciant, ea vt prospiciunt, statim effundunt, & ijs, quæ instituerant dicere attexunt, vnumque componunt & efficiunt orationis textũ ex vtroque rerum genere. Rationi porrò consentaneum est, id ipsum accidisse nunc Dauidi, de se, ac de suis inimicis canenti. Nam quoniã in sua persona, Christi personæ imaginem inesse sciebat, verosimile est ipsum cum ei sua certamina & victorias canenti, Christi itẽ certãtis atque vincentis species oblata atque obiecta esset, tanto affectum gaudio atque voluptate fuisse, se vt continere non potuerit, quin eius aliquam mentionem statim faceret: suoque id carmini insereret, ipsumq; carmen pulcherrimum, & per se satis cõmendabile, lætissimæ rei atq; maximæ commemoratione ista inserta, cõmendabilius efficeret. Quod si quis moueatur eo, quod Dauid dicit, Super inimicos meos, quo planè suos Dauid significat inimicos, nõ Christi, & propterea putat hîc agi de vna Dauidis exaltatione & victoria, is mea sententia decipitur. Nã quos Christus vicit inimicos, non tã sibi, quam Dauidi ipsi, atque adeò nobis omnibus vicit. Nec verò illi magis Christo aduersabantur, quam generi humano vniuerso: imò, verum si loquimur, nobis solis maximè propriè erant inimici. Nos enim soli seruiebamus peccatis, & propterea damnati à Deo fuimus, mortique addicti: dæmonesq; ob id, nostris ceruicibus imminẽtes, nos sibi subijci deberi dicebant, & certè tenebant subiectos: quæ Christũ non attinere satis apertè idem ipse Christus declarat illis verbis. Venit princeps huius mundi, & in me non habet quicquã. Nõ ergo dæmones nocere Christo in aliquo, aut incommodare poterant, sed cũ nostri generis inimici essent, nosque vniuersos tenerẽt miserè oppressos, illis suis armis

Ioan. 14.

armis peccato atque morte, Christus bellum illis vltro indixit, seq; à nobis oppositum aduersus illos: suũque ipse corpus eorũ telis obiecit. Ac peccati quidẽ vnũ illorũ telum ad se non admisit, tantum quæ nostro corpori infixa eiusmodi plurima erant tela, pro suis habuit, At mortis alterũ totum intra præcordia recepit. Quod sanè telum nõ tam eripuit vitam Christo, quippè cui triduo postquam mortuus est, reddita est, magnis bonis atque accessionibus cumulata: quã peccatis nostris, quæ Christus in se suscipiens ipsius peccati, veluti personam sustinebat, abolitionem attulit, & interitũ: quibus sanè extinctis, quæ ipsa tanquã fundamenta erant dominationis dæmonum, illorum in nos imperium statim corruit. Quamobrem verissimè exaltasse Deus dicitur caput nostrum, id est, Christum super inimicos nostros. Nobis enim propriè aduersabantur ij, quos Christus deuicit, eoque deuicit illos: vt quod cecinit Zacharias, De manu eorum liberati, seruiamus ipsi omnibus diebus nostris. Vnde sequitur.

Luc. 2

CIRCVIVI, & immolabo in tabernaculo eius hostiam vociferationis, cantabo, & Psalmum dicam Domino.

QVOD vtrouis modo intelligatur superior versiculus, rectè & ordine sequitur: vt, vel pro victoria ea, quã ipse de suis hostibus cõsequi sperabat, vel ob eã, quam Christus de cõmuni omnibus inimico cõsequuturus erat, victimas Deo, & laudum carmina se redditurũ promittat.

EXAVDI Domine vocem meam, qua clamaui, miserere mei, & exaudi me.

VARIAT Dauidis animus inter spem, & metũ. Nam sicut diuinæ bonitatis, & experti amoris consideratio illũ spe erigebat, ita Saulis Regis sibi infestissimi potentia atque opes, quæ omnia quamuis tuta loca suspecta efficiebant, ipsum debilitabãt metu. Mens igitur Dauidis dubio rerum suarum statu suspensa varijs cogitationibus distrahebatur:

hebatur: quę aliàs lætæ, tristes aliàs alternantes, & in ipsum incũbẽtes, sæuos in illo excitabãt fluctus variorũ affectuũ. Ex varietate porrò eorũ varia itẽ oriebatur oratio. Itaque, qui hactenus nihil nisi fortiter, & elatè, & animosè dicebat, is nunc timore perculsus, abiectus atque supplex ad precã dum se conuertit: & inter magnifica verba timor subitò exortus, & tanquã ex insidijs adortus ipsum, atque inuadens, voces ab eo elicit timidas, atque supplices. *Audi*, inquit, *Domine vocem meam.* Sed quam vocem oro? Hactenus enim fiducia quidẽ plenas multas emisit voces, supplicẽ autem, aut humilem prorsus nullã. Hic primò dici potest, Dauidem communẽ grauiter dolentium affectum atque morem sequutum, ita loqui. Etenim qui graui aliquo malo, aut dolore premuntur, antequam mali eius, quod ipsos angit magnitudinem dicant, aut quas habeãt dolendi causas exponant, vnum illud, sibi vt aliquid opis afferatur, ab ijs, quos auxilio ferendo aptos vident, petere iterum atq; sæpiùs solent. Deinde nõ absurdè dicatur: etsi minus ore, corde tamen atque animo, quo quamuis breui tempore multa copiosè dici possunt, Dauidem metuentem rebus suis multa precatum, ab interiore sermone in externam hanc prorupisse vocem. Itaque dixisse. *Audi Domine vocem meam.* Nimirum eam, quam iam dudũ imo è corde emittebat. Postremò, vt puto, non deerit cui potiùs videatur dicendum, hoc loco Hebraicè nõ legi, qua clamaui ad te, sed futuro tempore, qua clamabo. Ita his verbis non significare à se petitum esse aliquid antea, sed cum iamiam petere vellet, ac mox petiturus planè esset, eo præmunire futuræ suæ petitioni; & Dei aures dociles & attentas voluisse reddere. *Audi*, inquit. *Domine vocem meam* Quando, scilicèt, ad te clamauero, votaque cordis mei ac desideria exposuero. Nec verò non dici debet, quam hic versiculus cum superiori cohæreat, quamque ex illo,

illo, tanquam fonte iste riuus ducatur. Quippè superiùs dixerat, se sperare futurum, vt Deus ipsum exaltaret super inimicos suos. Atqui rerum natura ferebat, vt hæc futurorum suorum certaminum facta ab ipso commemoratio, desiderium vincendi in illo excitaret, & accenderet. Desiderio porrò timor agnatus est: nam quæ ipsi assequi multum cupimus, eorum contrarios euentus valdè timemus. Metuebat ergo interdum Dauid incertos belli euentus, Martemque communem: isque metus è vincendi nascebatur desiderio: desiderium verò ex memoria certaminũ futurorum extitit: atque ita, vt vltima primis copulemus, superior versiculus in quo certaminum Dauidis commemoratio facta est, hunc sollicitudinis ac timoris plenũ edidit versiculum. Sed pergit.

TIBI dixit cor meum, exquisiuit te facies mea, faciem tuam Domine requiram.

COMMEMORAT suum erga Deum amorẽ, quò magis ipsum prouocet ad sibi ferendam opem. Quanquã hoc ita dicit, vt ambiguum sit, vtrum amorem intelligi velit præteritum, an futurum: id est, vtrùm dicat Deo, quia semper ante id tempus ipsum dilexerit, & studiosus illius atque amans fuerit: idcircò se non deberi deseri ab ipso, & hostibus tradi. An promittat potiùs atq; polliceatur Deo, se si modo vnquam victoriæ compos effectus fuerit, collocaturum in ipso omnem spem, atque amorem suũ: quale est illud quod Iacob vouisse dicitur: Si fuerit Dominus mecum in via hac, in qua ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, reuersusque fuero prosperè in domum patris mei, erit mihi Dominus in Deum, & lapis iste, quem erexi, in titulum. Sed siue hoc, siue illo modo accipiatur, vtroq; modo docet Dauid se non indignum esse, qui à Deo adiuuetur, vel ob præterita sua erga Deum merita, vel quia illud ipsum liberari ab

hostibus suis,& à bellis & certaminibus vacare,quod desiderat,ob id præcipuè desiderat,vt deinceps quod reliquũ est vitæ vacare Deo possit,animo pacato atque tranquillo: qui vnus finis iustis hominibus est in omni vita propositus. *Tibi*,inquit,*dixit cor meum* Speciem & tanquam imaginem animi desiderio æstuantis oratio ipsa præ se fert: & certè magnum illud desiderium vacandi Deo, & fruendi ipso,quod animo Dauidis includebatur, explicare verbis quid vellet,atque eloqui ipsum satis non sinebat. *Tibi dixit cor meum* Nec plura addit, sed rursus alio ex principio. *Exquisiuit te facies mea*. Quod ipsum etiam inabsolutum reliquit.Tertio atque tandem. *Faciem tuam Domine requiram*. Sed quò ille minus verbis explicuit,quid fuerit loquutus cum suo animo,quidve quæsierit oculis atque mente, eo amoris sui magnitudinẽ,& quantis incenderetur & aduretur charitatis ignibus magis declarauit. Modice enim, vel intra modũ potiùs amat, qui, quod amat, quantũque amat liberè eloqui, & quamuis copiosè exornare verbis potest:ille ardet, qui exorsus dicere in medijs verbis insistit, qui abrumpit institutam orationem,qui nihil enucleatè explicat,sed confundens omnia atque permiscens, quæcumque amor illi suggerit atque dictat,quæ sunt planè innumerabilia,vno tẽpore,vnoque etiam verbo conatur cũcta eloqui:& quamuis nihil satis explicet, eloquitur tamẽ omnia, quod Dauidi vsu venit hoc loco. Nam ista veluti reticentia, & istis quasi singultu interruptis verbis, quid, quod illi in animo esset dicere, inexplicatum, aut indictũ reliquit,*Tibi* enim inquit,*dixit cor meum*. Id autem est(vt tẽtemus ipsi modo, si tamen id assequi vnquam poterimus, plurib⁹ explicare verbis,quæ Dauid vno penè dicam verbo concluſit,) hoc itaque est,ad te vnum suspirat, tecum perpetuò loquitur, & alijs mutus cor meum ad te clamare nunquam desistit. Te ita amat,vt quo te appellet, satis apto

apto ad ardorem suum explicandum nomine, non inueniat.Tu pater illi, atque adeò mihi es: tu salutis dux, tu lumen, tu vita, fœlicitatisque omninò meæ princeps atque Deus solus tu.De te solo cogito semper: tibi vni supplico: canendi de te finem nullum facio. Nec solum te meum appetit cor: oculi etiam ipsi mei, tuam vbique faciem requirunt.Qui sanè oculi quocumque se conuertũt, quòd te non vident,nihil arbitrãtur se vidisse.Sed me nullus deterrebit labor à te requirendo,tantũ ipse nolis auersari me,& abs re iratus repellere,quare sequitur.

NE abscondas faciem tuam à me, ne declines in ira à seruo tuo.

QVI alium auersantur, ei cum occurrunt,faciem atq; oculos aliò conuertunt. Declarat igitur rem ex habitu,dicens: *Ne abscondas faciem tuam à me*. Id est,ne me auerseris, quæ loquendi ratio propria videtur esse harum literarum, in quibus etiam sæpè ponitur facies pro auxilio, & fauore Dei.Sed cur metuebat sanctus Dauid, ne se Deus mutata voluntate desereret, homo non solùm de sua erga Deũ voluntate optimè sibi conscius,sed de Dei in se amore,tot ab eo acceptis beneficijs, apertaque eiusdem voce & testificatione planè certus? Primum, quia nouerat hominis ingenium lubricum esse, & ad delinquendum facile. Deinde,quia nostras nobis voluntates ita ignotas atque abditas sciebat esse, vt sæpè quid ipsi amemus atque cupiamus statuere nobis cum ipsi vix possimus. Quapropter iure metuebat, ne quod fortè peccatum ad animum suum se inscio irrepsisset, seque ignorantem, aut parum certè attendentem maculasset: quod quo magis Deum diligebat eo metuere, aut saltem vereri debebat magis. Nisi si quis illud malit, Dauidem communem expressisse morem eorum, qui aliquid ardenter cupiunt. Nam hi optandi atque precandi, ac singula, quæ obsta-

re

re quouis modo suæ cupiditati possunt, cauendi atque de precandi modum nesciunt. Itaque Dauid etsi semel iam atque iterum precatus fuerat Deum, ne se desertum atque auxilio destitutum relinqueret, tamen ob magnitudinem desiderij atque periculi, sibi ipsi nequaquam satisfaciens eadem sæpius repetit. Ex quo etiam sunt quæ sequuntur.

AVXILIVM meum fuisti ne derelinquas me, nec dimittas me Deus salutis meæ.

QVO versu verbis tantum commutatis dicit ferè eadem quæ superiori: illud nouum quod allegat, quodque ad persuadendum Deo arbitratus est valere plurimum. Illum, videlicèt, semper ante id tempus auxilium sibi tulisse, quasi ita loquatur, & sentiat minimè diuinæ constantiæ atque immutabilitatis esse eum deserere ad extremum, quem semper antea protexisset: neque conuenire Deo, vt breui horæ momento perdere vellet, tot sua beneficia atque dona in ipsum Dauidem per tot annos collocata, & veluti congesta: quod argumentum vrget adhuc. Itaque sequitur.

QVONIAM pater meus, & mater mea dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me.

ID est, assumet ipse ad se, quia dereliquerunt illi: nam, inquit, sollēne Deo est tueri ac protegere miseros quoscũque viderit, & humana ope destitutos homines. Nam & ob eam causam dignatur vocari pater orphanorũ, & vindex viduarum. Tuebitur igitur, & pro suo me habebit, qui ita sum nudus atq; desertus, vt me etiã deseruerint, quibus mea salus charissima esse debuerat parētes mei. Sed occurrit actis quęstio, quomodo verum sit parentes Dauidis ipsum reliquisse, cum constet non solum illos, sed cognatos etiam Dauidis omnes, vt primum ei Saul apertum indixit bellum, statim ipsius partes sequutos, omnes fortunas suas contulisse in communionem, eiusdem temporis atque

atque periculi. Sic enim scriptum est: Abijt autem Dauid ad speluncam Odolam, quod cum audissent fratres eius, & omnis domus patris eius: descenderunt ad illum. Fortasse hæc scripsit Dauid in ipsa sua fuga, antequam ei quisquam se adiunxisset. Itaque exponit hîc illius temporis suã solitudinem, nec tam agit de eo quod sibi postea euenit, quam rerum suarum præsentem statum commemorat. Vel certè hæc retulit ad primum suæ ætatis tempus, cum à Samuele in Regem est inunctus. Nam cum esset Dauid natu minimus filiorum Isai Bethlehemitę, cumque ipsum pater suus videretur negligere, quippè quem ruri amanda tum, & tanquam relegatum ouium custodiæ destinasset, reliquis tamen omnibus ipsius fratribus, quĩ vt ætate anteibant illum, ita indole animi atque corporis superare ipsum videbantur pręteritis, in medio ipsorum Deus per Samuelem illum iuuenẽ, & penè puerum inunxit, quod erat futuræ regiæ dignitatis signum certissimum. Id igitur dicit, se, quem sui olim dereliquerant, id est despectui & cõtemptui habuerant, vt natu minimum, à Deo qui humiles respicit susceptum, hoc est, reliquis suis fratribus antelatũ fuisse: quod cum dicit causam reddit, eius, quod proximè dixerat: Auxilium meum tu fuisti, idque auxilium exponit quale fuerit: nam quod Deus ipsum elegit cum negligeretur à suis, in eo auxilio ei fuisse aduersus contemptum & despectionem videri potuit, Dauidi certè ita visum fuit, idque hoc loco testatur. Sed audiamus quod sequitur.

LEGEM pone mihi Domine in via tua, & dirige me in semitã rectam propter inimicos meos.

SICVT tulisse auxilium Dauidi Deus dictus est, quod à contemptu suorum vindicauit illum, sic quod eodẽ versu precabatur Dauid, dicens: Ne derelinquas me, ne dimittas me, quid in eo sibi vellet, quidve peteret isto nunc interpretatur versu. Petebat enim, ne se subtrahens Deus ipsum

sum luce destitutum aberrare permitteret, in huius mortalitatis lubrica, & plena erroribus semita, quod nunc explanat, cum dicit. *Legem pone mihi Domine in via tua, & dirige me in semitam rectam* Itaque illius versus singula hemistichia declarant subiecti singuli versus. *Legem*, inquit, *pone mihi Domine in via*. Id est, legem, quæ mihi pro duce sit ad ambulandum sine errore in mandatorum tuorum via, ita vt rectà incedens à præscripto legis tuæ nunquam discedam. Sed quid est quod addit? *propter inimicos meos*. An minus multos, minusque sibi infestos inimicos erat habiturus Dauid, aut euasurus erat eorũ insidias facilię: idcircò quod ipse per viã legis, & mandatorũ Dei inoffensè, & neutram in partẽ declinans, graderetur? Sanè erat, nullaq́; sunt arma meliora, quæq́ue nos magis tueantur aduersus hostes nostros, atque defendant, quã custodia legis Dei, animusq; innocens, & omni flagitio, atq́; peccato abstinens vita: cum contra nihil non solũ miserius, sed ne imbecillius quidem sit ijs, qui se vitiorũ seruos esse volunt. Primum, quia virtute carent, id est ipsa animi sanitate atque cõstantia: ex quo sicut cõrpora ægra, nec munus suum tueri ipsa possunt, & ad omnes offensiones valdè opportuna sunt, sic illi omnibus fortunæ telis sunt violabiles. Deinde, quia in multorum odia incurrunt necessario, multosque qui importunè se, & flagitiosè gerunt, sibi faciunt inimicos. Neque enim flagitiosa vita viui, atque duci potest sine multorũ iniuria. Postremò quod est omniũ longè miserrimũ, quia suis ipsi vitijs ac peccatis vires quodammodo, & veluti arma, quibus ipsis noceatur, ministrãt inimicis suis. Etenim nulla re ad nobis incommodandum, vel ad nos opprimendum potiùs, neque paratiores, neque munitiores, neque magis fortes efficiantur inimici nostri, quam nostris ipsorum vitijs. Nam, quis non faueat ei, qui homines conscleratos, & odio, & ferro persequitur? aut qua in re populũ quis

quis magis habeat, non dico approbatorem, sed impulsorem, & adiutorẽ, quam si rapacitatẽ, impudicitiã, violentiã, impietatẽ & eiusmodi labes animi atq; pestes reliquas in iudiciũ vocatas ad pœnã, & ad supplicium rapiat. Omnes enim scelus odimus, etiam illi, qui sceleśti & flagitiosi sunt, aliorũ item flagitioſè & sceleratè facta detestantur. Hoc quoniã Dauid intelligebat, tametsi vitã suam in magnũ periculum atque discrimen adductã esse videret, quod ipsum potẽtissimus obsideret inimicus, ad omnes aditus opponens se, omnesque ipsi salutis vias intercipiens: tamẽ non induxit animum petere à Deo, deuiũ vt aliquod & tutum, & suis ipsius hostibus ignotũ iter ipsi demonstraret, quo ipsorum vires posset, & arma effugere: noluitq́; etiã petere, vt suas copias atque opes suppleret, vt æquatis viribus contra stare in acie ipse aduersus Saulem posset, & iusto prẹlio decernere: verum illud solum à Deo postulat, vt se inducat in viam legis suę, inductumq; deducat, sine aberratione, sineque prolapsione aut offensione aliqua. Nimirum intelligens hac vna ratione, se à suis aduersarijs superari posse, atq; vinci, ipsum si priùs cupiditates vicissent suæ, ideòque adiecit.

Ne tradideris me in animas tribulantium me.

ID est, ne finas vt abs te deficiens ipse, & ignorationis humanæ lubricas vias ingressus, prolapsusq́ue in eis atque corruens, quod aduersarij mei valdè expetunt, vulneri excipiendo nudum latus aperiam. *Ne tradideris me in animas*. Hoc est desiderijs atque libidini inimicorum meorum, ne permittas me tradi. Ex proprietate Hebraici sermonis, in quo pro desiderio nomen animæ ponitur. Quod autem meminit desiderij inimicorum suorum, quo inhiabant ipsius haurire sanguinem, eo tacitè & artificioſè in suam sententiam ipsum Deum magis adducit, id veluti argumentatus ac dicens:

æquius

æquius multo esse ac Dei bonitate dignius, ipse vt faueat suis, id est, ipsius Dauidis iusti, scilicèt, & pij hominis votis ac desiderijs, quam vt aliorum, hoc est, impiorum & scelératorum libidini & cupiditati obsequatur. Nam quis bonus æquo animo ferat, bonos iacere mœstos, improbos verò volitare lætos atque alacres? illos lugere victos, hos victores exultare? illos innocentes dimicare de vita, scelératos & iniurios omni metu liberos formidini alijs & terrori esse? hos bonis circunfluere, illos inopes egere? illorũ denique frustrari iusta vota, horum autem impia desideria compleri? eodemque pertinet quod sequitur.

INSVRREXERVNT in me testes iniqui, & mẽtita est iniquitas sibi.

NAM eo Dauid hostium suorũ personam apud Deũ in maius adducit odium, dum præter cætera illorum peccata atque mala, etiam in testimonio dicendo falsitatem illis impingit: quo, quanto eis fuerit iratior effectus Deus, tanto ipsi reddatur magis placatus atque propitius. Quanquam vix reperio, quomodo hoc ad Dauidis personam pertinere possit. Nam quando is, obsecro, legitur falsis testibus circumuentus? Aut, quis vnquam in illũ falsus esse testis scribitur? Nam Saulis quidem animum non aliorum criminationes à Dauide alienarunt: sed illius gloria belli artibus parta inuidia ipsum exulcerauit: ex quo mox odium sequutum, & ex odio necis studium, cum animo inclusa diutius contineri non possent, primum ad occultas inimicitias manere cœperunt, postremò in apertũ bellum prorupere. Et cantabant in choris, Saul cęcidit mille, & Dauid decem millia. Non igitur ista satis quadrãt in Dauidis personam. Nisi fortè Dogæum delatorem hoc loco intelligi voluit: verum is Achimelecho propriè incommodauit non Dauidi. Aut nisi hoc malumus, in aula Regis Saulis fuisse aliquos, qui cum Dauidis dignitati, atque

1. *Reg.* 18.

apud

apud Regem gratiæ, ad quam ex humili breui peruenerat, inuiderent: occultè illi obtrectando semper & detrahendo, Saulis animum ipsum sua sponte non satis æquum in Dauidem falsis suspicionibus impleuerunt, & tandẽ odio præcipitem egerunt. Quod quamuis non apertè scribatur in libris Regum, tamen satis potest colligi ex illo, quod Dauid, Sauli dixisse memoratur, videlicèt, Si Dominus incitat te aduersus Dauidem placetur sacrificio, si autem filij hominum sint maledicti. Sed quoquo modo ista se habeant, illud certè confitendum est, hunc versum aptissimè posse intelligi de persona Christi, qui nunc Dauidis ore apud Deum patrem de ijs queratur hominibus, qui se sceleratè accusarunt, & falsis criminibus obruerunt. In quo illud animaduerti omninò debet, cum Christus Iesus, cuius ex persona hunc versum accipimus, oppugnaretur à pluribus, idque varijs modis. Nam alij prodiderunt illum, alij accusarunt, alij comprehenderunt, ab alijs apertè tela in ipsum iaciebãtur: clam ab alijs subministrabantur: denique damnatus ab aliis, ab aliis cæsus, & cruci affixus fuit: & tanquam in scena cum fabula agitur, sic in illa Christi causa, & postremò necis crudelissimæ actu, alii alias personas gesserunt. Cùm igitur tot haberet Christus, tamque varios inimicos, de reliquis omnibus silere ipsum, vnum verò illud genus eorum, qui in ipsum falsum testimonium dixerunt, nominatim accusare: quo nos intelligeremus, innocentibus atque bonis hominibus ipsum per se mori, atque ab hoste interfici non admodum acerbum esse: at cum falsi criminis specie quæsita & obtenta, pro nocentibus habiti ad supplicium rapiuntur, id verò graue illis nimis & intolerandum videri. Etenim dupliciter fit, vt afficiantur pœna atque morte, boni & innoxij viri: vel ob id ipsum, quia boni sunt, quod accidebat olim sanctis Martyribus, qui nullum aliud ob scelus pœnis sub-

1. *Reg.* ca. 26.

iiciebantur, nisi quod pietatis atque Christi fidei veri cultores essent: hoc verò mortis genus, boni non modo fugere aut detrectare nolunt, verum adire atque obire etiã eam mortem cupiunt, vt potè quæ eos illustret & eximijs gloriæ ornamentis afficiat. Itaque, vel interimuntur ob id ipsum, quia boni sunt: vel ob verum quidem crimen falso tamen ipsis obiectum, sceleris damnati extinguuntur, quod est iniuriæ atque calamitatis genus maximum, propterea quod ad iustitiã extinguendã, nomen ipsum iustitiæ sceleratè vsurpatur, & sub æquitatis iurisq́; persona tecta, atq́; etiã commẽdata calũnia, in indignos grassatur, nominecq́; & armis virtutis vtitur aduersus ipsam virtutem. Itaque ægrè valdè ferunt boni sceleris sibi notã inuri, aut nomen affligi, & pro sceleratis interfici, aliàs nõ grauatè mortem oppetituri. Non enim solũ amittunt vitã, cuius ipsi cupiditate minimè tenentur, sed quod charissimum illis esse debet, quales sunt tales videri, quo ex eo apud homines gloria illustretur, & nomẽ Dei, id illis indignissimè eripitur, virtutisque cultores in parricidarum numero ponuntur: iuris verò atq; æqui oppressores vindices scelerũ atq́; ministri sanctissimarũ legum cẽsentur, ex quo extitit etiã in diuino vate & sanctissimo homine talis querimonia.

Abac.1. Quare respicis contẽptores, & taces conculcãte impio iustiorem se, & facies hominis quasi pisces maris, & quasi reptilia non habentia ducem? & factum est iudicium & contradictio potentiorũ, propter hoc lacerata est lex, quia impius prævalet aduersus iustum, propterea egreditur iudicium peruersum. De quo cum iusti dolent, non tam suã & priuatam vicem dolent, quam publicam virtutis causam lamentantur. Malè enim cum virtute imò pessimè agitur, quotiescunque id euenit, vt boni pro sceleratis habeantur. Nam & reliquorum, qui boni esse student, retardantur studia virtutis, & ipsi improbi insolentiores reddun-

duntur, ipsumque adeò virtutis, nomen suspectum, & inuisum multis fit: dum sub eo insidias humanæ vitæ fieri, & capitalia vitia tegi nonnulli, vel credunt, vel suspicãtur: tum qui sibi ipsis videtur dicatiores ansas inde sermonis arripiunt, ad publicè atque ridiculè virtuti detrahendum. Vide, inquiunt, quo euasit fucata illa simplicitas, quã tum sceleris modestia, ac pudore suffusus vultus ille tegebat, quid abiecisse pro Christo omnia, quid austerum vitæ genus coluisse prodest, quid vigilijs sacris, quid ieiunijs, quid assiduo precandi studio proficitur: siquidem illis studijs ista monstra gignuntur? ita ne hoc agebatur illo sacrarũ literarum, atq́; Theologiæ disciplinæ indefesso studio? abeant literæ, faceſſant pietatis studia. Ille viuit rectè, qui, quod ille dixit, vixit, dũ vixit bene. Huiusmodi illi, falsa illa quidem, scelerata impia, quis neget? Neq́; enim virtus sui dissimilis esse queat, aut ex aliorum sermonibus naturam suã & ingenium mutet, quamuis accusetur criminosè. Itaque falsa omnia, attamen ista falsa, veras interdũ & nimiũ dolendas strages in castris virtutis edunt, verasque calamitates bonis viris important: veras inquam quomodo vulgo iudicatur de bonis malisque: nam iusto & innocenti homini, quamuis falsis testibus oppresso, quamuisque malè pereunti, nihil mali accidit, si ad diuinæ examen rationis nostra iudicia reuocemus. Nam in paucis, vt scriptum est, vexati, in multis bene disponentur: quoniam Deus tentauit illos, & inuenit eos dignos se. Ergo illi quouis modo cadat alea, beati erunt atque fœlices: delatores contra & falsi testes, etiam eo ipso tempore cum se vicisse lætantur, sunt infœlices, & miseri. Neque enim sit falsum quod sequitur. *Sap.4.*

ET mentita est iniquitas sibi.

ID est, aduersum se mentita est, in suum q́ue ipsius caput recidet, quidquid contra innocentiam falso cõmenta est.

Nam licèt conniuere interdum Deus videatur,& ſuorum obliuiſci: tamen quam à ſe ipſo, bonitateque ſua diſcedere non poteſt: tam nequit non patrocinari innocentibus. Itaq; poſteaquã illos in cãpũ, & tanquã in aciẽ deductos, calũniis & impugnationibus malorũ hominũ paululum exercuit, tandem aperit & in lucẽ profert inſidioſas impiorum artes, coſque frangit atque debilitat: aut ſi hîc, id eſt, in huius ſeculi breui vita id interdum negligit facere, in publico certè totius orbis atque omnium quicũque vnquã fuerunt conuentu hominum cumulatè facturus eſt: quod cum fiet, mendaces, atque falſi teſtes turpiſſimis ſuorum criminum notis inuſti, pœniſque ſubiecti in odio atque infamia erunt ſempiterna: bonis verò per calumniam oppreſsis non ſolùm ſuus reſtituetur honor, ſed vita etiam immortalis & gloriæ plena reddetur. Vnde conſentaneè ſequitur.

CREDO, Videre bona Domini in terra viuentium.

NAM vtcumque in hac mortali vita, & in hac terra, in qua non tam vita viuitur, quam ad acerbos fortunæ caſus ſubeundos, ſpiritus ducitur, atque propagatur, cum bonis viris actum fuerit: ſiue aduerſarios ſuos illi vicerint, ſiue ab eis victi ceciderint: certum eſt fore, vt cum ab his locis diſceſſerint in cæli regionibus fœlici fruantur, atque beata vita. Sunt qui terram viuentium hoc loco Iudæam dici putent: quo certè nomine ab Eſaia & Ezechiele vatibus non ſemel appellatur. Appellatur autem ſic propterea quod multum præſtaret cæteris orbis regionibus ea terra eorum quę ad vitam neceſſaria ſunt, & copia, & bonitate, atque ob id maximè ſacri vates viuentiũ terram nominarunt ipſam, quia in vna ea verus Dei retinebatur cultus, reliquis omnibus populis idola colentibus. Ab ea igitur, quia nunc exulabat Dauid, & ſperabat, quod illi pollicitus fuerat Deus, ſuum in eam glorioſum futurum redi-

Eſai. 53.

reditum, eo ipſum dicere, ſperare ſe viſurum bona Domini in terra viuentium, hoc eſt, in ea terra, in qua, & quod ad vitæ copias attinet abundanter, & quod ad Dei cultũ & religionem pertinet, ſanctè viuitur, ſe viſurum bona Dei, id eſt adepturum promiſſa ſibi à Deo bona, hoc eſt, vt id tertio interpreter, deletis ipſius omnibus inimicis gloria & imperio potiturum, & quod ipſe plurimi faciebat habiturũ facultatem adeundi tabernaculum Dei, eiuſque ipſius laudes in eo ſuis comprehenſas carminibus decantandi. Probabiliter quidem hæc, atque adeò ad ipſam rerum geſtarum fidem verè dicuntur: ſed vt probabilia iſta ſint, tamẽ mihi verius apparet, terrã viuentiũ hoc loco cælũ ipſũ dici, & eo peruenièdi ſpe ſanctũ Dauidẽ ægritudines ſuas lenire. Nam & ipſa Iudæa, ſi quo loco terra viuentium appellatur od id appellatur maximè, quia illius pleraq; diuinitus relata erant, ad cæleſtis patriæ ſtatum adumbrandum & ſignificandum: præterquam quod omnis illa Dauidi in patriam reſtituto promiſſa regia fœlicitas caduca erat, atque terrena, & non ſatis profectò digna, quam vates diuinus, ſanctiſsimus certè vir tanti faceret, vt eius vna ſpe, vel in medijs malis ſe beatum ac fœlicem putaret, ac diceret. Quid? quod terra viuentium ſi Hebręæ vocis numerũ & ſonum reddamus, terra vitarum interpretanda eſt. Terra autem vitarum, haud dubiè auguſtius nomen eſt, quam vt vlli terrenæ regioni poſsit conuenire, aut ei ſatis aptè tribui, propterea quod hæc, quę incolimus terrena loca, quãuis & cæli clementia, & ſoli vbertate beata, mortis & morte peiorum malorum domicilia ſunt, non vitæ fœcunda loca: tantumque abſunt ab eo, vt iucundè & tranquillè viuendi, nobis varias vias dent, vt vnum hoc vitæ, quod hîc viuitur genus, mortis multo plus quam vitæ habeat, vtpotè quod non ſolùm feſtinet ad interitum, verùm etiam ſingulis horis interat: vt illa non dicam mala,

morbos, dolores, ęgritudines fortunæ acerbitates, quorum iſtæ regiones valdè ſunt quidem feraces. Illa itaque ſola regio, vitarum & ſit, & appelletur terra, in qua malorum expers vita producitur per æterna tempora: vbi qui viuunt geminam, & vtramque fœliciſſimam vitam viuunt: vbi & viget animus, & viuit corpus: animus, quia videt atque poſſidet, nullo tempore amittendum Deum, in quo vno maximè animi vita conſiſtit: corpus verò quia abeſt ab eo, non ſolum morbus, & dolor, ſed & moriendi neceſsitas omnis, atque cauſa: adeſtque rurſus, atque ineſt ei, ſumma & pulchritudo, & agilitas, quę ſunt certè eximia illa & præclara bona Dei, quæ ſanctus Dauid, & videre cupit, & dicit ſe ſperare viſurũ in terra viuentium Quorũ ſpe bonorũ freti ſancti homines, æquo animo præſentia mala ferunt Et quando acrius ipſa eos vrgent ſecũ, & cũ animo ſuo ita loquũtur. Leue eſſe, & ad momẽtũ tẽporis durãs, nec tam re ipſa, quã nomine acerbũ, quidquid id eſt mali, quod patiũtur, in quo perferẽdo fortitudinẽ ſuam & pietatem erga Deũ ſpectari ab eodẽ ipſo Deo: qui paratus cũ ſit, idq; pollicitus fuerit ipſe, pro malorũ patientia, proque vita mortali, & terrena amiſſa, dare immortalẽ in cælo, atque beatã vitam, nimis anguſti, nimiſq; puſilli, atque adeò abiecti animi eſſe, quæ tam paruo veneant, tam eximia bona emere non audere. Itaque ſe ipſi confirmant. Sed adſunt cateruæ impiorum, & vt ſibi videntur, callidorum hominum iſta omnia irridentium, & miſerorum hominum ſolatia appellantium, itaque dicentium. Nec vera illa eſſe, nec veroſimilia vllo modo, ſtultitiæque prorſus atque dementiæ condemnandos eſſe eos, qui, quæ vident atque ſenſibus ſuis percipiunt, neglectis, quæ nunquam ſunt, certè quæ nemo hominum dicere audeat ſe vidiſſe, ea ſequantur atque ament Quorum aduerſus voces atque opiniones impias, quo in ſua perſona armaret Dauid,

Dauid, atque præmuniret omnes bonos, quicumque vnquam futuri ſunt, pulcherrimum hoc ſuum carmen, tali fine concluſit.

EXPECTA Dominum & viriliter age, & cõfortetur cor tuũ, & ſuſtine Dominum.

QVA expolitione ſermonis, & in eandem ſententiam tot repetitis verbis acriorem adhortationem fecit. Ex quo etiam intelligimus, quam ſit difficile ſtare iuſtos in acie fortes & inuictos, quando non ſolùm aduerſus illos fortuna pugnat, ſed etiam perditorum hominum, quorum eſt maxima multitudo praua iudicia inſurgunt, telaque in illos omnes iaciunt: Deuſque ipſe interim ſubtrahere ſe ſe illis videtur, neque auxilij ſui atque fauoris lumen ipſis prætendere. Niſi enim in magno deſperationis & ad impios defectionis periculo verſarentur, tam acer in adhortando Dauid, tamque vehemens profectò non fuiſſet. Itaque quemadmodum cum quis aduerſo flumine, aut lembum remis agit, aut ſeipſum natatu propellit multis è littore ſpectantibus ipſum: ſi quando id accidit, vt fluctu ipſo & rapiditate fluminis obrutus retrò in præceps feratur, ipſa magnitudo periculi, non ſolùm intentos ſpectatores reddit, ſed etiam auxilij ferendi cupidos. itaque illud vnum certatim omnes quod poſſunt, ne cede, vince, ſupera, magnis clamoribus iterare non ceſſant, ſic hoc loco Dauid ad omnes eos, qui in acie acriter dimicantes interea dum cunctatur Deus, ſeque ipſe continet, grauiter ſub armis laborant conuerſus, eiſque animum addens, ita fatur. *Expecta Dominum.* & iterum. *Viriliter age.* & tertiò. *Confortetur cor tuum.* poſtremò atque tandem. *Et ſuſtine Dominum.* Et profectò, verũ ſi quærimus, quod bonos & innocentes homines, dum ab alijs iniurioſè premuntur, maxima ſollicitudine afficit: quodque eos lædit maximè, & periculo cadendi, &

à patientia ac pietate deficiendi, propiores facit: non tam ipsa per se, quæ patiuntur mala sunt, quam illud vnũ quod infirmitate quadam ingenij, & conditionis humanæ, vel omninò non curare Deũ humana res: vel certè suas ipsorum negligere, offensumque aliquo eorũ peccato, quod ipsos lateat discessisse ab eis illum, ipsosque tradidisse inimicorũ suorũ libidini vexãdos atq; perdendos, nõ quidẽ illi planè iudicant, sed ad id vt iudicent, & rerũ ipsarum indignitate & acerbitate quas tolerãt, & ignoratione sui ea, quæ est humano generi propria, & verò opera & studio dæmonũ id maximè cupientiũ persuadere nobis, & propterea nostris cogitationibus sępè id subijcientiũ, nosque implentiũ multis huiusmodi suspicionibus inducũtur & impelluntur. Ex quo sunt illę voces. Mei autem penè moti sunt pedes: penè effusi sunt gressus mei, quia zelaui super iniquos pacem peccatorũ videns. Et rursus. Ergo sine causa iustificaui cor meũ, & laui inter innocẽtes manus meas, & fui flagellatus tota die, & castigatio mea in matutinis. Illaque Esaiæ ex persona populi Dei. Dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus est mei. Igitur quod illorum animos maximè discruciat, id est, quod à gratia Dei, ad cuius vnius confugerant præsidium, & in quem vnum contulerant omnes suas spes cecidisse se suspicantur. Cuius rei in Christo magnum extat exẽplum. Non quidẽ quod ille à Deo, hoc est, à se se desertum se esse, aut omninò posse deseri, vel putauerit, vel suspicatus fuerit vnquam: sed quoniã omniũ earũ rerũ, quæ acerbæ & toleratu difficiles vidẽtur esse, sensum ad se, & affectum traduxerit. Is igitur cùm in ea humíli specie, quam ex nobis, pro nobis assumpsit grauissimas iniurias, & tormenta acerbissima pertulisset: ad cætera tacens, ac propè mutus, illud vnum, quod se pater suus obliuisci esset visus, questus est intenta & lamentabili voce. Deus, inquiens, Deus meus, vt quid de reli-

Psal.72.

Esai.49.

reliquisti me? Quocirca, quo id acerbius ferunt iusti, eo oportuit magis, vt eos Dauid iterum atque sæpiùs adhortando adperferendum, & constanter agendum, Deumq; in primis, quamuis longas moras trahentem expectandũ erigeret, atque incitaret. Quod autem sæpè iam dicimus morari Deum, & lentè agere, & vix tandem ad iustis opitulandum adduci, id non tam ex re ipsa verum esse intelligendum est, quam ex hominum opinione atque desiderijs. Nam Deus ipse, quoniam cuncta latè videt, & sapientiæ quadam immensitate omnium temporum res gestas, earumque inter ipsas consensus, atque nexus, & quid cuique conueniat, & quo quidque agi tempore, quove omitti oporteat, vno aspectu intuetur, suo quamcunque rem loco, suoque & opportuno tempore scientissimè & prudentissimè facit. At hominis exigua & angusta mens, vtpotè quæ neque tam longè, latèque prospicere, neq; vno simul tempore cogitatione tot res comprehendere, neq; si comprehẽdat, inuicem conferre ipsas inter se possit, ex sua ipsius exiguitate tẽpus Deo, atque modũ iudicandi, & pœnas de hominibus sceleratis sumendi statuit atque præfinit, quam nostram præfinitionem atque præscriptum: quoniam Deus meliore consilio sæpè negligit atque trãsgreditur: ipsum morari, atque lento gradu incedere, videri nobis dicimus: ita quidem certè loquimur, cunctatorẽque, & lentum, & procrastinatorem vocitamus illum. Atque vbi accidit, vt qui ista Deo definimus iudicandi & auxilij ferendi tempora in malis ipsi atque asperis versemur rebus, quoniam omnis & dolor corporis, & ægritudo animi dilationis est impatiens, nisi precantibus nobis, & adiuuari nos ab ipso petentibus, continuo adsit ipse Deus, & ex nostro desiderio calamitati, quã patimur, modum imponat, negligi nos ab eo arbitramur, nosque proindè miseros dicimus, nostrasque querimur & lamenta-

Matt.27.

mur perditas & profligatas fortunas. Quare tales qui sunt, ij profectò sæpiùs sunt admonēdi Dauidē vt audiāt, Deūque quamuis morantē expectent atque sustineant: vt nō ex animi eorum libidine, aut ex angustijs mentis suæ, Deū vel irasci, vel deponere iram velint: vt quando ipsis auxilij ferendi tempus præterijsse videtur, ne aduenisse quidē illud, satisve adhuc esse maturū existiment, deniq;, vt cognoscant atq; considerent quid nobis expediat, quidve secus nescire sæpè nos: Deo autē ipsi cognitū id, & exploratū esse, nec segnem illum esse aut pigrum, neq; imbecillū, aut timidū, nobis vt benefacere, aut nolit, aut nequeat, exerceri virtutem atque illustrari patientia malorum, vitia, quæ sunt labes animi aduersorum acerbitatibus elui, pro terrenis rebus & cito perituris amissis, bona diuina, & æterna reddi solere: nihil deniq; longum esse finē quod habeat, & certè quo malorum tanquā tēpestas maior, magisq; sæua fuerit, cò maiorē tranquillitatē & serenitatē futuram, sperantium in Deo & fortiter ad extremum vsque contendentiū fœliciſsimos exitus semper fuisse, denique non si ea mala quibus afficiuntur acerba ipsis & nō ferēda videtur, Deo ipsi, cuius falli nō potest iudiciū perinde grauia videri: nomine mala prædicari, re ipsa beatæ vitæ semi
Hiere. 3 naria esse Hieremiā vatē illud verè scripsisse. Bonum est viro cum portauerit iugum ab adolescētia sua, sedebit solitarius & tacebit, quia leuauit se supra se, ponet in puluere os suum, si fortè sit spes, dabit percutiēti se maxillam, satiabitur opprobrijs, quia non repellet in sempiternum Dñs, quia si abiecit & miserebitur secundum multitudinē miserationum suarū, non enim humiliauit ex corde suo, & abiecit filios hominum. ATQVE, vt de alijs taceā, & de me vno, qui hæc cū scribo, carceri addictus & violatæ fidei reus factus maximis premor malis, & agam, & loquar, meamque ad me ipse orationē conuertā. An quia iā mensis

sis agitur quadragesimus, ex quo inimici mei de me triūphū agere cœperūt, & cū apud iudices criminando, tum apud homines vniuersos detrahēdo & obloquēdo, caput meū oppugnare nō cessant, nullaq; interim, aut leuatio malorū ostenditur, aut effulget salutis spes, idcircò animū ipse despondeā, & Deū non allaturū innocentiæ auxiliū putem? Absit à me, absit persuasio tā impia. Nunquā ego pater sanctiſsime, ne si omnia mala irruant in me, aut minus bene de te iudicabo, aut oculos meos abs te, aut spē dimouebo. Nunquam de te sentiam, nisi quæ de optimo atq; indulgētiſsimo patre, æquū est sentiri atque credi. Nā vt eorū nūc obliuiſci beneficiorum velim, quæ superioribus annis multa atque magna in me cōtuliſti, hoc ipsum, quo premor, quod meū nūc angit animū, in quo seuerè mecū videris agere & irati, atque offensi personā sustines, totum ab eximio quodā amore tuo erga me fateor esse profectū. Nā quē exitū vita erat habitura mea, quo non progressura impunitate ipsa corroborata, nimia mea audacia peccādi, si me in ea, quā instituerā, pgredi via siuisses? aut nisi mihi effrænato & cæco, & in præceps ruenti frænum iniecisses timoris tui? Deliqui, fateor, multa miser in te, plurima in me, in reliquos homines multa peccaui: intestinæ cupiditates meæ supergressæ caput meum, arcem animi hostib⁹ tradiderunt: proditus sum à me ipso. Et cum tu puerū me antequā terrenis curis inficerer ad religiosum vitæ genus, idest, ad te vocauisses, iuuenē rerū optimarū studio inflāmasses, & iā adulta ætate virū donis tuis cumulasses, & magnis, & plurimis, pro tot ac tātis beneficiis malā ipse gratiā tibi retuli: nec solū ingratus tibi fui, sed etiā qđ in me fuit, mihi ipsi exicialis. Nā quid aliud, pmerui, quā vt sceleris dānat⁹, pœnisq; addict⁹ me obrueres sempiterna obliuione? Sed, quę te cōpulit tua bonitas, vt mihi puero nihil dū de te merito olī faceres bene, eadē impulit, vt errāti mihi nūc

&

& in scelus ruenti,& tua sanctissima iussa ingratè aspernãti,seueriori pœna metum incuteres.Quoad licuit, & quo ad fieri potuit benignum te mihi,& indulgentem exhibuisti . At vbi me ista tua indulgentia abuti vidisti, eaq; magis indies corrumpi , malumque quotidie serpere latiùs, medicamentum morbo sanando quod esset aptum mordax,atque acre adhibuisti,ratio agẽdi variata est,non commutata benefaciendi voluntas . Nunquam enim inimici mei aduersum me tantum potuissent,nisi tu conatu illorum iniusto abuti velles ad meam salutem. Nam , quid in meos mores minus cadit quam infidelitas? quidve magis à me alienũ,quã à rectæ fidei integritate deficere, qui semper optarim,vel capitis,atque fortunarum omnium periculo ipsam tueri?Sed quo magis esset perspicuum,tuo potiùs quam hominum consilio rem istam geri:idcircò nũc illo lædor,quod si res ritè expendatur,erat infirmissimum ad lædendum,& qua parte videbar aduersus hostiles appetitiones maximè munitus & tutus,ab ea nunc parte omnia illorum tela nudo latere excipio.Falsis aliorum criminationibus vera peccata mea in me punis,& cum insimulari me finis eius criminis,quod nunquam commisi, pœnas à me exigis,ob ea peccata,quæ admisi:& aliorum iniusta actione iustè,tu,imò piè & amanter corrupto vitiis animo meo , ne funditus interirem ferrum atque ignes adhibes.Iam numen tuum pater agnosco,iam mihi totus displiceo,& quod te miser offendi,doleo , atque discrucior: ignosce pie,ac iam tandem placatum redde te mihi:idem amor qui imposuit,iam tibi detrahat seueritatis istam personam:hactenus aliorum mendaciis ad meam salutẽ abusus es,iam saluo me,ac tibi reddito veritas ipsa, sibi vt patrocineris suo quodammodo iure abs te postulat:vindicatum est in me atque sæuitum , pro eo quantum commerui sanè parum,at pro tua placabili,& in tuos indulgenti natu-

natura ferè satis,iam tuum erit opitulari laboranti innocentię.Recordare Domine filiorum Edom in die Hierusalem,qui dicunt exinanite,exinanite,vsque ad fundamẽtum in ea. Quãquam ego illos vlcisci non cupio,eos laqueos mihi quos tetenderunt,exuere opto , semper illos misericordia potiùs,quam odio dignos duxi:eosque, qui iniuriam mihi fecerunt , me qui iniuriam ab ipsis illatam sustineo, esse magis miseros iudico . Sint illi per me fœlices,atque ampli,nihil obsto:vt mihi ab illorum calumnijs libero liceat , quam purè erga te fidem seruaui,eius fidei apud homines bonam existimationem integram retinere,id verò suppliciter postulo. Auxilium tu mihi fuisti à iuuentute mea,nunc cum maximè deficit virtus mea, ne derelinquas me.Esto lux densis tenebris malorum oppresso, esto salus de fama,& de fortunis omnibus dimicanti,dissipa consilia impia,& cælesti immisso lumine detege mendacia atque fraudes:meque his eripe malis , ereptumque meis,ideſt,tuis famulis redde:& à mortis locis vindica me ad vitæ regionem . Quod si minus hoc mihi,tuæ certè id naturæ debes,debes bonitati, debes fidei, debes clementiæ , mihi namq; certum est instare apud te precibus semper:tuas patiẽtissimas aures meis querelis obtundere: nõ quiescet pupilla oculi mei,& quamuis sæpè repulsus, sæpiùs clamabo.Domine vim patior, respondepro me , dabis instanti,quod denegas peccatori,idque cum dabis plurimorum,qui mea causa laborant, grata ora in tuas laudes resolues,qui vnus sempiterna laude dignus es verè vnus, & verè trinus Deus:Amen.

Psal.136.

FRA-

Universidad de Deusto
Biblioteca

F. LVYSII LEGIONENSIS AVGVSTINIANI, THEOLOGIAE *Doctoris, & Diuinorum librorum primi apud Salmanticenses interpretis.*

IN ABDIAM PROPHETAM EXPLANATIO.

ILLVSTRISSIMO D. D. PETRO PORTOCARRERO EPISCOPO Calagurritano F. Luysius Legionensis Augustinianus. S. P. D.

ETSI non erat mihi in animo ea edere, quæ auditoribus meis, ijs, quibus interpretor sacros libros, de scripto dictare soleo, quòd in hoc genere multa dantur imperitis auditorum auribus, neque selecta neque limata satis: tamen edi deberi admonitus sum ab hominibus studiosis mei, qui mihi sæpè dixerunt, viderem, ne mihi eueniret in his scriptis idem, quod iam pridem in illis euenisset, quæ de Theologicis dictassem quæstionibus. Illa enim scripta, dum ipse in eorum editione cunctor, pudoris atque æquitatis oblitos suo nomine edidisse alios. In quo, quod illis valde indignum, & minime ferendum videbatur, aliorum nomine mea edi, parum certè me mouit, quòd vtrùm meo, an aliorum edantur mea nomine, non admodum referre, aut ad me per-

pertinere iudicem. Nam quod ab homine Christiano in his rebus quærendum est, vt Ecclesiæ pro sua virili parte prosit, vel priuatim, vel publicè, id, si quid in meis scriptis est eius generis, quod alicui possit esse vtile, quocumq; illa edãtur nomine, assequor. Laudis autẽ apud homines fructũ, qui ex eo ad me peruenturus erat, (si tamen peruenturus erat aliquis) nec ipse curo, nec homini modesto, & in Christiana disciplina educato curandum existimo. Itaque non eo commotus sum, quòd aliorũ nomine mea ederentur: sed quòd variè corrupta, & multis contaminata ederentur modis, eo sum inductus, vt mea, qualia qualia sunt à me edi integra, quàm ab alijs corrupta mallem. Nam plagiarij isti, vt plagium celent, quæ edunt, ea inuertunt: quæ autem inuertunt, deteriora reddũt: nec solum eos iniuria afficiunt, quorum res surripiunt, sed etiam publicè curetis obsunt, dum eas è bonis malas faciunt. Igitur sententiã de nõ edendo mutaut meam: idq; in eo spectaui, non ne mea ab alijs sed ne integra corruptè, distincta perturbatè, plana ederentur confuse. Itaque illa edere statui, edoq; nunc ex eis duo non tam συνταγματα, quàm υπομνήματα in Abdiam,

& in Pauli ad Galatas Epistolam, reliqua mox editurus. Hæc qualia sint, docti iudicabunt. Mihi nihil meorũ satis probatur. Conatum tamen esse me non diffiteor lumen inferre rebus obscuris & inuolutis. Sed si minus per se placebunt, placere, credo, cunctis poterunt, tuo Petre clarissime, cõmendata nomine, cuius summa est, apud omnes quibus notus es, excellenti virtuti tuæ, ac summæ generis nobilitati debita gratia, & authoritas. Quare ea ad te mitto, quo neminem habeo, neque cui magis debeam, neque quem pluris faciam, neque cuius in nomine libentius acquiescam, neque denique quem sperem meis scriptis maiori vel præsidio vel ornamento futurum. Quæ mea spes certè non fallet. Vale.

PRO-

PROPHETIA ABDIAE.

IN PROPHETIS, quos minores vocant, quòd eorum scripta ad Esaiæ & Ieremiæ, atq; Ezechielis scriptorũ magnitudinem relata, perexigua sint, Abdias & est vnus, & ordine quartus, & libri paruitate omnium minimus. Vaticinatus enim est aduersus Edom: eamq; vaticinationem suam paucis versibus comprehensam literis prodidit. Sed vt breue sit quod scripsit Abdias, tamen pro satis longo id haberi debet: tũ propter earum rerum, quas scribit, magnitudinẽ: tum propter scribendi rationem obscuram, & inuolutam. Quis autem fuerit Abdias, aut quo tempore vixerit, video non satis constare. Nam sunt qui dicant eum fuisse genere Idumæum, religione Iudæum. Quod si verum est, quæri potest, quare vir Idumęus vaticinatus sit contra Idumæos? Ad quod respondendũ est, id factum videri, vt Idumæi fidem haberẽt ei vaticinationi, cuius authorẽ esse viderent non aliquem Iudæum, id est, generis cũ Iudæis cognatione cõiunctum (vniuersos enim Iudæos illi pro inimicis, & ob eã causam pro suspectis habebant) sed Idumæum, (hoc est) contribulem suum, sibiq; affinem, atque omnia bona ipsis cupientem. Porro Hieronymus Hebræorum Doctores sequutus affirmat esse eum Abdiam, qui in libris Regum Regis Achabi res administrasse dicitur: de quo cum memora-

tur, Iezabele Prophetas Domini ad necem quærente, è
3. Reg. media cæde eripuisse centum Prophetas, eosque duabus in speluncis inclusos, quinquagenos in singulis, & suis sumptibus aluisse & summa diligentia occultasse. Quæ sententia si obtineat perspicuum erit Abdiam sub Rege Achab, aut paulò post eius mortem, ætate certè Eliæ, aut Elisei, hæc scripta edidisse. Sed sunt nonnulli, quibus ista non placeant, quique è sacris literis contrarium eius sententiæ euinci posse contendant: quòd dicant, ex iis colligi anno ducentesimo à morte Achab hunc esset editum librum: idque tali argumento confirmant. Constat Abdiam his scriptis accusare Idumæos, quòd Iudæorum hostes in bello iuuerint, quodque coniunctis suis cum illorum copiis, Iudæis magnam cladem intulerint: manifestum autem est è Regum libris ante Achaz Regis Iudæorum tempora, (ad quem ab Achabo Israelitarum rege, vt minimùm ducenti numerantur anni) Idumæos aut bellum non intulisse Iudæis, aut in bello inferiores fuisse semper: ipso autem Achaz apud Iudæos regnante, primum prosperè aduersus ipsos pugnasse, eorumque vastata regione, multisque ipsorum occisis, magnaque abacta præda, maximam cladem intulisse illis. Ergo consequens est de illa clade ista dici. Ex quo rursus sequitur, aut ipso huius cladis tempore, aut certè post id tempus hunc esse editum librum, hoc est, Abdiam vixisse, atque scripsisse Achaz Iudæorum regis temporibus, id est, multò post Achabi Israelitarum regis tempora. Hæc illi quidem. Quæ tamen facillimè refelluntur. Nam primùm falsum est, vt inferiùs manifestè docebo hæc pertinere ad id bellum, quod aduersus Achaz Idumæi simul cum Syris & Palæstinis gesserunt. Deinde, vt maximè pertinerent, cur quæso id bellum etiam antequam gereretur, diuino vati notum non fuerit, vt necesse

sit Abdiam, siquidem ei notum id fuit, bello iam gesto scripsisse? Non enim, si eius belli causa in eas calamitates inciderunt Idumæi, quas denunciat Abdias, idcircò ante eam denuntiationem gerendum id bellum fuit. Prophetæ enim diuino illustrati lumine, non solùm ex causis antegressis futura prospiciunt, sed sæpè etiam & causas, & effectus causarum, id est, & peccata hominum euentura, & diuinas ob ea peccata animaduersiones futuras multò antea quam eueniant, cognoscunt. Sed hæc tenebris vetustatis premuntur, nec ignorata nocent. Illud sciri dignum, quòd Hieronymus & Hieronymum sequutus Lyranus dixerunt: si Abdias Achabi œconomus, vti diximus, fuit, ipsum officij viris sanctis atque Propheris exhibiti præmium accepisse donum Prophetiæ: Dignum videlicet pro suis meritis præmium, vt qui Prophetis vitam dederit, ipse eximius efficeretur Propheta: Deo scilicet iam tunc præstante & exoluente fidem eius promissi, quod multo post ore Christi promisit apud Mat. 10. Matthæum, qua dicitur. Qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet. Nam profectò, qualis est is, cui quis studet, aut ad quem se adiungit, talis quisque vt plurimum euadit in vtramque partem, quod his exemplis fiet planum. Moses enim, vt in Exodo scribitur, ex assuetudine colloquendi cum Deo „ Exodi. similis Deo quodammodo effectus, toto ore radios diuini luminis emittebat. Et vt est in Regum primo libro, Saul Rex in Prophetarum cuneum cùm incidisset, numi- „ 1. Reg. ne statim correptus prophetauit & ipse. Et de Solomone in tertio Regum scribitur, quòd se implicuisset mu- „ 3. Reg. lierum Idola colentium amoribus, & ipsum Idola coli censuisse. Iudæis certè in Exodo, & alibi pluries præcipitur, ne connubia ineant, aut quidquam commercij habeant cum aliarum religionum hominibus, quòd è com- „

mercio necessitudo, & è necessitudine oritura esset si-
1. Cor. 5. militudo morum. Nam vt aptè ad hanc sententiam scri-
bit Paulus. Modicum fermentum totam massam cor-
rumpit, & corrumpunt bonos mores colloquia praua,
& è contrario, sanctificatus est vir infidelis propter vxo-
rem fidelem. Quibus consonat, quod in Ecclesiastico
Eccl. 13. dicitur. Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea, &
qui communicauerit superbo induet superbiam. Igi-
tur Abdias, quòd officiosus atque pius fuerit in
viros Prophetas, donatus & ipse est spiritu prophe-
tiæ: & ex commercio, quod habuit cum sanctis viris
euasit illis similis, sanctus, videlicet, vir, & eximius Pro-
pheta.

Sed exposito quis fuerit Abdias, exponendum sequi-
tur quod & quale sit huius prophetiæ argumentum, ideſt,
quæri præterea debet in quos propriè inuehitur, & quasi
dirigit aciem huius suæ prædictionis Abdias. Quæ pro-
fectò res difficilem explicationem habet. Nam quamuis
contra Edom se dicat scribere, tamen sunt nonnulli, qui-
bus non sine magna causa videtur ista ad Edom non pro-
priè pertinere, id est, non pertinere ad Esau fratris Iacobi
posteros, sed figuratè Edonis nomine alios significari ho-
mines propter aliquam rem, quæ ipsis cum Idumæis, vel
in religione, vel in moribus communis esset, sic nomina-
tos. Nec qui ista sentiunt vniusmodi sententiam sequun-
tur, sed alij alio loquuntur modo. Hebræi quidam Docto-
res in Edom hoc loco Romanos intelligi volunt, quos
propter duas causas sic nominatos esse dicunt, vna, quòd
imitentur Edom odio aduersus Iudæos. Nam Edom, id
est, Esau magno semper odio prosequutus est Iacob fra-
trem germanum suum, & posteri Esau Idumæi posteris Ia
cob, id est, Iudæis semper fuerunt infensi: altera quia, vt
ipsi docent, Romani ab Idumæis ortum, & genus ducũt.

Tra-

Traditur enim in Hebræorum annalibus AEneam, ad
quem Romani generis sui originem referunt fuisse Idu-
mæum, eumque ab Idumæa per AEgyptum & Lybiam
deuenisse in Italiam. Nec solùm hanc vaticinationem, sed Ier. 49.
vniuersa ferè, quæ à Ieremia, Ezechiele, Esaia vatibus di- Ezec. 34.
cuntur aduersus Edom, ea de Romanis literatè dici con- Esa. 21.
firmant. Itaque & illud Esaiæ, Onus Duma, quę est Edom,
aut ab Edonis posteritate culta regio Idumææ, aduocant
in auxilium huius suæ sententiæ, eoque vtuntur pro fir-
mo argumento, quòd ita asserant commutatis paululum
literis ratione quadam scribendi arcana, & his literis fa-
miliari Duma idem esse quod Roma. At Burgensis vir
præstans eruditione, & iudicio, cùm hæc tùm illa, quæ
Esaias in triceſimoquarto capite scribit, censet literatè Esai. 34.
dici aduersus Iudæos, ad quos ipse nomen Edom trans-
fert non immeritò. Nam sicut olim Esau inimicitias ca-
pitales quoad vixit exercuit cum Israhele suo fratre ger-
mano, nec solùm exercuit ipse, sed quasi hæreditа-
rium, & legitimum ad Idumæos posteros suos transmi-
sit, vt Israelitas odio quidem semper, armis vero per-
sequerentur quoad possent, sic Iudæi infideles fideles Iu-
dæos, & ab his propagatas gentium Ecclesias, & omni-
nò Christianorum gentem, Christumque ipsum quamuis gentilem suum, non solùm maledictis incessunt, sed
etiam extinctum cupiunt. Rupertus Abbas eadem quæ
Burgensis, scribit, similiterque arbitratur Abdiam inue-
hi in Iudæos Ecclesiæ hostes, & ob id Edom rectè
nominatos. Porrò qui figuram in hoc nomine non
agnoscunt, sed id appellari propriè censent pro Idu-
mæis posteris Esau, quique de illis interpretantur hæc
scripta vniuersa, & hi in duas sententias diuisi sunt. Nam
cum iis omnibus inter ipsos conueniat hac vaticina-
tione prædici Idumæos fore excindendos, alii ipsorum

existimant id de illis prædici, propterea quod Syrorum, & Palæstinorum auxiliares fuerunt contra Iudæos: alij quòd Chaldæis duce Nabuzardam vastantibus Hierosolymas opem tulerunt. Nam quin vtrisque Idumæi fuerint auxilio, Syris regnante Achaz, Chaldæis, quo tempore vrbs euersa est, & templum incensum, dubitari non potest. De primo enim suprà demonstratum est è libris Paralipomenon, & Regum. De altero autem, vt prætermittam dicere quàm eius fiat aperta significatio in Ieremiæ, & Ezechielis scriptis, quod esse manifestius testimonium potest eo, quod Dauid ponit in Psalmo, vbi ex persona populi à Chaldæis in captiuitatem abdu-
Psal. 136. cti conuersa ad Deum oratione sic dicitur. Recordare Domine filiorum Edom in die Hierusalem, qui dicunt exinanite, exinanite vsque ad fundamentum in ea. Ergo vtroque tempore Idumæi Iudæorum adiuncti hostibus ipsos valde oppresserunt. Verùm vt mihi dubium, & spissum esset, quo de genere Abdias ageret proprio, an figurato, quosve Idumæos nominaret, eos ne qui propriè tales sunt, an qui nominantur tales nomine ob aliquam similitudinem ad ipsos translato: itaque vt de isto dubitarem, tamen dubitare non possem, quin & verosimilior eorum sententia sit, qui genus figuratum sequuntur, & opinio vtraque eorum, qui proprium tuentur, sit commentitia atque falsa.

Et vt ordiamur à priori sententia, falsum planè est, has comminationes, atque prædictiones ad illud esse referendas bellum, quod Syris ducibus Idumæi aduersus Iudæos gesserunt. Primùm quoniam in his scriptis mentio fit Hierusalem, non solùm ab Idumæis obsessæ, sed etiam captæ, atque direptæ: & eorum ea in re, vel animi acerbitas, vel odij immanitas quanta fuerit refertur: eiusque ob facti culpam fore dicitur, Deus vt ipsos

ipsos deleret. Propter interfectionem, inquit, & propter iniquitatem in fratrem tuum Iacob operiet te confusio, & peribis in æternum. Quæ autem interfectio, ista, & cædes, atque iniquitas fuerit è vestigio declaratur. In die, cùm stares aduersus eum, quando capiebant alieni exercitum eius, & extranei ingrediebantur portas eius, & super Hierusalem mittebant sortem, tu quoque eras quasi vnus ex eis. Ergo quod vrbis captæ atque direptæ tempore hostibus Iudæorum auxilio venerunt Idumæi, idcircò & ipsi prædicuntur delendi. Atqui constat tempore Achaz Syrum vrbem nunquam cepisse: subegit ille quidem armis, vique cepit, & in suam potestatem redegit Iudæorum ditionis nonnullas vrbes, Bethsames, Aialon, & Gaderoth, Socho quoque & Thannam, vt 2. Par. ca.
in lib. Paralipomenon scribitur: vrbem que Ailam Syrus 28.
Iudæis ereptam Idumæis tradidit incolendam, vt in Regũ 4. Reg. c.
Iudæorum commemoratur historia: qua etiam dicitur in 16.
historia, admouisse eundem castra ad vrbem regiam, eamque obsedisse, non tamen ipsam cepisse, sed ab ea potius discessisse re infecta. Ex quo manifeste conficitur hîc non accusari Idumæos de eo bello, quod simul cum Syris regi Iudæorum Achaz intulerunt, quo in bello, vt liquet, Hierusalem capta non fuit, quando constat de eo accusari, quòd Hierosolymas vi captas crudeliter diripuerunt, captiuosque abduxerunt ipsarum ciues. Deinde hîc inter alia prædicitur nunquam postea futurum, vt Hierusalem in potestatem Idumæorum veniret: neque euenturum vllo postea tempore, vt vrbe à se vel ab alijs capta, ipsi aut in eam ingrederentur, aut eius diriperent domos, aut cædem ciuium in ea facerent, aut eorum alicui fugam intercluderent, sic enim scribitur. Neque ingredieris portam populi mei in die ruinæ eorum: neque despicies & tu in malis eius, in die vastationis illius

& non emitteris aduersus exercitum eius in die vastitatis eius: neque stabis in exitibus, vt interficias eos, qui fugiũt, & non concludes reliquos eius in die tribulationis. Quod si verè euenit, vt euenire necesse fuit, quando id Deus, qui falli nequit, euenturum prædixit, ista dici propter ea, quæ Idumæi, Syrique rege Achaz aduersus Iudæos gesserunt, nullo modo potest esse verum, cum ex supradictis apertissimè constet post id omninò bellum Idumæos quando Hierosolymas capiebant, & euertebant Chaldæi, auxiliatos fuisse illis: nec auxiliatos fuisse modo, sed & cohortatos esse, solo vt ipsas æquarent, nullique vt ciuium ætati parcerent: captæque tunc vrbi, atque direptæ constat superbè insultasse Idumæos.

Atque his satis refellatur prior illa sententia, quibus nihil minus efficacia sunt ea argumenta, quibus improbatur posterior. Nam si Idumæi quod Hierosolymas Chaldæis ducibus euerterunt, dicuntur postea extinguendi, quæro à quibus sint extinguendi? Ab eisdem Chaldæis, dicunt, qui debellatis Iudæis, victricia arma in Idumæos verterunt. At primum id nullius idonei scriptoris voce, atque testimonio firmatur, sed pro arbitrio eorum fingitur, qui nisi id commenti fuerint explanationis suæ exitum non inueniant. Deinde non est probabile, operæ egregiè ab Idumæis in bello nauatæ tàm malam illis retulisse gratiam Chaldæos prudentes homines. Postremò, vt demus probabile esse, nam è Ieremiæ nonnullis verbis videtur posse id quodãmodo colligi, post euersam à Chaldæis vrbem, & Iudæorum deletam rempublicam Chaldæos, Idumæosque aliqua de re inter se dissentientes tandem ad arma veniisse, itaque vt demus verum id esse, quî verum sit Idumæos tunc in æternum perijsse, id est, occidione occisos fuisse à Chaldæis ita vt nominis ipsorum memoria interiret, nulla certè reipublicæ facies

facies ipsis amplius maneret, quod hîc futurum prædicitur. Cum constet post illa vrbis euersæ à Chaldæis tempora, ad id vsque temporis, cum à Romanis iterum euersa est, Idumæos patrio in solo, non solùm vixisse incolumes, sed etiam præstitisse virtute, atque armis? Nam Darij Histaspis iussu, quem post excidium Hierosolymorum regnasse certum est (fecit enim is potestatem Iudæis, vt & templi opus Cyri regis tempore institutum, posteaque intermissum absoluerent, & vrbis dirutæ muros erigerent) huius igitur iussu Idumæi Iudæis à Babylone reuersis reddidisse à Iosepho dicuntur, id Iudææ regionis agri, quod ipsi Iudæis Babylonem in captiuitatem abductis, regionem cultoribus ingressi vacuam suo arbitratu occuparunt. Ex quo intelligitur post vastatam à Chaldæis Iudæam, Idumæos, nõ solùm non fuisse deletos, sed fuisse Iudææ regionis bona parte, nouaque imperij accessione vel Chaldæorum permissu, vel occupatione ipsorummet, nemine, qui ipsos impediret, relicto, locupletatos, atque auctos. Nec multo post ijdem in acie contra Iudam Machabæum Iudæorum ducem semel, atque iterum steterunt, vt docet idem Iosephus. Superati illi quidem in eo prælio fuerunt à Iudæis, sed quòd superati tunc, & prælio victi fuerunt, id pro argumento est, ante id tempus eiusmodi illos fuisse, vt & alios bello aggredi possent, & de principatu contendere auderent cum hominibus bellicosis. Sed nec à Iuda Machabæo eorum fuit extinctum genus. Nam quod idē Iosephus testatur, Hyrcanus Pontifex postea illos vicit, victosq; & sub iugũ missos, coegit vt patrio relicto more Iudæorũ ritu se circuncidi paterentur. Eos deinde Põpeius ab imperio Iudæorũ exemit, & suis viuere permisit legibus, quod idē Iosephus scribit. Cũ enim Alexander Aristobuli filius ex Asamonæorum genere in Iudæa Rex simul & Pontifex, adiũctis ditioni suæ Syris, & Phœnicibus, atque

que Idumæis regni sui pomeria latè extendisset, eo mortuo, atque Alexandra etiam eius vxore vita functa eorum filijs Hyrcano, & Aristobulo quidquid pater, atque maiores ipsorum adiecerant illorum regno Pompeius belli iure ademit, ademptumque aut attribuit Syriæ prouinciæ, aut pristinæ libertati restituit. Nec illo solùm tempore Idumæorum vigebant opes nomenque, sed ex eo deinceps in maiori gloria fuit. Antipater enim filius Antipæ Idumęus genere, atque dux Idumææ, vt Iosephus scribit, è Cipro item Idumæa vxore sua Herodem magnum sustulit, qui à Romanis Iudæorum creatus rex eam potestatem tanquam legitimam ad suos transmisit posteros. Itaque quandiu res sterit Iudæorum publica Herodis posteri, hoc est, Idumæi, illi vel omninò vel maxima ex parte præfuerunt. Ac denique ipsomet tempore, quo à Romanis est excisa Hierusalem, Idumæorum adeò florebant res, adeoque & viris ipsi pollebant, & armis vt ad viginti, & eo amplius Idumæorum armatorum millia ducibus Ioanne, & Iacobo Sosæ filijs, Iosephus scribat auxilio veniisse Zelotis contra Annani & reliquorum factionem. Quæ si vera sunt, vt certè sunt, necesse est ea esse cõmentitia atque falsa, quæ de deletis Idumæis à Babylonijs, ij, quos supra dixi, confingunt. Aut enim illos bello nunquam appetiuerunt Babylonij, aut si quando appetiuerunt, atque vicerunt, tamen neque solum vertere coegerunt ipsos, neque rem eorum publicam deleuerunt. Quod si cui parum firma Iosephi videatur authoritas, quã quam immeritò id quidem videatur, est enim vt si quis alius scriptor probatus ac locuples, sed vt quis Iosephum reijciat, nùm reiiciat idem atque contemnat vel rerum à Machabæis gestarum sacra monumenta, vel Danielis vaticinationum librum diuinum? Atqui in Machabæorum primo libro ducentesimo ferè anno postquam Hierosolymas, *lib.1.ca.5.*

lymas Babylonij cepere, postque ipsorum imperium à Medis, Medorum à Græcis euersum Idumæorum reipublicæ atque gentis magna mentio fit. Daniel verò nonne etiam scribit futurum vt Antiochus Epiphanes, qui regnauit in Syria post Alexandrum Magnum vita functum anno trigesimo suprà centesimum, hoc est, post prioris templi excidium annis plus ducentis, omnibus à se Asiæ regionis gentibus superatis vnis abstineat Idumæis & Moabitis, & Amonitis? Sic enim scripsit. Et introibit in terram gloriosam, & multi corruent, hæ autem solæ saluabuntur de manu eius, Edom, & Moab, & principium filiorum Amon. At non essent Idumæi, à quibus bello lacessendis abstinuisset Antiochus, eos si ante ducentos annos deleuissent Chaldæi. Sed, vt cætera desint, illa certè vaticinatio Isaac, cuius Moses verba in Genesi refert, profecto euincat, non solùm non fuisse extinctos à Chaldæis Idumæos, sed ne Iudæis quidem à Romanis euersis, ipsos fore euertendos. Nam is diuino inflatus spiritu, & in futurum longè prospiciens Esau filio suo, qui est Edõ, sic benè precatus dicitur. Viues in gladio, & fratri tuo seruies, tempusque veniet cum excutias, & soluas iugum eius de ceruicibus tuis. Quæ si prædictio vera est, vt esse est necesse, dici profecto debet, quamuis Idumæi per interualla temporum varias fortunæ fuerint experti vices, tamen futurum ad extremum vt ipsi excusso seruitutis iugo, ac Iudæis oppressis, & regno atque libertate spoliatis rem suam recuperent publicam. Quî igitur conueniat eos deletos omninò dici, tanto antequam postrema mala subirent Iudæi, quos superuicturos ipsis, nec superuicturos modo, sed seruientibus illis ipsos futuros liberos vates sacri, vt apparet, testentur? Sed cur tam multa ego, cum id commenti de Idumæis armis Chaldæorum extinctis ipsemet Abdias abundè refellat. Nam Idumæi ij, de *Danie. 11.* *Gene. 27.*

ij, de quibus agit Abdias à Iudæis, non à Chaldæis prædicuntur delendi. Sic enim scribitur. Et erit domus Iacob ignis, & domus Ioseph flamma, & domus Esau stipula, & succendetur in eis, & deuorabit eos, & non erunt reliquiæ domus Esau. Ex quo vtrumque intelligitur, & fingi pro libidine, quæ de Idumæis à Chaldæis occisis dicuntur, & hosin quos Abdias inuehitur per metaphoram Idumæos dici. Nam propriè Idumæi, quod è supra dictis colligitur, quandiu steterit respublica Iudæorum, tandiu & ipsi steterunt, eosque Iudæi, etsi sæpius bello superarunt, tamen nũquam ita deleuerunt, vt ad vnum omnes cæderent, nec certè ita vt rem illorum publicam atque nomen extinguerent, aut omnes eorum reliquias, vti hîc Abdias dicit, abolerent. Agit igitur de figuratè Idumæis. Sed hoc testimonium nonnulli, quoniam se eo premi vident, callida interpretatione eludere conantur. Aiunt enim reliquias nullas remanere dici, non quòd nulli omnino remanserint, sed quòd pauci ijque imbelles relicti fuerint: idque moris esse sacræ Scripturæ, isto quotiescunque modo loquitur nõ vniuersum genus deletum docere velle, sed significare ad summam redactum paucitatem. Quæ res nobis diligentius examinanda est, ne qua errori isti latebra in hac falsa interpretatione remaneat. Falsum enim est ista orationis formula in sacris literis, non ad vnum omnes deletos esse doceri: idque planum faciam omnibus ijs productis locis, quibus ea vtuntur sacræ literæ, Iosue decimo de excidio
Ioſu. 10. „ Maceda. Eadem die Macedam quoque cepit Iosue, & per
„ cussit in ore gladij, regemq; illius interfecit, & omnes ha-
„ bitatores eius, non dimisit in ea saltem paruas reliquias. Id
„ autẽ quid esset vt intelligeretur, adiecit, sicut fecit regi Ieri
Ioſu. 7. co. Constat autem ex septimo Iericunte euersa, ne vni saltem parsum fuisse, ijs exceptis, quos Dominus ob ipsorum benevolum in Iudæos animum nominatim excepit.

Nam

Nam sic scriptum est. Ceperuntque ciuitatem, & interfecerunt omnia quæ erant in ea, à viro vsque ad mulierem, ab infante vsque ad senem, boues quoque & oues & asinos in ore gladij percusserunt. Rursus de Ioſu. 10. Lebna in eodem capite decimo: percusseruntque vrbem in ore gladij, & omnes habitatores eius: nec dimiserunt in ea vllas reliquias. Et de Hebron similiter in eodem. Cepitque & percussit in ore gladii, regem quoque eius, & omnia oppida regionis illius, vniuersasque animas, quæ in ea fuerunt commoratæ, non reliquit in ea vllas reliquias, sicut fecerat in Eglon, sic fecit in Hebron, cuncta quæ in ea reperit consumens gladio. Et de Dabir. Cepit eam atque vastauit, regem quoque eius, atque omnia per circuitum oppida percussit in ore gladij, non dimisit in ea vllas reliquias, sicut fecerat Hebron, & Lebna & regibus eius, sic fecit Dabir, & regi illius. Percussit Iosue omnem terram montana, & meridiana, atque campestria, & Asedoth cum regibus suis: non dimisit in eis vllas reliquias, sed omne, quod spirare poterat, interfecit, sicut præceperat ei Dominus Deus Israel. Et capite vndecimo de regibus à Iosue superatis ad aquas Ioſu. 11. Meron. Itaque percussit omnes, vt nullas dimitteret ex eis reliquias. Et de Asor. Percussitque omnes qui ibi morabantur, non dimisit in ea vllas reliquias, sed vsque ad internecionem vniuersa vastauit. Rogo vtrum iis significetur ne vnum quidem relictum, an secus? Si ne vnum, vinco quod volo: sin secus, nonnullis ergo parsum est. Quomodo ergo ijs qui pepercerunt, Deus parsit? aut quomodo non statim seuerè in illos animaduertit, qui ad Iericuntem parcere Hacamo noluit, quòd sibi de anathemate vestem coccineam reseruauerit, quiq; in Saulẽ tam acerbus fuit, quòd abstinuerit à cæde Agag Amalechitarum regis? Quod ipsum confirmari sic potest. Nam post enumeratas

vrbes

„ vrbes quas cepit atque euertit Ioſue, ſtatim ſcriptura ſubiũgit. Sicut præceperat Dominus Moyſi ſeruo ſuo, ita prę„ cepit Moyſes Ioſue & ille vniuerſa compleuit. Id ergo factum eſſe dicitur in earum vrbium excidio, quod Deus Moyſi præcepit vt faceret. Præcepit autem Moyſi Deus
Deut. 7. „ quid? Cum tradiderit, inquit, eas Dominus Deus tuus tibi, „ percuties eas vſque ad internecionem, id eſt, vt Hebraicè „ habetur, הרם תחרים ergo nullas reliquias dimittere eſt id facere, quod Dominus verbo הרם fieri præcepit. At הרם in quibus dicitur, deijs ne vnum excipere licet, vti patet in
Reg. 1. ca. 15. Saule, cui Samuel ſic locutus ſcribitur. Miſit te Dominus in viam, & ait, vade & interfice peccatores Amalech, & pugnabis contra eum vſque ad internecionem. Quare ergo non audiſti vocem Domini, ſed verſus ad prędam, &c. Nam pro internecione Latino Hebraicè eſt הרם. Igitur quia præceptum illi erat, vt הרם in Amalech exerceret, idcircò Sauli ne vni Amalechitarum regi licuit parcere. Et certè quanta ſit huius vocabuli vis, quod initio eiuſdẽ „ capitis ſcriptum extat, declarat. Nunc ergò, inquit, vade „ & percute Amalech & demolire vniuerſa eius, nõ parcas „ ei, & non concupiſcas ex rebus ipſius aliquid, ſed interfice „ à viro vſque ad mulierem, & paruulum atque lactentem, „ bouem & ouem, camellum & aſinum. Nam hæc vniuerſa vno verbo הרם poſtea complexus eſt. Herem igitur nullius excipiendi locum dat, ſed vniuerſos ſine vlla exceptione complectitur. & Herem, vti demonſtratũ eſt, executioni mandabatur à Ioſue, quando nullas reliquias dictus eſt reliquiſſe. Non ergò paucos è multis, ſed omninò nullos relictos ſacræ literæ docere volunt, cum his verbis vtuntur. Ad hæc, quod nouus iſte interpres non negat, reliquiarum vocabulum in his literis paucos è multis ſignifi
Eſa 10. „ cat. Nam cum Eſaias ſcribit. Si numerus filiorum Iſrael
Rom. 9. „ fuerit ſicut arena, quæ eſt in littore maris, reliquiæ ſaluæ fient

fiẽt, quid aliud dicit quàm ex immenſa Iudęorũ multitudine reliquos futuros paucos, qui Chriſti religionẽ ſequãtur. Igitur ſi pauci, cum è multis remanent ij nominantur reliquiæ, profecto ſequitur, quæ ſcriptura nullas reliquias ſupereſſe dicit, eam ne paucos quidem ſupereſſe affirmare. Quod autem ex ſcriptura teſtimonium iſti citant, ſuæ quod putant fauere ſententiæ, id eam certè conuellit. Nam quia in libris Regum ſcribitur de Iehu, percuſsiſſe *4 Reg. 10.* ipſum omnes qui reliqui erant de domo Achab in Iezrael, & vniuerſos optimates eius & notos & ſacerdotes, donec non remanerent ex eo reliquiæ: & quia ex eiſdem libris conſtat, quo tempore iſta ſcribebantur, Ochoziam & eius fratres Achabi Gentiles cæſos non fuiſſe, ex eo effici putant hac orationis formula ſacras vti literas, non vt vniuerſum genus funditus extinctũ eſſe ſignificent, ſed vt doceant ad maximam paucitatem redactum. Nec vident non ſimpliciter dici Gentiles Achabi omnibus in locis à Iehu deletos eſſe, ſed in Iezraele vrbe nominatim, qua in vrbe nemo qui de Achabi familia eſſet Iehu ferrum effugit. Itaque poſt illa ſubiungitur. Et ſurrexit, inquit ſcilicet Iehu profectus è Iezraele „ & venit in Samariam, cumque veniſſet ad Cameram paſtorum in via inuenit fratres Ochoziæ regis, dixitq; ad eos „ qui nam eſtis vos? qui reſpõderunt, fratres Ochoziæ regis „ ſumus, & deſcendimus ad ſalutandos filios regis & filios „ reginę. Qui ait, comprehendite eos viuos, quos cum com „ prehendiſſent viuos, iugulauerunt eos in ciſterna, iuxta Ca „ meram quadraginta duos viros, & non reliquit ex eis quẽ „ quam. Et paulo infrà. Et duxit in Samariã, & percuſsit om „ nes qui reliqui fuerãt de Achab in Samaria vſque ad vnũ, „ iuxta verbum Domini. E quibus colligitur, quod hiſtoriæ „ Regum author ſuprà poſuerat de domo Achabi nullas re „ liquias remanſiſſe, id intellexiſſe in Iezraele, qua de mẽtio-

nē faciebat: nā Samariæ alij ſq; in locis remāſerunt, eaſq; Iehu poſtea deleuit. Quare qui iſto abutūtur teſtimonio, eo ſi aliquid volūt effici neceſſe eſt doceant fuiſſe in Iezraele Achabi gentilē aliquē, quē Iehu ferro nō interemerit, aut ſi hoc docere nequeunt, vt certè nequeunt, veritati locū dent, ac liberè fateantur rē cōmentitiā imbelli præſidio à ſe fuiſſe munitam. At illud validius ſtatim quod addunt, ſic enim ſcribunt, velint nolint oportet admittant hāc interpretationē noſtram, qui Idumæos infideles, & Eccleſiæ hoſtes interpretātur. Dicāt enim nobis, & tēpus indicent quando infideles ita deleti ſunt vt ne vnus quidē reliquus fuerit. Ridiculè. Quaſi qui figuratū ſequūtur & inducunt genus vaticinationē iſtā ad exitū iam peruenisſe dicāt, ac nō potius affirmēt pertinere eā vſq; ad mundi, atque tēporis finē, quo in fine omnes ad vnū impij de medio ſublati ſempiterno in carcere detrudēdi ſunt, vti inter catholicos conſtat. Itaq; de illis Abdias rectè atq; verè, & nō eūnt reliquiæ domus Eſau, quoniā vniuerſos vna abolebit atque interimet dies. Et vt demus iſtis quod volunt reliquias nullas ſupereſſe dici, quando pauci ſunt & imbelles qui remanent, quî docebunt Idumæos vnquā à Iudæis ad eam paucitatē redactos, quādo, vt è ſuprà dictis colligitur, Iudæi neque ſolum vertere coegerunt ipſos, neque rem eorum publicam delere, aut extinguere nomen potuerunt.

Igitur vt ad inſtitutā redeamus rē, ſi neq; Syrū bellū in his Abdiæ vaticinationibus, neq; Chaldaicū verſatur: ſiq; id de quo Idumæi in his ſcriptis accuſantur ad neutrū poteſt referri bellū: ſiq; ex eo cōſtat id nomē trāſlatè vſurpari, qui, quęſo, ſint iſti ad quos id transfert Abdias? Multi ſanè multa. Itaq; varietas ſentētiarū rē ſua ſpōte dubiā, obſcurā magis, & explicatu difficilē reddūt. Nā nulla earū ſentētiarū eſt, in quā non aptè cadat aliquid eorū, quæ hîc ſcribit Abdias: nulla rurſus, cui tota hæc vaticinatio integrè cōueniat.

niat. Nulla, quæ nō aliquid ſatis commodè interpretetur. Nulla, quæ vniuerſa, niſi magna vi adhibita, ad ſuos ſenſus accōmodet. Quare, vt quod ſentio melius explicē, quædā neceſſario altius repetā, hinc ducto principio. Res nota eſt quædā in ſacris literis, vel gentiū, vel populorū, vel etiā ſingulorū hominū propria nomina ſolere poni, non ſolū pro ijs rebus, quas propriè ſignificant, ſed etiā pro alijs, ad quas ſignificādas propter aliquā ſimilitudinē trāsferūtur. Sic Iſraelis nomē ſignificat illud quidē propriè Iacobum Abrahami nepotē, Iudęoſque, qui ad Iacobū genus ſuum referunt: ſed tranſlatè pro ijs hominibus poni ſolet qui veram religionē colunt, & quorū erga Deum pietas inſignis eſt. Vtriuſque autē huius nominis vſus atque ſignificationis, vnus Eſaiæ locus clara exēpla ſuppediret, is nimirū locus, in quo ſic ſcripſit. Nō me inuocaſti Iacob, nec laborāſti in me Iſrael, non mihi obtuliſti arietē holocauſti tui, » nec victimis tuis glorificaſti me: non te ſeruire feci in » oblatione, neq; laborē tibi prębui in thure, nō emiſti mihi » argento calamū, & adipe victimarū tuarū non inebriaſti » me: verūtamē ſeruire me feciſti in peccatis tuis, præbuiſti » mihi laborē in iniquitatibus tuis. Ego ſum, ego ſum ipſe, » qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuo » rū non recordabor. Reduc me in memoriā, & iudicemur » ſimul, narra ſi quid habes vt iuſtificeris. Pater tuus primus » peccauit, & interpretes tui præuaricati ſunt in me, & con- » taminaui principes ſanctos, dedi ad internecionē Iacob, » & Iſraël in blaſphemiam. Nam certè Iſraelis propriè dictus populus Deū colunt ſacrificijs ſuis, atque victimis, earūque victimarū varia genera, varioſque & ſacros ipſarum offerēdarum ritus Deus illi præſcripſit populo multis verbis ſanè quā accuratè. Ex quo ſequitur, quem Iſaias Iſraelem vocat, non eſſe propriè Iſraelem, ſed talem nominari, atq; dici ab ipſo eū populum, quē in Chriſtum fides, atq;

Esai. 45.

religio è omnibus collegit gentibus. Quæ quidē gentes sacrificia sua, victimasq;, & quidquid operatæ sunt, dijs operatæ sunt falsis. Itaq; Deus illi iure atque verè. Non me inuocasti Iacob, neq; laborasti in me Israel. Nullū enim labore subijt veri Dei colēdi causa populus gentiū, quippe qui ne cognosceret quidē, qui esset verus Deus Nec solū non exhibuit Deo debitū ipsi cultū, sed exhibuit idolis, hoc est, falsis diis. Idque cōmemorat Deus, vt ex eo magnitudinē sui erga illū populum amoris magis ostendat Nullis enim ab ipso cultus, aut delinitus obsequiis, contra potius multis irritatus iniurijs vsque eò dilexit illū, vsque eò se in illū præbuit humanū, & ignoscentē, nō solùm vt à peccatorū dura seruitute atq; tyrannide ipsum liberare vellet: sed vt eius liberandi causa semet ipse addiceret in seruitutē, vitā subiens supra quā dici potest ærūnosam, & miserā, veruntamen, inquit, seruire me fecisti in peccatis tuis. Nec solū se deiecit, sed etiā abiecit à se atque repulit, quo fidei aditus latius pateret gentibus, eos ipsos, quos præcipuè charos habuerat, & à quibus, qua homo est, genus ducebat Iudæos. Qua de re ait. Et cōtaminaui principes sanctos, dedi ad internecionem Iacob, & Israēl in blasphemiam. Quod certè iā intelligi debet dici de propriè Israële, quē Deus loco mouit, quo locus vacaret gentibus introire cupienti bus in euangelium. Nā, vt Paulus scripsit, cæcitas ex parte contigit in Israël, donec plenitudo gentiū intraret. Quod autē de vocabulo Israēl diximus, idē dici potest de Iudæi vocabulo, ipsum trāsferri ad eos, qui verè fideles sunt, quāuis non sint orti à Iudæis parentibus, vt liquet ex illo. Qui in abscondito Iudæus est. Et Ioannes in Apocalypsi, ex isto huius vocis translato vsu, negat Iudæos eos aut esse, aut deberi dici, qui quamuis natura Iudæi essent, animorū tamen studijs auersi erant à Christo. Sic enim scribit, dicūt se esse Iudæos, & non sunt, sed synagoga sathanæ. Babylonis

Rom. 11.

Roma. 2.

Apoc. 2.

lonis item vocabulum, non solùm regię Chaldæorum vrbis proprium est nomen, sed sępè etiam translatum, aut pro vrbe Roma ponitur, aut pro genere impiorum vniuerso. Sic Petrus. Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone collecta. Et in Apocalypsi varijs in locis id nomen interdum hoc, interdum illo modo transfertur. Similiter in illo Esaiæ. Audite verbum Domini principes Sodomorū, percipite auribus legem Dei populus Gomorrhæ. Sodomæ atque Gomorrhæ nomina ad significandos sunt trāslata Iudæos, propterea quod Sodomæis atque Gomorrhæis essent moribus similes. Idem deniq; ipsum vsu sæpè venit in his vocabulis Edom, atque Idumæus, quæ quin in sacris transferantur literis ad alia neque genere neque naturæ vllo fœdere coniuncta cum Idumæis, dubitet nemo, qui modo eas literas vel summis labijs attigerit.

1. *Petr.* 5. *Apoc.* 14. 16. 17. 18. "*Esai.* 1.

Sed hæc cum ita sint, aduerti præterea debet, quamuis dubium nemini sit, quin Edonis vocabulum non parum sæpè translatè ponatur: tamen pro quo ponatur quando transfertur, statuere nō esse facile propter opinionum de ea re varietatē. Nam vt cōstat ex ijs quæ suprà retulimus, non videtur idem omnibus. Burgensis existimat hæc nomina figuratè posita significare Iudæos infideles: Hebræi Doctores ea transferūt ad Romanos: Diuus Hieronymus varius est, interdum enim ijs Iudæos significari dicit, interdum ea ad Hæreticos transfert: est vbi ad carnem, id est, ad carnis libidines, quæ aduersantur rationi. Quare id certè, si fieri modo possit, è sacris ipsis literis, in quibus ista ponuntur nomina, & ex earum literarum loquendi vsu præcipuè indagemus. Constat autem in iis literis ea nomina translatè poni in illo Esaiæ. Quis est iste, qui venit de Edō, tinctis vestibus de Bosra? constatque rursus patrum ferè omnium testimonio ad significandas omnes orbis nationes verę religioni inimicas, omnesque potestates aduersas

"*Esai.* 63.

ea ab Esaia esse trãslata. Nam inducit Christum propheta bello sibi subiicientem eas potestates, seque cædendis hostibus cruentantem, ac deinde bello iam cõfecto & è prælio reuertẽtem fausta illa acclamatione prosequitur. Nam sic intelligi illa deberi ex ipsa probatur sacra scriptura, in qua ipsemet vates, dum exponit quid illud Edom, atque Bosra sit, vnde Christus vestibus maculatis sanguine veni
" re dicitur, sic scribit ex ipsius Christi persona. Torcular cal
" caui solus, & è gentibus non est vir mecũ. Et rursus. Cõcul
" caui populos in furore meo, & inebriaui eos in indignatio
" ne mea. Et iterũ. Cõculcaui eos in ira mea, & aspersus est
" sanguis eorũ super vestimenta mea. Torcular verò istud,
" istiq; populi à Christo, vt dicitur, cõculcati qui sint, apertè
Apoc. 19. declarat Ioãnes in Apocalypsi, quo in loco multa præclarè scribit de hac ipsa de omnibus verę Religioni inimicis gẽtib⁹ Christi victoria. Nã illa Ioãnis ad ista Esaię respiciũt,
" & planè cũ illis concinunt. Ioannes enim inter alia sic. Et
" vidi, & ecce equus albus, & qui sedebat super eũ vocaba-
" tur fidelis, & verax, & paulo infrà. Et vestit⁹ erat veste asper
" sa sanguine, quod Esaias dixit tinctis vestibus de Bosra. Et
" rursus, & ipse vocabatur verbum Dei, & de ore eius proce
" debat gladius acutus, & in ipso percussit gentes, & ipse re-
" get eas in virga ferrea, & ipse calcat torcular vini furoris Do
" mini. Pro quo Esaias numeris tãtũ & personis cõmutatis
" in eandẽ planè sententiã. Torcular calcaui solus & è genti
" bus nõ est vir mecum, calcaui eos in ira mea, & cõculcaui
eos in indignatione mea. Ergo Edõ in illo Esaiæ eos significat populos, quos idẽ dicit conculcatos à Christo fuisse. Isti autẽ populi Ioanne interpretante sunt omnes gentes euangelio inimicæ, & infestæ. Ex quo concluditur Edom illo Isaiæ loco vbi figuratè & metaphoricè ponitur id significari, quod est inimicũ euangelio. In quã sententiam cũ Hieronymo atq; glossa veteres ferè omnes conueniunt.

Atque,

Atque, vt mihi quidẽ videtur, eadem significant ista Edonis, Idumæorumque nomina & in illo alio eiusdem prophetæ loco, vbi sic dicitur. Victima Domini in Bosra, & interfectio magna in Edom. Nam fatentur omnes figuratè illo in loco ea vocabula poni. Et quamuis nonnullis rectè placeat infideles Iudæos eis significari vocabulis, tamen si solos eos significari ea oratione, atq; notari volunt, placet nõ rectè. Verũ enim est quod mihi videri dixi, ijs omnẽ impurũ significari cœtũ, & quidquid religioni aduersatur nõ vno propriè in populo, sed in omnibus cõmuniter gẽtib⁹. Nã proximè præcesserat, Indignatio Domini super omnes gẽtes, & furor super omnẽ militiã eorũ, & cõplicabũtur sicut liber cæli, & omnis militia eorũ defluet sicut defluit foliũ à vinea. Quæ, vt cõstat, de omnibus dicũtur orbis nationibus tãdẽ interituris aliquãdo: at his illa subiũgũtur, cõstat ergo omnes illas, quibus Deus iratus dicitur, gẽtes vno Edõ contineri. Vocãtur porrò vniuersæ Deo inimicæ gentes Edõ propter duas rationes, vna q̃ sicut Edõ homo audax, atq; turbulẽtus odio prosequutus est fratrẽ suũ Iacob placido atq; mitiingenio prędituꝝ & posteri Edõ & ipsi homines nequã, & idolorũ cultores aduersati sẽper sunt posteris Iacob verę religionis cultoribus: sic impiorũ multitudo pijs semper infesta fuit. Altera quòd Edonis vocabulũ, quod Hebręis à rubedine ducitur, ex etymo interpretatũ rubrũ, aut sanguineũ significat. Rectũ autẽ est, & rationi valdè cõsonũ, vt impij quicũq; sunt, rubri esse, sanguineq; infecti dicãtur: tũ quia sanguini id est, affectib⁹ obsequũtur, qui è sanguine existũt, quib⁹ nihil esse potest vel perturbatius vel prauius: tũ quia quẽadmodũ pios nasci è sanguine sacræ literæ negant, sicut scriptum est. Dedit eis
" potestatem filios Dei fieri, qui non ex sanguinibus neque
" ex voluptate carnis, sed ex Deo nati sunt: sic consenta-
" neum rationi est vt impij omnem sui ortus originem ad

" Esai. 34.
" Ibidem.
" Ioa. 1.

Per Edom inimi
ci Ecclesiæ dogli
ex cap.

carnem referãt & ad ſanguinem: Edomque, & ſint, & appellentur, id eſt, appellentur rubri, & toti è ſanguine coaliti. Quæ etiam, vt opinor, cauſa eſt, quare in arcano ſacrarũ literarum ſermone albus color ſanctitati tribuatur, & puritati; contra rubeus impuritati, & flagitio. Nã certè puritatis atque innocẽtię ſignificationẽ habet illud, quod de Chriſto Ioãnes ſcribit in Apocalypſi, cũ ipſum, in albo equo inſidentẽ inducit, & habere dicit caput, capitiſq; capillos cãdidos inſtar lanæ atq; niuis. Et de ſanctis atq; bonis viris, eadẽ vt ſignificetur vitę ipſorũ innocentia, atq; mundities in ipſomet libro pluribus locis ſcribitur incedere ipſos candida amictos veſte. Itaque Chriſtus de illis. Ambulabunt mecũ in albis, quia digni ſunt. Contra autem meretrix illa mulier, cuius idẽ Ioannes in eodẽ meminit libro, quęque ſine dubio ſuſtinet impiorũ perſonã, amictu induta purpureo inducitur, & ſedens in beſtia coccinea. Et certè vtrumque ſimul ſatis cõfirmetur illo vno Eſaię verſiculo, in quo ſic vates ſcribit. Si fuerint peccata veſtra, vt coccinũ, quaſi nix dealbabũtur; & ſi fuerint rubra quaſi vermiculus, quaſi lana alba erunt. Nam vt impuriſsima ſignificaret ſcelera, rubri coloris adhibuit ſimilitudinẽ, atq; nomẽ: vt autẽ declararet innocentiã & ſanctitatẽ eximiã, niuis, lanæq; eſt vſus nominibus. Nec ſolũ ſanguineus color additus, aut attributus alicui ſceleris eſt ſignũ in ipſo exiſtentis, ſed ſanguis etiã ipſe ſine adiunctione nominatus, ſcelus graue ſæpè ſignificat, vt in illo Dauidis. Libera me de ſanguinib⁹, & in Oſeę illo. Sanguis ſanguinẽ tetigit, & in alijs eiuſmodi. E quibus omnibus & liquet, Edonis nomẽ cum tranſlatè ponitur ad impiorum Eccleſiam ſignificandam trãsferri: & cauſa etiã quare ad id trãsferatur colligitur. Itaque quẽ admodũ circũciſio & præputium, duo ſcilicet nomina ſacris valdè familiaria literis, duo gentiũ genera, in quibus humanũ diuiditur genus cõtinent, atq; ſignificant, piorum & impio-

Apoc. 19
Apoc. 1.
Apo. 3. 4. 6. 7.
Apo. 17.
Eſai. 1.
Pſal. 50.
Oſee. 4.

& impiorũ; ſic Edonis, atq; Iſraelis vocabula vniuerſas orbis nationes comprehendunt diuiſas eiſdem duobus generibus. Nam Iſrael omnes dicuntur boni: contra Edom omnes mali, atq; improbi. Qui quidem improbi aduerſus bonos inexorabile bellum ſemper gerunt, mutuoq; ſibi iſtæ duæ factiones hominũ aduerſantur: quomodo olim duo illi priuati homines Iſrael, & Edom pueri adhuc, immo antequam eſſent in lucem editi, atq; adeò ipſomet tẽpore, quando ambo materno claudebantur vtero, inter ſe depugnabant, cum ipſorum met, tum ſuorum poſterorum certamina futura indicantes. Vnde & matri eorum diuinitus reſponſum ſcribitur. Duæ gentes ſunt in vtero tuo, & duo populi ex ventre tuo diuidentur, & populus populum ſuperabit, & maior ſeruiet minori.

Gen. c. 25.

Quibus ſic conſtitutis, eſt & hoc aduertendum, proprium eſſe literarum ſanctarum, vt narrandis, atq; recẽſendis quibuſdam geſtis rebus, quæ quomodo commemorantur eueniſſe, ita planè euenerunt, maiora quædam & ſublimiora alia, non quidẽ adhuc geſta, ſed futuro gerenda tempore, ijs tamen quæ geſta narrantur ſimilia, ſignificent, atq; prædicant. Quæ, ex vnis rebus præteritis & commemoratis, aliarum rerum poſt futurarum prædictio, allegoria rerum vocari non ineptè ſolet his literis propria, ab illaq; diſtincta, quæ è duobus aut pluribus verbis trãſlatè poſitis, èq; perpetua metaphora efficitur, quæ rhetorum eſt, & linguis communis omnibus. Nam, quod exempli cauſa dictum ſit, narrant Abrahamum duos ſuſcepiſſe filios, alterum è Sara ingenua, alterum è Agar ancilla: nec cum id narrant nos fallunt: ſuſtulit enim Abraham eos liberos ex eis fœminis, è quibus ſuſtuliſſe ipſum eos ſacrę literæ dicunt: ſed id dum dicunt aliud nobis maius ſignificant. Duo enim prædicunt teſtamenta, duoſq; populos pertinentes quenq; ad ſuum teſtamentum, quomodo Gala-

Gene. 16. 21.

Galat. 1. latis id interpretatus est Paulus. Nec solùm ijs quæ præterierunt rebus, dum earum historiam rerum sacræ literæ texunt, res significant alias post futuras, & eis ipsis rebus, quas narrant persimiles: sed sæpè etiam dum in vnius, aut plurium rerum longo post tempore futurarum prædictione versantur, aliarum item rerum similium quidem illarum, quas præseferunt prædicere, re verò ipsa maiorum atq; meliorum prædictionem commiscent. In quo illud sacris vatibus accidit, vt cum primò suæ orationis ingressu instituissent aliquid futurum dicere, quod tamen ipsum imaginem contineret alterius maioris rei item futuræ ab ipsa rerum inter ipsas similitudine admoniti, atq; ex eo illustrati quodam maiore lumine videre incipiant, quod à principio non videbant, maiora scilicet, & sublimiora illa quæ in minoribus tanquã in imagine continebantur inclusa. Nec solùm videre incipiant, sed etiam priorum intermissa prædictione rerum ad hæc ipsa posteriora prædicenda sermonem suum sæpe conuertant, miscеantq; ea inter se ad eum modum, vt difficilè distingui atq; discerni possint, ex quo obscuritas existit maxima in eorum scriptis. Quod quale sit his declaretur exemplis. Cõstat Christi imaginem Salomonem gestasse. Huius itaq; futurum ortum, omnemq; eius rationem vitę Natham vates cum Dauidi prædiceret, inter prædicendum altius mente sublatus, ad eum, cuius is, de quo agebat, erat futurus imago, ideſt, ad Christum, & ipsum Dauidis futurum filium, & mentem totam suam, & orationem conuertit. Itaq; de sempiterno Christi regno quædam vaticinatus est, quæ de Solomone verè dici non queant, sic inquiens. Et stabiliam thronum eius vsq; in sempiternum. Nam dubitari non potest quin eo loco vati propositum fuerit de Solomone vaticinari. Nam ipsemet Dauid in libris Paralipomenon huius

Lib. 1. c. 22.

huius meminit vaticinationis, & eam refert ad Solomonem quem ex Bersabea suscepit. Sed quamuis Solomonem Bersabeum sibi à primo vates proposuit, tamen in eo alium Solomonem cum vidisset meliorem, & de illo aliquid, quod ad ipsum propriè pertineret, planè loquutus est. Idem accidit & ipsi Dauidi in Psalmis quadragesimo quarto & septuagesimoprimo, quos quamuis psalmos ipse panxerit de Solomone, tamen in eis multa prædixit quæ soli Christo conueniant: itaq; in Solomone, non de Solomone loquutus est, sed de eo potius, de quo vt cogitaret atq; meminisset propositus ad dicendum Solomon ipsi causam attulerat. Quare Diuus Hieronymus de hoc ipso hæc planè scribit. Psalmi quadragesimus quartus & septuagesimus primus pacifici titulo prænotantur, qui tametsi ad prophetiam Christi & Ecclesiæ pertinentes fœlicitatem & vires Solomonis excedunt, tamen secundum historiam super Solomone conscripti sunt. Similiter quoniam Cyrus Persarum Rex is, qui Iudæos captiuos, & apud Chaldæos exulantes è seruitute redemit, quadam ex parte præ se tulit imaginem Christi, idcirco Esaias cum de illo, quædam vaticinari cœpisset in capite quadragesimoquinto, ipsa rerum similitudine admonitus, & lumine maiore illustratus in media oratione se ad Christum conuertens in has voces prorupit. Rorate cæli desuper, & nubes pluant iustum, & aperiatur terra, & germinet saluatorem, & iustitia oriatur simul, ego Dominus creaui eum. Quæ, quis sanus dixerit, de vno homine impio & idolorum cultore, qualis Cyrus fuit, dici à tanto vate potuisse? Nec aliud est quod Daniel, & ipse summus vates fecit, cum scriberet de Antiocho Epiphane. Antiochus enim is, vt est omniũ veterum Theologorũ opinio, Antichristi personã sustinuit. Daniel ergo cum de illo cœpisset

Psal. 44. & 71.

" Hiero. in prol. Eccl.

Esai. 45.

pisset scribere post multa, quæ de illius ingenio, deq; ad regnũ ascensu, deq; regni administrandi ratione, deq; innato eius odio in Iudæos prædixit, ad extremum in ipso Antiocho Antichristũ prospiciens, & ad eũ suæ mentis aciẽ, atq; adeò omnes cogitationes cõuertens, multa subiecit ab Antiochi persona, suprà quam dici potest aliena. In his igitur, & id genus alijs scriptis, in quibus duarum rerum inter se similium: quarum vna sit maior, altera minor continetur prædictio, qui vnam, aut vniusmodi perpetuam sententiam inesse putant, aut quasi insit, sic ea interpretantur scripta, haud dubiè falluntur. Varia enim est, & multiplex eorum scriptorum sententiæ ratio, nec insistunt semper, & perseuerant vsq; ad extremum vates in his scriptis, in eo quod dicere instituũt: neq; tenore atq; filo vno vltima primis, & media vtrisq; cõiungunt: sed personis subinde atq; rebus variatis, & nullis sæpè adhibitis signis, quibus ad quas res quidq; proprie pertineat dignosci possit, permixtim, atque vno orationis textu quædam dicunt ijs rebus, de quibus agitur propria, quædam vniuersis communia. Itaq; ea cum legis, animum necesse est vehementer intendas, vt quid de quaq; dicatur re sine errore cognoscas. Nam vt ipsæ res sint inter se similes, tamen non couſq; similes sunt, vt omni ex parte, omnibusq; modis conueniãt. Nec enim fieri vllo modo potest, quin quæ duæ res diuersæ sunt & distinctæ, earum rerum vtriq; non insit aliquid, quod cuiusq; earum sit proprium & suum. Igitur pro eo quod in natura ipsarum rerum est, sic quæ de eis habetur rebus oratio, atq; prædictio est à nobis interpretãda. Quẽ admodum enim in duabus rebus ad prædicendum propositis aliquid semper est, ita alterutri earum proprium, vt neutri sit cõmune cum altera, aliquidq; itẽ quod vtri que cõmune sit, ex quo & similes inter se sunt, & in vna continetur imago, atq; sustinetur alterius: sic in ijs sermonibus.

Varie opinantes.

nibus, quos illis de rebus habẽt sacri Prophetæ intelligi debet non vniuersas eorum sermonum partes communiter pertinere ad vtramq;, sed esse quasdam singularum proprias, quasdam ambabus rebus communes. Illa enim in quibus hæ duæ res mutuò conueniunt, & ex quibus similitudinis atq; imaginis ratio inter ipsas existit, prædici de earũ vna non possunt, quin de altera etiã prædici censeantur, quatenus certè id similitudinis ratio permittit. In quo video falsum fuisse quendam non ignobilem harum literarum interpretem censentem quæ de eiusmodi rebus dicũtur, qua res quædam sunt, neq; mutuo inter se conferuntur, vtrisq; oportere esse communia, quæ verò quà vna earum rerum est signum alterius, ea solũ dici de ea re, cuius altera est signum. Contra enim verius censuisset, de signo qua tale est nihil posse dici, quod non idem ipsi signo congrueret. Eo enim signum habetur, quia id ipsum cuius dicitur esse signum similitudine refert; taleq; ipsum est natura sua, & tam simile alteri rei, vt ex eo pro eius rei signo sit habitum: necesseq; ideo sit vt quidquid in eo, quod significatur inesse conspicitur, eius in signo, siquidem eius rei signum est, extet imago aliqua. Quare quæ de ea dicuntur re, quæ est signum alterius, cum de ea dicuntur qua signũ est, non solum in eam cadunt eique verè competunt, sed priùs etiam de illa dici censentur: non quod magis in illa insint, sed quod ab ipsa fiat gradus ad ascendendũ ad id quod simile ipsi est, quod tamen quia maius ipsum est atq; sublimius, idcirco quæ in signo prius inesse visa sunt, ea in ipso meliora reperiuntur, atq; maiora. Itaq; multum certè is scriptor lapsus est, nec minus eo turpiter Caietanus, quamuis ratione diuersa: omnẽ enim hanc distinctionẽ rerum & vaticinationum tollit, nec miscere vates plures & diuersas res putat, aut in vnam eas prædictionem conijcere. Sed qua de re à principio instituc-

Opinio eius refellitur.

Caietanus In Psal. 1. & act. 2.

ſtituerunt dicere, eam ad extremum exequi illos dicit nuſquam filo interrupto. Itaque ait, cuius Pſalmi vel vnus verſiculus de Chriſto propriè dicatur, eius Pſalmi, vniuerſa de Chriſto interpretari deberi. Quod ſi in Dauidis rebus, aut memorandis, aut prædicendis rurſus alius Pſalmus in aliqua ſui parte verſetur, eum totum ob id pertinere ad Dauidem, Quem errorem, non ſolum veterum Theologorum in ſacras literas interpretationes, ſed etiam quemadmodum demonſtratum eſt, res ipſa refellit. Quare ſtatui pro certo debet in eis vaticinationibus, quæ prædictionem ſimul continent, duarum rerum quarum vna ſit typus alterius, quædam dici quæ ſoli typo conueniant, & ea non dici de typo quatale eſt: quædam rurſus dici conferenda ſolum in eam rem, quæ typo ſignificatur, & ea ſimiliter de illa re dici, non quatenus per typum ipſa adumbratur, ſed per occaſionem, aut digreſsionem propheticam, vatibus mentem, atque orationem ſuam ab vnius rei commemoratione transferentibus ad alterius rei commemorationem: quædam poſtremò dici, quæ vtrique aptè competant rei, alteri vt typo, alteri vt ei, quæ per typum exprimitur: quæque dicuntur iſto modo, ea proculdubio de typo dici, qua talis eſt, eſſe cenſenda. E quibus omnibus, vt opinor, liquere iam poteſt, quibus de rebus Abdias propriè differat, & ad quas gentes hæc ipſius vaticinatio pertineat: cuius declarandi, atque explicandi cauſa ſuperiora diximus ferè omnia. Dico enim ipſum ſimul aduerſus vtrumque vaticinari Edom, proprium, & figuratum, hoc eſt, aduerſus Idumæos poſteros Eſau, & aduerſus impios vniuerſos: & vtrorumque varias calamitates, & ad extremum miſerandum interitum dico ipſum prædicere; ſed ita diuiſa ratione, vt nonnulla prius dicat, quæ ad propriè Idumæos pertineant, deinde alius

tius ſublatus, ac maiori illuſtratus lumine regnum Chriſti futurum, atque eius magnitudinem, & potentiam proſpiciens & ab ὑποθέσει ad θέσιν orationem transferens ſuã multa vaticinetur aduerſus figuratè Idumæos, quos interituros prædicit, magno cum ipſorum dolore, & Iſraelitarũ, id eſt, bonorũ lætitia. Bonos porrò impijs occidione occiſis in optimarum rerum maxima copia vitam ducturos fœliciſsimam ſæculis ſempiternis, Chriſtumque tandem nemine, qui detrectare eius in ſe imperium, aut qui ſe contra opponere audeat relicto, pronuntiat regnaturum plenè, & perpetuò. Quod iam bona ex parte effectum eſt, perficietur autem integrè in fine ſæculi, quando, vt Paulus ſcribit, Chriſtus euacuauerit omnes principatus & poteſtates. 1. Cor. 15. Atque hæc mea eſt ſententia ſatis, vt apparet, vera & ad ſacra vatum ſcripta enodanda, ſatis, vt mihi videtur accommodata. Sed quid refert videri mihi, ſunt enim alij, quibus falſa videtur. Itaque quidam modo magna ſui fiducia literis prodidit. Quia, inquit, de ijs agit Idumæis Abdias, contra quos Eſaias, Ieremias, Ezechiel, Ioel, Amos, & Malachias vates ſcripſerunt, quos conſtat in Edomitas, qui propriè tales ſunt, ſcripſiſſe. Quaſi ego aut Abdiam de veris Idumæis interdum agere negẽ, aut perſpicuum ſit, quos citat vates, nuſquam attigiſſe figuratos. Certè omnes illi de vtriſque planè agunt, & modo in veros, modo in figuratos inuehũtur: itaque ex vtroque ſuas vaticinationes contexunt. At hoc eſt inquit, in ſenſu hiſtorico ab hiſtoria recedere. Imò non recedere ab hiſtoria, ſed ipſam variare, hoc eſt, ex vna earum, quæ vati ad dicendũ propoſitæ ſunt perſona, aut gẽte ad aliã perſonã aut gentẽ trãſilire. Sed iura ſenſuũ ſacræ ſcripturæ hæc ratio violat, & fines cõfundit. Imò ſe intra vnius hiſtoriæ ſenſum cõtinet, nec alterius cuiuſquam intelligentiæ fines inuadit. Nõ enim quòd ad eos ad quos Idumæorum

rum nomen transferimus,quædam huius vaticinationis propriè pertinere affirmamus, idcircò allegoricum sensum inducimus, aut cum historia allegorias miscemus. Allegoria enim hæc in nomine est,non in re ipsa, estq; ea ab historia,historicoque sensu non aliena: nam historia verbis,cum propriis,tum translatis conscribitur. At si hæc ratio vatum scripta exponendi admittatur, Idumæorum exempli gratia, vocabulo,vel Persas significatos dicemus vel Iudæos, vel pro nostro arbitratu quid uis aliud. Si causa subest, dicemus rectè, sin pro libidine,prauè. At hic nulla subest causa. Imo subest maxima,vti ex ijs,quæ diximus,constat. At quis credat Abdiam duas simul gentes, quas ambas vno significet nomine,vnam propriè, translatè alteram in suam vaticinationem coniicere,& ab vna digredi ad aliam, & rursus ab ea ad priorem regredi? Quis? Qui diligenter in vatum scriptis versatus erit: quī,quæ sit vaticinationum ratio atque vis,satis intelliget: qui sciet multa atque varia & cum locis diuersa, tum diuisa temporibus vatum cogitationibus vno & eodem tempore subijci: qui denique eorum dicendi morem satis calluerit. Nonne Esaias isto loquitur modo Nonne Zacharias in 1. in 12. in 13. & 14. historiam sæpè verborum velat allegorijs? Verum, inquit, artificium olet hoc genus, illud autē alterum, quod semel institutum argumentum ad extremum exequitur simplicius,& verius videtur. Theodorus quidam ita censebat, quem Sixti, & Ecclesiæ iudicia dānarunt. Quare si hoc scribēdi genus sacri vates vt suū & proprium asciscunt, sique id Ecclesia Origeni suffragata probauit, nos exequamur institutum argumentum, illos autem sua adamare sinamus. Itaque iam huius vaticinationis singulas partes, singulaque verba exponamus.

VI-

VISIO Abdiæ.

D. Hieronymus in prologo eorū cōmentariorum quos edidit in Naum prophetā, significare videtur, Prophetas, cum aduersus aliquam, vel ciuitatem, vel gentem vaticinantur, suas vaticinationes solere appellare onus: sicq; eas inscribere. Onus Babylonis, onus Tyri: vt & ipse in quē cōmentabatur Naū fecit dicens, onus Niniue, quia scribebat in Niniuē. Ex quo quis fortasse merito dubitet, quare Abdias hāc vaticinationē suā, qua tota in Idumæos inuehitur nō appellarit onus, sed visionis ei nomen indiderit. Cui quæstioni D Hiero ita hoc loco respondet, vt dicat, quāuis ista dicātur in Idumæos, tamen onus non debuisse dici, propterea quod Edō nō sit alienus à Iudæis, neq; cōtineatur in exteris gentibus, sed ad Iacobum, & ad eius familiā pertinere videatur, quod illius frater germanus fuerit. In quo ille significat Prophetas ijs, quę contra Iudæos vaticinantur, etsi tristibus & luctuosis onus nomen non indere. Quod haud scio vtrùm sit rectè obseruatum. Nā apud Esaiam certè, onus vallis visionis dicitur, quod perspicuum est dici aduersus Hierosolymitas Iudæos. Quare ipse Hieronymus isti suæ sententiæ non satis, vt videtur, cōfisus secundo, id, quod probabilius esse puto, respōdet, non esse scriptum visio Edom, sic enim si scriptum esset, locus esset quæstioni, quare scriberetur visio & non onus, cū de interitu Edonis, & de illius ageretur casu acerbo, atque lugubri: sed esse scriptum visio Abdiæ, quod perspicuum est, pro vatum scribendi consuetudine, rectè dici potuisse. Nam quæ vaticinationes onera sunt Edom, eæ sunt visiones Abdiæ. Itaque ad eos relatæ contra quos dicuntur, onera sunt, ad illum verò, eas qui scribit & videt sunt visiones. Vident enim prophetæ, quæ alijs euentura sunt mala. Quod & in ipso Naum videre licet,

Mm nam

nam quod initio onus vocauit Niniue,id paulò post, sui met qui videbat rationem habens, visionem appellauit sic dicens.Onus Niniue,liber visionis Naum.Præter hæc, potest etiam tertio dici,& vt mihi videtur,rectè atque verè.Ista quamuis aduersus Edom dici videantur, & specie luctuosa sint atque tristia, non dici onus tamen,quia ipsis,contra quos dici videntur re ipsa futura erant salutaria atque læta.Nam infideles eos,atque impios,qui Edonis significati nomine à Christo prædicuntur delendi,ita Christus superauit,&vicit,vt in maxima eorum parte, ipsis incolumibus,atque saluis permanentibus impietatem tantum extingueret,atque aboleret ipsorum:hoc est,vicit in ipsis mala,quæ inerant,quæque ipsos miserè oppressos tenebant,& ab impietate morteque ad lucem Euāgelij eos, & ad fœlicem vitam traduxit.

VISIO Abdiæ.

Sed cur obsecro suas vaticinationes visiones nominãt ferè omnes Prophetæ,etiam quãdo nulla visa cõnumerant, sed audita tantum referunt,vt hic refert Abdias?Atque quo magis pateat,quam id iure quæratur, debet aduerti,sacros vates, vt ea quæ futura sunt,& videre ipsi, & prædicere nobis possint duab⁹ rebus diuinitus deberi instrui:primò imaginibus earum rerũ,quas visuri sunt:Deinde lumine maiore quodam, quo eas imagines videre, & de eis sine errore possint iudicare, & quantum ad imagines attinet,(imagines autem nomino quidquid animis vatum obijci potest apprehẽdendum,vt in eo id quod est futurum inspiciant,siuè species id noua sit,siuè veterum specierum nouus ordo, siue sonorum atque vocum imagines)itaque,quod ad imagines attinet,aduertendum est earum plura esse, atque varia genera,eo quod non semper pellantur vatum mentes vnius generis imaginibus.Nam

S.Tho.22. q.173. ar. 2.

sunt,

sunt, qui visis per quietem mouentur ad cognoscenda futura; sunt qui vigilantes ea vident, sed per imagines externè ipsis obiectas sic vt percipere oculis eas possint. Vt Daniel in aduerso pariete quædam diuinitus descripta vidit nomina, quibus intellexit prædici Regni Babyloniorum interitum. Sunt quibus internè imagines occurrant, quique eis imaginibus, quamuis oculis clausis multa clarè videant,longè postea futura, quales imagines pleræque earum fuerunt,quæ obiectæ fuerunt Danieli, quæque Esaiæ, Ieremiæque & Ezechieli prophetæ sunt visæ. Et certè vniuersa illa, quæ Ioannes in Apocalypsi vidit ad hoc vnum imaginum genus pertinent. Sunt denique quibus imago nulla neque internè, neque externè obijcitur, aut occurrit, itaque nihil ipsi vident, cognoscunt autem ea, quæ futura prædicunt, eo quòd ea futura audiant ab eo qui cum ita interius,& in animo ipsorum loquuntur,ac si palàm exteriusque cum ipso congressi sermones mutuos conferrent. Quæ vniuersa, quamuis partibus varia & multiplicia, tamen tribus tantum generibus comprehensa sic ea nominant sacræ literæ, somnium, visionem, loquutionem, siue sermonem, vt liquere ex illo potest, quod in libro Numerorum scribitur. Siquis fuerit inter vos Propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum, at non talis seruus meus Moyses, qui in omni domo mea est fidelissimus, ore enim ad os loquar ei. Ex quo sequitur omnem illustrationem propheticam vel ad somnium, vel ad visionem, vel ad sermonem reduci, tametsi Ieremias somnij tantum, atque visionis mentionem fecerit in vigesimotertio. Propheta inquiens, apud quem est somnium narret somnium, & apud quem est verbum meum

Num.12.

Iere 23.

narret verbum, id, opinor, ſequutus quod verbi vocabulo, cuius ſignificatio tam latè apud Hebræos patet, duo poſteriora genera, viſionem ſermonemque comprehendi cenſuerit. Porrò inter hæc ſomnium infimum eſt, viſio medium obtinet locum, ſermo autem ad altiſsimum prophetiæ genus, atque ſimpliciſsimum pertinet. Ex quo & Moyſes, quicum ore ad os, & non per viſionem aut ſomnium Deus loquutus dicitur, & Dauid Rex, qui de ſe ſic, vt ſcribitur, cecinit, Mihi loquutus eſt fortis Iſrael ſicut lux auro- 2. *Reg.* 23.
ræ oriente Sole mane abſque nubibus rutilat: præſta-
" re atque eminere inter omnes prophetas putantur.
" Sed quoniam illuſtrari per quietem à Deo vates ſolere diximus, idque illuſtrationis genus appellauimus ſomnium, nequis ſubeſſe error poſsit in nomine, illud adijcimus, quod & ante nos rectè, vt mihi quidem videtur, tradiderunt nonnulli: quoties in ſacris literis legimus in ſomnia diuinitus immiſſa aliquibus fuiſſe, eos quibus immiſſa illa ſunt, non ſtatim pro Prophetis habendos eſſe. Nam & cum Labam, & cum Achimelech congreſſus Deus dicitur per quietem in Geneſi, quorum tamen, vt conſtat, neuter Propheta fuit: ſed hoc diſcerni poſſe inſomnia vatum à cæteris, quod cum vate Deus loqui per ſomnium dicitur, cum alijs verò, quos vates non efficit, tametſi inſomnia immittat illis, non loqui Deus dicitur, ſed venire potiùs ſcribitur per ſomnium ad illos. Itaque eos, ad quos per ſomnium Deus venit, non illuſtrari prophetico lumine, neque arcani quidquam, aut poſt futuri illis oſtendi, ſed de priuata aliqua ipſorum re, ac de eo quod ipſi vel facere, vel cauere debeant, admoneri. Contra quibuſcum Deus per ſomnium loquitur, aut loqui dicitur, eos magno imbui lumine, vereq; vates eſſe atq; dici. Quæ idcircò à nobis cõmemorata ſunt,
vt

vt ex his perſpiciatur quam ob cauſam quæratur, cur Abdias, qui nullam neque externam, neque interiorem imaginem ſe vidiſſe conſcripſerit, ſuæ tamen vaticinationi viſionis nomen indiderit. Nam cum ſit vaticinationis vnũ genus quod appellatur viſio, quodque obiectu imaginum conſtat: alterum autem quod nominatur loquutio, quod in eo ſine adhibita imagine Deus cum propheta ſermones conferat, ad hoc certè genus poſterius imaginibus vacuum hæc Abdiæ ſcripta debuiſſe videbantur referri.

Ad hoc igitur reſpondendum primò eſt, Quamuis vnũ prophetiæ genus propriè appelletur viſio: tamen in vniuerſum omne genus prophetiæ viſionem appellari, & poſſe, & ſolere propter certitudinem rerum, quas prædicunt prophetæ. Nam è ſenſibus viſus eſt, qui falli minus poteſt, vnde & fideles oculos appellat poeta, eo quod minimè fallant: propheticæ autem cognitioni & prædictioni falſum ſubeſſe nequit, ex quo merito prophetia omnis oculis cõparatur, viſioq; dicitur cuiuſuis illa ſit generis. Itaq; prophetas omnes nullo diſcrimine videntes dici ſolitos ſacræ literæ tradunt. Præterea etiam dicatur, id pro- 1. *Reg.* c. 9.
phetiæ genus quod nominatur loquutio, quamuis ſic nominetur, viſione tamen conſtare ipſum, ac propterea eo etiam nomine, rectè poſſe cenſeri. Nam præclarè D. Baſi- *Pſal.* 28.
lius, vox, inquit, Dei eſt diuerſi generis ab eis vocibus, quę in audiendi ſenſum cadunt: fit enim cum mens hominum, quos ille ſuam percipere vocem vult, viſione quadam informatur haud ferè aliter, quam in ſomnijs accidit; nam vt in ijs ſecundum quietem animus noſter, quorundam veluti verborum memoria imbuitur, non pulſo aere externo, neq; voce vlla illapſa in ſenſum audiendi, ſed ipſa mente notis quibuſdam rerum ſignata, informataq; talem exiſtimandum eſt Dei eſſe

vocem quam audire memorantur Prophetæ. Postremò etiam dici potest pro visione, quod noster vertit interpres, esse Hazon in Hebraico, nomen ductum à verbo חזה Haza, quod prospicere propriè significat, & in eo verè dicitur, quod longè antequam eueniat euenturum videtur. Ex quo vaticinationes rectè dici visiones, idest, præuisiones, &, si ita loqui licet, prospicientias, quod siue in somnio, siue imaginum obiectu, siue sermone interiori illustretur propheta, tamen posteaquam illustratus est, certè iam præscit, atque præuidet futura ea de quibus est edoctus diuinitus. Et certè si visio, ex Hebræo interpretatum verbo est prouisio, id est, anticipata visio eorum, quæ post multum sunt euentura tēporis, ex eo iam reddi causa potest, quare prophetæ non omnes vaticinationes suas, sed earum aliquas inscribant visiones. Illas enim præcipuè isto nomine inscribunt in quibus vaticinantur de Christo, aut de eo quod ad Christum, atque ad Christi Ecclesiam pertineat: quod ab ætate eorum id tempus in quo istæ res futuræ erant maximè omnium distaret. Est enim id tempus vltimum atque nouissimum, itaque appellatur in sacris literis, *Hebr.1.* vt apparet in illo, quod ad Hebræos scribitur. Nouissimè autē in diebus istis loquutus est nobis in filio: cuius vim verbi atque vsum ad eas vaticinationes, quæ de Christo sunt, notandas accommodatum expressit D. Paulus *Heb.11.* cum ad Hebræos de ijs Patribus, qui tempore Mosaycæ legis vixerunt, & de Christi rebus scribit. Sed à longè *Num 24.* eas aspicientes, & salutantes. Similiterque Balaam vates in illo. Videbo illum, sed non modo, intuebor illum, sed non propè, orietur stella ex Iacob. Quare quod supra diximus, quodque pluribus etiam confirmauimus argumentis, his scriptis Abdiam nō tam Idumæorum casus varios prædicere, quàm eorum, qui figuratè

ratè Idumæi sunt, id est, impiorū omniū exponere, quos vniuersos Christ⁹ ad extremū deleturus est, vel ex hoc ipso quod modo dicimus, verum esse probetur. Est enim visio vaticinatio hæc, id est, prouisio, idest, rerū à Christo gerendarum aduersus infideles atq; impios, longè antequā gerantur cognitio atque prædictio. Ergo inquit.

Visio Abdiæ. Hæc dicit Dominus ad Edom.

Vt conciliet autho ritatem vaticinationi suæ, vtque se ostendat non furore percitum, sed à Deo inflatū ista scribere, ea Deo ascribit in ipso statim orationis initio. *Hæc* inquit *dicit Dominus*, quo etiam auditores commouet ad audiendum attētè. Nec enim Dei sermones qui sunt, aut negligi possunt, aut languido animo audiri debent. Valetq; præterea hoc ad exemplum, quod imitentur omnes, qui docendi exercent munus, vt ea semper tradant atq; populos doceant, nō quæ ipsi sibi finxerūt pro sua libidine, sed quæ hauserūt ex doctrina, atq; ex scriptis diuinis. Nā qui contrà faciunt, graue scelus concipiunt: Primò quia sub specie verbi Dei sua figmenta inuehūt, in quo ipsi verbo faciunt grauē iniuriam. Deinde quia suam rē, & non Christi agunt, Christi ministros se esse professi. Postremò quia populos, quos erudiēdos suscipiūt, magis cæcos reddunt. Itaq; grauiter in hos inuehitur Deus per Iere. in cap. 14. & *Iere. 14.* 23. & præcipuè per Ezech. in 13. qui inter alia plura & hæc *& 23.* dicit. Vidēt vana & diuināt mendaciū dicētes, ait Dñs, cū *Ezec. 13.* Dñs non miserit eos. Et paucis interpositis. Ecce ego ad » vos, dicit Dñs Deus, & erit manus mea super Prophetas, » qui vidēt vana & diuināt mēdaciū: in cōcilio populi mei » nō erunt, & in scriptura domus Israel non scribentur, ne » que in terram Israel ingredientur, & scietis quia ego Dominus Deus. Quod autem sequitur. *Ad Edom* eo dicitur, vt significetur, ad quos hæc prophetia pertineat. In quo aduerti certè debet pro, *ad* Latino non poni in Hebræo

לע quod est super, aut aduersus, aut contra, sed poni parti culam לי itaq; verti vtrouis modo posse, ad Edō, vel de Edom; idque in bonam partem solere accipi, vt in titulis Psalmorum apparet, & precipuè in 71. qui inscribitur Solomoni, quasi tu dicas. Psalmus in gratiā Solomonis scriptus. Quod idcircò à me notatur, vt ex eo magis intelligatur verum esse quod dixi, ista quamuis in speciem acerba & lugubria, re tamē esse læta & fœlicia, neque magis contra Edom dicta, quàm pro Edom esse accipienda: eius enim impietatis gratus, & optādus interitus, & ad melioris vitæ frugem eiusdem conuersio fœlix his figuris verborum atque sententiarum prædicitur. *Ad Edom*, de Edō qui sit, superius satis multa diximus, quibus addi nunc debet nouem Prophetas de Edonis loquutos fuisse rebus. Primus Balaam, cuius est in libro numerorum prædictio. Post hūc Dauid in Psal. 59 & 107. cū sequutus est Abdias, cui Esaias succesīsit in quinquagesimoquarto Esaiæ. Ioel in. 3. Postea Amos in capitibus 1 & 2. Septimus fuit Ieremias in capite quadragesimonono. Octauus Ezechiel in vigesimoquinto, & trigesimoprimo & trigesimoquinto. Nonus & vltimus Malachias in primo. Quod argumento est mysterium aliquod latere, idque minime contemnendum in ista Edonis voce, & omnino aliquid in ea subesse altius, quam quod Edom vocabulum acceptum significat. Nam de propriè Edom causa non erat, quare in sacris literis tàm accuratè & tàm multis ageretur, cum præcipuè maximus earum literarū scopus Christus sit, & ea sola quę ad Christū quoquo modo pertineāt. Quod si verus Edom non fuit à tam multis vatibus tā copiosè scribēdus, sequitur profecto eorū Prophetarū scripta ista, maxima ex parte ad figuratè Idumæos esse referēda, quod & supra posui verū mihi videri, & nunc certè verū esse facile pſuadeo mihi vel hoc vno argumēto. Sequitur.

Psal. 71.
Num. 24.
Psal. 59. & 107.
Esai. 54.
Ioel. c. 3.
Amos. 1. & 2.
Ier. c. 45.
Ezec. 25. & 31. 35.
Malac. c. 1.

Aū-

Auditum audiuimus à Domino, & legatū ad gentes misit. Surgite, & consurgamus aduersus eum in prælium. Ecce paruulū dedi te in gentibus, contemptibilis tu es valdè.

Quidam quò magis perspicua hęc oratio reddatur cum superiori illam oratione coniungunt, atque ita copulant, vt duobus superioris orationis membris, duo item huius orationis membra respondeant, singula singulis, & priora prioribus, hoc videlicet modo. *Visio Abdiæ*, cui statim adiungunt, *auditum audiuimus à Domino & legatum ad gentes misit. Surgite & consurgamus aduersus eum in prælium.* Quod hoc ipsum sit, quod se vidisse dicit Abdias, nimirum Dominū loquentem, suumque ad gentes legatum mittentem, eas vt excitaret ad bellum Idumæis inferendum: ipsumque legatum excitantem eas his vocibus. *Surgite & consurgamus aduersus eum in prælium.* Post quæ illa superiora ponunt. *Hæc dicit Dominus ad Edom.* quibus adnectunt. *Ecce paruulum dedi te in gentibus*, quæque postea sequuntur, quasi hæc illa sint quæ ad Edom Dominum dicere scribit. Ergò sanctus propheta primò explicat quid ipse audierit ac viderit. Deinde ad Idumæos ex persona Dei conuersa oratione grauem eorum interitum atque vastationem prænunciat: in quo rectum ille quidem & reliquis vatibus familiarem docēdi ordinem sequitur, vt scilicet scripturus ea, quæ erant euentura Idumæis, fontes prius vnde ista manarent, exponeret, id est, declararet vnius Dei nutu atque consilio cuncta immitti. Nā quāuis, earum quidē rerum quæ ad beatam vitam cōsequendā spectant nulla ferè sit cuius Deus doctrinam in sacris literis non incluserit, tamen sunt quædam summa veluti capita eius doctrinæ, in quæ tanquam in scopum omnis earum literarum institutio dirigitur. Eorum porrò vnum est, ac pręcipuum caput docere nihil in rebus humanis casu fieri, sed diuino nutu cuncta regi, & quod Amos scripsit, non esse malum in ciuitate quod nō faciat

Omnia a numine regunt.

Amos. 3.

faciat Dominus. Quã ob causam scriptores sacri quotiescunque id scribere atque commemorare volũt, quod vel priuatim alicui homini, vel publicè aut vni genti aut vniuerso hominum generi accidit, eius rei, atque euẽtus omne consilium ad Deum prius referunt: ipsumque inducũt tanquam deliberantem de eo, & de consilij sententia tandem fieri iubentem. Sic in libri Iob capite primo & secundo, re prius perspecta Deus dicitur fecisse potestatem Sathanæ vt Iobum malis afficeret: sic etiam apud Esaiam. quinto, Deus inducitur decernẽs dare Iudæos in interitũ & euertere regiam ipsorum vrbem. Et apud Ieremiam in primo quiddam commemoratur huic nõ dissimile. Sic certè in tertio Reg. libro propheta Micheas prædicturus fore, vt Rex Israelis malè in Syria pugnaret, Deum de infœlici eius pugnæ exitu agentem, & qui decepto vana spe Regi persuaderet pugnam vt inire veller, quærentem aliquem, atq; mittentem inducit. Quod idem Abdias secutus hanc denuntiationẽ, & prædictionem rerum aduersarũ, quæ erant euenturæ Idumæis, orsus est à decreto & iussione Dei: & quasi esset ei imago ipsius aliqua, atq; species obiecta, quasique vidisset ipsum vocantẽ ad se aliquẽ, eiq; negotiũ dantẽ, vt profectus ad gentes eas studio belli aduersus Idumæos accenderet: quasiq; eum legatũ ad gentes accedentẽ, mandataque Dei exponentẽ ipsis, illasque cohortantẽ ad certamen vidisset, ita inquit. *Auditum audiuimus à Domino & legatum ad gentes misit*, &c. Quod perinde est ac si pluribus verbis dixisset. Audiui Dominũ vocantem, vocabat autem vnum aliquem, qui mandata sua contra Edom ad gentes perferret: tandemque vnum misit è suis. Is porro à Deo missus, gentes ad quas mittebatur cõueniens, eas cohortari cœpit his vocibus. *Surgite, & surgamus aduersus eum in prælium. Auditum audiuimus à Domino.* Auditum Hebræis interdum significat id, quod Latinis doctri-

Iob. 1. & 2.
Esai. 5.
Iere. 1.
Reg. 3 ca. 22.

doctrina, ideò sic dicta quòd auribus percipiatur à discente. Quomodo id nomen accipitur in illo Esaiæ. Quem docebit scientiam, & quem intelligere faciet auditum. Inter dũ sumitur pro verbo quocunque atque voce, aut sermone, quo audiẽdi sensus pulsatur, vt in illo Esaiæ in quinquagesimo tertio. Quis credidit auditui nostro, id est, quis habebit fidem nostræ orationi Quo etiam modo, vt mihi videtur, Abdias, *Auditum*, inquit, *audiuimus à Domino*, id est, audiuimus palàm loquentem Dominum & eius sermonis ac verborum sonus ad nostras aures peruenit, vnde consentaneè statim adiungitur. *Et legatum misit ad gentes.* Quasi ita dicat, & sentiat. Audiuimus Dominum dicentem se velle delere Idumæos: eaque de causa legatum suum mittentẽ ad gentes, eas vt excitaret aduersus illos. Quod autẽ dicunt, *audiuimus*, multitudinis numero id nõ parũ multi scriptores dictum à Propheta putãt, vt significaret nõ à se vno id fuisse auditũ, sed à pluribus. Nam vt supra dicebam, maxima prophetarũ pars has Idumæorũ clades præuidit.

Esai. 28.
Esaiæ. 53.

Quod si aliquis quærat hic legatus à quo sit missus. Quamuis quidam vir valde mihi probatus, eximièque ipse doctus sic arbitretur non hic dici legatum aliquem à Deo esse missum, sed ipsas potius gentes scribi vltro citroque legatis missis inuicem conspirasse in Idumæorum perniciem: tamen pro certo habeo legatum aliquem à Deo missum esse Abdiam dicere: non enim is dicit gentes legatos misisse inter se, sed ad gentes potius legatum fuisse missum scribit, missum verò à quo nisi à Deo debeat intelligi? At quisnam iste quæso legatus sit, qui à Deo, vt opinamur, dicitur missus? nam de eo non eodẽ modo omnes scribunt. Lyranus legatum dici putat motionem ipsam & impulsum Dei, quo gentes interius incitabantur ad bellũ. Dionysius angelũ aliquẽ siue bonũ siue malũ eius rei efficiẽdæ causa à Deo missum scribit: nã

corum

eorum ministerijs vti Deus solet ad eiusmodi res perficiẽ
Psalm. 77 das, sicut scriptum est. Et immissiones per angelos malos.
Porrò Hieronymus, Glossa, Beda, Rupertus in huius lega-
ti nomine Christum intelligunt. Nam, & is angelus, id est,
Esai. 9. nuntius ab Esaia appellatur: & desideratus cunctis genti-
Aggæi. 2. bus dicitur apud Aggeum, vt ob id ad gentes missus meri-
tò dici possit. Quod si damus Abdiam hæc scribere cõtra
figuratè Idumæos, rectè profectò cõueniat, vt legatus, qui
missus dicitur ad gentes in eos excitandas, sit Christus. Nã
is eò in mundum venit, bellum vt diabolo & eius mẽbris
1. Ioa. c. 3. inferret, &, quomodo de ipso dicitur in Epistola Ioãnis,
vt dissolueret diaboli opera: idemque & per se ipse, & per
Apostolos suos omnes cohortatus est gẽtes, vt quod Idu-
mæum in se esset extinguerent, id est, vt impietatem depo
nerent, bellumque inferrent superstitioni, idololatriæ: de-
niq; prauis cupiditatibus vniuersis, quibus figuratus Edõ
continetur, ex quo & de se ipse apud Lucam in duodeci-
Lucæ. 12. mo dicit. Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi
Matt. 10. vt ardeat: & iterum apud Matth. in decimo: Non veni pa
cem mittere in terram, sed gladium, &c. Porrò quod sequi
tur. *Surgite & consurgamus aduersus eum in prælium.* Id accipi
potest dupliciter, vno modo, quasi in eo sit & legati ad
hortatio, & gentium responsio, qua profitentur Dei iussis se parere velle, vt & legatus ad bellum excitet gentes, &
excitatæ gentes belli studijs accensæ sese mutuo cohor-
tentur ad prælium: adhortatio quidem legati in illo, *Sur-
gite*, Responsio gentium vocem & imperium legati sequẽ
tium in illo. *Surgamus aduersus eum in prælium* Altero modo
quasi ex persona gentium, qui se mutuo ad bellum cohor
tantur vtrumque dicatur, *Surgite*, scilicet, *Et consurgamus ad
uersus eum*. Sed ptior ratio mihi magis probatur: atque eò
magis, quò video plura posse ex ea elici quæ ad exemplũ
vitę degendę & ad mores componendos conducant. Pri-
mò

mò enim elicitur, omne benè operandi initium semper
à Deo duci deberi. Nam prius est vt ille, eia age, surgite, di-
cat, quam vt velle nos surgere dicamus ipsi. Ad quod illud
Ieremiæ pertinet, Cõuerte nos Domine & conuertemur
ad te, quod & Paulus in eãdem sententiam in priori ad Co
rinthios scribit. Nemo potest dicere Dominus Iesus nisi in
Spiritu sancto. Deindè promptitudinis in obtemperando
monenti, aut vocanti Deo exemplum mirum in eo extat.
Nam vt legatus, *Surgite*, intonuit, gentes illas ad nauandam
strenuam in bello operam vocans, è vestigio illæ nihil cũ-
ctatæ respondent, *Surgamus aduersus eum in prælium.* Cuius
etiam promptitudinis & illud est, quod apud Esaiam scri-
bitur, Dominus Deus aperuit mihi aurem, ego autem nõ
contradico, retrorsum non abij. Illudque Ieremiæ in tri-
gesimoprimo. Postquam conuertisti me egi pœnitentiã
& postquam ostendisti mihi, percussi fœmur meum. Sed
& illa animalia, quorum Ezechiel vates in primo meminit
in hac ipsa alacritate & obediendi promptitudine excel-
lunt, quocunque enim illa ferebat spiritus, eò gressum
ipsa dirigebant suum, neque retro reuersa vnquam dicun-
tur esse cum ambularent, id est, cum incitarentur ad pro-
grediendum, nũquam retro retulisse pedem, vt vxor Loth
retulit, quæ quia ducem sequuta angelũ respexit retro, in
statuã salis ad exemplũ sempiternæ pœnę esse conuersa di
citur. Quare satius sit aliorum exemplum sequi, & Daui-
dem dicentem audire. Hodie si vocem eius audieritis, no-
lite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione secundũ
diem tentationis in deserto, vbi tentauerunt me patres ve
stri, probauerunt & viderunt opera mea. Nam certè quod
ad Hebræos Paulus ex re rustica similitudinem ducẽs scri-
bit, ad hanc ipsam duritiam animi vocantem Deum sequi
nolentis coarguendam spectat: estque id sane metuendũ.
Nam inquit, terra enim sæpè venientem super se bibens
im-

Ier. 31.
1. ad cor. 12.
Esai. 50.
Iere. 31.
Eze. 1.
Gene. 19.
Psal. 94
ad Heb. 6

imbrẽ,& generans herbã opportunã illis quibus colitur, benedictionem accipit à Deo, proferens autem ſpinas, & tribulos reproba eſt, & maledicto proxima, cuius conſũmatio in cõbuſtionẽ. Poſtremo hîc videre licet, quomodo Deo nullo modo obſiſti poſsit quandocũque indignationes ſuæ aduerſus aliquã magnitudinẽ expromere ſtatuit, quomodoq; omnia præſto ſint, & tanquã ad manum irato illi parata. Nã quamuis irã ſuam Deus multum cohibeat: quamuiſq; de improbis pœnas meritas ſerò repetat: tamen vbi ſemel eas ſtatuit repetere, & executioni mandare vult, quãuis ſero ſententiã à ſe latã ea vi eam mandat, nihil vt eo fieri poſsit celerius. Etenim vt in hoc loco cõſpicitur ad vnã illam vocẽ. *Surgite*, omnes ſtatim cõmotæ gẽtes magna cõſenſione animorũ aduerſus Edõ arma ceperũt. Cui ſimile eſt & illud, quod accidit, quãdo terras aquę inundârunt, de quo memoratur in Geneſi. Cũ enim Deus ne terras aquis immergeret, etſi peccatis prouocabatur hominũ, eas vt immergere quãuis ſubitò cuperet, diẽ ex die duxiſſet, tandẽ poſtquam ſemel id facere ſtatuit, vt primũ maturũ eius rei efficiẽdę tẽpus adeſſe vidit, quid ait ſcriptu-
Gene.7. ra? Quid? Et ruptæ ſunt omnes fontes abyſsi magnę, & cataractæ cęli apertæ ſunt: & facta eſt pluuia ſuper terrã quadraginta diebus & quadraginta noctibus: hoc eſt, vt interpretor, nuſquam ceſſauit, nullam moram interpoſuit, nihilque eorum, quæ ad homines, quamuis citò delendos neceſſaria erant, omiſit. Sed nuſquam, vt puto, hæc vis iræ Dei temporis momento cuncta vaſtantis melius
Eſai.5. deſcribitur, quam in illo Eſaiæ, vbi ad excindendos Iudæos, vel Romanorum militum, vel Chaldæorum copias Deus vocat, ſic enim ſcribit. Et leuabit ſignum in nationibus procul; id eſt, vexillum leuabit quomodo duces quando delectus habent, leuare ſolent. At illi viſo vexillo fortaſſe hærebunt dubij. Quin, inquit, ſybillabit

labit ad eum de finibus terræ, hoc eſt, vexillo in altum ſublato tanquam præconis voce coget ad militiam quos voluerit, ſybillo vocabit, & docebit aduerſus quos arma capturi ſint. At tot gentes, tot præcipuè terrarum ſpatijs diuiſæ ſybillo cõmoueri quî poterunt? vſque eò ſanè, nullam vt ſibi moram interponendã putẽt. Ecce feſtinus, inquit, velociter veniet. Sed venientes conficiet itineris longitudo ipſa, nihil ſane minus. Non eſt, inquit, deficiens neque laborans in eis, ſed vt omnes valeant, tamen non ſtatim vt aderunt prælium committent: curabunt corpora longiſsimi itineris labore feſſa: induciæ intercedent aliquæ. Quin. Non dormitabit, inquit, neque „
dormiet, neque ſoluetur cingulum renum eius: neque rũ- „
petur corrigia calceamenti illius: Quaſi dicat, ne illud quidem tempus, aut à certamine immune, aut à periculo vacuum futurum erit, quod in exuenda veſte conſumitur. At deerunt illis arma? imo ſuppetent, & ad dimicandi „
vſum non ſolùm apta, ſed parata iam atque prompta. Sagittæ, inquit, eius acutæ, & omnes arcus eius extenti. At „
ſi minus milites, equi tamen conficientur itinere? At, in „
quit, vngula equorum eius vt ſilex, & rotæ eius quaſi impetus tempeſtatis. At, vt robore virium & induſtria animi præſtent, tamen animo leni erunt, & ad ignoſcendum parato? At, inquit, rugitus eius vt leonis, rugiet vt catuli leonum, frendet, & tenebit prædam, & amplexabitur, & „
non erit qui eruat. Quo quid quæſo ad iræ Dei ad vlciſcẽ- „
dum promptæ ſummam ſignificandam vim dici potuit, „
aut vberius, aut melius? Rectè itaque in Eccleſiaſtico ſcri- *Eccleſ.5.*
bitur, ne dixeris miſeratio Domini magna eſt, multitudinis peccatorum meorum miſerabitur, miſericordia enim & ira ab illo citò proximant, & in peccatores reſpicit ira illius valdè enim horrẽdum eſt, vt Paulus ſcribit *Ad Heb.*
in manus Dei viuentis incidere,

Audi-

Auditum audiuimus à Domino, & legatum ad gentes misit. Surgite, surgamus aduersus eum in prælium.

Deus puniturus Edom, mirum est quot & quanta moliatur prius, vt appareat ipsum non sua sponte, sed coactum quodammodo ad puniendum accedere: primò enim vocasse legatum dicitur, deindè mandata eidem dedisse, quæ perferret ad gentes, ad hæc exposuisse ea ipsis legatū: postremò commotas gentes iussis diuinis parere se velle dixisse. Nec tamen inter hæc vlla illatæ pœnæ fit mentio. Nam certè quod quotidie experimur, longanimis est Dominus, & multum misericors. Et sicut quando semel excãduit, atque eius ira efferbuit, omnia momento temporis miscet: sic, quoniam natura sua infinitè bonus est, cohibet quoad fieri potest, atque coercet iram suam, seque ipse cõtinet vsque eò, vt conniuere sæpe ad peccata nostra, & remisse, atque lentè agere videatur. Itaque omnes nobis ignoscendi occasiones arripit, omniaque agit, quibus intelligit homines in viam posse reuocari, minatur, rogat: promissis sollicitat: aduersis premit: pœnæ sumẽdæ tempora differt: magna ad resipiscendum temporis spatia concedit: denique nihil prætermittit eorũ, quæ sui erga nos animi lenitatem ostendunt. Nam est consentaneum naturæ ipsius, non solum vt benefaciat vniuersis, sed etiam vt offensus, atque læsus facilè ijs, qui se læserunt, placetur. Nec enim, aliter rerũ stare posset vniuersitas: quia si iracũdus, & facilè irritabilis esset Deus, id est, si esset ad irascendũ, & suppliciũ sumẽdũ prõptus breui deleret vniuersa. Itaq; merito appellatur misericors, & miserator & præstabilis super malitia, & misericordiæ suæ, atq; longanimitatis beneficia vsque ad mille generationes pertinere faciens, pœnã autem non solùm tardè repetens, sed & intra angustos cancellos, intraque parua spatia concludens. Qua de re tectè ille quidem, sed pereleganter Dauid scripsit in quodam

dam Psalmo sic dicens. Quoniam ira in indignatione eius & vita in voluntate eius. Ira, inquit, id est, pœna est illi in indignatione, hoc est, ingrata illi est atque molesta, quòd inuitus quodammodo, & ipsa propè necessitate constrictus eam inferat: at vita, id est, fœlicitas atque salus nostra in voluntate eius, id est, gratæ illi sunt atque charæ. Quod vt magis explanaret, adiecit. Ad vesperũ demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. Res enim aduersas quæ cum aduenium, mœrorem & luctum afferunt, demoratur ad vesperum, vtpote qui reijciat eas in maximè sera tẽpora: at lætitiam, id est, læta atque secunda, quæ quos inuisunt, lętos atque hilares reddunt ad matutinum, summo scilicet mane, summoque curat studio. Et certè huius suę longanimitatis atque patientiæ magnum dedit Deus documentũ illo tempore, quando terras aquæ inundarunt. Vniuerso enim hominum genere vitijs contaminato, atque perdito, non solùm sententiam ferre distulit per multa sęcula, sed cum eam iam tulisset ac promulgasset, exequutus non est, antequam iterum atque sæpius homines admoneret, si quomodo impendentis exitij metu illos reuocare ad sanitatem posset. Itaque centum annis, antequã terras aquis obrueret, vt in oculis omniũ arca exædificaretur, pręcepit quę, vt pręclarè dicit Chrysosto. homines quotidie admonebat eius exitij, quod imminebat. Quid illa quæ euersurus Sodomam Deus fecisse legitur? nonne & ipsa expressa continent documenta huius patientiæ atque longanimitatis diuinę quã dico? Se velle explorare dixit, quæ clamor quidã varius ad suas aures pertulerat: exploraturus descendit: cũ Abrahamo postea cõgressus rem omnem cum illo communicauit: rogatus ab ipso eadem de re semel iterum tertio atque sæpius ad rogatum semper respondit, seque detineri ab ipso æquo animo passus est, apertè vt moram animaduersionis quærere videretur. Nam hæc quidẽ certè non

tè nõ eius erant, qui arderet ſtudio vindictæ, ſed qui cũcta retur potiùs, ac nolens quodammodo duceretur; itaque tergiuerſari cuperet quo ad poſſet, & in aliud eã tẽpus differre. Sed iã eò reuertamur vnde digreſsi ſumus. Sequitur.

Ecce paruulũ dedi te, contemptibilis tu es valde, ſuperbia cordis tui extulit te habitantem in ſciſſuris petrarum.

Poſtquam ea expoſuit quæ Deum vidit facere atque dicere, iam ad Edom conuertens orationem ſuam, ipſum, & obiurgat, & denũtiatione malorum, quæ illi euentura erant perterrefacit. *Paruulum*, inquit, *dedi te in gentibus*. Quod quidam ſic exponũt: paruulum dedi tè, id eſt, dabo te paruulum, & contemptibilem, id eſt, deijciã te ab eo honoris gradu in quo es, & ad ſtatum infimum atque miſerum redigam, tum propter alia tua ſcelera, tum præcipuè propter cordis tui ſuperbiam, qua elatus es non ſolùm ſupra conditionem tuam, ſed omninò ſuprà id quod homini fas erat. Itaque dedi, pro, dabo, accipiunt, præteritũ tẽpus pro futuro tempore more ſacris vatibus familiari propter ſummam certitudinem earum rerum, quas futuras prædicunt. Alij inter quos eſt. D. Hieron. & quorum mihi magis probatur ſententia, id dictum eſſe volunt, non tam ad ſignificandum futurum, vt Idumæi propter elationem animi, deijciendi eſſent ab eo dignitatis gradu, in quo erant, quàm ad declarandam & magis amplificandam eorum hominum inſolentiam, qui cum exigui numero eſſent, nec vlla re præcipuè atq; arte præſtarent, hoc eſt, cum ſuperbiendi cauſam haberent nullam, haberent autem plurimas & iuſtiſsimas cauſas humiliter de ſe atque modeſtè ſentiendi, tamen ſuperbirent vſq; eò, ſe vt à nullo ſuperari poſſe putarent. Quæ res in Edõ proprie dictũ, id eſt, in Idumæos veros atq; Germanos optimè quadrat. Nã ij, vt docet Hieronymus, ad alias vicinas ipſis gẽtes collati inferiores illis erant, & numero hominũ & re-

regionis, quam incolebant, magnitudine, & vrbium frequentia. Nam tota illorum regio montibus Seir continebatur, id eſt, finibus peranguſtis, ſicut ſcriptum eſt, tranſibi „ *Deut. 2.*
tis per terminos fratrum veſtrorum qui habitant in Seir „
& timebunt vos: videte ergò diligẽter, ne moueamini cõ- „
tra eos, nec enim dabo vobis de terra eorum quantum po „
teſt vnius pedis calcare veſtigium, quia in poſſeſsionem. „
Eſau dedi mõtes Seir. Itaque peranguſtę regionis loca inco „
lebant, eratq; ipſorum proportione ſuæ regionis non nimis numeroſus populus maximè ad alias finitimas ipſis gẽtes comparatus, ex quo fiebat, vt à cæteris cõtemneretur, & ob id cunctorum prædæ & direptioni pateret: itaq; nõ à Chaldæis ſolũ, ſed & ante Chaldæorũ aduentũ à Dauide, reliquiſq; Iudæorum regibus, & poſt deletos Chaldæos à Machabæis ſæpe victi ſunt, & in ſeruitutẽ redacti, vt ſuprâ docuimus, verè vt de eo dicatur populo, quod his ſcribit Abdias, *Ecce paruulus es, & cõtẽptibilis tu es valde*. Idq; eò magis quod ante hanc vaticinationẽ, & omnino ante tempora Abdiæ, Dauid Idumæos bello propè deletos ad poſtremã miſeriã redegerit. Nã, vt in libris Regũ ſcribitur Ioab dux copiarum Dauidis eius iuſſu quidquid erat virilis ſexus in Idumæa interemit, ex quo factus eſt cõtemptibilis Edõ, id eſt, ad ſummã hominũ paucitatẽ per Dauidem redactus. *3. Re. c. 11*

Sed ſi hæc præcipuè intelligenda ſunt de figuratè Idumæis, vt mihi quidẽ, quẽadmodũ ſuprà dixi, videtur, dubitari iure poſsit, qua ratione id cadat in eas gẽtes, quæ veræ religioni atq; pietati reſiſtũt: quarũ ſemper fuit & maxima, & viribus maximè multitudo præſtans. *Ecce paruulum dedi te, contemptibilis tu es valde*. id eſt, quæri poteſt quî ea multitudo impiorum exigua dici poſsit, & contemptu atque deſpectione digniſsima? nam bonos atque pios homines à malis & ſceleratis hominibus, id eſt, à figuratè Idumæis vinci & numero & viribus per-

Eccl.1. ſpicuum certè eſt vel Sapiẽtis teſtimonio, quà dicit. Stulto
rum infinitus eſt numerus. Sed & Paulus id quod eſt Idu-
mæum, id eſt, quod euangelicæ doctrinæ aduerſum eſt, &
inimicum ſplendidis ipſum & magnificis inſignit nomi-
nibus, maximas illi vires & copias, & in rebus agendis
1. ad Cor. ſummam tribuens gnauitatem, vt in illo prioris ad Corin.
1. „ Videte fratres vocationem veſtram, quoniam non mul-
ti ſapientes, aut multi potentes, ſed infirma mundi elegit
2. ad Cor. Deus, vt fortia quæque confundat, & in illo. Arma militiæ
10. „ noſtræ potentia Deo ad deſtructionem munitionum, cõ
ſilia deſtruentes, & omnem altitudinem ſe extollentem
Epheſ.6 „ aduerſus Deum, & potiſsimum in illo ad Epheſios. Non
„ eſt nobis colluctatio aduerſus carnem & ſanguinem, ſed
„ aduerſus principes & poteſtates, & aduerſus mundi re-
„ ctores tenebrarum harum contra ſpiritualia nequitiæ in
cæleſtibus. Ad hoc primo dici poſsit populos veræ reli-
gioni contrarios, id eſt, impios & idolorum cultores,
quos omnes Edonis vocabulo figuratè complectimur,
dici poſſe paruulos, contemptuque dignos habita ratio-
ne initiorum ſuorum. Nam certè qui omnium poten-
tiſsimi inter ipſos habiti ſunt, ij à tenui principio exor-
dium duxerunt, & vt in vno iſtorum populo, cæterо-
rum eiuſdem generis populorum longè potentiſsimo
exemplum ponamus, conſtat Romanos omnium po-
ſtea gentium victores ac dominos duxiſſe ortum ab exi-
guis obſcuriſque principijs, vt enim Liuius, & Dionyſius
tradit Halycarnaſeus, hiſtoriæ Romanæ ſcriptores lucu-
lenti, ciuitatem Romanam conſtituerunt paſtores pri-
mùm, & Siculi quidam barbari, deinde Aborigines, & ipſi
ſatis obſcurum genus hominum: ac poſtremo Pelaſgi
quidam Græcis quibuſdam, & ipſis obſcuris commixti.
Quod idem & de alijs populis, qui poſtea viribus & po-
tentia præſtiterunt, quin verè dici poſsit, non dubito:
in ſa-

in ſacris certe literis Antichriſtus caput impiorum om-
nium, id eſt, figuratè Idumęorum princeps & caput par-
uus initio & pertenuis futurus ſcribitur. Nam ſic apud Da „ *Dani.7.*
nielem vatem de illo. Conſiderabam cornua eius (nimi- „
rum quartæ beſtiæ, quæ omnium maxime formidabilis „
erat) & ecce aliud cornu paruulum ortum eſt de medio „
eorum, & tria de cornibus primis euulſa ſunt à facie eius, „
& de Antiocho, qui vt patres veteres docent, perſonam
Antichriſti ſuſtinuit, idem vates ſcripſit. De vno autem „ *Dan. 8.*
ex eis. Egreſſum eſt cornu vnum modicum, & factum eſt
grande contra Meridiem & contra Orientem, & contra
fortitudinem: & magnificatum eſt vſque ad fortitudinem
cæli, & deiecit de fortitudine & de ſtellis eius & concul-
cauit eas. Ex quo apertè colligitur initia & exordia impio-
rum eorum quos ſignificat figuratus Edom, ſemper exti-
tiſſe parua & ob eam cauſam eorum conuentum iure par-
uulum nominari. Præterea dicatur horum conuentum
hominum, quamuis ſpecie magnum & ſplendidum & flo
rentem opibus atque copijs, re tamen ipſa perexiguum,
eſſe atque contemnendum, itaque verè nominari poſſe:
contra atque accidit bonorum hominum atque piorum
conuentibus. Nam illi quidem ſecundum externam ſpe-
ciem deſpicabiles, & contemptu digni videntur, re tamen
ipſa & ſecundum interioris animi diuitias, quibus abun-
dant, magni omninò & admirandi ſunt. Quare ex ipſorũ
perſona in Canticis dicitur. Nigra ſum ſed formoſa filiæ „ *Can. 1.*
Hieruſalem, ſicut tabernacula Cedar, & ſicut pelles So-
lomonis. Et Paulus in poſteriori ad Corinthios de vniuer *2. ad Cor.*
ſis iuſtis ſcribit. Portamus theſaurum in vaſis fictilibus. *4.*
Quod idem tanquam in imagine expreſſum in illo ap-
paret, quod Deus fœderis tabernaculum ea præcepit vt
conficeretur ratione, vt quamuis res omninò maximas,
& pretioſiſsimas intra ſe contineret arcam Dei veſtitam

auro, propitiatorium item aureum, cherubinoſque etiã ex auro factos: tamen externè cõtegeretur ſagis è caprarũ pilis cõtextis. Itaque quod apparebat, quod obijciebatur oculis vile erat, & incultum: diuinum autem & cæleſte, quod includebatur intus. Sed & Iacob, quando domo paterna profugus in Meſopotamiã tendebat & nocte aliquãdo in ipſo itinere oppreſſus quieti ſe in cãpo dedit, illuſtre exemplum eſt huius, quod dicimus. Nam profectò ſiquis illum ſic cubantem aſpexiſſet externè quidem nihil præter iuuenem vidiſſet extorrem atque inopem nullo comitatu, vno armatum baculo, fuſum humi, ſub dio carpentẽ ſomnos, pro puluinari habentẽ capiti ſuppoſitũ prædurũ lapidẽ: at ille ipſe quamuis ſpecie deſertus atque inops, qualis & quantus erat interius? hauriebat enim animo ex Deo cæleſtes imagines, numine replebatur diuino, ſenſibuſq; conſopitis corporis mente cęlũ, ac cæli ciues contemplabatur: videbat enim ſcalam ad cælum vſque pertingentẽ, & qua cælum parte ſcala attingebat apertũ cælum ipſum, ac lumine diuino circunfuſum hiatum, ex eoque egreſſos angelos gradus ſcalæ prementes: ijſque in terram deſcendentes, rurſuſque aſcendentes à terra, vſque ad ſcalæ caput, quo in capite hærere Deus videbatur ipſi. Tales certè iuſti ſunt, magni interiùs, atque admirabiles, exteriùs verò humiles & abiecti, ac vix vllo pretio digni. Contra improbi ſpecie tenus magni: re, & veritate viles, & contemnendi. Itaque de vno illorum dicitur in Apocalypſi. Dicis quia diues ſum & locupletatus & nullius egeo, & neſcis quia tu es miſer & miſerabilis, & pauper & cæcus & nudus. Nec aliò ſpectat illud Pſalmi. Vidi impium ſuperexaltatum & eleuatum ſicut cedros libani, nam hæc ad ſpeciem externam pertinent, interius autem quomodo? & tranſiui, inquit, & ecce non erat, nec inuentus eſt locus eius: quo nõ ſolum id ſignificat fœlicitatẽ ipſorum

Apo. 3. „
„
„
Pſal. 36. „
„
„

rum tandem in nihilum redigendam eſſe, ſed innuit etiam ne ipſo quidem tempore quo florere videtur eſſe ipſam aliquid, aut alicuius momenti. Itaque Solomon in Prouerbijs, impudicam illã quam inducit mulierẽ, quæ improbę cupiditatis perſonã ſuſtinet, ita deſcribit, vt ſub ſpecie blãda & venuſta, teterrima occultet mala. Fauus, inquit, ſtillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius, nouiſſima illi⁹ amara vt abſynthiũ. Et in Apocalypſi, illa meretrix, quæ in beſtia coccinea inſidere dicitur, quæq; cõuentum omniũ impiorũ ſignificat, quod ad externã ſpeciẽ attinet, regio veſtitu, magnificè ornata, poculũ aureũ manu tenere ſcribitur: ſed vt intelligeretur, quid ſub illo ſplendore lateret, id poculũ plenum fuiſſe cõmemoratur felle, diritate abominatione & immunditia. Quod idẽ, & in illa ſtatua, quã per quietẽ Nabuchdonoſor rex Chaldęorũ vidit, mirificè expreſſum eſt. Nã primũ certè cõſtat omnẽ vim tyrãnidis, omnẽque in alios dominãdi cupiditatẽ, & quidquid ſuperbum, & inſolens atq; per vim ſeſe alijs imponens vſquã fuit, ea omninò ſtatua ſignificatũ eſſe atq; prædictũ, ergo ea cũ ſupernè aurea fuerit, tãdem in teſtã deſiuiſſe dicitur. Quod illis vt accidat multis de cauſis eſt neceſſe. Nã improbi qui ſunt, primò carẽt gratia & charitate Dei, quę sũt veræ animorũ diuitiæ, quò fit, vt ſint egentiſsimi. Deinde ſuis cupiditatib⁹ tãquã mãcipia viliſsima ſeruiũt, animũq; cuius erat dominatũ in alios exercere ſẽſib⁹ ſubijciũt, quo abiectius eſt nihil. Poſtremò tales euadũt, qualia ea ſunt ad quæ ſtudia ſua, & amorẽ adiũgunt: eorum autẽ quibus improbi ſtudent & quæ pro ſummis bonis ducũt, ea natura eſt, vt in fronte prẽniteant, in receſſu nihil pretio dignũ habeant. Itaq; & ipſi eorũ cultores foris quidẽ magni videntur eſſe, intus verò omni bono ſunt vacui. De quo perelegãter Dauid. Os habẽt, & nõloquẽtur: oculos habẽt, & nõ videbunt, id eſt, ea quæ pro Dijs perditi homines colunt *Prouer. 5.* *Apoc. 17.* *Pſal. 113.*

quamuis viuere, atque vigere videantur, re vera inanima ac sensus expertia sunt, hoc est, quamuis magna appareãt, nihil veri, aut boni in se continent. Ex quo id existit, vt similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis, id est, sequitur, vt qui ea colunt, eorum item naturam, & imaginem induant, sintque longè alij ab eo, quod hominibus videntur esse, ex quo stulti omnes, id est, flagitiosi vniuersi ab Stoicis meritò nominantur serui, quãuis sint Reges. Et de illis, qui dùm suis cupiditatibus obsequuntur, vitæ discrimina sæpe subeunt, verè dixit Poeta, ò toties serui: sacræ sine dubio literæ qui aut idola colunt, aut vitijs & cupiditatibus seruiunt, & se flagitijs contaminant, eos pro nihilo ducunt: nominibusque notant, quæ nihil ipsis vilius esse posse significent.

Deut. 32. Qua de re Moyses in cantico dicit. Ipsi me prouocauerunt in eo, qui non erat Deus, & irritauerunt me in vanitatibus suis: & ego prouocabo eos in eo, qui non est populus, & in gente stulta irritabo illos. Quo loco populum gentium tametsi potentia & externis copijs atque splẽdore præstantem, tamen quòd veram religionẽ non coleret, quòdq́, illius hostis esset, non populum & gentem stultã vocat. Et Christus in Luca in parabola de ijs, qui inuitati

Luc. 14. sunt ad cõuiuiũ, populos gentiũ ob eãdẽ causam cæcos & claudos appellat. Ite, inquit, cito in plateas & vicos ciuitatis & pauperes, ac debiles, cæcos, & claudos introducite huc. Sic enim, quamuis ipsi sibi magni viderentur, nominauit gẽtiles, & idolorũ cultores eos, quos repudiatis Iudęis admissurus erat ad fidẽ. E quib⁹ omnibus liquet verè Abdiã in hoc exordio vaticinationis suæ de Edone, id est, de impiorũ cõuentu cõuerso ad eos sermone, dixisse. *Ecce paruulũ dedi te in gentibus, cõtẽptibilis tu es valde.* Sed addit, *superbia tua extulit te habitantem in scissuris petrarum*, id est, quãuis paruulus sis, & despici dignus, tamẽ superbè de te sẽtis:

Itaque

Itaque vt ostenderet quanta esset Idumæorum elatio atque superbia, prius posuit, quam nullam superbiendi causam haberent. Nam is demum eximiè superbus est, nõ qui ab ijs bonis, quæ in se habet, ad id inducitur, vt plus iusto abroget sibi, sed qui vilitatis suæ optimè sibi conscius, nõ solũ se modestè nõ gerit, sed etiam quò magis à natura, à fortuna, à veritate deprimitur, eò se erigit ipse magis. Itaq; quod præcesserit, *Ecce paruulum dedi te*, id pertinet ad amplificandum quod sequitur. *Superbia cordis tui extulit te*, quasi ita dixisset. Quãuis ego deieci te, atque depressi elationis tuæ optimè conscius, tamẽ superauit illa conatus meos, nullumque tantum fuit pondus, ipsam quod posset deprimere: itaque suprà stetit, seque in altum efferẽs, te secum vnà vanissimè extulit. Sed pro extulit Chaldaica sic habet paraphrasis, impietas cordis tui seduxit te: & certè verbũ, quod pro eo in Hebræo est, paruo punctorum discrimine, & efferre significat, & seducere: & Idumæi à superbia profecti in impietatem inciderunt, vt statim dicemus, quod sequutus est Paraphrastes. Nam aduerti profectò debet, quòd Abdias superbos fuisse Idumæos dicat, quodque illorum animi elationem coarguat, non eò dicere vt significet propriè ob eã causam, id est, ob eam animi elationẽ à Deo delẽdos esse: culpam enim ob quam propriè Deus Idumęos deleuit, infra exponit, qua dicit, propter interfectionem, & propter iniquitatem in fratrem tuum Iacob, operiet te confusio, sed cum illi ob id scelus in suos gentiles admissum extremo supplicio digni essent, idque Deus palàm testaretur futurum, vt ob eam causam acerbas pœnas darent: cumque se tueri ipsi ac defendere viribus non possent suis, quòd nec numero, nec copijs præstarent: tamen vsque eò superbiebant, vt nec metus Dei, nec suarũ imbecillitas rerum, nec verò mens conscia sibi sceleris in fratrem admissi, timorem illis incuteret, aut futurum per

 suaderet,

suaderet, eos vt alij armis superarent. Idque Abdias significat dicens. *Superbia cordis tui extulit te.* non tàm docens propter superbiam illos delendos esse, quàm significans à superbia fieri, vt ipsi arbitrarentur ac sibi persuaderent, qui ipsos delere posset esse neminem: tametsi imbecillita tẽ suarũ virtũ non ignorarẽt, & Dei voces minarũ plenas audirent, & sceleris admissi conscientia ipsos argueret. Itaque ex superbia extitit in illis contumacia & contemptus minarũ Dei, & ex contemptu impietas, vt delendos se non crederent, quamuis id Deus prædiceret futurũ esse. Quod si aliquis roget quî fieri potuerit, vt qui tot modis admonerentur, vt metuentes rebus suis modestè se ac demissè gererent, tã superbi euasissent: is sciat quosdam dixisse ipsos bellis aliquando compulsos suas reliquisse sedes, & ad alienas demigrasse, posteà verò earum gentiũ, ad quas demigrarant imperium obtinuisse, & in eos dominatos esse: & ea re elatos contempsisse minas Dei. Sed hæc sentẽtia nec vera per se est, nullo certe idoneo aut argumento, aut testimonio probatur, & ab huius loci sententia est prorsus aliena. Nam, vt mihi videtur, Abdias apertè explicat, quæ res Idumæos extulerit dicens. *Habitantem in scissuris petrarum.* Nam quoniam Idumæorum regio montibus frequentabatur, habitabantq; ipsi ardua eorum mõtium, & prærupta loca, ad quæ loca hosti accessus nô patebat, idcircò loci fiducia contẽnebant diuinorũ vatum de futura ipsorũ clade prædictiones & minas. Ergo superbia cordis extulit Idumæum habitantem in scissuris petrarum, ideſt extulit eum, eo quòd ardua incoleret loca & quæ difficilem accessum haberent. Quod, quæ sequuntur, adhuc magis declarant. Sequitur enim. *Exaltantem solium tuum.* Nam id ad verbum Hebraicè. *Præ celsitudine solij tui.* Quasi dicat Abdias: in superbiam elatus es, ò Edom idcircò quia sedem tuam habeas sitam in edito loco, nam

eo

eo fretus eos, qui de tuo futuro interitu vaticinantur, irrides, censes enim fieri non posse, non solum vt quis te à tuis munitionibus detrahat, sed vt ad eas te inuito quisquam accedat. Quare sequitur. *Qui dicis in corde tuo quis detrahet me in terram?* ideſt, quis me deturbet è locis editis & munitis quæ teneo? nam hoc errore persuasus Edom, minas negligebat Dei, ac securus degebat: in hunc autem errorem incidit inductus à superbia sua, superbiebat vero, cum alioqui contemptu valde dignus esset, partim propter vrbiũ, quas obtinebat, munitionẽ: partim quòd natura superbus esset, ac sibi plus iusto arrogaret: idque illa. *Propter superbiam cordis tui,* satis apertè indicarunt. Nam sine dubio quòd superbus quis sit, id non tam ab externa causa efficitur, quam ab ipsius cordis vitio manat. Nam tametsi nonnulla sint, quæ sollicitare inani æstimatione sui nostrum animum possunt, & elatiorem ipsum efficere, quales diuitiæ sunt, & copiæ, & secunda fortuna, tamen ea omnia imbecilla sunt, & infirma ad efferendum ipsum, quando ipse sua sponte ad superbiam propensus non est. Omnibus enim, qui modo aduertere animum velint, notum omninò est, nihil esse in his bonis efferre quod hominis possit animum, nisi ipse per se animus vacuus bono sit, & ob id leuis, & inanis, & ad se efferendum facilis. Itaque superbiæ malum potissimum è cordis vitio manat, quod vitium ipsi cordi innatum est & insertũ, certè ductum atq; contractum fuit, ipsique adhæsit ex primo illo peccandi initio, quod ab hominibus est factũ quãdo peccauimus in Adã, in quo continebamur inclusi omnes: tumor enim quidam vitiosus ipsi tunc additus est elatio superba, ex quo redditus est sui amans, & turpiter tumens, sibiq; omnia arrogare cupiens. Itaq; nascitur statim atque quis in lucem editus est, corruptus iis vitiis. Nam à

tumore

tumore quodam, & ab immodico excellentiæ appetitu, id primum peccatum exordium sumpsit. Nam excellentiæ diuinæ consequendæ cupiditate, atque spe primi generis humani parentes ad peccādum inducti sunt, quod illis pollicitus fuerat serpens, vt in Genesi scribitur, similitudi-
Gene.2. nē Dei adepturos ipsos cum insigni cognitione, atq; sciētia, itaq; primò cor hominis superbia tumuit, ex quo deinceps cæteris malis, atque vitijs peruium factum est. Nam quēadmodum cum ad sanitatem & ad animi iustitiam aliquis restituitur, primùm ipsa iustitia in animum ingressa hominis, ipsum exiguitatis suæ admonet ac modestum reddit, & exinde reliquis virtutibus ornat, quæ tanquam è fonte oriuntur ex illa honesta affectione animi: sic quando primò peccatur elatione quadam cor inficitur, vtpote quod sui iuris esse cupiat, nec subijci diuinis legibus velit, corde autē sic affecto reliqua deinceps omnia in ipso pullulant vitia. Nam, vt scriptū est in Matthęo. De corde exeunt cogitationes prauæ, interius enim inflatus hominis animus, id est, animus corruptus immodico amore sui, statim extra se totus effunditur studio captandi terrena hæc, & externè prænitentia bona, quibus superbia vitæ constat: qua in effusione & ad externa ista bona adsequenda nixu, atque conatu nullum vitium non con-
Eccle.10. trahit. Qua de re Sapiens figuratè & pereleganter scripsit. Cor sapiētis esse in dextera eius, cor autem stultorum in eorum siniſtra quod stulti, id est praui, atque impii (nā sacræ literæ stultitiæ nomen nisi in prauitate & iniustitia & impietate non ponunt, is enim propriè stultus est, qui quæ vna maximè res ad ipsius curationē pertinet, eius cō sequendæ rationem aut ignorat, aut negligit) Igitur impii quoniam vitioſè tument in hæc externa se proiiciunt bona specie tenus magna, & ob id tumidis & inflatis animis, quorum vnum studium est admirationes sui in alios efficere,

efficere conuenientia atque apta, & ob eandem causam siniſtra, vt sic loquar, bona, certè siniſtrę vocabulo in sacris significari solita literis, vt Augustinus scribit. Et quoniam quasi hęreditario quodam iure à primo Adam tumorem, atque elationem animi ducimus, idcircò Adam secundus, qui eo ad nos venit, vt mala quibus humanum genus infecit ille, deleret: ipse in Matthæo nos adhortatur his verbis. Discite, inquit à me, quia mitis sum & humilis corde. Et inter eas res, quas qui fecerit aut adeptus fuerit, beatus futurus est, vt Christus pronūtiat, prima omniū est cordis humilitas, quod ea sit tanquā fundamentū reliquorū bonorum. Beati, inquit, pauperes spiritu, paupertas autem spiritus, vt Augu. vere tradit, humilitas cordis est. Ergo Idumæi quòd eorum esset inane cor, superbia affecti sunt: superbia autem in ipsorum animis dominatum tenens, illos securos reddidit: nam è superbia securitas, statim oritur, qui enim sibi omnia tribuit, quiq; de se magnificè sentit, omnem humilem cogitationem reijciens neminem talem ac tantum esse, sibi qui nocere possit existimat. Quod non ineleganti similitudine ab Ecclesiastico exprimitur, qua dicit. Sicut perdix adducitur in caueam, & sicut caprea in laqueum, sic & cor superborum. Perdix enim atq; caprea dum nihil sibi metuunt, laqueos induunt, & quando maximè se securè agere putant, tunc in exitium se præcipitant: sic & superbi ab ipsa superbia dementes redditi, quoniam animum non inducunt se vt cogitent vlli mortalium inferiores esse, vel quando maxima ipsorum cerui-
Eccleſiaſ. cibus mala impendent, tunc maximè securi sunt: cuius securitatis à superbia profectæ testes sunt istæ voces. *Et dixisti in corde tuo, quis detrahet me in terram?* id est, talis cum sim, qualis mihi esse videor ex omni parte munitus, quis mihi quæso noceat, aut de eo dignitatis, quem teneo, gradu dejciat? Sed hæc de Edom propriè dicto.

De

De figurato autem & metaphorico quærat aliquis, quæ nam sint istæ scissuræ petrarum, istaq; loca edita & excelsa, in quibus quòd habitet superbus effectus aduersæ fortunę minas contēnat. Rupertus Abbas, scissuras petrarum, quibus figuratè Idumæi efferuntur, atque cōfidunt, intelligit esse maiorū stēmata, & imagines. Nam petræ nomē in arcanis literis ad maiores, à quibus genus quis ducit, signi-
Esai. 51. " ficandos sæpè transfertur, vt in Esai. illo. Attendite ad petrā
" vnde excisi estis. Statim enim Propheta declarat qua de petra loquatur, itaque ait. Attendite ad Abrahā patrem vestrum & ad Saram quæ peperit vos. Ducitur enim metaphora à lapicidinis, è quibus ducuntur lapides, vt è parentibus filii: quibus in lapicidinis nonnulli homines maximo iudicii errore seducti, constituunt totius veræ dignitatis atque splendoris sedē atque domicilium, vsque eò vt quòd à claris parentibus ortum ducant, ipsi omnibus vitiorum maculis cooperti, claros se esse & illustres putent: nec solùm confidunt turpitudinem suam iis in latebris maiorum abditam tegere, sed splendescere ex eo etiam velint, itaque tumeant, vt præ se cunctos despiciāt. Dionysius opiniones animi falsas, mentisque errores, scissuras petrarum figuratè dici arbitratur, quòd eis opinionibus atque erroribus superborum animus in varias partes diuidatur: distrahunt enim flagitiosorum mentes cupiditates variæ à falsis ipsorū opinionibus ortę atque ductæ.
Oseæ. " Nā de his est illud Oseæ. Diuisum est cor eorū. Qua ex diuisione ab errorū multitudine & diuersitate profecta nascitur, vt qui tales sunt se ignorēt, & ob id sibi ipsis ita placeāt, vt sibi male esse posse non credāt. Glossema, quod ordinariū vocāt, scissuris petræ significari dicit sensus ipsos corporis, in quibus mali habitant, omnis enim illorū ratio est cum corpore, cuius bonis qui præstant magnos se esse atque beatos putant. Verùm vt translationis ratio ex historiæ

riæ sentētia ducatur. & vt vtriusq; explanationis trāslatæ, & propriæ sensus inter se melius conueniant, ac sibi mutuò respondeant, rectius in ea quidem sententia dicetur, quoniam scissuræ petrarum literatè & sine metaphora, sunt ardua illa loca manu & natura munita, in quibus qui habitabant Idumæi, locorū magis difficultate quam vlla suarum virium fiducia sperabant se saluos futuros: ideò eas scissuras quando ad figuratum transferuntur Edō bona externa translatè significare. Nam figuratè Idumæi, id est, homines flagitiosi atque impii, nō virtute aliqua quæ in ipsis sit, sed istorum bonorum splendore atque specie, quibus circumfluunt, se efferunt, eisque quia fidunt nihil aduersi metuunt, vt apparet in illo, de quo apud Lucam fit mentio, qui quod eius fundus vberes fruges edidit, fati atque exitii, quod ipsi impēdebat securus, cū animo suo, ita loquutus dicitur. Anima mea multa bona habes re- " Luc. 12.
posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe & "
epulare. Et certè Regius Psaltes in Psalmo, impios pro- "
pter istas copias superbos effici docet. Nam cum exposuisset eorum hominum in summa rerum omnium affluentia, nunquam reflante fortuna tranquillam vitam, mox quid ex ea vita sequeretur adiecit dicens. Ideò tenuit illos superbia, cooperti sunt iniquitate " Psal. 72.
& impietate sua: & similiter in libro Sapientiæ, im- "
pii illi, quos in inferno loco positos Sapiens lamentantes inducit, quoniam ex copia istorum bonorum superbia nascitur, vtrumque coniungunt dicentes. Quid profuit nobis superbia? & diuitiarum ia- " Sap. 5.
ctantia, quid profuit nobis? & Ezechiel vates eodem modo, peccata Sodomorum exponens, superbiam coniungit cum istorum bonorum affluentia atque copia. Ezec. 16.
Nam inquit. Peccatum Sodomorum superbia, satu- "
ritas panis, & abundantia. Et apertissimè simul atque aptis-

aptissimè D.Ioan. externa ista bona eò quod superbiam alant, superbiam ipsa appellauit in hunc modum scribens.

Ioan. Omne quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ. Ex quo rursus intelligi potest, vitium superbiæ quam sit absurdum vitium, quamque ab hominum natura rationeq; alienum. Nam superbire est, quòd excellere quis putet, præferre cæteris, bona autem ista à quibus superbia fouetur, & gignitur extra eos ipsos sunt, qui de illis superbiunt: nec solùm illos bonos non reddunt, sed sæpè prauos efficiunt: nec modo non sunt in ipsis, sed neque penes ipsos sæpe manent, sunt enim nõ in ipsorũ manu & potestate posita ista bona, sed in arbitrio fortunæ constituta. Est autem perabsurdum, qui nullius pretij ipse in se sit, quique nulla virtute excellat, nullis animi, id est, nullis suis atque proprijs ornamentis abundet, se magnum ducere ac cæteris præferri velle, quòd ea bona habeat, quæ nemo certè quamuis ea domi recondita, & seris conclusa & omni custodia asseruata diligentissimè habeat, polliceri sibi certè possit se diutius habiturum. Homo porrò ipse natura infimus est & imbecillis. Itaque nullum vitium est, quod magis quam superbia, cum eius natura, atque ratione pugnet. Qua de re verè Sapiens scripsit. Non est creata natu-

Eccle.10. ræ hominum superbia, nec iracundia nationi mulierum. Quibus verbis id dicit non conuenire vt qui homo sit superbus existat: elationis enim vitium cum hominis natura nullo modo quadrare. Quod dum affirmat, cõfirmat, & ijs ipsis verbis, quibus id asserit, verum esse docet ducto argumento ex antithesi ea quæ subest sine dubio in his verbis. Nãin superbiæ vocabulo, in Hebraico certe, גבהות, celsitudinis significatio quædam inest, & in hominis voce, hoc est ãn Adam fragile quidam & humile & terrenum significatur. Quî autem conueniat, vt qui humilis sit & fragilis,

gilis, pro excelso atque magno gerat se, & vt ambiat superiorem locum, qui non solùm in terra iaceat, sed è terra atque luto constet. & similiter in eo quod sequitur. & iracundia nationi mulierũ idem prope affirmatur, ex eodem loco ducto argumento. Nationem enim mulierum appellat ortos è mulieribus homines: mulieris porrò vocabulum in sacris literis, pro mulierum ingenio atque natura, quod est debile ac molle significat: malè autem cohæret iracundia atque elatio cum summa fragilitate, & mollitudine. Quod si hominem natura ipsa ad modestiam finxit & ad submissionẽ inuitat, ijs efferri ipsum rebus, quæ extra naturam ipsius sunt, quęq; ipsius esse nullo modo possunt, quis nõ videt quã sit turpe & absurdũ? Illud certè necesse est, qui in his bonis confidunt, quiq; se quod ea possi deãt bona, nõ solùm magnos putãt, sed ab omni aduersæ fortunæ incursu liberos futuros credunt, eos vt aliquãdo sua fallat atque eludat spes. Quare iure ad omnis generis Idumæos Abdias. *Si exaltatus fueris vt aquila, & si inter sidera posueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus.* Quoniam fidentiores erant redditi Idumæi, quòd loca obtinerent ardua, & accessu difficilia, quoniamq; ea fiducia contemnebant interminationes Dei: Ideò rectè vates dicit illa loca, quamuis ardua & munita ipsis præsidio non futura: nec solùm illa nullum præsidium allatura ipsis dicit, sed & affirmat, ne si munitiora & excelsiora essent, salutaria futura. Quoniam nulla res est: nec tàm remota, vt ad eam potestas summa Dei non pertineat: nec tàm ardua, vt ad eam non ascendat: nec tàm difficilis, vt eam non facillimè efficiat, sicut scriptum est. Quò ibo à spiritu tuo? & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo: & habitauero in extremis maris. Et Iob in vigesimo. Si ascenderit vsque ad cælum superbia eius,

Psal.138.

Iob.20.

" &caput eius nubes tetigerit, quasi sterquillinium in fine
Esai.23. " perdetur. Et Esai. in 23 Dñs exercituũ cogitauit hoc, vt de-
" traheret omnẽ superbiã glorię &ad ignominiã deduceret
" omnes inclytos terræ. Itaq; Deus, cũ in omnes qui peccãt
animaduertit, tùm præcipuè vires suas exerit in superbos,
Iacob.4." quia vt Iacobus scripsit. Deus superbis resistit, ad quod ar-
gumentum & ista pertinent. *Si exaltatus fueris vt aquila, inde detraham te.* Id autem est, quò superbior ipse fueris, & quò magistuarũ rerum fiducia te extuleris, eò certior tibi à me interitus aderit Nam in superbos præcipuo odio feror.

Si exaltatus fueris vt aquila, inde detraham te. Quã ritè pœnã admensus est culpę, detrahã, inquit te, non autem aut morbo, aut egestate conficiam. Nam detrahere, est deturbare, ac præcipitẽ dare è sublimi loco. Itaq; elationi deiectionẽ & præcipitium opposuit. Nam morbi nisi cõtrarijs medicamentis depelli rectè nõ possunt. Deus certè in puniẽdo eam perpetuò rationẽ seruat, vt contraria adhibeat contrarijs. Sic dives ille epulo, in Luca, quòd crapula deliquis-
Luc. 16. set, siti cruciatur. Quòd inhumanè Lazari inopię misertus
non esset, frustrà eius opẽ implorat. Sic apud Danielẽ Na-
Dani.4. buchdonosorus Chaldæorũ rex quòd suis viribus tribuis-
set, quòd in vniuersis dominaretur hominibus, hominis speciẽ exutus, & pro fera habit⁹ inter feras versatus est. Sic
Gen.3. etiã Adã quòd cupiditate scientiæ consequẽdę peccasset,
vsq; eò ignarus effectus est, suam vt nuditatẽ arbitraretur aduersus cæli iniurias arborum foliis posse tegi. Sic & illi, qui turrim in campo Senaar ædificare conati sunt: de quibus memoratur in Genesi, quod vno animo omnes con-
Gen. spirarunt aduersus Deum, dissensionis inter se mutuę atq;
diśidii pœna affecti sunt consentanea. Quod & in Edõ, vt apparet seruatur. Denuntiatur enim illi, quoniã se ipse supra modum, & quasi si essent aquila in altum extulerat, futurũ, vt è sublimi loco ad infimũ deuoluatur, quod ipsum mirè Hebræa exprimunt, verbum si pro verbo reddatur, hoc

hoc modo: *Si te ascendere feceris sicut aquila, & inter sidera posueris nidum tuum, inde ego descendere te faciam.*

Sed quomodo, quæret aliquis, inter sidera colloceet Edõ sedem suam, vt inde sit detrahẽdus in terrã. Primum dico, id dici ὑπερβολικῶς non quòd futurũ sit, aut quòd fieri omninò possit, sed vt intelligatur ne si fieret, eo satis Idumæos cauisse saluti suæ. Deindè hęc ideò sic dicũtur, quò magis demõstretur, & humanæ mẽtis elatio, & diuinæ potẽtię facultas atq; vis. Deus enim vel eos qui volatu aquilã superant, quique altiùs subuehuntur, nubilaque transcendunt, cælumque, atque sidera contingunt vertice, de cælo detrahet, & præcipitabit, atque in terram allidet arbitratu suo. Homines autem elati atque superbi etiam æthereis audent se inferre sedibus, nam vt verè Lyricus.

Nihil mortalibus arduum est,
Cælum ipsum petimus stultitia.

Nihil arduũ est, pro fiducia videlicet sui & superba opinione viriũ suarũ. Quod ipsum ex arrogantia hominibus insi tũ studiũ eò contendendi, quò peruenire non possunt, expressit Deus in Genesi dicẽs. Ecce vnus est populus, cœpe Gen.11.
runtq; hoc facere, neq; desistent à cogitationibus suis, donec eas opere cõpleant. Deniq; aquilę, atq; siderum, ideśt, rerum altissimarũ & loco maximè tuto positarũ mentionem idcircò fecit hoc loco, in quo Idumæorum futuram cladẽ prædicit, vt intelligeremus quando quis euectus est ad altissimũ dignitatis gradũ, quando q; aut vnius populi, aut gẽtis vniuersæ respublica ad summum fœlicitatis peruenit, relabi continuò ipsam, & referri retro, ac propriorem ruinæ esse. *Si inter sidera posueris nidum tuũ inde detraham te.* id est, quando premere altissimum gradũ cœperis, tunc præcipitẽ in interitũ dabo. Nam vt corpora quando habitiora sunt, facilius in morbũ incidunt: sic humanę sortis fœlicitas vbi nimiũ creuit, de repẽte deficere solet, quod » Psal.36.
& Dauid indicat dicens. Vidi impium superexaltatum,

» & eleuatum ſicut cedros Libani, & tranſiui, & ecce non
» erat & non eſt inuentus locus eius: & Eliphaz apud Iobū.
Iob. 5. » Ego vidi ſtultum firma radice, id eſt, in altum ſublatum, &
» ea potentia ſubnixum, vt non videretur caſurus: & male-
dixi pulchritudini eius ſtatim, id eſt, ſtatim atque illum ad
ſummum aſcendiſſe gradum vidi, intellexi non procul
ipſum ab interitu abeſſe, itaque futurum prædixi. Et ideo
è veſtigio, quaſi qui vaticinaretur futura, & non quaſi qui
» imprecaretur mala, ſubiungit. Longè fient filij eius à ſalu-
» te, & conterentur in porta, & non erit qui eruat. & cætera
quæ in eandem ſententiam ſequūtur. Sunt præterea non-
nulli, qui hæc de Aquila, & de ſede poſita inter ſidera ex-
plicant iſto modo. Romanos ab Idumæis genus ducere
pro certo Iudæos affirmare. Tradere enim eorū plurimos
AEneæ, non illo Phrygio, ſed Idumęo duce, in Latium ve
niētis, eam Italiæ occupaſſe orā, in qua Roma poſtea con-
dita fuit: Dicunt ergò Abdiam his verbis ſignificare velle,
non modo in Idumæa, quamuis locorum natura ſatis mu
nita, Idumæos prædæ & direptioni futuros hoſtibus ſuis,
ſed eo etiam tempore quando Romani nominati, cunctis
gentibus ſub iugum miſsis vniuerſo orbi imperare cœpe-
rint, fore, vt Deus ipſos à culmine imperij detractos ad ter
ram allidat, & in nihilum tandem redigat. Porrò quod
Aquilæ atque ſiderum mentionem fecit Abdias, eò ſatis
euinci eam vaticinationem ad Romanos pertinere: con-
ſtare enim Romanorum inſigne eſſe Aquilam: ipſoſque
nominis & imperij gloria ad cælum vſque peruenisſe: ita-
que Virgilium de ijs dicere in ſeptimo.

Qui ſanguine noſtrum nomen ad aſtra ferant.

Et alio in loco.

Imperium mundo, famam qui terminet aſtris?

Eſſe igitur ſic interpretanda iſta verba. Si exaltatus fueris
vt Aquila, & ſi inter ſidera poſueris nidū tuū, inde detrahā
te.

te. Id eſt, ò Edom, qui quòd præruptas incolis rupes, vſq;
cò Dei cōminationes nō times, vt quāuis neque numero
hominū valeas, neq; viribus præſtes, tamē ſperes te tutū
futurū: vt te tua ſpes fallit, vt te ipſe decipis: prædico enim
tibi, atq; certò cōfirmo non ſolū fore, vt inimici tui te pa-
trio in ſolo ſuperēt, qđ eſt factu facillimū, ſed etiā futurū,
vt quādo exaltatus fueris vt Aquila. i. vt quādo tuas Aqui-
las Romanus cognominatus vniuerſo intuleris mūdo, &
militaria ſigna tua victor per omnes circūtuleris terras,
imperiūq; orbis adeptus fueris, ad ſidera vſq;, & gloria, &
potētia, & fama rerū geſtarū ſublatus ijdē inimici tui, Deo
duce, te ex iſto potētiæ culmine detrahāt, & ad terrā alliſū
proterāt, atq; cōculcēt. Quod & magna ex parte idē eue-
niſſe cōſtat & dubitandū nō eſt, quin futurū omnino ſit, Dan. 7.
vt prædictū eſt fore, in Danie. & in Ioan. *Si exaltatus fueris* Apoc. 18.
vt Aquila, & ſi inter ſidera poſueris nidū tuū, inde detrahāte. Aqui
læ vocabulū pro aquilarū natura atq; ratione ad arcanas &
varias ſignificationes in ſacris literis trahitur. Nā primò ni
dulari aquilæ in altiſsimis & tutiſsimis locis ſolēt, ex quo
id nomē ſæpè trāsfertur ad eos ſignificādos homines, qui
& in ſublimi dignitatis gradu verſantur, & q̄ in eo verſen
tur, noceri ſibi poſſe nō putāt, vt in hoc loco, & in alio Iere. Iere. 49.
huic nō diſsimili. Ad hæc, quod etiā ex his intelligitur lite-
ris, aquilæ cū ſenuerūt plumas exuunt, ac plumeſcūt de in-
tegro, quare fortunæ in melius cōmutationē, & fœlicita-
tem poſt ærūnas, aquilæ nomē in his literis ſignificat, vt ex »
illo Pſalmi liquet, qua dicitur. Renouabitur vt aquilæ iuuē Pſal. 102.
tus tua. Præterea tribuitur aquilæ volatus velocitas, ex quo »
qđ magna celeritate vēturū prædicitur, id aquilę volat⁹ ſi »
militudine declarari ſolet, vt in Deutero. in cap. 27. Addu »
cet (inquit Moyſes) Dñs ſuper te gentē de lōginquo, & de Deut. 27.
extremis terræ in ſimilitudinē aquilæ volātis. Et Ierem. in Iere. 4.
quarto. Velociores aquilis equi illius. Itē non ſolū præſtāt

aquilæ velocitate volatus, sed se etiam volatu in sublime tollunt pręter aues cęteras,& nubium tractus superant:de

Iob.39. » quo in lib.Iob ita scribitur.Nunquid ad præceptum tuum volabit aquila? quo fit, vt ex ea ducatur similitudo ad eos homines notandos, qui se suprà cæteros mortales sustollunt,vel superbia animi, vel etiam rerum humanarū despectione atq; contēptu,ideſt, quod res humanas infrà se positas esse iudicēt,easq; contemnāt atq; despiciant,ad quod

Ezec.1. » pertinet Ezechi. allegoria illa. Facies aquilæ desuper eorū quatuor, vt eā interpretatur Grego.viri enim spirituales, & qui mēte cęlum obeūt, aquilæ significātur nominibus,

Esai.40. « quod & Esai.facit in illo. Qui sperāt in Domino mutabūt fortitudinē,assument pennas sicut aquilę,quod ijs scilicet pennis in altū sublati,ętherea atq; cęlestia loca petāt.Deinde sunt rapaces atq; voraces aquilę:quapropter sacræ literæ earū nomen transferunt ad eos significādos,qui rapina viuunt,& lucra vndecunq; captāt.vt in illo quod in libro

Prou.30. » Prouer.scribitur.Comedāt eum filij aquilæ,nā filios aquilæ Solomon nominat rapaces & lucri auidos homines, quales sunt prætoris cohors, tabelliones, viatores, aduocati,omnisq; huiusmodi forēsis turba. Nec est ab hac alie-

Deut.24. nū sententia,quod Moses in Deute.aquilarum carnes vescas esse noluit,esumq; earum suis interdixit : nam præterquam quod propriè in eo carnes aquilæ à cibo,& à sacrificio remouit, figuratè etiam docuit, vt neq; ipsi rapaces simus, neque Deo offeramus aut illi grata futura & accepta putemus,quæ quis per fraudē atq; rapinā quærit.Denique aquilis tribuitur principatus & imperiū in aues reliquas. Quare etiā transferri earum nomen solet ad imperium in alios, & ad regiam significandā potestatem. quomodo in

Ezec.17. Ezech.Rex Chaldęus,aquilę symbolo exprimitur,& apud eūdem AEgyptiorum etiā imperium notatur aquilæ nomine, & vt opinor,in Apocalyp. si appellationem aquilæ demus

demus accipi isto modo, inuolutæ & obscurissimæ significationis visio ea, quæ in. 12. refertur capite,rectè explicetur. *Apoc.12.* Refert enim Ioan. Sole circunfusam & vterū gerētem quandam mulierem à se visam masculū peperisse, tū Michaelem vt sibi videbatur,bellū intulisse draconi,quo in bello superatum atq; victum draconē,atq; è cælo deturbatum visum esse insidiari velle mulieri puerperæ, quare ei mulieri datas à Deo fuisse aquilæ duas alas, easq; permagnas, quibus sublata ipsa aduolare posset in locum suum. Nam certè in hac muliere allegoricè imago inest ecclesiæ, & eorum conuentus hominum,qui à primo iusto homine ad vsq; mundi finem iusti fuerunt futurive sunt : ea autem ecclesia ideo dicitur enixa esse masculum,quia ex ea,& in ea Christus editus est,homo inter homines, recturus inimicos suos in virga ferrea. Quod item de illo multò ante Dauid prædixerat in Psal. 2. Is sublatus est *Psal.2.* ad thronū Dei,& eo sublato statim cōmissum est inter angelos prælium.Nam statim atq; ascendit in cælum ipse, & cœptū est diuulgari euangeliū,bellum illatū draconi fuisse intelligitur. Deseri enim cœptus est cultus eius is,quē ei in idolis homines exhibebāt, & idolorū templa dirui cœpere,ipso tamē dracone aduersante,& multū contra nitente,quod sibi eripi doleret per tot sęcula ab hominib⁹ ipsi cultus exhibitus: Qua *Ecclesiaſ.* re cū ille pro se ageret,& dominatū quem inuaserat retinere omninò vellet, eaq; de causa odio inflāmaret aduersus exoriēs euangeliū Iudæos,cōtra autē Michael custos ecclesiæ,& illi repugnaret, & euāgelij subleuaret præcones, cohortū est inter ipsos,vt scribitur,bellum.Quo in bello superatus draco atq; victus ęp morte Christi effectū erat,nullū vt iā amplius ius haberet in homines, executioni mandatū est euāgelij negotiū,de cæloq; hoc est,de imperio,& de eo dominatu,quē retinere cupiebat,deturbatus est ad terrā.i.deuolutus ad magnas miserias,vilis fact⁹ est & ignobilis, & vsq; eo contēptioni omnium expositus,vt maledictis ipsum quiuis incessere, & pede proterere auderet.Itaq; eo superato euangeliū diuulgari cœpit,secūdo successu: quod ægerrimè ferēs draco,quod iu gentiumq; omniū animos cōmouit aduersus fideles, eorū vt abolere nomen cuncti cuperent, certè vt quā plurimos eorū extinguerent. Quo tēpore datæ sunt, vt scribitur,mulieri illi,

ideſt,Eccleſiæ aquilæ duæ alæ permagnæ,vt eis alis draconis vim deuitare poſſet, quia cõceſſum Eccleſiæ tunc fuit imperiũ terrenũ Cõſtãtino orbis Romani dño Chriſtianã religionẽ amplexo,ex quo deinceps quiſequuti ſunt Imperatores,atq; orbis Dñi,Chriſtũ omnes coluerũt:quo effectũ eſt,vt draco amplius nõ poſſet vi agere aduerſus Eccleſiã ijs munitã alis atq; præſidijs:quæ alæ ideò eſſe dicuntur aquilæ,quia aquila vt diximus imperiũ& præcipuè Romanũ ſignificat,quod imperiũ ad Eccleſiã peruenit,quando eius imperii rectores & adminiſtratores Eccleſiæ partes cœperũt eſſe.Sũt porrò alæ illæ geminæ,quia id imperiũ domicilia duo habuit Romæ & Bizãtio:quorũ vtrũq; quandiu Romani ſteterũt,obtinuerũt Chriſtiani reges.Ergò his ſublata alis fugit,vt dicitur,in deſertũ Eccleſia, quia eorũ principũ ſtudio atq; decretis ad Eccleſiæ fidẽ ſe cõtulerũt vniuerſæ gẽtes ante id tẽpus omni veræ religionis atque virtutis cultura vacuæ, & ob id deſerti & inculti agri appellationibus & ſimilitudinibus ſignificari ſolitæ in literis ſacris,vt apud Eſaiam in pluribus locis.Qua cũ explanatione atq; ſentẽtia optime quæ in eo Apocalypſis loco ſequuntur,cohærent,pertinẽt enim vniuerſa ad eas calamitates ſignificãdas,quas Dei permiſſu,Mahometanæ perfidiæ authore turpia docẽte, Turcis cuncta ferro vaſtantibus,Antichriſto in omnes debacchãte crudeliter, draco Eccleſiæ partim iã intulit partim eſt illaturus. Sed iã eò redeamus vnde digreſsi ſumus.Sequitur enim.

Eſai.41. 44.45.

Si fures introiſſent ad te,ſi latrones per noctẽ,quomodo cõticuiſſes? nõne furati eſſent ſufficiẽtia ſibi?Si vindemiatores introiſſent ad te, nunquid ſaltim racemum reliquiſſent tibi?Quomodo ſcrutati ſunt Eſau inueſtigauerunt abſcondita eius?

Dixerat Idumæos quãuis ad ſummum orbis imperiũ euectos & inter ſidera collocatos,tandem ſuperãdos aliquãdo eſſe.Et ab eo dignitatis culmine deiiciendos: nũc ex-

exponit atque prædicit,quæ eius deiectionis atque ruinæ ratio, quique ſit futurus modus. Nam victores victis hactenus interdum parcunt, vt libertate tantum ſpoliantes eos, de cætero permittant illis res ſuas vt habeant, interdum ne id illis relinquũt,ſed facultatibus mulctãt & captiuos eos ducunt,ac ſeruitutem ſeruire cogunt:interdum vero longius furore progreſsi, vita ipſa priuant eos & occiſione occidunt,ac penitus eorum gentem atque nomẽ excindunt.Ergo quoniam prædixerat in poteſtatem hoſtium Idumęos venturos,ne in hoſtium clementia aliqua ſpei latebra ipſis relinqueretur, addit nunc,qua quis peſsima conditione,atque miſerrima victus eſſe poteſt, ea ipſos apud victores futuros, hoc eſt,mortem ad vnum omnes ſubituros miſeram & acerbam, memoria nominis atque gentis ipſorum penitus extincta atque deleta. Idque vt declaret duas adhibet ſimilitudines à contrario collatas,vnam ab ijs ductam,qui in aliorum domos noctu inuadunt vt eas expilent:alteram ab ijs qui vindemiæ tempore botros vuarum legunt. Nam nocturni fures,& ædium expilatores,non ſemper diripiunt vniuerſa quæ domi recondita ſunt,ſed quędam furantur, quędam intacta dominis relinquunt. At erga te inquit,ò Edom, non iſto modo ſe gerẽt hoſtes tui,& furibus nocentiores erũt,& ijs, qui vindemiam exercent,magis auari,ne vnum quidem botrum tibi relinquent, nullius vitæ parcent, cuncta vaſtabunt, & excindent. Quod idem euenturum ipſis aperta magis & perſpicua ratione vaticinatus eſt Malachias,ſic dicens, Quod ſi dixerit Idumæa,deſtructi ſumus, ſed reuertentes ædificabimus quæ deſtructa ſunt, hæc dicit Dominus exercituum,iſti ædificabunt,& ego deſtruam, & vocabuntur termini impietatis, & populus cui iratus eſt Dominus vſque in æternum. *Si fures* ergo inquit *introiſſent ad te, ſi latrones per noctem,quomodo conticuiſſes?* id eſt,grandem iniuriam

Malac.1.

iuriam tibi factam putasses & voce atque clamoribus testatus esses dolorem tuum, fures si domum tuam noctu compilassent, subticetur autē collatio & redditio similitudinis, & ea legentibus subijcienda relinquitur isto modo, nimirum, at nūc securè agis neque clamorem vllum edis, aut saltem metu contraheris inuadendus ab hoste, qui te multò sæuiùs atque crudelius malis afficiet quam quisquam expilator aut fur. *Nonne* (inquit) *furati essent sufficientia sibi?* id est, si in tuam irrupissent latrones domum, certè furati essent, non cūcta, sed ea quibus egerent ipsi surripuissent, clamasses tamen ipse ac vociferatus esses; at isti quos minimè ipse metuis hostes tui, & à quibus tibi vt caueas animum non potes inducere, vita te spoliabunt atque fortunis omnibus. *& si vindemiatores introissent ad te, nunquid saltim racemum reliquissent tibi?* Id est, certè reliquissent pro illorum more & officio: at hi hostes ne vuæ acinum relinquēt. Itaque Abdias imagine ista miseri & calamitosi Idumæorum interitus, quā cum ista diceret animo hauriebat commotus, & quasi stupefactus acerbitate spectaculi non sine humanitatis sensu quodā ab Idumæis, ad quos loquebatur, ad rem ipsam orationem conuertens exclamat, & quò vehementior oratio esset, adhibet interrogationē & dicit. *Quomodo scrutati sunt, inuestigauerūt abscōdita eius?* Quasi pluribus ita. At te Esau quomodo scrutati sunt? id est, quomodo scrutaturi sunt, præteritum pro futuro more prophetico. Quomodo ergo te scrutaturi sunt hostes tui scilicet? quomodo inuestigaturi abscondita tua: nū fortasse eo modo, quo vindemiatores aut fures? minimè istuc quidem, inquit, sed longè diuersa ratione, nihil imperuestigatum, nihil intactum, nihil non quàm pessimè potest, affectum relinquent. Abscondita autem, quæ dicit, pro latibulis accipienda sunt, vt ex Hebraica voce, quæ hoc loco ponitur conficitur: latibula porrò vocat penetralia & maximè

ximè interiores recessus, in quos qui ad necem quærūtur occultandi sui causa se conijcere solent, quæ latibula ad vnum omnia hostis, vt scribitur, scrutaturus erat, vt intelligatur ex eo simul, & ipsius hostis immani accensa odio summa diligentia, & Idumæorum misera sors, quibus ne in vili & abstruso loco latere licuerit. Ex quo rursus confi citur, prædici futurum, vt Idumæi ad vnum omnes intereant. Atque hac ratione videntur mihi ista verba exponi posse simplicissime ac proinde verisimè: quāquā video alios alias sequi rationes, quas nunc minimè referam. nec enim necesse est, sua cuiq; vt libet, ratio probetur, tantum hoc addam, illud. *Quomodo conticuisses.* exponi posse aliter nō incōmodè. Nā pro latino cōstituisses דמיתה, quod in Hebræo est, pro ratione punctorū videtur ductum, non à דמם verbo quod tacere significat, sed à דמה, quod pro assimilari sæpius poni solet; Itaque nonnulli sic vertūt hoc loco. *Quomodo assimilatus esses.* eo videlicet sensu, vt vates Edonē roget, quomodo se affici crederet à furibus ijs, qui illi inuolassent res suas, nū vsque eò sæuos ac rapaces existimaret vllos futuros fures, ipsum vt omnino nudarent rebus suis? Sed certe vtrūq; verbū poni interdū pro deficere atq; extingui notius est ijs qui Hebraicè norunt, quā vt nobis pluribus sit cōprobādū. Quare D. Hieronymus vtrouis modo legerit, rectè, & pro cōsuetudine sacri sermonis figuratè, cōticuisses, pro defecisses cōuertit. Nā tacere in sacris literis atq; silere, & ea quę extincta sunt, sileāt, pro extingui sępè ponūtur, & pro deficere, quod probēt multis exēplis Iob Nūc dormiens silerē, id est, extinctus quiete fruerer. Ieremias Dñs Deus noster silere nos fecit, ideſt, tenet nos oppressos grauicalamitate. Idēq; rursus. Ergo silēs contices, sequeturq; te gladius, ideſt, deficies & ferro perēptus icebis. Amos. Et stridebūt cardines tēpliin die illa, dicit Dñs Deus, multi moriētur & in omni loco proijcietur silētiū. In

Iob 3.
Ier. 8.
Ier. 48.
Amo. 8.

Psal-

Psal 95. Psalmo nonagesimoquinto. Nisi quia Dominus adiuuit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea. Nam Hebraicè, pro, in inferno, est in silentio, quoniam sileret, hoc est, extinctus, vt scribit, esset, ipsi nisi Dominus auxilio fuisset Igitur & in hoc loco conticescere pro deficere, pro que extingui positum videri debet vsitato scripturarum more: eò que dato, mirificè constabit suus sensus Prophetæ. Dicit enim. *Si fures introissent ad te, si latrones per noctem, quo modo conticuisses?* id est. Nùm conticuisses? hoc est defecisses ne id circo? aut excissus penitus & extinctus esses? minime istuc, inquit, & rationem eius statim subijcit, dicens. *Nonne furati essent sufficientia sibi?* Quasi dicat, & sentiat futurum, vt, quamuis eum spoliarent latrones non tamen interficerent, aut vsque eò nudarent rebus suis, nihil vt reliqui facerent: scíret tamen fures, quam hostes humanius acturos cum ipso: illos relicturos ipsi plura, hosne vitæ parcituros ipsius. Porrò vtrouis modo ista interpretemur verba: constat eis verbis vtrocumque modo interpretatis postremã prædici Idumæorum cladẽ. At in vtros Idumæos ista cõferenda sint quærat aliquis, in eos ne qui propriè Idumæi nominantur, an in eos potiùs qui figuratè dicuntur esse? Qui docẽt has vaticinationes ad ea spectare tempora, quãdo, vt ipsi dicunt, Babylonij post Hierosolymas euersas, amore in odium cõuerso, bello persequuti sunt Idumæos, ij non habent quomodo in Idumæos propriè dictos ista, quæ postremam ipsorum cladem portendunt, conferre possint: cùm, vt retrò ostendimus, constet Idumæos post euersos Chaldæos vsque ad Titi Romanorum Imperatoris viguisse tempora. Quare dici necesse est, hanc prędictionem non vno aut altero prælio, in quo malè pugnatum ab Idumæis esset, circumscribi deberi, neque eius intra tam arctos cancellos vim atque sententiam concludi: neque fore, vt ab vna aliqua nominatim natione essent superandi

di Idumæi, hac vaticinatione definitè atque propriè prædici, sed spectare ipsam & pertinere ad vniuersa illa, quæ fœliciter cõtra ipsos eorum hostes gesserunt, eo vsq; quo ad eos funditus exciderunt. Quo posito dici debet, hæc verba vtrisque posse conuenire Idumæis, propriè dictis, quia isto quidẽ tẽpore, vt nõnullis videtur ita extincti vt atque deleti vniuersi sunt, vt eorum gentis nullum vestigium appareat: figuratè autem sic nominatis, quia licet viuant adhuc improbi, atque vigeant, tamen futurum est vt ad vnum omnes intereant: quãdo Christus omnibus suis deletis hostibus sibi plenè vniuersa subiecerit. Nam oportere illum regnare donec ponat inimicos suos scabellum pedum suorum, vt Paulus scribit, & vt in Psalmo prædicitur. Deficient peccatores à terra & impij, ita vt non sint. Nam quamuis impij victuri sint etiam post mortẽ, tamẽ viuent in cruciatum, & pœnam vinculis sempiternis cõstricti. *Quomodo scrutati sunt Edõ, perueſtigauerunt omnia abscõdita eius?* Vt scelus atq; vitiositas vbi semel in hominis animo dominari cœpit tanquam flãma populatur vniuersa? *Scrutati sunt*, inquit, *Edom perueſtigauerũt omnia abscõdita eius.* In omnes enim hominis partes irrumpit peccati labes: in omnes animi quamuis interiores latebras vim suam insinuat, cuncta peruadit: itaq; vniuersa lædit atq; corrumpit, nullam vt hominis partem intaminatã, aut non etiã maximis affectam malis relinquat. Menti enim tenebras offundit: voluntates studio pessimarum rerum accẽdit: memoriç obliuionem rerum cælestium inducit: sensus corporis ipsos turpissimis cupiditatibus inflammatos reddit indomitos: &, quod caput est, Dei animũ à nobis atque beneuolentiam alienat. Itaque nullum est tam malum, tamque dirum nomen, quod non possit in peccatum cadere, ex quo ipsum sacræ literæ omnium malarum rerũ notãt nominibus. Nam & mortem appellant, & tenebras vocant

„1 ad Co. 15.
„Psa. 103.

& se-

& sepulcrum, & seruitutem, & contagionem, atque labem, tùm disidium, inimicitias, captiuitatem, & exilium nominant, & siquid aliud est in vita, quod habeatur asperum, id omne in peccatum illæ conferunt. Quod idē magis adhuc explicant, quæ sequuntur.

Vsque ad terminum emiserunt te omnes viri fœderis tui: illuserunt tibi, inualuerunt aduersum te viri pacis tuæ, qui comedebant tecum: ponent insidias subter te, Id est. Non solùm hostes tui persequentur te, sed & amici prodent: quæ cùm dicit, rationem reddit eius quod superius dixerat, *Inuestigauerunt abscondita tua.* Nam hostibus ignota essent ea loca, in quæ se coniiciebant in latebras Idumæi vitæ seruandæ causa, nisi ea docuissent & patefecissent ij, quibus nota erant cūcta, propterea quod familiariter versarentur cum illis. Hos igitur viros appellat fœderis: sicque quodammodo dicit: illi ipsi, quibus cum fœderis societate coniunctus eras, illi quorum fretus auxilio tuorū impetus hostiū non sustinere modò, sed frāgere etiam posse credebas, illi, quo maiori ex eo dolore afficiaris, additamentum calamitatis tuæ se coniungēt cum hostibus tuis. Nam vt est scriptum
Psal. 54. „ in Psalmo. Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuis-
„ sem vtique, tu autem homo vnanimis dux meus & notus
„ meus. Eæ enim plagæ præcipuè dolorem faciunt, quas abijs accipimus de quibus bene meriti sumus: *Vsque ad terminum emiserunt*, dictum est eiusmodi præterita pro futuris more prophetico esse posita. *Emiserunt*, emittent, *illuserunt*, illudent, *inualuerunt*, inualescent. Sed emitti ad terminum vsque, quod dicit, quam quæso vim habet? Dionysius ita exponit *Vsque ad terminum emiserunt te.* id est, extra proprios fines eiecerunt. Alij, vsque ad fines hostium tuorum te abeūtem in captiuitatem prosequuti sunt amici tui, ficto scilicet officio, nam re ipsa de tuo lætabantur malo. Alij. Non vni alicui parti sed regioni toti tuæ vastitatem

tatem inducent, ò Edom amici tui. Chaldaicus vero Paraphrastes, à termino, inquit, in exiliū deportabūt te omnes fœderati tui. Et certè vtrumq; verosimile est accidisse Idumæis vt, & hostes eorū totam regionem depopularentur, & ipsi pulsi patrio & natali solo mitterentur in exiliū, sed & גבול pro quo noster terminum posuit, non solum limites agrorum atque fines significat, sed sæpè etiā agrum atque regionē totā, & hoc Hebraicè: nam in Chaldaico sermone pro thesauro atq; diuitijs poni solet. Quod si dam⁹, nō malè cōstabit suus sensus prophetę, dicet enim indicio eorum, quibuscum Idumæi fœdere coniuncti erant, hostes Idumæorum ad eos thesauros peruēturos, quos recōditos ipsi & humi defossos habebant. Iuxta quē sensum τὸ *Vsque ad terminum*, coniungi debet cum superiori versiculo, quod etiam adnotauit Hieronymus, vt hoc interpretetur illud. *Inuestigauerunt abscondita tua*; & ἐξιχνιασμῶς, vsque ad terminum, id est, ea nimirum dico peruestigasse laribula, in quæ vestras seruandi causa diuitias intulistis, idque valde ἐξιχνῶς, profecto dicit, ac pro eo quod fieri solet. Nam belli & obsidionis tempore obsessi res sibi chariores defodiunt, ne capta vrbe in hostium potestatem veniant, cui valde consentaneum est, quod adiungitur, *illuserunt tibi.* Nam qui ista defodiunt suæ libertatis futurę spem, aut certè libertate recuperata vitæ deinceps degendæ subsidium, in eis rebus constituunt, quæ eos ludit spes, si quando id accidit vt victores eas inueniant, atque effodiant res. Sed addit. *Inualuerunt super te viri pacis tuæ.* expolitio est, & eiusdem repetitio sententiæ, verbis paululum commutatis, & ad rem amplificandam conducit: & ad idem exornationis genus pertinent, quæ è vestigio sequuntur. *Qui comedebant tecum ponent insidias subter te.* Repetit enim idem: itaque vnam sententiam variat tribus modis, quo significet se non sine graui dolore, quem

ex præ-

ex præuisa & futura Idumæorum clade animo capit ista profari. Nam miserentis & de alterius malo dolentis est sine dubio, id cum commemoratur aut dicitur variare ver bis atque repetere, vt Dauid fecit in luctu. Quis mihi det vt moriar pro te fili mi Absalon, Absalon fili mi: & in carmine quo Ionathæ & Saulis interitum deflet. Quomodo ceciderunt fortes in prælio Ionathas in excelsis suis interfectus est? Et mox. Quomodo ceciderunt robusti, & perierunt arma bellica? Itaque qui dolent eadem repetunt, nec id sine orationis incremento quodam, quomodo fit in hoc loco. Nam primò fœderatos dixit, deindè quod cõiũctius est, viros pacis, postremò quod magis est familiare & domesticum, qui comedebant tecum, id est, vnius mensæ ac domus communione coniunctos. Nam fœdus ad externos, pax ad amicos, communio vnius mensæ ad domesticos pertinet, & si graue est & acerbum ab externis fœdere tamen coniunctis prodi? quid ab amicis? quid à domesticis? Quod etiã clarius perspiciatur ex Hebraica oratione, quæ in hoc loco non solũ expolitione & repetitione exornatur, sed quædam habet præcisa, & inabsoluta, & quasi interrupta singultu, quemadmodum solet fieri in dolore. Nam pro quo posuit Latinus. *Qui comedebant tecum, ponent insidias subter te*, id ad verbũ est in Hebræo. *Panem tuum ponẽt languorem tibi.*

2. *Reg.* c. 18. „ 2. *Reg.* 1. „ „ „

Sed quod propriè Idumæis euenturum prædicitur, id metaphoricè Idumæis, id est, omnibus improbis planè semper contingit, illuduntur enim illi, produntur, insidiosè circumueniuntur à viris pacis ipsorum, ab ijs ipsis quibus cum fœdus malè pepigerunt, hoc est, à rebus quarum præcipuo studio & amore tenẽtur præcipitantur sæpè in interitum. Studet pecuniæ quis, quòd eius possessione se aduersus mala satis munitum fore credit, non dico quas curas suscipiat eius colligendæ causa, & quos subeat

beat labores, illud dico, quod omnes passim videmus, diuitibus & copiosis hominibus, ob id ipsum quòd essent diuites circũuentis ab alijs opes suas ipsis exitio sæpè fuisse. De ijs enim certe Paulus ob hanc ipsam causam scribit. Qui volunt diuites fieri incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, & in desideria multa, & nociua, quæ mergunt homines in interitum, & Iacobus Apostolus & argentum vestrum eruginabitur, & erugo eius in testimonium, vobis, & manducabit carnes vestras sicut ignis. Thesaurizatis vobis iram in nouissimis diebus. Rursus alius voluptatem persequitur, eoque se modo iucundè victurẽ carpit sed accidit, vt dũ voluptates immodicè carpit grauissimos morbos cõtrahat; qui illi omnẽ vitæ fructũ eripiunt, & omne gaudium contaminant Quod item alijs similiter euenit, produntur enim omnes, atque illuduntur à viris pacis ipsorum. Ex quo meritò Eliphaz apud Iobũ. Panis (inquit) eius in vtero eius vertetur in fel aspidum intrinsecus. Panis eius, id est, quæ quis nimis amat, & quibus se ali, vitamque producere sperat, ea illi pestem afferent: & iterum. Cum satiatus fuerit arctabitur, & æstuabit: & omnis dolor irruet super eum Cum satiatus fuerit (inquit) id est, satietas ipsa & copia rerum quas amat, exitialis ipsi est futura. Et certè, quod Esaias atque Ezechiel vates scribunt, de AEgypto esse tanquam baculum arundineum, qui manus eorum qui innitantur ipsi perforet atque laceret, id aptè transferatur ad ea omnia, à quibus flagitiosi homines salutem sibi dari & fœlicitatem sperant, & quibuscum amoris fœdere colligati sunt & cõiuncti. Itaque quod in libris Regum memoratur accidisse Absaloni quando cæsariæ, atque capillis ijs, quos studiosè colebat, & quorũ pulchritudine atque copia habebatur insignis, de quercu suspensus ob id telis inimicorum confossus est. idem accidet flagitiosis omnibus, sua enim studia

1. *ad Tim.* 6.

Iob. 20.

Esai. 36. *Ezech.* 29

2. *Reg.* ca. 18.

illos, suique amores ad interitum ducunt, quod & Esaias
Esai.3. « non obscurè significat dicens. Dicite iusto quoniam be-
« nè, quoniam fructum adinuentionum suarum comedet,
« væ impiobo in malum, retributio enim manuum eius
« fiet ei. Non enim solùm affirmat pœnas daturum im-
probum, sed & pœnas, quas sua sibi manu ipse inferet,
id est, pœnas ab ipsismet, quibus studet rebus ortas at-
que profectas. Ex quo existit discrimen illud iustorum
ab impijs, de quo in diuinis literis tam sæpe fit mentio:
de ijs enim qui Deo fidunt fore vt nunquam confun-
dantur scribitur, contra eos ad extremum confundi de-
beri dicitur, qui in ijs terræ bonis spem salutis consti-
Psal.30. „ tuunt: ad illos pertinet illud Psalmi, In te Domine spe-
Psal.34. „ raui non confundar in æternum. item illud: qui sustinent
Esai.1. „ te non confundentur. De ijs autem Esaias scribit. Confun
„ dentur ab idolis quibus sacrificauerunt, & erubescetis su-
„ per hortos quos elegeratis. Nam confundi est ab eo de-
seri atque ludi in quem quis præsidium collocauerat vi-
tæ suæ. Deus porrò nunquã suos deserit, res autem istæ
terrenæ eos, qui se immodice diligunt, ad extremum
non solum deserunt, sed maximis malis afficiunt: ob
idque non fugaces modo illæ sunt, sed fallaces appel-
lari solent atque pestiferæ. *Illuserunt te* (inquit) *omnes viri fœ-
deris tui.* Viros fœderis quod attinet ad figuratè Idumæos
appellat adhortatores ad flagitia, & socios in crimi-
ne, quales illi sunt quos in Prouerbijs Solomon sic
Prou.1. „ loquentes inducit. Veni nobiscum insidiemur sangui-
„ ni, abscondamus tendicula contra innocentem Et in-
„ frà, sortem mitte nobiscum, marsupium vnum sit
„ omnium nostrum. Viri autem pacis sunt bona ista
„ terrena, cum quibus impij quod eorum amore cun-
cta faciant, pacem habere dicuntur, vt in Ecclesiastici
Eccl.41. illo. O mors, quam amara est memoria tua homini pa-

cem habenti in substantijs suis, comedentes vero „
vnà nobiscum dicuntur sensus ipsi corporis nostri, &
reliquæ animæ sentientis facultates, quod eas ipsi
alimus, fouemusque magna diligentia atque cura. Hæc
ergò vniuersa per scelus atque flagitium ab homini-
bus immodicè culta tandem conspirant in illorum per-
niciem: nam fœderati atque socij eis illudunt, quoniam
ad extremum illos deserunt, nulla enim societas impro-
borum inter ipsos satis fida esse potest. Externa autem
bona inualescunt aduersus ipsos, quoniam in misè-
ram seruitutem eos redigunt cupiditate sui sensus,
insidias ponunt subter ipsos, quoniam suis blanditijs mẽ
ti illorum tenebras offundunt, eosque dementes reddũt.
Quare rectè sequitur. *Non est prudentia in eo.* Quod ex ijs
quæ Idumæis euentura dicta sunt satis conficitur, &
in vtrosque Idumæos rectè confertur. Nam veri Idu-
mæi si saperent, non minus à fœderatis, quàm ab hosti-
bus cauerent sibi: figuratè autem & metaphoricè dicti,
id est, improbi, nisi nimis cæci atque dementes essent, spẽ
suam nunquam posuissent in istis terrenis bonis, quæ &
parua esse noscuntur & inania & doloris potiùs efficien-
tia quàm voluptatis: itaque sani si essent, nũquam se ab ijs
decipi atque ludi siuissent. Quare meritò Abdias, Nõ est
(inquid) prudentia in eo. Sed sequitur.

*Nunquid non in die illa dicit Dominus perdam sapientes de Idu-
mea, & prudentiam de monte Esau?*

Quod idem Ieremias ferè eisdem verbis prædicit. „ Ierem.
Nunquid (inquit) non vltra est sapientia in Theman, „
perijt consilium à filijs, inutilis facta est sapientia
eorum: sed Lyranus, vt hunc explicet locum, Idumæos
fingit deditos fuisse Astrologiæ, & eiusmodi superstitio-
sis artibus, quibus futura cognosci posse homines putãt,
ijs tamen artibus neque imminentem ipsis calamita-

tem peruidisse illos neque effugere vllo modo potuisse, & ob id vanam fuisse dici & inutilem omnem ipsorum in diuinando peritiam. Sed hoc Lyra, vel de suo finxit capite, vel è fabulis Rabbinorũ accepit. At vt hoc commenti sit simile, tamen illud & probabile ipsum est, & à plurimis traditum Idumæos calliditate, & prudentia plurimũ præstitisse, sicut & ipse Esau, à quo genus ducebant scribitur in Genesi fuisse homo industrius, & animi viribus, atque corporis præstans. Idumæi certe per figuram sic nominati, omnisque improborum natio in generatione sua, vt apud Matthæum scribitur, prudentiæ artibus eminent. Ergo cum bellum consilio atque virtute geratur,
Pro. 20. (Nam de cõsilio in Prouerbijs scribitur: Cogitationes cõ silijs roborantur, & gubernaculis tractanda sunt bella: &
2. *Reg* 19. in libris Regum Dauid consilijs Achitophelis opprimi se in bello posse metuebat, de virtute autem quam necessaria sit bello rectè gerendo res est manifesta: itaque sacra scriptura viros fortes vasa bellica nominant) Ergo cũ
2. *Reg.* 1. virtute atque consilio administretur res bellica, Idumæi quòd vtraque re pollerent, facilè sibi persuadebant in omni belli discrimine atque certamine se superiores futuros: vt igitur has fiduciæ ansas illis Deus præcideret, & vt ipsis ostenderet, quæ aduersus eos vaticinatus fuerat, ad exitium omninò perduci deberi, nunc affirmat se id effecturũ ijs remouendis rebus, quæ tueri illos poterant, & inimicam ab ipsis arcere vim, hoc est, affirmat se erepturum illis prudentiam, & fortitudinem: consilium atque virtutem, quibus potissimùm rebus bella fœlici successu geruntur. Nam Deus quoniam vniuersa suauiter temperat & cum moderatione summa agit, & pro ratione naturæ eius, quod efficere studet, media adhibet consentanea atque apta, idcircò quos populos pro meritis ipsorum bello ab alijs populis superari decernit, & quos

quos aliorum vult dominationis subijcere, ijs consilium & animi atque corporis robur eripit, id est, ipsas belligerẽdi artes remouet, & tanquam neruos belli præcidit. Sic enim apud Esaiam prophetam, quòd Deus Hierosolymas delere vellet: quòdque id vates futurum affirmaret, istis eas militiæ artibus, ac belligerendi subsidijs prius nudandas prædicit. Ecce inquit, dominator Dominus exercituũ „ *Esai.* 3.
auferet à Hierusalem, & à Iudæa validum & fortem & cõ „
siliarium & sapientem, &c. Et dabo pueros principes „
eorum, & effœminati dominabuntur eis. Cui simile est „
quod noster vates dicit hoc loco, *Nunquid non in die illa, di-* „
cit Dominus, perdam sapientes de Idumæa, & prudentiam de mon-
te Esau. Nam his verbis affirmat futurũ vt eripiat Idumæis Deus mentem atque consilium, quo mala sua neque venientia præuideant, neque instantia effugere valeant. Sed eloquitur id præcisse, plenè enim ita dixisset. Sed fortasse, quod dico, vestrorum cum hostium virtute, tum sociorũ proditione vos perituros non creditis, quòd cõsilio valere existimatis vos, & sapientiæ vestrę fiducia nitimini, quasi mihi difficile sit effusis errorum maximis tenebris vos orbare consilio: orbabo certè vos, atque ita inopes consilij reddam, vt ne vestigium eius in vobis vllum appareat, vt nihil vobis fieri possit dementius. *Perdam*, inquit, *sapientes de Idumæa & prudentiam de monte Esau.* De monte, dicit, quòd Idumæa monte Seir potissimum cõtineretur. Chaldaicus autem pro monte magnam arcẽ posuit Esau, quod ad arcem Capitolinam Romæ constitutam in monte Tarpeio referunt ij, qui in Esau significari Romanos affirmãt oriundos ab Idumæis. Nam ea arx publici totius orbis cõsilij domicilium quondam fuit ex quo etiam Capitolium nominatum est, vt Liuius scribit, quòd cum illius fundà- *Li.* 1. *Dec.*
menta foderentur, hominis caput euẽto prædictum fuisset à vatibus caput eum locum imperij atque consilij futurum.

turum. Cuius tamen Capitolinę arcis, hoc est, senatus Romani omnium amplissimi atque sapientissimi, qui in ea arce sæpius cogebatur, consilia eo vsque reddidit stulta Deus, vt eis potissimum consilijs eius arcis atque imperij euersa sit magnitudo & maiestas: quāuis de ea quasi sempiterna futura, optimus ille quidē Poeta, sed non optimus augur scripserit.

——————*Et Capitoli immobile saxum.*

Atque hæc veris Idumæis ita euenerunt: figuratè verò sic nominatis dubitandum non est, quin eueniat similiter. de eis enim, sic Paulus scribit. Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentum reprobabo. Et rursus. Nonne stultam fecit Deus sapientiam huius mundi? facit autem eam atque reddit stultam, & quando ipsos parat extinguere: & quando non ipsosmet sed impietatem in ipsis extinguit eos cum ad veram religionem traducit: efficit enim tunc, vt deposito sensu carnis suæ, vt loquitur Paulus, in obsequium fidei mentem suam captiuam redigant, id est efficit, vt quę ipsis antea sapientissimè prouisa, atque constituta videbantur esse, ea damnent atque repudient: contra autem crucem, paupertatem, cruciatum, ignominiam, quæ non solum ipsi fugiebāt antea, sed & pro stultis habebant, eos qui non item fugissent, ea magnis esse fœcunda bonis cognoscant, eaque sequantur ardenter & cupidè. Nam cum Deus delere omninò illos decernit, alia ratione mētē ipsis eripit: efficit enim vt mala sua aut præuidere nō possint, aut certè vt in eorum incidāt laqueos, eosque induāt, iis ipsis rationibus atq; viis quibus vitare illos atq; exuere posse credebāt. Qua de re apud Iobū scribitur. Qui apprehendit sapiētes in astutia eorum, „ & consilium prauorum dissipat, per diem incurrent tene- „ bras, & quasi in nocte sic palpabūt in meridie. Præterquā „ quòd, vt Stoici vere disputant, omnes improbi sunt stulti: ipsi

1. Corin. 1.

Iob. 5.

ipsi certe se insensatos atque mentis & consilij inopes esse dicunt in libro Sapientię? Nos insensati vitam illorum existimabamus insaniam, & finem illorum sine honore: ergò errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis. Sed videamus quod sequitur. „ Sap. 5.

Et timebunt fortes tui à meridie, vt intereat vir de monte Esau.

Dixerat futurum vt Deus Idumæis consilium atque prudentiam eriperet: nunc dicit futurum vt fortissimi quique ipsorum animo trepidarent, id est, futurum vt simul & cōsilium amitterent, & eorum animi robur remitteretur. Nam ijs amissis rebus, quibus sine bellum non geritur, consequens erat ipsos prædæ futuros suis hostibus. *Et timebunt* (inquit) *fortes tui*, id est, vos vniuersos timor corripiet, à maiori ducto argumento. Nam si pectora fortiū timor peruadit atque occupat, quæ trepidatio vulgi futura est? Pro timebunt, verbum quod est in Hebræo, propriè eam animi consternationem significat, in qua præ metu neque mens neque manus suum officium faciunt, sed concidit, & quasi contritus iacet homo totus nullo modo compos sui, quales sunt ii terrores, quos Græci θαμίκους vocant: ex quo Chaldæus pro timebunt hoc loco, conterentur posuit, aut consternabuntur, Itaque dicit Idumæorum fortissimos vsque eo suæ fortitudinis oblitos dubiis trepidaturos in rebus, vt præ metu non sint apud se. *Et timebunt fortes tui*, suam habent verba singula vim, vt ex eo magis diuinæ virtutis aduersus Idumæos magnitudo ostendatur. Nam sicut timere hoc loco, nō quouis timore percelli est, sed eo quimentē suo omnino loco mouet: sic fortes hîc nō vtcūq; accipiēdi sunt dici, sed insigniter fortes & cū corporis viribus, tùm animi virtute præstātes. Nā Hebraicū גברים Guiborim eximios

& heroicæ virtutis homines apud Hebræos significat. Sed in eo quod additur, *à meridie*, videtur inesse nodus: nã Hebræa adverbum sic. *Et consternabuntur fortes tui Theman.* Theman porro cuiusdam nepotis Esau proprium nomen est: nam Esau ex Ada vxore sustulit filium Eliphaz appellatũ; qui & ipse genuit filium nomine Theman, vt in Genesi dicitur, cui Theman, eiusque soboli, regione ea, quam obtinuit Esau, in varias Toparchias diuisa contigit vna earũ, quæ ipsi ob id dicta est ducatus aut millenarius, Theman, vt in eodem scribitur libro: ex quo Theman per Synedochen accipi possit pro vniuersa Idumæorum vel regione vel gente, & quoniam ea regio ad meridiem adiacet terræ sanctæ, hinc est vt & cæli plaga meridiana & venti flãtes ab ea cæli regione, vt sunt Auster & Africus, Hebræis Theman appellentur, quomodo & nos regionibus cæli, atque ventis sæpè nomina earum prouinciarum atque gẽtium imponimus, quæ ad eas cæli partes spectant. Hæc ergò vox multiplicis atque variæ significationis est. Itaque significat vnum è nepotibus Esau, partem eam Idumææ, quam is obtinuit imperio, & qua figura ponitur pars pro toto, Idumæam sæpè vniuersam, tum mundi meridianam plagam, ventos deinde ab ea mundi plaga qui spirant: qua ex varietate significationis interpretationum est orta varietas. Nam noster pro mundi plaga id accipit, itaque vertit à meridie, sequutus, vt videtur, Paraphrastem Chaldaicum, qui & ipse similiter interpretatus est. Et conterentur fortes tui habitantes ad meridiem Græci verò interpretes id pro viri proprio nomine accipiunt, conuertuntque ita, καὶ φοβηθήσονται οἱ πολεμισταὶ σου ἐκ Θεμαν. eo videlicet nomine significantes Themanitas, hoc est, vel posteros Themã, vel eius Toparchiæ quæ illi obtigit incolas. Quos interpretes in hoc plures alij sequuntur interpretes: vtraque autem interpretatio, quando & vox anceps est advtrãque

Gene. 36.

que, & in vtraque rectus inest sensus, iure, quantum ego sentio admittatur. Quod enim noster à meridie conuertit, sic accipi certè debet, fortes tui, à meridie, scilicet, nobis Palæstinis obiecti, vehementer timebunt. Nam quod quidam, è quorum numero Lyranus est, quo sententiam enodent, quam præ se ferre Latina videntur verba comminiscuntur à meridie Chaldæos in Idumæam irruptionem fecisse, eoque trepidaturos Idumæos dici à meridie, nullo video confici posse idoneo argumento, sed existimo ab illis pro re nata & ex præsenti vsu confingi. Itaque nostra sic, vti diximus, explanetur translatio. Græcorum verò interpretum sic, vt vel dicant propriè Themanitas, qui vt dignitate, ita virtutis opinione Idumæos reliquos anteibant, vt qui à primogenito Esau genus ducerent, trepidaturos ad hostium aduentum, vel certè per figuram fore significẽt, vt fortissimi quique Idumæorum debilitentur timore. Quod idem quotidie eueniat figuratè Idumæis. Nam quandocumque aliqua impendit, aut in eos ingruit calamitas, qui præstare cæteris, & opibus videntur, & dignitate & honoris gradu è vestigio dant manus, seq; à malis vinci permittunt, consternanturque prorsus animo; quòd ea in discrimẽ & in periculũ vocari videãt, quorum ipsi ope credebant, se immunes fore ab omni periculo. Nam quod in Psalmo quodam, similitudine ducta ab eo quod accidit cum fulgurat, atque tonat scribitur, id propriè pertineat ad significandas in rebus aduersis consternationes eorum, qui vt scelere, ita dignitatis gradu cæteris præstant. Vox Dei, inquit, confringentis Cedros, » confringet Dominus Cedros Libani. Sicut enim tonante » Deo & fulgura eiaculante quæ maximè eminent, tangi de cælo sæpissime solent, & vt scribit Poeta.

Psal.

Ille flagranti
Aut Athon aut Rodopen aut alta ceraunia cælo

Deijcut, ingeminant Austri & densissimus imber.

Sic in flagitiosis atque improbis, vt quisque illorũ altissimum dignitatis gradum tenet, ita dubijs in rebus maxime trepidat. Et quomodo scribit Ecclesiastes à senectute nostrum affici corpus, cum inquit: Et nutabũt viri fortissimi & excelsa quoque timebunt: quibus verbis figuratè significat præ senio nutare senibus genua solere, caque appellat viros fortissimos, & quasi timeat, sic tremore eorundem moueri caput, excelsa quod vocat: eodem modo in republica, quæ & ipsa corpus quoddam est, quæ incidunt aduersa potissimum eos terrent, qui præcipuas eius partes atque maximas gerunt. Sed addit. *Vt intereat vir de monte Esau.* In quo causam reddit eius, quod dixerat, *& timebunt fortes tui à meridie*: quasi sic dicat, idcircò Deus fortissimum quemque pauore afficiet, & consilio, atque prudentia nudabit, *vt intereat vir de monte Esau*, idest, vt cum timidi fortibus, stulti prudentibus pares esse nequeant, in bello vniuersa superentur. Nam illud ‫איש‬ *ir*, pro, quisque, positum est ex proprietate Hebraici sermonis, vt sæpè alibi poni solet, & ponitur in illo Ezechielis cum dicitur. Viri in brachio suo furit in te, vt effunderent sanguinem tuum, id est, quisque pro virili sua parte dedit operam, vt sanguinem tuum effunderet. Quare vt intereat vir de monte Esau, quod hic dicitur, vt intereant Idumæi ad vnum omnes quasi si esset dictum, sic accipi debet. Sed & alicui videri possit per ἐξοχὴν virum esse nominatum, sensus vt sit. Timebunt fortes qui sunt apud te, ex quo id certè sequetur, vt non solum promiscuum vulgus & ignobile, sed & clari atque principes viri ferro interempti occidant. Nam certè Hebraicè pro Latino, vir, ponitur ‫איש‬ His, quo nomine significare Hebræi solent & præstantes viros & claros, vt in capite Prouerbiorum octauo, & in Psalmo quarto perspicitur. Sequitur.

Ecclc. 12.

Exc. 22.

Prouer. 8. Psal. 4.

Propter interfectionem & propter iniquitatem in fratrem tuum Iacob operiet te confusio, & peribis in æternum. Illud, *Propter interfectionem*, in Hebræo codice, & in Græcorum interpretum versione, & in Chaldaica Paraphrasi coniungitur cum superiori versiculo, hoc videlicet modo atque sensu. *Vt intereat vir de monte Esau propter interfectionem*. Id autem est. Omnes interibunt; ea erit cædes quam hostes Idumæorum in ipsos edent. In eo verò, quod sequitur, *Propter iniquitatem in fratrem tuum Iacob*, causa redditur propter quam Deus tam seuerè animaduersurus sit in Idumæos. Nempe iustus ille est, nec animaduertit in quenquam, nisi prius magnis eius ipsius, in quem animaduertit, prouocetur ad animaduertendum sceleribus. Ergò ob eam causam, vt prædicitur, sunt euertendi Idumæi, atque opibus, & vita spoliandi, quia impij fuerunt, aut, ad vatis ætatem ratione relata, futuri erant in fratrem suum Iacob, id est, in Iudæos genus à Iacobo ducentes: à Iacob o inquam germano fratre Esau, à quo ipsi Idumæi genus ducebant. Itaque quod ad duos fratres germanos Idumæi atque Iudæi ortum sui generis & initium referunt, ideò & ipsi inter se appellantur fratres pro consuetudine loquendi scripturarum sanctarum: At quando quæso Idumæi fuerunt impii in Iudæos? semper illi quidem odio atq; inuidentia prosecuti sunt ipsos, ad omnes occasiones imminẽtes, quibus illis quoquomodo nocere possent, sed præcipuè suam in illos exprompserũt maleuolentiam, quando Chaldæi, Hierosolymorum vrbẽ ceperunt: penè enim sæuius atque crudelius quàm victores Chaldæi eo tempore Idumæi oppresserunt Iudæos. Acuebant enim Chaldæos, vt in Psalmo quodã scribitur, Edonitæ dicentes. Exinanite exinanite vsq; ad fundamentum in ea.

Psal. 136.

in ea. Qua de impietate nunc agitur. Eius enim causa punitos à Deo fuisse ex ijs, quæ infrà dicemus, cõstabit. Nam cum iniquum est & sceleratum in quenquam esse iniurium, tum in calamitosos & miseros, ipso calamitatis ipsorum tempore aliquem se esse velle iniuriæ inferentem, est supra quam dici potest inhumanum & impium. Deo certè id ingratissimum est. Quare seueriſsimè in eos vindicare solet, qui vsque eo inhumano, atque fero animo præditi sunt, eos vt aliorum calamitas atque iniuria dolore non solum non afficiat, sed etiam odio inflammet. *Psal 68.* Vnde merito Psaltes. Quoniam, inquit, quem tu percussisti persecuti sunt, & super dolorem vulnerum meorum addiderunt: appone iniquitatem super iniquitatem ipsorum, & non intrent in iustitiam tuam Domine. Et si, vt Iacobus scribit: iudicium sine misericordia ei, qui non fecit misericordiam, qua non erunt pœna digni, qui non solùm calamitosorum miserati non sunt, sed & auxerunt, atque amplificauerunt calamitates ipsorum? Ex quo de ijs *Iacob.* *Amos.1.* ipsis Idumæis Amos vates scribit. Super tribus sceleribus
» Edom, & super quartum non conuertam eum, eo quòd
» persecutus fuerit gladio fratrem suum, & violauerit miseri-
» cordiam suam, & tenuerit vltra furorem suum: quasi sic ex persona loquatur Dei. Cæteris tuis peccatis ò Edom ignosci à me potest: at isti tuo impietatis & immisericordiæ sceleri haud facile ignoscam: violasti namque misericordiam & tenuisti vltra furorē tuum. Nam est quatenus progredi quis odio atque ira possit, si minus honestè, tamen ita vt venia possit concedi illi, vt si in inimicum armatum & repugnantem ferare, at in iacentem, atque notum: tum supplicem eundem atque metuentem sibi vlterius tendere odijs, ac porrò sæuire, id nullo humanitatis iure permittitur. Sed iuuat videre quàm bellè veris Idumæis cum figuratis conueniat, quamque totius explanationis

tionis atque sententiæ ordo consonet inter se. Nam quem admodum veri Idumæi, tametsi idolorum cultores erant, & veræ religionis ignari, ex quo erat consequens multis eos esse contaminatos peccatis, tamen ob ea solum prædicũtur delendi, quæ impiè & immisericorditer erga suos fratres fecerũt: Sic in Idumæos figuratè sic nominatos, id est, in flagitiosos atque improbos vniuersos sempiternæ pœnæ sententia ferenda est, quia in fratres suos miseros & egentes misericordes nõ fuerunt: Sic enim in Matthæo *Matt.25.* loquitur Christus. Tunc dicet illis qui à sinistris sunt. Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius: esuriui & non dedistis mihi manducare: sitiui & non dedistis mihi potum: hospes eram & non collegistis me: nudus, & non operuistis me. *Propter iniquitatem* (inquit) *in fratrem tuum Iacob.* In singulis verbis amplificandi quædam vis inest. Non solum, inquit, immisericors fuisti in calamitosum, sed iniquus & iniurius, nec solum iniurius fuisti in calamitosum aliquem, sed in calamitosum fratrem, id est, in eum, quocum eras generis cognatione coniunctus, & quem propterea fouere debuisses omnibus humanitatis officiis. *Propter iniquitatem*, pro iniquitate חמס hamaz, quod in Hebræo est, propriè significat, id iniuriæ in alterum genus, in quo adhibetur aperta vis, nulla metus ratione habita: diciturque de eo, quod geritur violenter, & per quandam Tyrannidem, quæ quo iure, quaq; iniuria diripit vniuersa, quod nõ solùm grauissimum peccatum est, sed etiam peccatorum tanquam culmen, ad quod cum siuè priuatus aliquis, siuè tota respub. peruenit, credendum est vitijs computruisse penitus, nihilque aut sani habere, aut integri. Atq; quemadmodum accidit corporibus quando aut senio confecta, aut morbi vi ita affecta sunt, vt per omnes eorum partes vis mali peruaserit, vt humores, è quibus ipsa constant rupto eo, quo temperaban-

rabantur & continebantur, fœdere, alij in alios inuadant, seq; inuicē populētur, ex quo paulo post, mors in homine sequitur: Sic cū homines ad id flagitij peruenerunt, vt cōculcato iure atq; legibus, alii in alios grassentur, nō procul absunt ab interitu. Ex quo fit vt Deus, qui alioqui in animaduertēdo lētus haberi solet. In hoc genus flagitii vehemēter ac maturè vindicet, quod his exemplis manifestum fiet. Quādo vniuersum hominū genus aquis delere decreuit hoc potissimū peccati genere ad delendū inductus est, vt in Genesi scribitur. Et dixit Dñs ad Noe, finis vniuersæ carnis venit corā me, quoniam repleta est omnis terra Hamaz. Et in eodē libro. Angeli Sodomā à Deo missi, eas vt vrbes incēdio subuerterēt, non prius ignē iniecerunt, quā Sodomitæ hospites violare per vim aggressi, re ipsa docuerūt apud ipsos Hamaz vigere, id est, demonstrarūt peruenisse se ad id quod in flagitiis summū est. Tales ergo Idumæi dicuntur fuisse, vtpote qui, non immisericordes modo se exhibuerunt Iudæis, sed etiam iniurios, eo præcipuè genere iniuriæ, in quo aperta vis & direptio inesset. Inuaserunt enim nec diuinum numen, nec humanum ius veriti, suos cognatos Iudæos, qui quod belli calamitatibus fracti, & debilitati erāt, nec opis aliquid in se habebant ad tuendum se, illorū inimicā vim arcere non poterant. Ergò quia tales illi erāt, idcircò debita pœna statim affecti sunt. Qua de pœna nūc dicitur. *Operiet te confusio, & peribis in æternum.* Atque hæc veri Idumęi. Porrò qui propriè populum Dei diripiunt, & apertè grassantur in ipsum, ij sanè sunt, quos per figuram dicimus Idumęos. Semper enim pii impiis prędę fuerunt. Nam quemadmodum piorum atq; bonorū hominū propria est modestia, & iuris obseruātia: sic scelerati atq; impii pręstant insolentia, & tyrannide, quam eū in homines vniuersos exercent, tū pręcipuè illā exercere auent aduersus bonos & pios. Itaq; omnia se consequu

Gen. 19.

tos.

tos putāt, quotiescunq; illis facultas datur expromēdi sui animi sæuitiā in aliquē bonum & innocentē virum, id est, gaudent sæuitiā exprompsisse suā in eos, in quos minimè omniū debuissent expromere multis de causis. Primò quia humiles sunt: turpe porrò, & magno viro non dignū, sæuire in iacentes atq; humiles. Deinde quia nemini opponūt se, neq; aliorum obstāt cōmodis, quippe qui bona ista terrena, quibus improbi studeant, vsq; eo negligant, vt ne pro bonis quidem ea habeant. Postremò quia in cōmunicunctis prosunt, prodesse certè cupiunt, idq; in omni sua vita agūt, vt suis dispendiis aliorū compedia augeāt, salutemq; promoueāt & incolumitatē aliorū. Itaq; improbi probis inimici sunt, adeò, vt vtrorumq; eæ videantur partes esse, improborum, vt iniuriā bonis inferant, bonorū, vt æquo id animo perferant. Quod vt intelligatur bonorū tāquam partes esse, mala tolerare atq; pati, sacræ literæ iis eos sæpè appellāt nominibus, quę apertè significēt malis perferēdis tāquam natos & expositos bonos aliorum iniuriis patere semper. contra improbos sic nominat, vt è nomine appareat illatores iniuriarū eos esse. Boni enim primò appellātur cōpediti, quòd obseruantia legū diuinarū quasi vinculis quibusdā constricti teneātur, nec cōmouere se audeāt, aut mali aliquid in eos qui se lædunt moliri. Sic in Psal. eos vocat Dauid. Intret, inquit, in cōspectu tuo gemitus cōpeditorū. Deinde vocātur minimi, quod se nemini præferāt, vt in Matt. Quod vni ex minimis meis feciſtis. Itē dicūtur contēptibiles, quod sint malorū ludibriis expositi. De quo Paul⁹ scribit. Contēptibilia mūdi elegit De⁹. Ad hęc nominatur purgamēta & sordes mūdi huius, q̄ eos nō solū despiciāt improbi, sed de medio tollere velint, quomodo se Paul⁹ nominat inquiēs. Tanquā purgamēta huius mūdi facti sum⁹, omniū q̄ ipsema vsq; adhuc. Postremò, vt omnia semel cōprehendā, de illis sic Paulus scribit. Sācti ludibria

„ *Psal. 78*

„ *Mat. 25*

„ „ „ „

„ & verbera experti, insuper & vincula & carceres, lapidati
„ sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladij mortui
Psal 118. sunt. Contra impii, & superbi nominantur, quod omnia
Eccl. 3. & 4. sibi arrogent, vt apparet in Psalm. & in Ecclesiastico, & in cantico Virginis: & vocantur Tauri, & Vnicornes propter ferociam nullis cohibitam legibus, vt eos non semel
Luc. 1. vocant Esaias atque Dauid: & appellantur, propter eandem immanitatis vim, atque sæuitiam Leones, vt eos Iob
Esai 34. *Psalm.* 21. *Psal.* 67. sæpe nominat. Ex quo concluditur piorum esse iniuriam
Iob. 4. pati, improborum inferre, improbosque ipsos, cum ad summum improbitatis ascenderunt gradum, maximè injurios euadere & in eo gradu quando sunt, ruinæ proprio res factos & suppliciis maturos à Deo præcipitari in interitum: ideoq; dici, *Et operiet te confusio, & peribis in æternum.*

Duæ sunt huius pœnæ partes, quam dicuntur subituri Idumæi, confusio, & excidium sempiternum, quibus pœnis non afficiuntur nisi ij, quorum est desperata salus. Et quod ad confusionis nomen attinet sciri debet, id interdum pro ignominia, & turpitudine poni: interdum pro pudore, qui ex ignominia, aut certè ex ignominiæ timore oritur: interdum pro iis quæ afferunt ignominiam, qualia sunt flagitia, atque scelera. De primo dicitur in Ecclesia-
Eccle. 3. „ stico: Ne glorieris in contumelia patris tui, non enim est
„ tibi gloria, sed confusio, id est, ignominia De altero in co-
Eccle. 4. „ dem libro. Est confusio adducens peccatum, & est confu-
„ sio adducens gloriam & gratiam. Confusio autem quæ gratiam conciliat non dubium est, quin sit pudor, de quo
Eccle. 41. 42. idem scriptor multa in eodem scribit libro. De tertio rectè illud accipiatur, quod Paul. ad Philippenses scribit, de
Ad Philip. 3. ijs loquens qui cum se peccatis maximè coinquinauerũt,
Iudæ. 1. tum maximè sibi placẽt. Nam, inquit, qui gloriantur cum malefecerint, & gloria in confusione ipsorum: & quod Iud. Apost. in cap. 1. de ijs dicit, qui vt mancipia libidinibus

bus seruiunt, despumare ipsos suas cõfusiones. Et quidem Hebraicum בושה Bussa, pro quo noster hoc loco confusionem posuit, explicari non potest vno Latino verbo, nam complectitur hæc quæ diximus vniuersa. Nam sunt Hebræis duo verba literis nonnihil dissimilia, sed sono atque significatione propè eadem: vtrunque enim conculcare significat, sed alterum ad corpus pertinet, alterum ad animum propriè refertur. Bussa porrò nomen ab eo deducitur verbo, cuius significationis vis propriè ad animum spectat, & significat animum eo modo affici, quo corpus, quando pedibus conculcatur afficitur. Nam vt id loco motum, & ad terram allisum proteritur, ac pro vili habitum turpe redditur, puluereque & luto fœdatur: sic Bussa significat, aliquo malo, in animum nec opinatò irruente, deiectionem ipsius, & consternationem cum ignominia, & pudore, & maxima quadam despectione coniunctam, vt pote, in qua ipse animus suo met iudicio conuictus vsque eo se turpem, atque fœdum reputat, vt oculos attollere non audeat. Hæc igitur siuè confusio animi à nobis, siue pudor, siue abiectio suimet, siue fœditas & turpitudo nominetur, est propria improborum pœna, & sine dubio acerbissima pœna. Vnde D. Ioan. in Apocalyp. *Apoc.* 3. eius potissimum pœnæ metu nos à flagitiis deterret, sic di „
cens. Suadeo tibi emere à me aurum ignitum, vt nõ appareat cõfusio nuditatis tuæ. Et Dauid etiam in Psalm. id vt „ *Psal.* 34
omnium grauissimum malum sceleratis imprecatur scribens. Induantur confusione & reuerentia qui maligna loquũtur super me. Cuius pœnæ ex eo in improbis tãta existit acerbitas, quia causæ è quibus ea confusio oriri solet, sunt in improbis maximæ. Oritur enim è flagitio, atq; scelere, quibus plena est omnis ipsorũ actio atq; vita: ad hæc auget in ipsis eum pudoris cruciatum, quòd delusas suas spes ab iis in quibus eas collocarant, conspiciunt: quodq;

non solùm vident illa salutem non attulisse sibi, aut malo
rum aliquam leuationē, sed pro breui & falso gaudio per-
niciem conciliasse potius & sempiternos cruciatus cō spi-
ciunt. Itaque spe sua falsi pudoreque pleni, dolori se atque
miseriæ conculcandos & proterendos permittunt, illaq;
Sapi.5. dicunt, quæ ex eorum persona Sapiens scribit: Trāsierunt
omnia illa tāquam vmbra, & tanquā nuntius præcurrens,
& tanquam nauis quæ pertransit fluctuātem aquam. Nec
solùm hæc propria est improborū pœna, sed etiam est pro
ipsorū factis, atq; flagitiis valde digna pœna. Nam, vt dixi-
mus, improbi homines iidē arrogantes sunt atq; superbi:
quare decet, vt in infimo cōstituti loco, mœrore oppressi
& turpitudine cooperti, & flagitiorum suorum spe fru-
strati, & irrisi prę pudore erigere se non audeant. Quod au
tem non dixit irruet in te, aut apprehendet te confusio,
sed operiet te potiùs, consultò ipsum feciſſe puto, quo si
gnificaret in improbis omnia futura pudoris atque confu
sionis plena: quocumq; enim se illi vertant, aut quacunq;
circunferant oculos, nihil visuri sunt, quod nō ipsos con-
fusione pudoreque afficiat. Atque hæc de cōfusione, quæ
vna pars est improborū supplicij. In altera vero de qua di-
citur. *Et peribis in æternum*, aduertere oportet, pro peribis in
Hebræo esse verbum, quod propriè excindere significat: ex
cindi autem dici ab Hebræis eos, qui vel in calamitates
Iob.19. graues incidunt, vt Iob, sese, & Iere. Moab, propter istam
Iere 48. causam excissos appellant: vel qui omninò extinguuntur,
Esai. 53. & vitam cum morte commutant, vt ex Esai. & ex Paul.
Ad Ga- ad Galatas liceat colligere. Ex quo fit illis verbis. *Et peri-*
lat.5. *bis in æternum*, significari futurum, vt Idumæi aut in gra-
uem aliquam, & perdiuturnam calamitatem incidant,
aut vt intereant perpetuò: vtrumque autem rectè illis
conueniat, si modo sua cuique illorum generi pars as-
signetur. Veri enim Idumæi patria euersa solo natali pul-
si, &

si, & in exilium missi atque in seruitutem abacti, ea in ca-
lamitate, è qua nunquam emergant, futuri prædicun-
tur: figurati verò dicuntur subituri interitum sempiter-
num. Vtrouis autem modo hoc siuè calamitatis, siuè
mortis malum accipiatur, constat perpetuum futurum.
ex quo intelligitur propriè id pertinere ad significanda ea
supplicia, quibus homines summo imbuti scelere affici so
lent. Nam quin etiam aduersæ res graues sæpè calamitates
iustis importent dubitandum non est: de illis quidem cer-
tè, & de eorum vita fortunæ telis semper expositа, nec ex-
posita solùm, sed confixa sæpè ab ipsis atque confossa, vt
verè Aug. docuit, sapiens scribit, iustum hominem septies *Augu. li.*
in die cadere, quod septies, hoc est, sæpissimè incidat in ca *11. de ciui.*
lamitates grauissimas. Sed vt hoc verum sit, tamē hoc in- *c.31.*
ter probos interest, atq; improbos, quòd probi non oppri
muntur malis, improbi malis succumbūt. Itaq; mala pro-
bos paululū vexant, in sceleratos verò, atq; improbos, vbi
semel eos depresserunt, semper incumbunt. De probis ca-
nit Dauid. Multæ tribulationes iustorū, & de omnibus iis „ *Psal.33.*
liberauit eos Dominus: & alibi. Si ceciderit non collide- „ *Psal.36.*
tur, quia Dominus supponit manum suam. Et de probis „
simul atque improbis Solomō. Septies in die cadit iustus „
& resurget: impij autem corruent in malum. Vnde etiam „
probi vita amissa reliquias sui superstites habere in sa-
cris dicuntur literis, propterea quòd nunquam ita oc-
cidant, vt mors, aut eorum extinguat virtutem, aut
claritatem obscuret, aut vitam ita finiat, vt reditum
illis intercludat ad immortalem & fœliciorem vitam:
Contra autem de improbis dicitur, nullas illos relin-
quere sui reliquias post funus, quod cadunt non sur-
recturi, quodque excutere à se ea mala non possunt,
quæ semel incubuerunt in ipsos. Vtrunque itaque di-
sertè Dauid. De iustis. Custodi innocentiam, & vide *Psal.36.*

æquitatem, quoniã sunt reliquiæ homini pacifico. De improbis. Iniusti autem disperibunt, simul reliquiæ impiorũ interibunt. De iustis Ieremias. Si non reliquiæ tuæ in bonum. Et Iob allegoricè in eandem sentẽtiam. Si absorbuerit eum, & dicet, non noui te, hęc est lętitia viæ eius, vt rursus de terra alii germinent. Nam vt arbor, inquit, quę altissimè radices egit, si quãdo id accidat, vt eam euellat quis, aut certè ferro detondeat, lætiora edit & vberiora germina: Sic vir iustus excissus pullulat, & mortuus nõ extinguitur, & calamitate ipsa atque ærumnis maior efficitur, quale est, quod elegantissimè Lyricus.

Ierem. 15.
Iob. 38.

Duris vt ilex tonsa bipennibus
Nigræ feraci frondis in Algido,
Per damna, per cædes, ab ipso
Ducit opes, animumque ferro.
Mersęs profundo, pulchrior euenit:
Luctêre, multa proruet integrum
Cum laude victorem.

Iob. 22. De impiis vero idem Iob. Nonne succissa est erectio eorum, & reliquias eorum deuorabit ignis. Et Esaias. Et perdam Babylonis nomen, & reliquias & germen, & progeniem, dicit Dominus: & paulo infra Abdias ipse, & non erunt reliquiæ Esau Sed pergamus ad reliqua.

Esa. 14.

In die cum stares aduersus eum, quando capiebant alieni exercitum eius, & extranei ingrediebantur portas eius, & super Hierusalem mittebant sortes, tu eras quasi vnus ex eis: & non despicies in die fratris tui, in die peregrinationis eius, & non lætaberis super filios Iuda. Mirus est huius orationis ordo, atque textus, & maximè obseruatione dignus ad nonnulla sacræ scripturę obscura loca facilius intelligẽda. Etenim superior versiculus. *Propter iniquitatẽ in fratrẽ tuũ Iacob operiet te cõfusio, & peribis in æternũ.* Duo continet, vnũ Idumæos iniurios fuisse in cognatos suos Iudæos: alterũ ob eã causã omninò esse delendos.

lendos. Ad ea igitur duo magis explananda tres versus pertinẽt, qui sequũtur. Primus enim versus sequens explanat priorẽ partem superioris versiculi, eam scilicet, *Propter iniquitatem in fratrem tuum Iacob.* Exponit enim atque explicat quãta ista fuerit iniquitas, quam exercuerunt Idumæi in Iudæos. Duo autem versiculi reliqui explanant, atque exponũt illud posterius. *Peribis in eternũ & operiet te confusio.* Itaque totam hanc orationẽ sic liceat construere. *Propter iniquitatem in fratrẽ tuũ Iacob in die cum stares aduersus eum, quando capiebant alieni exercitũ eius, & extranei ingrediebãtur portas eius, & super Hierusalẽ mittebant sortes, tu eras vnus ex eis.* Et mox, *& operiet te cõfusio & peribis in æternũ, & non despicies in die fratris tui in die peregrinationis eius*, quæ versibus cõtinẽtur duodecimo & decimo tertio. Nã est id moris sanctarũ literarũ, vt earum nõnullis in locis mihi obseruasse videor, vt positis prius sine causę redditione duabus simul, aut tribus sententijs, mox ordine quodã subijciant aut explanationes, aut probationes, aut causas earum singularũ singulas suo ordine, non expresso tamen quæ probationes quibus sententijs respondeant. Ex quo nonnumquam maxima existit obscuritas. Quą ex obseruatione exponi potest, & illustrari apud Lucam perobscurus locus, quà Christus aduersus Pharisæos sic dicit. Profectò testificamini, & consentitis operibus patrum vestrorum. (nam sic esse legendũ, & eam esse huius loci germanam vulgatæ editionis lectionẽ, & nõ vt legi vulgò solet, Testificamini quod consentitis, constat non solùm è Græcis codicibus, sed è vulgatæ editionis textu, qui est in emẽdatissimis Biblijs Complutensibus atque Regijs.) Ergò, inquit Lucas, siue potius Christus apud Lucam. Testificamini, & consentitis operibus patrum vestrorum. Et subijcit è vestigio. Quoniam ipsi eos occiderunt, vos

Luc. 11.

autẽ ædificatis eorũ sepulchra. Propterea sapientia Dei dixit: Mittã ad illos Prophetas,& Apostolos, & ex illis occident,& persequentur. Quæ verba eo obscura,& ad intelligendum difficilia videntur esse, quod eius quod dixit. Et consentitis operibus patrum vestrorum, pro causa vt videtur reddit quod statim subijcit, quoniam ipsi eos occiderunt, vos autem ædificatis eorum sepulchra. Nam ex eo quòd Iudæi ædificarent monumenta Prophetarum eorum, quos ipsorum interfecerũt maiores, nulla cõcludi ratione posit ipsos approbare, quod ad eas cædes attinet, facta maiorum suorum, sed improbare ea potiùs colligitur, quãdo eos sepulchri prosequebantur honore, quos maiores sui ignominia dignos duxerunt atq; ad eò morte affecerunt. Qua in re expediẽda mirum est, quomodo se nonnulli torqueant, ea comminiscẽtes, quę nemo fortasse sanus admiserit. At eares expedietur facilè, si modo, id quod dixi, obseruemus. Nã in illo, testificamini,& consentitis operibus patrum vestrorum quamuis præcisè, & tacitis quibusdã verbis posito, duo diuersa affirmantur: Primùm ipsos Iudæorum Sacerdotes, & Pharisæos fateri atque testificari ab iis se esse progenitos, à quibus veteres fuerũt occisi. Prophetæ, ea enim vis est illi⁹ verbis testificamini. Nã addi debet. Testificamini ducere vos gen⁹ ab illis. Et ita legi
Matth. 23 tur in Matthæo, in vigesimotertio. Testificamini quod estis filij eorum qui prophetas occiderunt. Alterum, quod affirmatur, est factis ipsos consentire cum patribus suis, hoc est imitari exempla maiorum occidendo Prophetas. Harum igitur duarum sententiarum nudè prius positarum probationes, Diuus Lucas protinùs subiicit,& prioris quidem prius hoc modo. Nam illud testificari Iudæos se esse natos ab is, qui interemerunt Prophetas, confirmat sic dicens, quoniam illi eos occiderunt,& vos eorum monumenta ædificatis, quo illorum scilicet vobis placetis manes, nequam iram conceperunt aduersus maiores vestros, à quibus sunt interfecti, eã in vos effundant: quod nihil aliud est, quã fateri à quibus illi occisi sunt, ab eisdẽ vos fuisse progenitos. Illud porrò alterũ quod in eadem oratione subiungitur consentire illos factis cum maioribus suis,& similiter atque illi grassati sunt in Prophetas,& ipsos grassari cõfirmat non illis quidem verbis, quoniam illi eos occiderũt & vos eorum monumẽta ædificatis. Nihil enim afferre posset, quod eius consensionis & approbationis minus faceret fidẽ, sed illis quæ è vestigio sequũtur, propterea sapientia Dei dixit. Mittã ad illos Prophetas & Apostolos,& ex illis occident & persequentur: id est, cõfirmat id quod dixerat imitari eos exempla maiorũ à testimonio, quoniã esset ab Spiritu sancto prędictũ fore, vt illius ætatis Iudæi mortem illaturi essent multis sanctissimis viris, more imitati suorũ, qui & ipsi impiè & immaniter interemerũt Prophetas. Itaque si singulis quæ in principio proposita sunt singulas probationes post subiectas reddamus, discussis omnibus tenebris, suus illi orationi sensus constabit. Sed ad nostrum redeamus.

In die, inquit, cum stares aduersus eũ. Enumerat iniuriæ ab Idumęis illatę singulas partes, vt eo magis ipsam amplificet, qđ enim vno penè verbo posuerat Idumæos ꝓpter iniquitatẽ, quã exercuerunt in Iudęos fratres suos esse delẽdos id pluribus mox explicat verbis. *Propter iniquitatẽ*, inquit. Sed quamnã iniquitatẽ? *Quam operatus est*, inquit, *quando capiebant alieni exercitum eius, & extranei ingrediebãtur portas eius, & super Hierusalem mittebant sortẽ*, id est, quam certè in eum eo exercuisti tempore, quando illius misereri debuisses maximè, id est, quando illum inimici hostiliter diripiebant. *In die cum stares aduersus eũ.* Rupertus abbas existimat Abdiã his verbis

Universidad de Deusto Biblioteca

significare expeditionẽ Idumæorum in Iudęos, rege Iosaphat, de qua in libris Paralipomenõ fit mẽtio, qua scribitur. Amonitas & Moabitis coniũctis armas cum Idumæis, magnaq; militũ comparata manu, studio Hierosolymorum vrbis & nominis Iudæorum delendi irrupisse in Iudęam, sed repulsos virtute Dei. Sed hoc dicitur sine dubio non rectè. Primò quia in ea epxeditione Idumæi & eorũ socij nullã cladẽ scribũtur intulisse Iudæis: ipsi potius maxima clade affecti fuisse dicũtur: hic verò magnæ cuiusdã cladis opera & auxilio Idumæorum Iudæis illatæ mentio fit. Quod apertè illa indicant. *Quãdo capiebant alieni exercitũ eius, & extranei ingrediebantur portas eius, & super Hierusalem mittebant sortẽ.* Deinde: quia, vt infra dicetur, huius Idumæorum impietatis, atq; sceleris causa dicitur futurũ, vt eos sic Deus debilitet & ad nihilum redigat, vt deinceps nemini auxilio esse aduersus Iudæos possint. Constat autem multo post illa tẽpora Iosaphat, tempore, scilicet, Sedechię Iudęorum regis, Idumæos auxilio fuisse, Chaldæis vrbẽ euertentib⁹, vt iam demõstrauimus: igitur hæc nullo modo intelligi possunt de illa Amonitarũ in Iudæam expeditione, de qua Ruperto Abbati videtur. Quare Dionisius ad id tẽpus ista pertinere putat, quãdo rex Iudæorum Ioachim in Babylonẽ ductus est captiuus, octauo regni Nabuchdonosoris anno, de quo in quarto libro historiæ Regum fit mẽtio. Quo tempore dicit Dionysius Idumæos auxiliatos fuisse Chaldæis, eoq; dici in die cũ stares aduersus eum, quando alieni, id est Chaldæi capiebã exercitum eius: nimirum Ioachimum & omnes viros militares cum eo, & ingrediebantur portas eius, scilicet, vrbis Hierosolymorum. Cui sentẽtiæ Lyranus etiã assentire videtur, quamquã ad extremum nõ perstat. Sed neque probari ea sentẽtia vllo modo potest, tum quia eo tempore

Paral. 2. c. 20.

Reg. 4. cap. 24.

pore vrbs Hierusalẽ, vt in libris historiæ Regũ scribitur, direpta atque exusta nõ fuit: at hic Idumæi simul cũ Iudæorum hostibus eam diripuisse, & sortiti fuisse prædã dicuntur: tum quia vti dixmus, prædicitur infra futurũ vt Idumæi deinceps non sint nocituri Iudęis: nec de eorũ gauisuri ruina, & cõstat anno duodecimo post captũ Ioachimum, vrbẽ à Chaldæis captam & direptam, & solo fuisse æquatã, Idumæis suppetias ferẽtibus, vt memoratur in Psalmo, & vt è Ieremiæ libris pluribus locis colligitur. Quare dici necesse est de eo quando vrbs est euersa à Chaldæis intelligi ista deberi, qua in euersione Idumæi Chaldæis egregiã nauarũt operã, armaq; cõtra Iudæos tulerũt. Quãta porrò Idumæorũ in eo inhumanitas fuerit & impietas, hac viticinatione explicatur. Est enim valde inhumanum eorum qui miseri sunt, non solúm nõ misereri, sed de eo etiam quod iniuria ipsis fiat, lætari: nec lætari modo, sed amplificare eam etiã, & eos qui inferũt acuere, & accẽdere, eisque authores esse ne qua in re victis parcant, aut se ab humanitate vinci permittãt. Quæ sentẽtia meritò probatur Hieronymo. Sed vt cũq; hæc ad veros Idumæos pertineãt, tamen dubitari nõ potest, quin accõmodari vniuersa rectissimè possint ijs Idumæis, quibus id nomẽ figuratè tribuimus. Nã his verbis primò significatur Iudæorũ, atq; gentiũ acerbitas aduersus orientem Ecclesiam. Nam sacerdotes Iudæorum primùm, Imperatores autem Romani postea summa vi Christianorum nomen atque religionem extinguere conati sunt. Itaque illa: *In die cum stares aduersus fratrem tuũ*, & cætera quæ sequũtur, varios eorũ Idumæorum in Ecclesiã insultus, multiplices appetitiones, tormentorum sæuissima genera, nocendi artes innumeras, exilia, vincula, virgas, secures, quibus innoxias Christianorum ceruices subiecerunt, figuratè significant

Psal. 136.

cant, & ob eam causam, id est, ob immane istud scelus Romanorum imperij, quod hic futurum prædicitur, cõcidit magnitudo. Præterea hæc eadẽ significant id omne, quod aduersus pios impij moliuntur, ac faciunt. Sẽper enim improbi calamitati, & exitio fuerũt probis & sanctis viris, eosque semper perdere atque delere studuerunt, aut si id minus potuerunt, illud certè efficere semper conati sunt, molestijs inferendis, vt acerbam illis vitam redderent: quemadmodum Esau Iacobo, & Idumæi semper fuerũt infesti Iudæis. Et certè quod hic dicitur. *In die cũ stares aduersus eum, quando capiebãt alieni exercitum eius*, id quotidianis exemplis demõstratur. Nã etsi improbi semper aduersentur probis, tamen nunquam æquè acerbi, atque sæui sunt, atque cum eos in malis constitutos vident: eorum enim mala, non solum illos ad misericordiam non flectunt, sed odio inflamant aduersus ipsos: itaque accenduntur studio nocendi, vt nisi eorum miserias augeant, sibi satisfactum non putent. Quorum ingenia quòd Dauid probè cognosset, in Psalmo dicebat. Qui tribulant me exultabunt, si motus fuero. Et alibi. Et aduersum me lætati sunt, & conuenerunt: congregata sunt super me flagella. In quos etiam illa sunt Salomonis. Qui despicit pauperem contumeliam irrogat factori eius, & qui ruina lætatur alterius: nõ erit impunitus. Sed videamus quod sequitur.

Psalm. 12
Psalm. 34
Proue. 14

Et non despicies in die fratris tui, in die peregrinationis eius, & non lætaberis super filios Iuda in die perditionis eorũ, & nõ magnificabis os tuum in die angustiæ, neq; ingredieris portas populi mei in die ruinæ eorum, nec despicies tu in malis eius in die vastitatis illius, & non emitteris aduersus exercitũ eius in die vastitatis illius, neq; stabis in exitibus vt interficias eos qui fugerint, & nõ cõcludes reliquos eius in die visitationis. Enumerat

rat per cõgeriem omnia ea; quæ victores vrbe capta faciũt. Sed expẽdamus prius singula verba, vt eorũ sensus posterius facilius enodemus. *Et non despicies in die fratris tui.* Despicere aut videre, proprietate istarũ literatũ, interdũ accipitur pro lætati, aut voluptatẽ capere de alio rum miserijs, & pro explere atque satiare vindicta oculos atq; animũ vt apparet, in illo Psalmi. Cum perierint peccatores, videbis, id est, lætaberis. Nã est quatenꝰ iusti lætari possũt de malorũ interitu, quod eo, & gloria illustretur Dei, & pij, quos illi iniustè opprimebãt, vindicẽtur in libertatẽ, & similiter in alio Psalmo. Retributionem peccatorũ videbis, id est, lætaberis, quod peccatoribus pro meritis pœna reddetur: quod ita deberi intelligi ipse Dauid interpretatus est alibi dicẽs. Lætabitur iustus cùm viderit vindictã, manus suas lauabit in sanguine peccatoris, id enim est lætari, q̃ videre, quo etiã modo accipi debet hoc loco. *Et non despicies in die fratris tui*: id est, non iã eueniet, vt voluptatẽ deinceps vllã possis capere de calamitate fratrũ tuorũ: idq; explanat quod sequitur. Nã subiicit. *Et nõ lætaberis super filios Iuda.* Sed addit. *Et nõ magnificabis os tuũ in die angustiæ*, id est, nõ insultabis in illorũ miserias, nec eos amarè irridebis. Nã id significat magnificari os ex habitu atque oris gestu, quo, qui in miseros insultant, vtuntur: diducunt enim os, atq; dilatant, buccasque inflãt, qui calamitosis illudunt: vt apparet in illis, qui in Christum crucifixum insultantes dicebant, vah, qui destruis templum Dei. Illud enim, vah, nisi diducto, & inflato ore promo, vbi huius loquendi modi & vim, & causam explicat dicens. Dilatauerunt super me os suum, & statim ἐξηλητικῶς, dicentes mihi, euge euge. Illud enim irridentis, euge, oris dilatatione nominatum est. Nam habent

„Psal. 36.
Psalm. 90
„Psal. 34

habent hoc ſacræ literæ ſuum quodammodo & proprium, vt quaſdam res nõ ſuis nominibus nominẽt, ſed ijs verbis ſignificent, quibus ſignificatur is habitus atq; oris geſtus, qui eis rebus aut more, aut natura debetur, quandoquis eas, aut agit res, aut commemorat. Et vt de ore nunc dicam, prout oris habitus, atque geſtus varij ſunt, ita eius nomẽ ſumitur in ſacris literis ad varia ſignificanda, quorum nonnulla exponam doctrinæ cauſa. Cũ quis magnis de rebus orationem habet, aut etiã cum ira excitatus in aliquẽ fertur, rabidus, aperto latiũs ore id ferè facit: ex quo aperire os, aut apertũ eũ tenere ſignificat in his literis, interdũ eloqui res magni momẽti. vt in illo. Aperiens os ſuum docebat eos, & in illo. Aperiã in parabolis os meũ. Interdũ habere odio aliquem, & in ipſum inimicè ferri, vt in illo pſalmi. Aperuerunt ſuper me os ſuũ, ſicut leo rapiẽs & rugiẽs. Præterea, qui crimi-
Matt. 5.,,
Deu. 24.,,
Pſal. 21.,,
nis alicuius ita cõuincitur, vt dicẽdo nõ poſsint cõtraniti, pudore ſuffuſus os claudit manu ſæpè, aut digito ſupra poſito. Quare ponere manũ ſuper os in his literis ſignificare ſolet criminis cõuinci, ac pudore affici, vt in illo videbunt gẽtes, & cõfundentur, ponẽt manũ ſuã ſuper os
Mich. 7.,, ſuũ. Ad hæc lugẽtis eſt, & eius qui ſuã miſeriã agnoſcẽs
,, diuinam implorat opem, ſeſe ad ſolum allidere, & terræ os admouere, vt Iobus feciſſe dicitur ſuorum filiorum mortis audito nuntio: ex quo in ſacris literis, ponere in puluere os, poni ſolet ad ſignificãdam ingẽtem calamitatis vim, & in calamitate opis diuinæ implorãdæ ſtudiũ
Thrẽ. 3.,, ſummũ, vt liquet ex illo. Bonum eſt viro cũ portauerit
,, iugum ab adoleſcentia ſua, ſedebit ſolitarius, & tacebit,
,, quia leuauit ſe ſuprá ſe: ponet in puluere os ſuũ, ſi forte ſit ſpes. Et hac igitur ratione loquẽdi, & hoc exiſtit quod aduerſus Idumæos ſcribit Abdias. *Et non magnificabis os tuũ.* ideſt, nõ iã inflato ore, labijſque diductis Iudæorum miſerijs inſultabis, quoniam illudentiũ alteri atque inſultantium is oris habitus eſſe ſolet. Sequitur. *Nec ingredieris portam populi mei in die ruinæ eorum*, portam populi, id eſt, vrbis portam quod fit expugnata vrbe, atque capta. *Nec deſpicies in malis eius in die vaſtitatis illius*, id eſt, cum vrbe capta ſingulas domos milites diripient. Nam eo tempore multa fiunt, ſupra quam dici poteſt, flagitioſè & crudeliter. *Et nõ emitteris aduerſus exercitum eius in die vaſtitatis illius.* Nam vrbis amplius tuendæ ſpe amiſſa præſidiarij milites, cæteriq; ciues, quacunque poſſunt, fuga elabuntur, contra quos victores leuis armaturæ equitatum ſæpe mittũt. Quamquã id ſic etiam verti poteſt. *Et non extendes manum ad opes eius in die direptionis eorum*, id eſt, direpta vrbe, nihil ex præda ad te perueniet: quod ſequutus Chaldæus ſic vertit. *Nec extendiſti manum tuam ad eas facultates in die excidij eius.* Sed pergit, *Nec ſtabis in exitibus viarum, vt interficias eos qui fugiunt*, Pro exitibus, verbum quod eſt in Hebræo ſignificat fractiones: fractiones autem in rupibus & in terræ abſceſſu dicuntur hiatus quidam, & cauernæ ad latendum accõmodatæ, Hiſpanè, quiebras. Ergò ſuperato vrbis, aut dirupto muro, hoſtibuſque ipſam vrbem ingreſſis, multi mortis metu in huiuſmodi cauernas abdunt ſe, quas obſidere ſolent hoſtes, vt eo confugientes trucident. *Et nõ concludes reliquos in die tribulationis.* Nam multis interfectis capiuntur alij ſerui victorũ futuri, quos victores ipſi concluſos victos tenent. Atque hæc quod ad verba attinet.

Quantum vero ad eorundem verborũ atque totius orationis ſententiam pertinet, ſciri debet, non vnius eſſe eam modi. Nam Paraphraſtes Chaldaicus omnia iſta futura præteriti temporis verbis vertit, & inſuper addit cauſalem particulam iſto modo. *Quia vidiſti in die fratris tui, & quia lætatus es, & quia multa magnificè loquutus es.* Quomodo reddit cauſam propheta, vel quare Edom periturus eſſet, quod ſuprà

prà versu ab isto secundo futurum prædixerat: vel certè quare dixisset versu proximè superiori. *Quando mittebant super Hierusalem sortem tu eras vnus ex eis*, nimirum, *quia vidisti in die fratris tui, & quia lætatus es de ruina eius*, & quæ sequuntur cætera. Alij vniuersa futura ista, despicies, lætaberis, magnificabis, pro his imperatiuis accipiunt, ne aspicias, ne læteris, ne magnificeris, quod à consuetudine istarum literarum alienum non est, eaque cum superioribus isto modo coniungunt. *Quando mittebant sortem super Hierusalem, tu eras quasi vnus ex eis*. Cum tamen Dominus sic præcepisset tibi, ne aspicias, neve læteris in die fratris tui, id est in ruina proximi tui, & eius præcipuè proximi, qui sanguine tibi & cognatione coniunctus esset. Quibus verbis, si modo hæc est eorum verborum sententia, non prædicitur aliquid contra Idumæos, sed eorum in Iudæos iniquitas magis amplificatur diuini commemoratione præcepti, quod Idumæi Iudæorum elati odio contempserunt atque violarunt. Alij porrò ea futura eius esse modi dicunt, qui à Grammaticis nonnullis inducitur, & potentialis vocatur, quique, vt videtur, præter alios est necessario inducendus, quo significatur, quid in eo de quo agitur deceat, fierive possit: quomodo, non despicies, quod scribit Abdias, hanc habet vim, non debuisses despicere, lætari non debuisses, non decuisset insultare in afflictos, & similiter cætera: quale est illud Poetæ.

Nam te nec sperent tartara Regem
Nec tibi regnandi veniat tam dira cupido

Nec sperent, id est, sperare non debent. Et certè isto modo accipiatur, quod in Psalmo quodam scribitur. Os habent & non loquentur: oculos habent & non videbunt, id est, non poterunt nequevidere, neque loqui, quãuis aures habeant atque oculos. Et in Genesi quodam in loco, pro

Psal 134.

Gene. 20.

pro eo quod nos, Quæ non debuisti facere fecisti nobis, in Hebræo ad verbum sic legitur. Quæ nõ fient, fecisti nobis: non fient, id est, fieri non debent: & sic nõ vaticinatur his verbis propheta aduersus Edõ, sed obiurgat ipsum potiùs quod humanitatis oblitus ea aduersus Iudæos fecerit, quę nulla certè humanitatis ratio fieri permittit, & crescit oratio per singula mẽbra, omnibusq; sui partibus per augmentũ scelus Idumęorũ amplificat. Quasi sic dicas: humanum non fuit, vt calamitatẽ fratris tui oculis lætis aspiceres, aut si hoc dabas odio, certè os tuũ, quod inhumanius est, magnificare non debuisses in illum, aut si & hoc tibi licere voluisti, ingredi non deberes vrbem quando ea diripiebatur ab hostibus, nec haurire oculis illud tam tetrum & tam crudele spectaculum: fuit enim id multò inhumanius: aut si & hoc placuit, tamen intercepisse fugientes, trucidasse latitantes, id est, adiunxisse te socium hostibus, in omni illorum immanitate & facinore, cuius quæso fuit animi? Quis ve bonus id pati possit? Quis ferre? Sed quamuis verum sit futura interdum isto modo in sacris accipi literis, in hoc loco ita accipi debere non puto, nec istas huius loci explanationes vllo modo probo, aut admitto. Primùm quia veteres ferè omnes, quorum sensus ratio præcipuè habenda est, censent in hac oratione alicuius rei futuræ prædictionem inesse. Sic Hieronymus, sic Theodoretus, sic abbas Rupertus, sic vtraque glossa, & minores Alij, Dionysius atque Lyranus. Deindè quia in ijs explanationibus, quas suprà retulimus futura verba accipiuntur pro præteritis, quod Augustinus in concione quadam dubitat, vtrùm in sacris literis fiat: & quidem quamuis id sæpè fiat, quando Hebræi pro sua loquendi ratione particulam, Vau, verbis adiungunt, tamen eam cum non addunt, neque *Δυνάμει*, neque re, perrarò futura verba mutantur. Postremò quia quæ sequuntur demon-

Augustin in Psal. 103. Concione. 2.

demonstrant, iis significatas verbis esse futuras Idumæorum miserias. Nam statim post illa, *Et non concludes reliquos eius in die tribulationis* sequitur *Quoniam iuxta est dies Domini super omnes gentes, quemadmodum fecisti fiet tibi*, id est, quoniã paulò post futurum est, vt Deus pœnas repetat de omnibus gentibus, inter quas & tu pœnas daturus es pro sceleris, quod admisisti ratione: idcircò consumptus bellis, non is eris de cætero, qui vlli mortalium, nedum Iudæis fratribus tuis, molestiam exhibere possis: Itaque idcirco non iam amplius despicies in die fratris tui, nec os tuum magnificabis in illum. Ergò si quia Edom supplicio afficiendus est & propè ad nihilum redigendus, ideò de illo dicitur, futurum vt deinceps non despiciat nec voluptatem capiat de eo quòd in malis versentur Iudęi, si quando iterum acciderit, vt illi in malis versentur, perspicuũ sanè est ea verba ad id pertinere, & spectare tempus quando meritas pœnas Edom subiturus est, id est, spectare ad tempus futurum, & vt inquit Hieronymus, „ hæc verba significant, cum interierit vir de monte Esau, „ & operuerit eum æterna confusio, nequaquam faciet „ quod fecit ante contra germanum: non enim despiciet „ videns fratrem suum ire captiuum, nec lætabitur super „ filios Iuda, & ideo illa non faciet, quia similia patietur. „ Itaque huius orationis verba coniungi debent, quomodo supra dixi, cum illa superioris versus parte. *Et operiet te confusio, & peribis in æternum*, & quod istis est consentaneum atque consequens, *Non despicies in die fratris tui*, & cætera quæ sequuntur, quemadmodum etiam Abbas Rupertus docuit coniungi deberi.

Sed hac recepta atque probata sententia, dubitatio statim oritur quomodo verum sit, quod hîc futurũ prædicitur, Idumæos non futuros molestos in reliquũ tempus Iudæis, nec de eorũ calamitatibus amplius gaudiũ: capturos

ros, quod ipsis implicitis suis malis vacaturum non esset, res vt aliorum curarent: cum, post illa Hierosolymorum vrbis à Chaldæis euersæ tempora, & Idumęorum viguerit respublica, & Iudæi ab eo tempore ad id vsque tempus, quando in potestatem Romanorum venerunt, à suis hostibus sæpius appetiti primũ ab Antiocho, deinde à Pompeio, præterea à Casio, demum à Vespasiano atque Tito maxima pertulerint mala, spectatoribus Idumæis? Quod vsque eo verum est, vt affirment ex Iosepho nonnulli, Romanis vrbem obsidentibus atque vastantibus Idumæos auxilio venisse. Hunc nodum glossa ordinaria hac ratione dissoluit. Affirmat Chaldæos post captum à se Iechoniam Iudæorum Regem, & in Babylonem abductum, antequam vndecimo post anno arma iterum caperent in Iudæos, quando vrbem penitus exciderunt, illo medio tempore bellum Idumæis intulisse, eosque occidione occidisse. Sed hæc ratio admitti non potest. Primò quia vt supra demonstratum est, Idumæi non fuerunt deleti à Chaldæis ante Hierosolymas excisas sub Sedechia, quin ipsi eas exciderunt adiuncti Chaldæis: quod non solùm ex Psalmo centesimo tricesimo sexto liquet, sed aliquando etiam apertius colligitur, ex eo quod in „ Threnis Ieremias scribit, quà dicit. Gaude & lætare filia „ Edom, quæ habitas in terra Hus, ad te quoque perueniet „ calix, inebriaberis, atque nudaberis. Nam ista Ieremias „ scripsit tempore Sedechiæ vrbe iam à Chaldæis euersa, & Iudæis in captiuitatem abductis: quare, quia Idumæi operam nauarunt Chaldæis in vrbe diruenda, & capienda, idcircò & ipsi dicuntur iræ Dei amarissimum hausturi poculum, id est, subituri sortem non dissimilem. Ad hæc quia, vt modo dicebam, post victos à Chaldæis Iudæos & Babylonem abductos, Idumæorum respublica viguit per multos annos, quibus in annis bello

laceſsiti, ſæpius malè pugnauerunt Iudæi. Itaque ſuperati à ſuis hoſtibus fuerunt, atque direpti: eaque illorum mala Idumæi non ſolùm hauſerant oculis, ſed & quod in ipſis fuit, amplificarunt ſemper & maiora fecerunt. Quare fortaſſe non nemo dicat non hîc dici, Idumæos non iam amplius Iudæorum mala viſuros, aut ea non amplificaturos magis: ſæpius enim poſtea, vt dictum eſt, Iudæos viderunt Idumæi in aduerſis verſari rebus: ſed dici, quod ea viderunt, lætatiſque propterea ſunt, id eis impunè non futurum in poſterum. Itaque quod dicitur. *Non deſpicies in die fratris tui, & non lætaberis in calamitate eius, & non ingredieris portas illius, nec capies exercitum eius, nec interficies exercitum eius*, ſic explanare licebit. Non tibi impunè erit in poſterum, quòd cum frater tuus à Chaldæis hoſtibus ſpoliaretur, & captiuus abduceretur, lætatus ſis, nec lætatus modo fueris, ſed etiam ſis hortatus Chaldæos, vt quod ipſi ſua iam ſponte faciebant, tua etiam cauſa atque hortatu facerent diligentius, vt Iudæis ne victis quidem parcerent, ſed crudelitatis ſuæ in ipſos acerba exempla ederent. Et quoniam ob iſta in Iudæos tam impia facta fore Abdias dicit, vt Idumæi maximo ſupplicio afficiantur, idcircò, tam per partes omnia ſigillatim, & minutatim enumerat, quò intelligant Idumæi nihil eorum latuiſſe Deum, ſed omnia ipſum habere in numerato, & in promptu, eſſeque ea ſuo tempore ſingula ad pœnam ab ipſo, & ad ſupplicium vocanda. Sed nec hæc mihi explanatio ſatis probatur: quin verum eſſe ſine dubio puto, ſuprà quod dixi, hæc non propriè conuenire veris Idumæis, ſed de illis tantum dici, qui figuratè ſunt Idumæi: nam, vt diximus: propheta agit de vtriſq; & præcipuè de figuratis. Quare etſi dicere de veris inſtituit, tamen ſæpe ad figuratè dictos conuertit ſermonem ſuum, ipſa rerum inter ſe conſentiẽtium ſimilitudine inductus.

Nam

Nam in ijs vaticinationibus, quando vnà re proprie prædicenda vates inducuntur ad aliam illi ſimilem & eadem ſublimiorem videndam, & prędicendam rem, multa ſæpè dicunt, quæ priori rei non ſatis conueniant: quale eſt hoc quod Abdiæ nunc accidit. Nam ex impietate, quam exercuerunt Idumæi in Iudæos, quando Hieroſolymas euerterunt Chaldæi, cuius in impietatis cogitatione fixus hærebat, ad ea ſublatus mala cognoſcenda, quæ probis improbi ſunt illaturi, & vtrorunque hominum fortunæ atq; vitæ exitum videns, ad figuratè Idumæos mentem ſuam & orationem conuertens, eorumque prædicere fata volens, ſcribit. *Et non deſpicies in die fratris tui, nec magnificabis os tuum in die angustiæ.* Quaſi ita loquatur. Quales veri Idumæi exhibuerunt ſe Iudæis, cum eos deuaſtabant Chaldæi, tales vos, qui ſtudiorum imitatione alter eſtis Edom, futuri ſemper eſtis in bonorum atq; fidelium Eccleſiam, iniurij nimirum atq; impij: ſed ſi illi veri Idumæi viderunt penitus euerſos, & in captiuitatem abductos Iudæos, ſiq; ſuis hauſerunt oculis gratum illud ſibi ſpectaculum, tamẽ id vobis imitatoribus eorum nunquam continget, vt extinctam aut euerſam prorſum videatis Eccleſiam: poterit illa quidem variè à vobis vexari, & certè vexabitur à vobis ſæpiſsimè, tamen ad extremum inuicta perſiſtet. Itaque tandem, nec deſpicietis in malis eius, nec lætabimini de eius vaſtitate, nec intrabitis portas eius, neque diripietis eam, aut vaſtabitis vnquam, ſed illa immota manebit, & firmior indies, & vegetior reddetur, & aſſultus omnes veſtros & impreſsiones cõtemnet, vos autem ad nihilum redacti tandem in ſempiterna morte iacebitis. Cui eſt conſentaneum, quod ſequitur.

Quoniam iuxta eſt dies Domini ſuper omnes gentes, ſicut feciſti fiet tibi, retributionem tuam conuertet in caput tuum: quomodo enim bibiſti ſuper montem ſanctum meum bibent omnes gentes

iugiter, bibent & absorbebunt, & erunt quasi non sint Nam fieri potest vt morum imitatione Idumæi, de Ecclesiæ interitu non lætentur, vel quoniam antequam finiatur Ecclesia interibunt ipsi: vel quoniam ea Ecclesię stabilitatis atq; durationis ratio est, vt nullo possit tempore excindi, vel certè vtroque simul, quoniam ipsi male perituri sunt, & piorum Ecclesia indies maior atque clarior futura est. Quare Abdias quo suæ vaticinationi maiorem adiungat fidem, prædicit fore vtrumque, & vt improborum conuentus tandem intereat, & vt piorum vigeat magis in singulos dies Ecclesia. De bonorum salute infrà, de malorũ interitu nunc. *Quoniam*, inquit, *iuxta est dies Domini super omnes gentes.* sed hoc loco aduertendũ est diligenter non vno simul tempore aut puncto temporis neque cõuentus impiorum interituros, neque piorum Ecclesias ascẽsuras ad suæ dignitatis fastigium, sed paulatim atque sensim, progressu ætatis, annisque se circumagentibus & illos cadere, & hos caput attollere, eo vsque quoad extremo mundi tempore omnibus impijs de medio sublatis, soli pii rerum potiantur in vita constituti æterna & fœlici. Sed quã uis ista aut impiorum miseria, aut piorum secunda fortuna longissimi temporis spatio atque lapsu, multisque sibi succedentibus sæculis perficiatur, & ad exitum perducatur, tamen sacri vates quoniam vno aspectu simul ea vniuersa videbant, quæ ipsa in se diuisis atque partitis temporibus fiunt, quomodo ea videbant, eodem ipsa modo eloquuntur alia addentes super alia, neque tempora distinguentes nec loca sed simul omnia copulantes atque miscentes, quod & hîc Abdias facit, cùm dicit. *Quoniam iuxta est dies Domini super omnes gentes, sicut feci sti fiet tibi, retributionem tuam conuertet in caput tuum.* Omnibus enim gentibus, quæ imitantur, aut imitaturæ Edonitas vnquam sunt, postremas calamitates denuntiat: quas illæ subibunt nõ vno omnes,

omnes tempore, sed aliæ alijs temporibus. Itaque earum impiarum & fidelibus populis infestarum gentium alias iam Deus gentes extinxit, alias extinguet mox, ab alijs futuro tempore pœnas meritas repetet, vniuersasque tandem infernis inclusas locis sempiterno infortunio mactabit. *Quoniam inquit iuxta est dies Domini.* Propè esse ea dicit, quæ nisi multis euolutis sæculis fieri omninò non debent, dicit autem ea esse propè, primò, quia ipsomet tempore, quando ea Abdias futura prædicebat, fieri cœpta erant, ex eoque tempore deinceps sine intermissione efficiuntur: deinde quia sicuti Deo ea omnia erant præsentia, sic propheta ipse in lumine, quo illustrabatur à Deo, quod est ad exemplum diuini luminis effictum lumen, omnia quasi si instantia essent videbat: postremò, id fortasse dictum est ex improborum ipsorum, quos ista mala capiunt, iudicio atque sensu: ijs enim mali & aduersi quidquid aduenit, nimis cito aduenisse videtur: & licet pro illorum improbitate, atque scelere nimis serò Deus in eos animaduertat, tamen ipsi sua sibi bona citò adimi, perbreuemq; eorum vsum ipsis concessum à Deo esse, & in ipso fœlicitatis suæ cursu vitam sibi celerrimè eripi dicunt, atque queruntur, vt appareat in illis, quos Sapiens ita lamentantes inducit. Transierunt omnia illa tanquam vmbra, & tanquam nuntius præcurrens: & paucis interpositis verbis, & nos nati continuò desiuimus esse. *Quoniam iuxta, inquit, est dies Domini.* Dies Domini, id est iudicij, quòd Deus vel in singulos homines exercebit vltimo ipsorum vitæ die, vel in vniuersos postremo mundi tempore. Sic Petrus: Dies Domini sicut fur in nocte. Et Esai. Ecce dies Domini venit crudelis, & indignatio, & ira furoris. Nam huius vocis, Diei, varius in sacris literis atque multiplex vsus est: Interdum enim vitæ cuiusque calamitosum tempus, hoc est, omne id tempo-

„ *Sap. 5.*

„ *2. Pet. 3.*

„ *Esai.*

ris ſpatium quo quis in ærumna & calamitate verſatur, dies cuiuſque dicitur, vt paulo ſupià. *Et non deſpicies in die*
Pſal. 136. *fratris tui*, & in Pſalmo ſimiliter. Recordare Domine filio-
„ rum Edom in die Hieruſalem. Interdum tempus aduen-
Ioan. 8. „ tus Chriſti Dies appellatur ipſius, vt apud Ioannem. Abra
„ ham exultauit vt videret diem meum, vidit & gauiſus eſt.
Ioan. 9. „ Rurſus apud eundem. Ambulate dum dies eſt, ne vos te-
„ nebræ comprehendant. Interdum etiam id ponitur pro
Pſal. 38. „ vitæ cuiuſque ſpatio, vt in illo Dauidis. Ecce menſura-
biles poſuiſti dies meos. Interdum pro puritate vitæ, at-
que candore, vt in illo, quod Paulus ad Theſſalonicen-
Theſſa. 1 „ ſes ſcribit. Vos filij lucis eſtis, & filij diei. Interdum dies eſt
1. Reg. c. „ mors cuiuſque, & interitus, vt in Regum hiſtoria. Aut ve-
23 „ niet dies ipſius & morietur. Et apud Iobum. Super die
Iob. 18. „ eius obſtupeſcent poſteri. Denique dies accipitur pro
„ commendatione atque laude, vt apud Paulum in priori
1. ad Cor. ad Corinthios Epiſtola. Mihi autem pro minimo eſt vtà
vobis iudicer, aut ab humano die: qui locus, quoniam
paulò obſcurior ſemper eſt habitus, age de eo aliquan-
tò latiùs differamus. Non enim tanti facio, Paulus, in-
quit, aut quòd vos de me exiſtimetis benè, aut quòd
quiſquam alius me ſuis oneret laudibus. Nam contende-
bant inter ſe Corinthij, ad quos Paulus ſcribit de ipſo,
deque Petro, vter vtri eſſet præferendus: & cum vtri-
que primas omnes darent, tamen plurimi eorum Pau-
lo priores partes deferebant, quorum de ſe honorifi-
ca iudicia dicit Paulus ſe ſpernere. Itaque iudicari po-
ſuit, pro laudari, & diem pro commendatione, & fa-
uore: vtrumque non nimis vſitatè, ſed tamen rectè,
quod demonſtrabo: ſed ſeparatim de vtroque, & prius
de iudicandi verbo dicamus, qua ſermonis proprieta-
te, pro laudari ponatur. Nam certè Hebræis iudica-
ri pro condemnari poni ſolet, quod obuia, & per-

uulgata probant exempla. Itaque ea re nonnulli in-
ducti arbitrantur Græci proprietatem ſermonis Pau-
lum ſequutum, idque confirmant quod Scholiaſtes
quidam Græcus Georgius ἀνακρίνεται, verbum, quo ver-
bo Paulus vſus eſt Græcis pro δοκιμάζεται, id eſt, approbari
vſurpari ſolere dicat, ſed falſò vt puto: Hebræos potius &
eorum proprietatem ſermonis Paulum imitatum. exi-
ſtimo, quod ex his liqueat. צדקה & משפת duo apud He-
bræos ſunt nomina, quorum alterum Latine redditum iu
dicium, alterum iuſtitiã ſignificat. His nominibus illi pro-
priè ſignificare ſolent abſolutionem & condemnationẽ
iudicialis muneris duas partes, è quibus, quæ inter diſce-
ptantes duos à iudice fertur, omnis conſtat ſententia: eadẽ
enim ſententia, vnus condemnatur, alter abſoluitur. Ex
his iudicium Hebræis in condemnatione ponitur, in ab-
ſolutione innocentis iuſtitia. Ex quo etiam fit, vt quoniã
his duobus iuris recta dictio continetur, ideò Dauid quo
declararet in Pſalmo, ius à Deò dici rectiſsimè, ſic ſcribat
de ipſo. Iuſtitia & iudicium præparatio ſedis eius, id eſt, „ Pſal. 88.
dominatus eius atque principatus iuriſdictionis æquitate
& rectitudine fundatus ſtabilitur. Nam pro meritis cuiuſ-
que, de quoque ſententiam fert: innocentes enim mulcta
ac pœna liberat, nocentes verò pro talibus habitos debi-
to ſupplicio afficit: & in eandem ſententiam, in Geneſi.
Et cuſtodient viam Domini, vt faciant iudicium & iuſti- „
tiam, id eſt, vt probos abſoluant, improbos iudicio con- „ Gen. 18.
demnẽt: & ſimiliter in Regum hiſtoria, & faciebat Dauid, „ Reg.
iudicium & iuſtitiam omni populo. Nam certè ius omne „
ſubuertitur, quando aut nocentes pœnas iuſtas euadunt,
aut boni ſceleris condemnati in laqueos iudiciorum in-
cidunt. Quæ vocum atque earum ſignificationis diffe-
rentia, & diſtinctio accuratè ab Eſaia obſeruata eſt, &
oſtenſa, quà ex perſona Dei dicit. Expectaui iudicium, „ Eſai. 5.

& ecce iniquitas, iustitiam, & ecce clamor. Nam iudicio id opposuit, quod est condemnationi contrarium : & similiter iustitiæ opposuit id, quod cum absolutione repugnat: quo docuit, in iudicio condemnationis significationem inesse, absolutionem autem iustitiæ significari vocabulo. Nam pro iniquitate, quam opposuit iudicio, vocabulum quod in Hebræo est, propriè adhæsionem aut contagionem significat: quo etiam fit, vt ad lepræ contagiosum significandum morbum transferatur nonnunquam. Itaque ait: Expectaui futurum iudicium, id est, futuros vos scelerum vindices, & seueros aduersus nocentes iudices, & ecce adhæsio, lepræ contagio, id autem est, & ecce non solùm in eorum prauè facta nō vindicatis, sed & vestra cum ipsis studia coniungitis, atq; pari corrupti morbo, & tanquam contagione quadam infecti, ipsos imitati estis in scelere. Et rursus ex alia parte. Expectaui, inquit, iustitiam, ideſt, vt insontibus redderetur à vobis ius suum, & ecce clamor, & ecce inquam pro iure reddendo, ius de nouo subuersum, pro iniustè iusta nota delēda, de nouo iusta iniustissimè nota: pro restituenda innocentiæ opinione falsis criminationibus læsa, nouis accessionibus per vos deterior reddita opinio: Non enim solùm in iudicio non absoluistis innoxios, sed & ipsos noua iniuria affecistis, ipsisque fuistis pro additamento ad miseriam. Nam clamor in his literis eorum est qui opprimuntur iniuria. Igitur Misspath, atq; Cedaca fori atque iudiciorum verba id quod dixi significant. Sed, quamuis ea significent, tamen quia res finitimas significant, & quæ vnà insunt in eodem, atque vnà cohærent, pro Hebræorum proprietate sermonis commutant inter se significationes nonnunquam, & vnum pro altero accipitur. Nam est vbi iustitia pro condemnatione & iustificare pro condemnare ponatur, vt in illo Christi apud Lucam. Et iustificata est sapientia

Luc. 7.

tia à filijs suis: significat enim se sapientiam reprobatum iri à Iudæis legis sapientissimæ filijs, hoc est, in legis doctrina enutritis. Et similiter est vbi iudicium, iudicandiq; verbum, pro absolutione & approbatione sumitur: vt in illo Esaiæ de Christo, iudicium gentibus proferet. In quo sine dubio significat Christum effecturum vt homines à peccatis absoluantur, quibus constricti tenētur, quod & mox magis explanat cum dicit. Dedi te in lucem gentiū, vt aperires oculos cæcorum, & educeres de conclusione vinctum, &c. Et similiter Iob, quando dicit. Abstulit Dominus iudicium meum, id sanè significat, se cum pro sua innocentia lætè deberet agere, tanquam qui conuictus impietatis, atque damnatus esset, sic in ę rumnis versari. Iuxta quem modum & Paulus in proposito loco pro approbare, iudicare posuit, idque posuisse docet quod sequitur. Nam inquit. Sed neq; meipsum iudico, id est, pro bono habeo, & addit, quo magis verbi huius sensum atque vsum explanet. Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum. Illud enim superius, sed ne meipsum iudico, interpretatus est isto, sed non in hoc iustificatus sum. Itaque iudicare pro iustificare constat posuisse, pro Hebraici proprietate sermonis. Atque hæc de iudicio. De dici autem vocabulo, quod pro commendatione, & approbatione diximus poni, Diuus Hieronymus in quadam ad Algasiam epistola, pro consuetudine Græci sermonis eius, quo Cilices vtebantur, ita loqui Paulum affirmat: nam Tharso Cilicię vrbe natum Paulum fuisse cōstat. Sed quid opus est incerta sequi, quādo suppetūt certa? Nā Hebræi quorum sermonis proprietates, & Græcè scribens Paulus singulis penè verbis referebat, isto loquuntur modo. Certè dies illis fœlicitas est, fauor autem & approbatio atque laus inter partes fœlicitatis censentur. Sic enim Ieremias scribit. Tu es laus mea, & diem hominis non

Esai. 42.

Iob. 27.

desideraui. Quasi ita dicat. Tuo de me domine iudicio cõtentus hominum laudes & approbationes non moror. Nec me latet alios id interpretari solere aliter. Theodoretus enim, ab humano die exponit, ab humanæ breuitate vitæ: alij ab eo quantum homines de bonis malisque cognoscunt: Alij pro eo quod ipsis placet, vocum significationes suo fingunt arbitratu, mihi hoc simplicius videtur. Verum instituta exequamur. *Quoniam iuxta est dies Domini super omnes gentes sicut feci sti fiet tibi.* Hoc quidam sic exponunt. Paulò post futurum est, vt Dominus in omnes orbis nationes animaduertat, pœnas repetiturus de singulis, pro cuiusque earum sceleribus, in quibus nationibus & tu Idumæe numeraris, itaque & tu pœnas dabis. Sed vt patebit ex ijs, quæ infrà dicemus, vnum Idumæorum nomen in hac vaticinatione versatur, omnisque eius oratio ad solos Idumæos dirigitur, *Iuxta est*, inquit, *dies Domini super omnes gentes*, id est, mutato numero super te Edom, qui, quæ in alios operatus es eadem es passurus ipse. Vocat autem Edom omnes gentes, quoniam, vt dictum est, hæc scribit de Edom figuratè sic dicto, qui per omnes orbis nationes pertinet. *Sicut feci sti fiet tibi.* Non malè Rupertus cẽset, hoc eã significare pœnã quæ sumitur de improbis in hac vita: illud autẽ superius, *Iuxta est dies Domini*, ad eã pertinere, quã in futura vita dependent. Nã ferè sic accidit, vt in hac vita, quãdo aliquos Deus punit ob sua in alios malefacta, talibus eos afficiat malis qualia ipsi intulerũt, sicut scriptũ est. Qui gladio interficit, gladio peribit. Rursus, qui in captiuitatẽ duxerit, in captiuitatẽ vadet, & qui gladio occidit, oportet eũ gladio occidi. Quod & in ipso licet videre dæmone, qui quoniam hominem suæ seruituti per fraudẽ subiecit, seruus ipse hominum per Christum effectus est. Sed addit ferè in eandem sententiam. *Retributionem tuam conuertet in caput tuum.* Illud *retributionem*, potest accipi vno-

modo pro pœna peccatis ipsorum debita, quæ quia redditur pro peccatis, retributio vocatur, quomodo retributionem conuerti in caput Edom, quod hic dicitur, nihil aliud sit, quam ipsum pœnam meritam subiturum. Alio modo accipi possit actiuè, pro ijs quæ aduersus bonos ipsi fecerunt, quæ mala retributiones vocantur, quod & ipsa nonnullis bonorum peccatis sint debita. Nam vt verè Chrysostomus illa exponens Christi apud Lucam, Fili recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: quod in hac vita malis iusti afficiantur, id nonnullis illorum peccatis fit, quibus vita quamuis iusta, non caret. Itaque id quod boni patiuntur, pro eo ad quos refertur, & iniuria est, & iusta pœna. Qui infert agit iniustè, qui inferre permittit Deus iniusta alterius actione suorum rectissimè peccata punit. Retributionis autem vocabulum hoc sensu solere accipi satis liquet ex illo. Filia Babylonis misera, beatus qui retribuet tibi retributionem, quam retribuisti nobis. Porrò quod dicit. *Conuertet super caput tuum*, qua id dicat Hebraici proprietate sermonis sileri nõ debet. Etenim ea sermonis figura Hebræi significant ingens supplicij quoddã genus. Nam quoniam caput in corpore & supremum locum obtinet, & est cunctis conspicuum: ideò cum dicunt pœnam in alicuius caput conuerti, significant magnum id esse & cunctis notum supplicium, & ob id valde ignominiosum: atque præterea cum maximorum atque charissimorum bonorum amissione, aut certè detrimento coniũctum. Ex quo etiam fit, vt in sacris literis, cũ de pœna improborum atque impiorum agitur, in eo ista oratio vsurpetur, vt apparet in illo. Conuertetur dolor eius in caput eius, & in verticem ipsius iniquitas eius descẽdet. Et in illo. In capite impiorum conquassatio. Et certe diuina iustitia merito comparatum est, vt improbi & scelerati & in bonos viros iniurij pro ijs, quę occultè & per fraudem

Psal. 7.

Ier. 30.

dem contra iustos moliuntur, palàm ipsi, & apertè puniãtur, vt pro leuibus bonis, quibus studio nocendi elati, bonos spoliant, amittant ipsi bona maxima. Qua de re per-
Gene. 3. eleganter & eadem capitis seruata metaphora in Genesi dictum est ad serpentem. Tu insidiaberis calcaneo eius, & ipse conteret caput tuum. Nam quod de serpente dicitur id ad vniuersa eius membra pertinere intelligitur: insidiãtur enim impij pijs, & occultè illis nocere student, & in pedem, id est, in res infimas, hoc est, in terrena, & caduca bona impetum faciunt: At pro eo ipsi plagam accipiunt manifestam in capite, id est, magnas ipsi res, & bona præstantissima amittunt. Addit porrò.

Sicut bibistis super montem sanctum meum, bibent omnes gentes iugiter.

Nonnulli Latini codices, bibisti, & Græcorũ interpretũ versio similiter: sed bibistis legunt numero multitudinis Hebræa & Chaldæa & plura Latina exẽplaria. Montẽ autẽ sanctũ vocat, si de veris Idumæis ista intelligi volumus, vrbem Hierusalem, quod in ea mons esset Moria, cuius in vertice montis situm erat sanctissimum Dei templum, sin autem ea intelligimus, vt intelligi certè debent, de figuratè Idumæis, mons Dei sanctus, hominum fidelium Ecclesiam, cui se semper conuentus impiorum opponunt significat. Porrò bibere in sacris literis in vtranque partem accipitur. Interdum lætari significat quoniam lætitia conui-
Esai. 65. uij comes est, quo in sensu Esaias scribit. Serui mei comedent, vos esurietis: serui mei bibent, hoc est, lætabuntur, & vos sitietis, id est, tristitia & mœrore afficiemini. Interdũ contra significat malum ebibere, atque sustinere grauissimum, vt in quarto, & septuagesimo psalmo. Hunc humi-
Psa. 74. liat, & hunc exaltat: quia calix in manu Domini vini meri plenus mixto. Et inclinauit ex hoc in hoc. Veruntamẽ fex eius non est exinanita: bibent omnes peccatores terræ, vocum

cum ergo sic explicatavi, quod ad sententiã orationis attinet, sciri debet, non conuenire in eãdem sententiam omnes, sed alios aliam, itaque tres omninò diuersas expositiones inducere. Quidam enim bibendi verbum quod bis in ista oratione ponitur, in vtraque orationis parte, pro lætari accipi volunt: itaque dicũt. Sicut vos ò Idumæi bibistis super montem sanctũ meum, id est, vt lætati estis de meorum interitu, sic omnes gentes bibent, hoc est, lætabuntur iugiter, vos cum deuastari, atque postrema clade, affici viderint, vt sunt certè visuri. Sic Hieronymus, interlinearis glossa, alijque inferioris notæ scriptores, vt Vatablus. Dionysius, Lyranus. Sed id apertè refellit quod sequitur.

Bibent enim, inquit, *& absorbebunt, & erunt quasi non sint*, quod dici constat, propter mœrores & calamitates quas hauriẽt. Quare alij id verbum vtrobique pro mœrore animi & pro supplicio poni contendunt, & ab Idumæis ad Iudæos, hoc est, ab impijs ad pios sermonem suum conuertisse Abdiam volunt, hoc modo. Scut vos ò pij qui meo in mõte, atque Ecclesia versamini multa acerba ebibistis, vobis ea propinantibus impijs: eodem & ipsi modo bibent, hoc est, haurient, atque perferent acerbissima mala, eaque perferent iugiter, iugiter inquam, quoniam quæ vobis mala intulerunt illi, breui finita sunt. quæ vero illos oppriment, grauia & perpetua erunt. Cui simile est quod in Apocalypsi aduersus Babylonem scribitur. Reddite illi sicut reddidit vobis, & duplicate illi duplicia secũdum opera eius, in poculo quo miscuit vobis miscete illi duplum. Sic Rupertus Abbas, & inferioris notę alij scriptores: cũ quo & illud consonat quod Ieremias scribit. Si quibus nõ erat iudicium vt biberent calicem biberunt, id est, si qui amici Dei sunt pœnas subeũt, tu quasi innocẽs reliqueris? nõ eris innocens, sed bibẽs, bibes. Alij id verbum non eodem modo vtrobique poni censent, sed prius lætari esse, poste-

Apo. 8.

Iere. 25.

posterius cruciari atque mœreri. Sicut bibistis, inquiunt, ò gentes, id est, sicut gaudio exiliuistis super montem sanctum meum, quando eum ferro atque igne excidistis, sic, id est, proportione illatæ à vobis iniuriæ, bibent, id est, bibetis (mutat enim personam, pro consuetudine vatum) Itaque bibetis, hoc est, pœnas dabitis vos quicunque qualesvecunque fueritis. Quale & illud est, quod in Apocalypsi Ioannes dicit de eisdem. Quantum lætata est, tantum date illi tormentorum & luctus. Quam ad sententiam Chaldæus Paraphrastes suam direxit interpretationem, sic vertens. Quoniam quemadmodum lætitiam cœpistis de subuersione mõtis sanctitatis meæ, sic bibent omnes populi calicẽ vltionis suæ iugiter, bibẽt certè & absorbebuntur, & erunt ac si non fuissent. Quæ mihi interpretatio probatur. In qua nemini nouum videatur idem verbum vno in versu bis positum, alias alia in significatione accipi. Est enim id diuinarum literarum vsu receptum, quod vel adnominatione fit, vel ex ambiguo, vel quomodocunque figuratè: idque ex his quæ
Ierem. 2. subijciam liquere potest exemplis. In Ieremia. Virgam vigilantem ego video: bene vidisti: vigilabo ego super populum meum: vigilandi namque verbum primò positum virgam significat ex amygdalo, posterius vero, propriè, & literatè accipi debet: lusit enim vates verbo, vocis notationem sequutus. Amygdali enim nomen He-
Ioan. 4. bræis à vigilando deducitur. Ioannes in quarto. Omnis qui bibet ex hac aqua sitiet iterum, qui autem biberit ex aqua quam ego dabo, non sitiet in æternum. Primò enim aquæ nomen ponitur propriè, secundo translatè. Idem in eodem, Iesum rogatum vt cibum caperet, sic respondisse scribit. Ego cibum habeo, quem vos nescitis, cibiq; nomen alio, quam quomodo rogatus Christus fuerat accepit. Et inibi, idem etiam ex Christi persona. Nonne vos dicitis,

dicitis, quod adhuc quatuor menses sunt & messis venit, ecce dico vobis leuate oculos vestros, & videte regiones, quia albæ sunt ad messem. In quo quis non videt messis Christum lusisse vocabulo? Idem Ioannes in sex- *Ioan. 6.*
to. Panis nomen intra eundem versum nunc translatè ponit, nunc propriè: & manducandi verbo similiter alio atque alio modo vtitur. Christus præterea apud *Matth.*
Matthæum perspicue. Dimitte, inquit, mortuos sepelire mortuos suos. Sic ergo noster ad maiorem rei assecurationem subiecit in eandem sententiam, *Bibent, & absorbebunt, & erunt quasi non sint*, aut, vt in Hebræo dicitur. *Quasi non fuerint*. Ex quo magis perspicitur hic agi de figuratè Idumæis. Agitur enim cum omnibus gẽtibus & postremum mundi atque illarum excidium describitur. Absorbebunt, inquit, id est, ebibent penitus calicem iræ Dei, & erunt quasi non sint: talis enim impiorum hominum futurus est fortunarum atque vitæ exitus. Nam sempiterno concluſi carcere, hactenus viuent, vt infœlices se esse, atque miseros sentire possint, hoc est, erunt perinde, ac si non essent sequitur.

Et in mõte Sion erit saluatio & erit sanctus, & possidebit domus Iacob eos qui se possederũt, & erit domus Iacob ignis, & domus Ioseph flãma, & domus Esau stipula, & succẽdẽt ui in eis & deuorabũt eos & non erunt reliquiæ domus Esau, quia Dominus loquutus est.

Diuus Hieronymus, & qui Hieronymũ sequuti hanc Abdiæ vaticinationem de veris, vel Idumæis, vel Iudęis intelligunt hac eius parte Iudæorũ è Babylonia reditum prędici volunt, quãdo Cyrus permisit illis vt reuersi in Iudęã euersas Hierosolymas & templum solo æquatum extruerent. Itaq; exponunt. *Et in monte Sion erit saluatio*, id est, vrbs Hierosolymorum, quæ Sionis arce atq; monte potissimũ continetur, ad pristinum suum statum atque decus redibit, Iudęique in ea tranquillam degent, atque fœlicem vitam

vicam salui atque incolumes. *Et erit sanctus*, id est, templũ Dei sanctum iterum in ea extruetur, *Et possidebit domus Iacob eos qui se possederint*, id est, Non solum Iudæi restituentur in locum suum, sed & eos qui se oppresserunt ipsi oppriment. Quod Machabæorum tempore, vt illi dicunt, euenit. Idumæos enim primum Iudas Machabæus armis fregit, deinde Hyrcanus, & ipse Asmoneus, ita edomuit, vt sacrificare Deo Iudaico ritu coegerit, vt Iosephꝰ scribit. Hęc illi qui ferri quidem vtcũque possent, si qua modestia hoc literis mandauit Hieronymus, simili ipsi modo literis prodidissent timidè & cunctabundè, ac suæ isti sententiæ diffidentes: nunc autem suarum rerum, vt apparet inducti studio amoreque rem falsam ita asserunt confidenter, vt ferendi non sint. Primùm enim, quanquam iudicium istorum in hac re interdum desidero, tamen non tam offendor quòd inconsiderati sint, esse enim cuique vt lubet suo periculo licet, quàm indignor vsque eò illos Christi causæ si minus aduersari, parum certè fauere velle, vt quas hostes nostri ad Christi tempora pertinere vaticinationes fatentur, eas ipsi alio referant, & remoueant à Christo: itaq; parùm abest quin exclamem, ò indignum facinus. Nam est facinus certè indignissimum homines in Ecclesiæ gremio nutritos, quorum præcipuum studium deberet esse, quacunque pateret aditus in arcanæ sacrarum literarum loca ingredi, Christumque inde elicere & in lucem proferre, non solũ qua datur nolle ingredi, sed quod in ipsis est sepire id atque obstruere. Et certè hoc Solomon hoc Dauid, kimhi, commentatores Hebræi, hoc Ionathas Paraphrastes, hoc ipsemet Hebræus Doctor, quem consulebat & quem hoc in loco laudat Hieronymus, nisi de Christo interpretemur, rectè interpretari posse constantissimè negãt. Sed abeamus ab hostibus: nostri quid obsecro? siue illi veteres, qui Heroicis tẽporibus Ecclesiæ vixerũt, siue ij, qui

qui ætate nostra, aut auorum nostrorum scriptis floruerunt, Lyranus, Vatablus, Montanus: nonne omnes Christum, in his scriptis proprie contineri cognoscunt? At opponitur nobis Hieronymus. At Hieronymus, si, qui eius authoritate abutuntur, attente eius scripta legerunt, timide & diffidenter id asserit. Sed opponunt Hieronymum. At vni Hieronymo nos contra opponimus Augustinum Theodoretum, Abbatem Rupertum, Dionysium, innumeros alios, tot vt luminibus circunfusus, non admodum nobis obstet Hieronymus. Quamquam quid necesse est probationibus vti artificiosis, quando res ipsa prodit se & plenam sui fidem ipsa facit? Omitto solemne esse vatibus vaticinationes suas rerum à Christo gestarum lætissima cõmemoratione terminare atque claudere, à quorum institutis, quando eodem inflabatur spiritu, Abdiam degenerasse non credo. Omitto res domi foris que à Machabæis fœliciter gestas, ipsorum met aduersis prælijs atque cladibus fuisse variatas, & rerum luctuosissimarum admixtu obscuratas, & verò Herodianorum tyrannide paulo post consequuta ita obrutas, vix vt appareant: omitto denique alia, quod initio horum cõmentariorum dixi, nonnè planissime rem istam euincit? Superstitibus Iudæis, & incolumibus, atque beatis manentibus Idumæos ad vnum omnes delendos fore apertè Abdias prædicit. Ecquãdo ergò si de veris Idumæis hoc scribit Abdias, Idumæi ad vnum omnes cæsi sunt? ecquãdo sic bellis afflicti, vt nõ, aut simul, aut paulo post eadem belli calamitas peruenerit ad Iudæos? Ecquando Idumæorum gens atque nomen extinctum est? aut si eos extinctos esse iam isto tempore putant, ecquos florentes atque beatos Iudæos nobis ostendant, qui Idumæorum bustis insultent? Cæcidit illos aliquando rex Iudæorum Dauid: at Idumęi postea cæciderunt Iudæos: ceperunt illo

rum vrbes atque vastauerunt Iudæi , ipsi etiam postea Chaldęo duce Hierosolymas diruerunt : in Idumæos deinde victricia arma conuerterunt Chaldæi, in Iudæos postea suis sedibus restitutos Antiochus Epiphanes desæuit, Machabæi denique Idumæos debellarunt. Herodes Idumæus centesimo post anno & Machabæorum genus extinxit,& Iudæos suo imperio subiecit, subiectosque tenuit eo vsque quoad Romani Tito duce funditus Iudæorum euerterunt, & extinxerunt rempublicam : vt etsi eodem belli impetu Idumæorum res deletas fuisse demus, tamen dicere non possimus illis deletis superstare Iudęos. Quid?quod differtè Abdias dicit Idumæos eos, de quibus loquitur, occidione occisum iri à Iudæis , non ne est palmerium? *Et erit*, inquit, *domus Iacob ignis, & domus Ioseph flamma,& domus Esau stipula,& succendẽtur in eis & deuorabunt eos, & non erunt reliquiæ domus Esau.* Nam certè Idumæi si extincti sunt, simul cum Iudæorum republica sunt extincti, vt, & si concedamus extinctos esse Idumæos, tamen necesse sit dicere non Iudæorum armis eos esse extinctos , sed Romanorum potius , eomet tempore quando respublica Iudæorum concidit. Ecquem igitur huius vaticinationis exitum isti verę intelligentiæ contemptores inuenient? sed & fore, vt Iudæi Samaritas aut deleant, aut solum vertere cogant, eorumque ipsi sedes occupent,testatur Abdias qua dicit. *Et possidebunt regionem Ephraim, & regionem Samariæ.* Eam autem regionem Iudęi ab eo tempore quando eam primum amiserunt acti in exilium, deinceps nunquam recuperarunt, sed Medi, & Assyrij coloni eam obtinuerunt ad vsque Christi tempora, & gentis Iudæorum excidium. Nam quod quidam dicunt Iudam Machabæum Samaritas suæ ditioni subiecisse, falsum apparet, tantum enim vicisse scribitur Nicanorem,qui milite raptim è Samaria collecto bello ipsum lacessi-

lacessierat,sed Nicanorem vicit,non autem Iudæorum colonias in Samariam deduxit. Itaque Iudæi nō ij sunt,quos Abdias Samariam possessuros dicit,quando eam,vt constat, non possederunt. Et vt alia omittamus, hoc, quod dicā,id abundè demonstrat. Nam isthæc hoc loco promissa Iudęis fortunæ in melius mutatio fœliciſsimo fine terminatur & clauditur. *Et erit*,inquit,*Domino regnum* : Iudæorū autē secūdæ res: ex eo postquam Machabæi arma sumpserunt, patriæ charisſimæ amissione,& regiæ vrbis ruina, & templi augustissimi incendio,& ipsorum met miserāda cæde, atque strage terminatę sunt. Quare,mea quidem sententia pro certo tenendum est, hæc dici de Christi Ecclesia, cuius fœlicem progressum pro more prophetarum inuolutè Abdias & figuratè describit, itaque inquit. *Et in monte Sion erit saluatio & erit sanctus.& c.* Exposito enim impiorum, quos Idumæos vocat, interitu, Ecclesiæ piorum fœlicitatem futuram exponit. Exponit autem non eius aliud aliàs, quasi ea varijs & inter se distantibus essent futura temporibus, sed quasi se vniuersa profusura essent , & euolutura repente. *Et in monte Sion erit saluatio* , id est, pereuntibus impijs seruabuntur pij: atq; quēadmodū illos ira Dei paulatim conficiet, tādēque absumet,sic hos per singula ferè sęcula ab impiorū oppugnatione seruatos tandē constituet Deus liberos ab omni dimicatione & periculo in statu fœlicitatis tranquillo,& æternū permānsuro. *Et in mōte*,inquit,*Sion erit saluatio & erit sanctus & possidebit domus Iacob eos,qui se possederunt,& erit domus Iacob ignis & domus Ioseph flāma,& domus Esau stipula, & succēdētur in eis & deuorabunt eos & nō erūt reliquiæ domus Esau quia Dominus loquutus est.* Primò proponit quanta futura sit Ecclesiæ fœlicitas , deinde exponit quibus vijs ad eam sit peruentura , id est , primò vniuersē prædicit piorum hominum gloriam , deinde eam per singulas par-

tes magis explicat. De primo. *Et in monte Sion erit saluatio, & erit sanctus.* Nam his verbis fortunatus piorum status declaratur, id est, Ecclesiæ triumphantis status, qui est status maximus atque fœliciſsimus eorum, ad quos Ecclesia perueniet, tunc enim salutem plenè consequetur, & sanctitatem. Quanuis enim nunc piorum Ecclesia redempta à Christo sit, & à peccati culpa mundata, tamen à peccati reliquijs, & ab ijs quæ peccatum sequuntur, pœnis liberata nondum est, sed est in futurum liberanda, *Et erit*, inquit, *in monte Sion saluatio.* Hebraicè & Chaldaicè ad verbum, *Et erit in monte Sion èuasio.* Dicitur autem futura euasio in Sion, id est, in Ecclesia triumphanti: Primò quoniam qui in ea sunt, iam huius vitæ pericula, & varia discrimina euaserunt: deindè quia is vnus locus est quò, qui euadere ista mala cupiunt, debent omni studio contendere. Præterea quod in Sion dicitur futura saluatio, non solùm eo dicitur, vt significetur eos qui in monte Sion fuerint, futuros, saluos, sed quo etiam intelligatur nusquam nisi in Sion saluos futuros. *Et erit sanctus.* Chaldaicus plurali numero, *Et erunt sancti.* sed sæpè accidit vt singularis numeri voce, plura significentur quam significantur plurali, significatur enim vniuersum genus de quo agitur, vt apparet in illo: ficus
Abd 3. " enim non florebit, & non erit germen in vineis, mentietur opus oliuæ Nam ficus ficulneæ omnes sunt, & oliuæ opus, vniuersum earum genus. Quare quod dicitur, *Et erit sanctus.* Perinde est ac si diceretur, & erit ibi omnis sanctitas, aut quidquid sanctum vsquam est, ita vt omnes qui in eo loco sunt, sancti sint, & extra eum locum nemo sit sanctus. Quod alijs
Esai.60. quidem, sed idem significantibus verbis, Esaias futurum vaticinatus est dicens. Et ponam visitationem tuam

tuam pacem, & præpositos tuos iustitiam: non audietur vltra iniquitas in terra tua, vastitas & contri- "
tio in terminis tuis, & occupabit salus muros tuos, & "
portas tuas laudatio. Sed addit. *Et possidebit domus Iacob* "
eos qui se possederunt. Exponit iam quibus Sion vijs, id est, "
quibus Ecclesia piorum rationibus assequutura sit eum "
sanctitatis & fœlicitatis gradum quem dixit. Ac primùm affirmat futurum, vt domus Iacob possideat eos, qui se possederunt: domus autem Iacob vocat Apostolos & reliquos fideles genus ducentes à Iudæis, qui primo Ecclesiæ tempore ad Christi fidem conuersi, sua ipsi voce gentibus vt eandem sequerentur religionis fidem authores fuerunt. Nam fideles Iudæi gentes perduxerunt ad fidem, sicut Esaias vaticinatus est "
dicens. Quoniam de Sion exibit lex, & verbum Do- "Esai.3.
mini de Hierusalem. Hi igitur Israelitæ fideles, in quibus & ante & post Christi aduentum dominatæ sunt gentes, ante quando suæ ditioni eos subiecerunt, post quando illis quod Christi doctrinam diuulgarent, se infesti opposuerunt, eosque ferro atque igne persequuti sunt: Hi ergò tot modis à gentibus oppressi gentes, vt Abdias vaticinatur, fidei atque euangelio subijcient, & ad suum aggregabunt numerum, ita vt qui ante in eorum dominabantur corporibus, animos ipsi suos postea eorum ditioni, atque rectioni submittant. Itaque ista oratio verbi possidendi constat ambiguo vsu: non enim vtrobique eodem accipitur modo, quod suprà demonstrauimus esse familiare prophetis. *Et possidebunt eos qui se possederunt.* in Hebræo ad verbum sic. *Et possidebunt possessiones aut hæreditates suas.* Quæ ferè eandem habent sententiam. Nam hæreditates ipsorum, hoc est, Apostolorum & eorum qui idem apostolicum exercent munus, vocant eos in quorum

animis fecerunt, vt Christi dominaretur religio. Nam pollicitus fuerat Deus Iudæis fore, vt virtute Christi, id est, veris doctrinis docendis, veraque religione inserenda toti orbi imperarent. Sed pergit. *Et erit domus Iacob ignis, & domus Ioseph flamma, & domus Esau stipula.* Fideles Iudæi primum gentes ad fidem Christi vocare cœperunt, hos postea nonnulli è gentibus conuersi in eodem docendi, & ad Christum vocandi adiuuarunt munere. Itaque vtrorumque opera Christi fides per vniuersas orbis nationes latè propagata est, quod hæc verba significant. Nam domus Iacob ad fideles Iudæos pertinet, domus autem Ioseph è gentibus conuersos significat. Quod vt esse verum intelligatur, est aduertendum, domus Ioseph nominari eas tribus, quæ ab Ephraim & Manasse, duobus Ioseph filijs genus ducebant. Eos porrò liberos Iosephum sustulisse in AEgypto è fœmina AEgyptia, & à religione Iudæorum aliena: Iacobum
Gene.48. vero eorum auum, vt memoratur in Genesi, quamuis matre gentili natos, pro filijs adoptasse ipsos, tunc etiam præcepisse reliquis filijs suis, vt in Palestinæ diuisione ac sortitione, eos, non solum prædæ participes facerent, sed tantundem agri singulis darent, quantum reliqui filij sui, quorum in sortitione atque partitione ratio habenda erat, tribui sibi, suæque vellent familiæ. Quare ex hoc fieri vt istorum nomina, atque domus, quæ ambæ domus Ioseph nominantur, aptissime à vatibus transferantur ad significandas gentium Ecclesias. Nam sicut hi, quanuis in AEgypto nati & de matre AEgyptia susceptì, æquo iure cum Iacobi filijs Palæstinæ inter se partiuntur, atque diuidunt terram: sic gentes, quibus nulla generis coniũctio intercedebat cum Abraham, & qui testamentorum hospites erant, fide & religione Christi ab ipsis susceptа in familiam Abrahæ, & in nomen

nomen, & in hæreditatem transierunt. Ergo, inquit, domus Iacob, id est, apostoli, & reliqui fideles Iudæi erunt ignis, & domus Ioseph, id est, fideles orti è gentibus erũt flamma, & domus Esau, id est, vniuersitas impiorum atque idola colentium hominum erunt stipula: itaque corripiet stipulam flamma, atque ignis, eamq; sic absumet, vt nullũ eius vestigium amplius extet. Id quod in maxima gẽtilium hominum parte iam euenisse videmus: Nam ab Apostolis apostolicisque primum viris, deinde ab eis, qui è populo gentium conuersi vita functis Apostolis Apostolici muneris curam, & laborem subierunt, ita est disseminata per orbis oras Christi fides, vt idolorum abolitus sit & extinctus cultus. Rectè autem vocatur ignis ea vis, qua Iosephi & Iacobi domus Idumæos suæ ditioni subijciẽt, sic enim in euangelio eã Christus appellat qua dicit. Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt ardeat. *Luc.12.* Sic autem nominatur, vt ex eo intelligatur, non solum quam sit efficax ista vis, quamque in agendo acris, ac velox: sed etiam quomodo à paruis initijs breui ad summũ perueniat. Nam, vt perexiguus ignis auris leniter excitatus breui magnus efficitur, itaque latè vagatur, eivt obsisti non possit: sic euangelij vis ignea flante Deo, ab humili ad summum venit, totumque ferè orbem compleuit. In quo etiam prætermitti non debet, quanto iudicio vates in hac re vsus fuerit ignis atque flammæ vocabulis, quando dicit. *Et erit domus Iacob ignis, & domus Ioseph flamma.* Nam vt ab igne oritur flamma, exorta vero latius patet quam ignis, & magis conspicua est, sic à domo Iacob, id est, ab ijs, qui è Iudæis ad Christi fidem sunt conuersi, geniti sunt in fide Christi, ij qui genus ducunt à gentibus, id est, à Iacob Ioseph, & ab igne flamma est exorta: semel verò geniti atque educti, ipsos à quibus educti sunt multitudine superant, eorum-

que fides atque religio vt flamma splendet longe latèque, vtrique autem in gentilitatem, sicut ignis in stipulam inuadentes, eam consumpserunt, & ad nihilum redegerunt. Itaque ait, *Et succendetur in eis*, iste scilicet ignis succendetur in infidelibus, *Et deuorabunt eos*, quoniam eorum infidelitatem extinguent. Nam qui aliquem alium ad fidem ex infidelitate traducit, is manducare ipsum dicitur in sacris literis, eo quod eum traijciat in Christi mysticum corpus, vt appareat in illo quod Petro visum est sibi dici. Petre surge, occide, & manduca. Quo verbo præceptum illi fuit, gentes vt euangelium doceret. Itaque fideles deuorabunt infideles, id est, illos ad fidem ab infidelitate conuertent, ex quo fiet id quod mox sequitur. *Et non erunt reliquiæ domus Esau.* Nam infidelibus & idolorum cultoribus, partim opera fidelium ad Christum conuersis, partim mirabili virtute Dei variis rationibus extinctis, atque deletis idolorum cultus ita esse desijt, vt ferè nullæ eius reliquiæ iam appareant. Sed pro eo quod noster vertit, *Et non erunt reliquiæ*, Græci verterunt, & non erit πυρόφορος quod nonnulli pro frumentario accipiunt, aut pro frumenti feraci agro. Itaque Græca Latinè sic vertunt, *Et non erit frumentarius.* Sed certè πυρόφορος, non solum frugifer, sed etiam ignifer est, veriusque videtur Græcos id vocabulum, non pro frumentario hoc loco posuisse, sed pro ignifero. Nam frumentario, non videtur esse in hac oratione locus: Ignifer autem rectè conueniat cum superioribus. Nam quoniam vates domos Iacob & Ioseph igneas dixit futuras esse, quo significaret quanta eorum hominum, qui ad eas familias pertinerent futura esset vis in diuulgando Euangelio rectè & consentaneè dicit in domo Esau neminem futurum, qui ignem ferat, hoc est, neminem in illa futurum, qui vim habeat ad resistendum

Act. 10.

dum: præterquam quòd ex iis, quæ Theodoretus in hunc commentatur locum, apertè intelligitur πυρόφορον isto in loco Græcis interpretibus non frumentariũ esse, sed igniferum: quod qui illa Theodoreti commentaria Latina fecit, non satis aduertit, itaque sensus omnes atque verba confundit. Sed & Hieronymus quamuis pro πυρόφορον frumentarium posuerit, non dissimulat Græcos interpretes igniferum posuisse. Nam πύρφορον scripsisse ipsos è nonnullorum probat sententia: πύρφορος autem haud dubiè est ignifer, quem etiam πυρόφορος significat: sed interest quòd πυρόφορος ambiguæ significationis est, πύρφορος autem vnius, vt videtur. Porrò ignifer, quod, vt nobis videtur, Græci posuerunt, variè exponi potest. Primò. Non erit ignifer in domo Esau, id est, non erit qui vim habeat ad resistendum, quomodo id Theodoretus exponit. Deinde. Non erit ignifer, id est, non erit superstes, hoc est, cui Esau vitæ atq; generis lampada tradat. Nam filij qui in demortuorum patrum locum succedunt, lucernæ appellari solent in his literis, quod in eis maiorum suorum luceat memoria, vt in 3. Regum. Vt remaneat lucerna Dauid seruo meo cunctis diebus coram me in Hierusalem. Et in. 4. Nolui disperdere domum Iuda propter Dauid seruum meum, sicut promiserat ei, vt daret illi lucernam & filijs eius cunctis diebus. Et in libris Paralipomenon. Postremò non erit ignifer, id est, non erit vlla militaris ars, non arma, non virium robur in domo Esau. Nam πυρόφοροι in re militari olim dicti sunt, qui aciebus in procinctu stantibus & ad congrediẽdum paratis, ipsas anteibãt acies, altera manu lauri ramos, altera lãpada præferentes, sed sequitur *Quia Dñs loquutus est*, quo docet quòd prædicit mutari in diuersum non posse. Sequitur porrò.

3. Reg. 11. 4. Reg. c. 8.

Et hereditabunt ij qui ad Austrum sunt montem Esau, & qui in campestribus Philisthijm & possidebunt regionem Ephraim & re

gionem Samariæ & Beniamin possidebit Galaad.

Hæc quidam qui Iudæorum Rabbinos, & eorum interpretandi humile genus oderunt, ita humiliter interpretantur, Rabbinitates vt omnes hoc loco superēt: certè ita se gerāt, vt præ illis Rabbini sublimes, & magnorum arcanorum conscij videri possint. Nam cum nostri ferè vniuersi, hęc partim per Apostolos gesta esse asserant, partim gerēda affirmēt per eos qui Apostolorum munus obeūt, cumque omnes Hebręorum doctores ipsa rerum hic promissarum magnitudine admoniti, quoniam veniſſe Messiam negāt, per eum quem frustra sperant venturum contendant implenda esse, Assamonæorū certè res gestas minores omninò fuisse fateātur quam vt promissorum istorum explere magnitudinem possint: isti tamen in Assamonæis hęrent: ex eorum factis huius vaticinationis veritatem exquirunt: ijs quæ gesserunt illi, huius sui promissi Deum exoluisse fidem volunt. Itaque vtriusque Iosephi historiarum & eorum, qui de Machabæis inscribuntur librorum omnes forulos excutiunt: quidquid Machabæi domi foriſque benè vnquam gesserunt, castella incensa, oppida expugnata, spolia direpta excursiones omnes ac propè velitationes armorum minutissimè colligunt: agri Iudæorū ditioni per eosdem additi passus ferè numerant: vnamque ex omnibus his summam efficiunt, promissis, vt arbitrantur ipsi, huius vaticinationis æqualem, hoc est, humi repunt, &, vt Hieronymus scriptum reliquit, tamquam colubri terram comedunt. De quo etsi nos nonnulla suprà, tamen quò magis constet errare illos, age nūc pedem propiùs conferamus cum ipsis. Numerant ordine Palęstinę regionis eas partes quas hic Abdias commemorat: & in singulis insistentes docent, conantur docere certè, in eis à Babylone reuersos dominatos fuisse Iudęos. Ac de monte Esau, hoc est de Idumæa, quam venisse illi in po-

testa-

testatem Iudæorum volunt, suprà satis responsum est. De Palæstinis autem, quòd dicunt extare Ezechielis vaticinium, quo prædicitur fore vt eorum regiones obtinerent reuersi à Chaldæa Iudæi, nimis certè falluntur. Non enim Ezechiel Palæstinos subijciendos prædicit nominatim Iudæis, sed omninò delendos dicit. Quod autem delendi dicantur Palæstini, non ideò sequitur fore vt Assamonæi delerent illos, aut vt eos suæ ditioni subijcerēt. Potuit Nabuchdonosorus, potuerunt Chaldęi, quod & fecerunt vti vaticinatus est Ieremias. Nam is poculum illud vino furoris plenum etiam Palæstinis bibendum porrexit: & apertè prædixit fore, vt ante restitutam Iudæis libertatem suorum peccatorum Palæstini pœnas luerent vastati à Chaldæis. In regione etiam Ephraim, & regione Samariæ Iudæis asserenda simili in errore versantur. Nā quod constat Galilæam possessam à Iudæis, & quod sortis Ephraim nonnullas vrbes Machabæis ducibus superarunt, vt Iosephus Gorionis scribit, decem tribubus attributam terram vniuersam in Machabæorum venisse potestatem efficiūt falso, & ridiculè. Primùm enim Iosephi Gorionis, cui omnes norunt in historia quāta sit habenda fides, illos mouere authoritas non debuit. Deinde vt Galilæa, & Ephrainitarum sortis pars aliqua Machabæorum cesserit imperio, quî quæso sequitur decem tribuum sortē cesisse vniuersam? Quantula enim eius sortis portio Galilæa fuit? Quod autem iidem dicunt è primo Machabæorum libro liquere filios Israel totam Galaad recuperasse, id certè non liquet. Nam bellum intulisse Galaaditis, quòd Iudæos qui apud ipsos versabantur per iniuriam opprimerent, Machabæus Iudas scribitur, & eorum expugnasse vrbes aliquot, & Iudæos qui in eis morabantur periculo liberatos in Iudæam reuerti fecisse: redegisse autem eam regionem in suam potestatem, aut in ea dominatum ipsum esse, id nus-

Iere. 25.

quam

quam ſcribitur. Et congregauit, inquit, Iudas vniuerſos
» Iſraelitas, qui erant in Galaaditide à minimo vſque ad ma-
» ximum & vxores eorum, & natos, & vaſa, & exercitum
» magnum valde, vt venirent in terrā Iuda. Certè ſi Galaad
» parere ſibi Machabęus feciſſet, tutò verſari in ea Iudęi poſ
ſent. Itaq; cauſa non eſſet, quare ſolū verterent, atque alio
cōmigrarent Iudæi. Sed aliud eſt Machabæum Iudam ex
curſionem facere in Galaad, aliud eam ſubijcere ditioni
ſuæ, quas iſti res, ſua vt ſomnia defendant, valde inconſi-
deratè confundunt. In Chananæorum autē terra, & in to
ta illa ora & tractu maritimo, in quo vrbes, Dor, Cæſarea
Palæſtinæ, Ptholemais, Tyrus, Sarepta, Sydon, cum eas
iſti vrbes ab Aſſamonæis bello captas, & ſuo imperio ad-
iunctas adſeuerant, etiam falluntur. Nec enim ſi Macha-
Li.1.c.5. bæus Iudas, vt in libro primo Machabæorum ſcribitur.
Ioppitarum & Iamitarū naues, atque portus incendit, &
eos qui in naualibus erāt ferro interemit, idcircò in pote-
ſtatem redegiſſe ſuam eas vrbes, aut ſuo imperio dicen-
dus eſt adiunxiſſe. Vltus ille quidem eſt Iudæorum quo-
rundam cædem, quos Ioppitæ per dolum mari immerſe-
runt, atq; hactenus bello progreſſus, vt in portus illorum
inuaderet, non autem vt aut eas vrbes caperet, aut captas
præſidiis Iudæorum firmaret. Nec ſi Ioſephus Gerionis
ſcribit Tyrum & Sydonem expugnatas fuiſſe ab Hyrcani
filio Ariſtobulo, fides in eo illi magis habenda eſt, quam
in eo quod de Gothis Hiſpania ab Annibale pulſis com-
memorat. Itaque tam vano ſcriptori qui fidunt, ij mihi, vt
videtur, de ſua æſtimatione laborant parùm. Idem etiam
turpiter peccant, cum affirmant Iudæos quia poſt recupe-
ratam libertatem in pleriſq́ue Palæſtinis regionis vrbibus
habitauerint, ideò eas poſſediſſe, aut hæreditaſſe debere
dici, vt Abdias ſcribit. Quaſi nihil interſit vtrum habites,
an poſſideas locum aliquem. Aut quaſi ſerui nō vna cum
domi-

dominis habitent. Aut denique quaſi fuerit vllus in orbe
locus, quē non incoluerint Iudæi. Dic ergo illos hæredi-
taſſe orbem totū, quia in omni orbis loco pedē poſuerūt.
Non ſatis ergò eſt inhabitaſſe dici, ſed dominatos eſſe do
cere eſt neceſſe, quod iſti nunquam docebunt. Nam teſti-
monia quæ proferunt, ea pro nobis faciunt. Nam teſtifi-
cantur in Iāmia, & in Ioppe, & in Galaaditide Iudæos, qui
erant, non ſolum rerum non potitos, ſed ne ęquo quidem
iure cū reliquis vſos ciuibus, nec ciues fuiſſe, ſed peregri-
nos. Nec Sophoniæ de Palæſtinis vaticinatio, qua dicit fo
re vt funiculus maris ſit, funiculus eius qui remanſerit de
domo Iuda, id vllo modo confirmat. Primò quia nō dicit
fore vt Iudæi à Chaldæa reuerſi in Palæſtina dominentur,
ſed vt greges paſcant in Palæſtinæ locis maritimis ij qui re
māſerint de domo Iuda. Certè Chaldæus, & Iudęos euer-
tit, & Palæſtinæ maritimis locis paulo poſt vaſtitatē intu-
lit, vti Ieremiæ vaticinatio demōſtrat: potuit ergo accide-
re vt ij Iudæi, quos Chaldæus in Iudæa ad terram colendā
voluit remanere, reliqua multitudine in captiuitatē abdu
cta ſuos greges in Aſcalonis atque Gazę vacuis habitato-
re locis pauerint aliquādo, quod futurum eſſe Sophonias
præuidit. Deinde, quia ea vaticinatio, quod nemo prudēs
inficietur, tota figurata eſt. Idolorum enim cultores tran-
ſlatè Palæſtinos, atque Moabitas nominat, quemadmo-
dum affirmat Hieronymus dicens. Nunc ad Lxx. interpre
tes reuertamur, cogamuſq́ue Iudæos qui tantum ſequun- » *Hier. in*
tur hiſtoriā, exponere nobis, quando Moab & filij Amon » *Soph. c. 2*
facti ſunt quaſi Sodoma, & Gomorrha & quaſi acerui »
ſalis, & deſertæ vſque in æternum? Debent monſtrare ſul- »
phureas pluuias, vineas, terram in cineres, fauillamq́; con- »
uerſam, mare ſupra de puteis quondam ſalis, quod nunc »
mortuum dicitur, inundaſſe: quando eos diripuerint Iu- »
dæi: quando reſiduæ gentes Iſraeliticæ poſſederint eos. »

Aut

Universidad de Deusto
Biblioteca

„ Aut quæ indignatio Domini est pro blasphemia & contu
„ meliis attenuare, & dispердere eos, nō Moab, & Amō, sed
„ vniuersam terram, vt adorēt eum singuli de loco suo om-
„ nes insulę gētium? quod magis pro beneficio tribuet blas-
„ phemantibus, vt ab errore redeant ad salutem. Quod si vo
„ luerint dicere post egressionem de Babylone has gentes
„ populo Israel fuisse subiectas, primùm authoritatē postu-
„ labimus scripturarum, vnde hoc factum probent: deinde
„ cum minimè potuerint demōstrare, cōcedemus eis ex su-
„ perfluo atq; dicemus. Esto accidisse quod dicitis, quæ iu-
„ stitia Dei esset blasphemasse auos, & exprobrasse atauos,
„ & postea nepotibus redditum. Cum vtique illa sententia,
„ qua antea dicebatur in lege, peccata patrum in filios in ter
„ tia, & in quarta generatione restitui, per Ezechielem solu-
Exc. 20 „ ta sit. Viuo ego, dicit Dominus, nequaquam dicetur hæc
„ parabola, sed anima quæ peccauerit ipsa morietur. Et si-
„ mul animaduerte parabolam esse quod dictum est: nec
„ id sonare quod in superficie literæ proferunt. Quod si in-
„ iustum est nepotibus reddere, quod deliquerint aui, quan
„ to iniustius pro stultitia Iudæorum hoc ipsum sperare in
„ consummatione mundi fieri, quando non Christus eo-
„ rum, vt putant, sed est venturus Antichristus. Sicubi enim
„ arctati fuerint in historia, vt doceant completum esse
„ quod dictum est, statim transiliunt ad futura Christi tem-
„ pora, & omnia quæ non possunt exponere, post multa
„ sæcula sibi repromittunt, & dicunt, & Moab, & filios
„ Ammon, & AEgyptum, & Philisthiim, & Idumæam, quæ
„ nunc insultant Iudæis, eo tempore puniendas. Interroge-
„ mus ergo eos, quare has potissimū gentes Deus puniat, &
„ nō totum orbem, in quo Iudæi longè lateq; dispersi sunt?
„ Si enim meretur Moab corripi Iudæis insultās, & filij Am
„ mon, & reliquæ gentes in circuitu, quare Gallia non cor-
„ ripitur? quare Britānias in comminatione non ponit? cur
„ Hispa-

Hispaniæ ea pœna alienæ sunt? quam ob causam de Italia „
nihil dicitur? de Africa cur tacetur? Et vt semel dicam cum „
totus orbis Iudæos captiuos teneat, quid solæ gentes tan- „
tum commisere flagitij, quæ in circuitu eius sunt, vt solæ „
potissimum nominētur. Hæc Hieronymus. Quibus aper- „
tè docet Moabitarum à Sophonia & Palæstinorum nomi
na figuratè esse vsurpata, quæ etsi propriè illæ in Iudæos,
tamen ęquè valent in istos, qui hoc quidem in argumento
deteriores sunt, & humiliores Iudæis. Sed referunt se tan-
dem ad Hyrcanum Assamonæum, & ad Herodem ma-
gnum, quos vt scribit Iosephus, constat Iudæis imperitas- Li. 13 c.
se, & regni sui fines, circūuicinis aliquot deuictis gentibus 23.
latius protulisse. Itaque inclinata iam acie hoc se præsidio
firmant, vt mea opinio fert, parum firma. Nam quod
Hyrcanus adiecit imperio Iudæorum, id paucis post annis
Pompeius illis detraxit, vti ex Iosepho docuimus: Hero-
des autem magnus Idumæus genere Assamonæorum re-
gia & sacerdotali stirpe penè deleta in regnum Iudęorum
inuasit, nec vindex libertatis illorum fuit, sed oppressor
reipublicæ. Quare in illum hæc vaticinatio non cadit.
Nec enim de illo verè. *Et erit domus Iacob ignis, & domus*
Ioseph flamma, & domus Esau stipula, & succendentur in eis,
& deuorabunt eos, & non erunt reliquiæ domus Esau. Et rur-
sus. *Et hæreditabunt ij, qui ad Austrum sunt montem Esau.*
Itemque. *Et ascendent saluatores in montem Sion, iudica-*
re montem Esau. Nam quo quæso modo Herodes Sio-
nitis salutem attulit, quibus calamitati fuit, vtpote qui
eos sibi, hoc est alienigenæ contra ipsorum instituta
atque mores seruire coegerit? Aut quo pacto eo tem-
pore montem Esau mons Sion iudicabat, quando rex
Idumæus Sionem ditione premebat? Sed demus iudi-
casse: demus quàm latè volunt, Iudæos Alexandri
Hyrcani, & Herodis temporibus imperium protulisse: at
quan-

quandiu id quæso imperium penes illos fuit? Quæ enim Hyrcani & Alexandri victoriis parta sunt, ea intra paucos annos Pompeius belli iure adempta pristinæ libertati restituit. Herodis autem regnum ipso vita functo & Iudæa in prouinciã redacta imminutũ fuit bona ex parte. Quid igitur attinet id iactare regnũ, statim quod occidit, quod in ipso conatu cecidit, quod intra initia extinctum fuit? Sed do viguisse diutius: quæro quam immunes Iudæi vixe runt eo ipso tempore? quã sui iuris? quam ab aliorũ regũ imperio liberi? nonne Asiæ regibus, nonne AEgyptiis, nonne Romanis seruiebant? tributa pendebant? Consulat qui volet Iosephi historiarum libros: & Machabæorum volumina: & Iudæorum reipublicæ statum in eis descriptum ab eo tempore, quando Iudas Machabæus sumptis armis publicæ libertatis vindex esse cœpit, ad id vsque tempus quando Romani euerterunt Hierosolymas contempletur, oculis intuebitur Iudæos calamitatis habuisse plurimum, fœlicitatis parum, respirasse à miserijs nonnun quam, sed in easdem, aut etiam grauiores paulò post incidisse: denique tales non fuisse quales futuros illos esse vaticinatur Abdias. Nam hîc ad votum cumulata fœliciſsimè omnia prædicit futura: illos autem nemo prudens rerum æstimator fuisse fœlices dixerit: lætas enim ac secundas illorum res, mox consequuta tristia & luctuosa obscurabant. Nec solum illæ res ista promissa non explebant, sed nec cum fortuna aliarum gentium, quæ rerum vnquam potitæ sunt, vllo modo conferri poterant. Etenim quales illæ aut quantulæ ad Romanorum dominationem collatæ? sed omitto Romanos: omitto Græcorum, Assyriorum, Chaldæorum clarissima imperia: obscuriora, & minora confero. Athenienses in reliquos Græcos: Lacedæmonij in eosdem latius, quam Iudæi sub Assamonæis, & fœlicius regnarunt. At Abdias quid? *Et erit*, inquit, *Domino*

Domino regnum. Ergo id vos Domini regnum nominabitis, quo nullum fuit in terris neque tempore breuius, neque regionum spatiis angustius, quodq; toties in fortunæ tela & acerbissimas calamitates incurrit? Ecquid habet id regnum Deo dignum quod sit? quod cum isto nomine quadret? quod cum tanta Abdiæ prædicatione cõueniat? Pudet me cæcitatis istorum, qui rem apud sacros vates clarissimam, Dei regnum quod sit, non intelligant. Nam certè vel hæc vna vox illos, ni sua nimis adamarent, in viam posset rectæ interpretationis inducere. Nemo enim cui modo sit iudicij aliquid, dubitet quin quod Daniel prædixit à Deo regnum suscitandum, oppressurum quod esset atque deleturum cuncta regna, ipsum semper mansurum, idem Abdias regnũ nominet in hac suæ prædictionis clausula dicẽs. *Et erit Domino regnum*. Quod proculdubio Christus Iesus diuina sua virtute nobis regnum peperit, non Assamonæi constituerunt armis suis. Sed ad institutũ nos referamus.

Dixerat per quos diuulgandum erat Euangelium, & idolorum euertendus cultus, nunc prædicit quibus in locis euulgandum id esset, id est, prædicit quas orbis terræ partes possessuri sint veræ religionis cultores, easque partes atque regiones nominatim recensет, dicens. *Et hæreditabunt ij qui ad Austrum sunt*. Quæ quo melius intelligantur, est aduertendum, Iudæam à Meridie habere Idumæos, ab Occidente regiones Philisthinorum, ab Ortu Galaad, ab Aquilone Samariam. Itaque ab his quatuor mundi plagis obsidebatur Iudæa à gentibus sibi inimicis, id est, vndequaque illam circumsedebant inimici sui. Nam Idumæi à Meridie, à Septemtrione Syri & Samaritæ, ab Oriente Moabitæ, & ab Occasu Philisthæi imminebant Iudæis. Quare Abdias his memorandis gentibus atque regionibus, quarum singulæ obsidebant à suæ

mundi plaga Iudæos, vaticinatur futurum, vt Iudæi fideles doctrina Euangelij in quatuor dominentur mundi cardinibus, & victricia fidei arma vndiquaque circunferant, quod & euenisse videmus. Nam primo disseminarunt doctrinam fidei in locis vicinis Iudææ, eorumque locorum incolas Euangelio vt obedirent fecerunt, & hoc est quod hic dicitur. *Et hæreditabunt, ij qui ad Austrum, montem Esau*, id est, Doctores & Euangelij præcones qui ad Austrum pergent, fidei Christianæ subiicient montem Esau, id est, eos omnes qui ad eam mundi pertinent plagam. Et *qui in campestribus*, id est, qui Occasum versus pergent, *Hæreditabunt*, id est, subijcient sibi Philisthijm, id est gentes eam incolentes orbis partem: *Et possidebunt regionem Ephraim & Samariæ*, id est, ijdem Doctores ab infidelitate conuertent omnes homines Aquilonem versus. Et *Beniamin possidebit Galaad*, id est, mundi plagam Orientalem. Hac ergo diuulgatione, & tanquam prima aggressione & impressione Euangelii hostes, id est, infideles circumuicini victi sunt, sed eam alia sequuta est, quæ in gentes magis remotas inuasit. Nam postquam in Iudæa, & in vicinis Iudææ locis Christum diuulgauerunt Apostoli, & cæteri Euangelii Doctores iidem diuisi à se inuicem, & in varias mundi oras alius alio dispersi, Euangelii nuntium attulerunt Asiæ, & Europæ propè vniuersæ, quæ fuit altera diuulgatio Euangelii, vsque ad extremas orbis Romani pertinens oras. Qua de diuulgatione secunda est quod mox sequitur.

Et transmigratio exercitus huius filiorum Israel omnia loca Chananæorum vsque ad Sareptam.

Transmigrationem exercitus filiorum Israel vocat Apostolos & reliquos Israelitas fideles viros, qui à Domino

mino in omnes terrarum oras missi sunt ad Euangelium diuulgandum. Nam quoniam ad oras missi sunt magnis terrarum spatiis à sua ipsorum patria diuisas, transmigrasse dicuntur, & eorum cœtus transmigratio appellatur. Fuisse autem illos missos constat ex illo Marci. Euntes in mundum vniuersum prædicate Euangelium omni creaturæ. Et apud Esaiam ex persona Domini dicitur. Mittam ex eis qui saluati fuerunt ad gentes in mari, in Africam & Lydiam, & Græciam & Italiam & ad insulas longè, & annuntiabunt gloriam meam gentibus. Et in Actis Apostolorum fideles, quod eos Hierosolymis igni atque ferro persequerentur Iudæi, cædesque quotidie fierent, Hierosolymis atque Iudæa relictis in varias terrarum partes dispersi dicuntur fuisse. Hæc ergo, inquit, transmigratio, hoc est, fideles Israelitæ propter ea, quæ diximus, in alias terras dispersi, & demigrantes. *Possidebunt omnia loca Chananæorum*. Quod nonnulli sic. *Omnia loca Chananæorum*, id est, omnia ea loca ad quæ se contulerunt Chananæi, quando eos Iudæi è suis sedibus expulerunt, id est, orbem terrarum totum isti Israelitæ & Iudæi veræ religioni subiectum in suam redigent potestatem. Nam qui hæc dicunt, etiam tradunt Chananæos armis Iudæorum territos natali relicto solo alias sedes sibi alius alio quæsisse, perque omnia ferè terrarum loca sparsos atque dissipatos fuisse. Alii nomen Chananæorum hoc loco figuratè accipiunt, pro idolorum cultoribus vniuersis, quòd sicut Chananæos Iudæi è patriis sedibus expulerunt, sic idolorum cultores cesserunt Dei veri cultoribus. Alii id interpretantur sic. Et *transmigratio exercitus huius*, id est, Apostoli & fideles ea incolentes loca, quæ quondam obtinuerũt Chananæi, ab iis, modo suis, ante a Chananęorũ locis per vim à Iudęis infidelibus pulsi, & alio demigrare coacti, simulque à Deo

„ Mar. 16
„ Esa. 66.
„ Act. 8.

Universidad de Deusto
Biblioteca

missi ad Euangelicæ semen doctrinæ latè spargendum, perueniant Sareptam vsque, id est, vsque ad extremas orbis oras, vt statim dicemus. Cui certè expositioni multum fauent Hebraica, in quibus ad verbum sic legimus. *Et transmigratio exercitus huius filiorum Israel, qui Chananæorum, vsque ad Sareptam.* Qui Chananæorum, inquit, id est, qui ea incolebant modo loca, quæ olim tenuerunt Chananæi. Nec aliò spectat Chaldaica paraphrasis, quæ sic. *Transmigratio populi huius filiorum Israel, qui sunt in terra Chananæorum vsque ad Sareptam*, scilicet perueniet. Duæ porrò dicuntur fuisse Sareptæ, vna in regione Sydoniorum, quæ Sydoniorum Sarepta appellatur viduæ illius fœminę quę Eliam Prophetam pauit munificentia nobilitata: Altera in Gallia, vt Hebræi tradunt, prouincia, ex quo & Gallia ipsa Sarepta, hoc est, Sarphat, ab eis appellatur, de qua Sarepta est quod hic dicitur. Sareptæ autem vocabulo συνεκδοκικῶς significatur Gallia tota, ad quam vaticinatur Abdias forè vt perueniat doctrina Euangelij, id est, vt perueniat vsque ad orbis fines, quòd à Iudæa occasum versus tendentibus vltima occurrat Gallia Prouincia. Et certè quando fideles Iudæi metu infidelium Iudæorum coacti Hierosolymorum vrbe cesserunt, Massiliam in Narbonensi Gallia delati sunt: Itaque Galliæ Christum annuntiarunt. Ergò cum vsque ad Galliam peruenturos dicit Euangelij præcones, vsque ad vltimas Occidentis oras, & ob id per Synedochen ad vltimos totius orbis Romani limites vaticinatur peruenturos. Sequitur autem.

Et transmigratio Hierusalem quæ in Bosphoro est possidebit ciuitates Austri.

Omnem cursum diuulgationis Euangelij tribus præcipuè constare partibus, vel ex illa colligitur Christi parabola, quam

quam Matth. de nuptiis retulit, & de vocatis ad nuptiale conuiuiũ. Nam ea tota tribus vocationibus constat, siuè ter solùm in ea, qui conuiuio interesse deberent, vt adessent, inuitati sunt, atque vocati. Primò enim vocati dicuntur ij, quibus iam antea per seruos suos Triclinij magister fore vt vocarentur prædixerat. Secundo loco ij vocati sunt & in Triclinium introducti, quos per vrbis vias atq; plateas vagos atque palantes iidem serui inuenerunt. Tertio & vltimo loco, non vocati modo, sed vt in Triclinium etiam ingrederentur, & accumberent coacti sunt ij, qui extra vrbem per agros vagabantur, quique ruri vitam degebant. Constat autem inter omnes ea parabola significatam à Christo esse omnium hominum, non Iudæorum tantum, sed illorum etiam, qui quouis essent propagati patre, ad Ecclesiæ accubitum, & ad Euangelij epulas vocationem & inuitationem. Itaque quòd primò vocati sunt, qui antea inuitati fuisse dicuntur, quodque ij venire recusarunt vocati, eo manifestè monstratur, primò Euangelium diuulgatum fuisse Iudæis, quibus antea tam sæpè pollicitus fuerat Deus fore vt inuitarentur, Iudæos autem quamuis inuitatos, atque vocatos, tamen non induxisse animum, vt fidei Christi assensum præbere vellent. Quod autem postea vocati sunt, qui versabantur in viis, eo significatum est fore vt Euangelium relictis, qui ipsum respuebant Iudæis, diuulgaretur omnibus iis gentibus, quæ intra vrbem, hoc est, intra orbem Romanum degebant. Quòd verò demum itum est extra vrbem, & omnes qui ruri erãt vi in Triclinium immissi sunt, eo declarauit Christus futurum, vt vltimo mundi tempore, quidam extra orbem Romanum egressi, progressique vltra notas, & semper pro vltimis habitas mundi metas alium orbẽ inuenirent, agrestibus cultum & planè feris hominibus, quos ipsi homines partim vi, partim doctrina ingredi in Ecclesiam facerent,

cerent,& à feritate,& immanitate,cultuque idolorum vaniſsimo ad manſuetudinem paulatim & ad vitæ magis humanum cultum emollirent: denique efficerent, huius vt cæleſtis conuiuij participes eſſe vellent. De prima igitur atque altera Euãgelij diuulgatione, hoc eſt, de Iudæorum primo, ac deinde de gentium earum, quæ intra Romanum habitabant orbem vocatione, & inuitatione ſuperiora vaticinatus eſt Abdias, vt diximus. De tertia vero atque vltima iſta ſunt. *Et tranſmigratio Hieruſalem, quæ in Boſphoro poſsidebit ciuitates Auſtri.* Quæ vt explicemus, quædam neceſſe eſt, vt altius repetamus. Ac principio ſtatuere pro certo debemus, quamuis ſuperioris æui omnem hiſtoriam euoluamus, tamen nos reperturos non eſſe aliquid, quod vel maius ſit, vel magis præter omnium opinionem, & expectationem acciderit, quàm id quod patrum noſtrorum ætate accidit, cum nouus, & hoc Romano non minor, ſed latior fortaſſe atque maior orbis, ab Hiſpanis, vaſtiſsimo enauigato mari, repertus eſt. Alias enim terras eſſe præter eas, quas colebamus præſertim tam ſpatioſas atque latas nemo putabat, & vt ſuſpicaretur aliquis, tamen incoli eas, & frequentari ab hominibus poſſe nemo credebat: maximè autem nouum & admiratione dignum viſum eſt, tam frequenter eas habitatas propter infinitam hominum, quos gignunt atque alunt multitudinem, tot ſæculis latere potuiſſe, ipſoſque earum incolas per tot annos in tantis iacuiſſe vitiorum tenebris vt vix tandem, lumini Euangelii, vt ad eas introire poſſet, aditum ſit patefactum. Itaque memorabile fuit alium reperiri orbem ſuperioribus à nemine cognitum ſæculis: mirum Euangelii doctrinam, cuius clariſsimus ſonus ad aures credebatur perueniſſe omnium, eius orbis incolas non modo non audiuiſſe, ſed ne rumore quidem eius afflatos vnquam fuiſſe;

fuiſſe: mirum denique poſt tot ſæcula ad eos eſſe delatam, & vt delata eſt, ſic à maxima eorum parte ſuſceptam, eius vt ſuaſu, à maioribus acceptas religiones deſererent, & fera corda cultu pietatis mitigari ſinerent: ſeque totos incredibili ſtudio ad Chriſtianæ vitæ mores traducerent. Quæ quoniam res maximæ omninò ſunt, & ad eccleſiæ rationes & Euangelici curſus atque progreſſus hiſtoriam ſic expectant, vt cognoſci ſatis ea, iis ignoratis, non poſsit, dici profectò debet, ſacros olim vates, quorum aut omne, aut præcipuum ſtudium fuit, eccleſiæ Chriſti ſingula momenta vaticinationibus comprehenſa ſuis nobis cognoſcenda conſcribere, non ſiluiſſe de tantis rebus, quales hæ ſunt quas præſcripſimus. Quî enim conueniat, qui minores alias, quod ad eccleſiæ cauſam pertinerent, prædixerunt res, eos nullum verbum facere, ſed mutos ſe exhibere voluiſſe in eo, quod haud ſcio an ſit omnium, quæ in eccleſia acciderunt longè memorabile & maximum? Fecerunt ergo iſtarum rerum mentionem, eaſque ſuarum vaticinationum inuolucris incluſas, literiſque conſignatas poſteris prodiderunt, non ante cognoſcendas à nobis, quàm ipſi rerum euentus, tanquam illato lumine, duces nobis eſſent ad ingrediendum in eorum ſinuoſa & tenebris obſita ſcripta. Nam quî fieri poterat, vt qui alium eſſe orbem nondum ipſi cognoſcerent, ii Euangelium Chriſti, quod iam olim totum orbem doctrinis imbuiſſe & præceptis credebatur ſuis: nunc poſt tot euoluta tempora diuulgandum iri in alio orbe dici ab his crederent? Ergo eam rem ſine dubio inſeruerunt ſuis ſcriptis Prophetæ. In quo, vt mihi videtur, præcipuus fuit Eſaias, cuius de hoc vaticinationes, quoniam

cognoſci dignæ ſunt,& à nemine quod ſciam hactenus in hanc ſententiam ſunt expoſitæ,primùm vt eas ille ſcribit, ſic referam, deindè ſic exponam, quomodo illas oportere exponi iudico, nulli alterius ſententiæ præiudicans. Eſaias enim in decimo octauo de iſta re ſcribens, ſic *Eſai.18.* inquit. Væ terræ cymbalo alarum,& quæ ſequuntur. Quo in capite, qui in id commentantur qua de re agat ſtatuere vix poſſunt: itaque alij aliud ſequuntur,& ſinguli ſuas produnt ſententias: tantum in eo conueniunt omnes eo capite nihil eſſe,aut difficilius ad intelligendum, aut obſcurius. Et quamuis eorum nonnulli AEgyptiorum, neſcio quam cladem prædici ſuſpicentur; tamen Burgenſis eximiæ vir doctrinæ atque iudicii re ipſa in viam inductus, proximè ad veritatem acceſsit: id certè aſſequutus eſt, quo nihil certius à quoquam dici potuit eorum, qui qua ipſe vixit ætate vixerunt. Scribit enim videri ſibi eo prædici gentium quarundam ipſi ignotarum extremo mundi tempore ad fidem Chriſti conuerſionem futuram. Itaque quod iudicij atque doctrinæ fuit,id vidit,gentis ſua ipſius ætate nondum ad Chriſtum conuerſæ conuerſionem in eo prædici capite: ignorauit autem, quod ignorari ab eo neceſſe fuit, quæ nam ea futura eſſet gens nouo iſto orbe ſua ætate nondum inuento. Sed quod illi ſua ademerunt tempora,videre vt liquido poſſet quod nõdum in lucem venerat,eius nobis patefactrix, atq; magiſtra facta eſt ipſa dies. Ergo id in hoc cap. Eſaias prædicit. Nam certè,vt de eo alii vates ſiluiſſent, eius mentionem non facere Eſaiæ non fuit,vatis,vti ipſum appellat Hieronymus, Euangelici,hoc eſt,totius Euangelicæ rationis atque progreſſus diligentiſsimi & accuratiſsimi ſcriptoris,vſque eò, vt hanc ipſam ob rem,quòd remotiſsima quæque, & longiſsimo poſt futura tempore viderit,in elogio commendetur eo, quod de ipſo in Eccleſiaſtico extat,in quo inter alia ſic dicitur:

citur. Spiritu magno vidit vltima,& conſolatus eſt lugentes Sion vſque in ſempiternum. Sed nulla re id magis pro- *Eccle.48.*
betur, quàm ipſarummet rerum cum Eſaiæ verbis concẽtu: tam enim huius vaticinij vniuerſa vel cum ijs conueniunt rebus,quæ inſunt,aut Indis ijs,ad quos modo delatum eſt euangelium,aut Hiſpanis hominibus,quorum ipſi Indi & nauigatione reperti & opera ſunt in fide inſtituti, vel cum ijs quadrant,quæ vtrique genti acciderunt, vt nihil reperiri poſsit,maiorem fidem quod adiungat expoſitioni iſti,quam ipſamet tam ex omni parte, & ſecum ipſa,& cum Eſaię verbis expoſitio cõſentiens. Igitur,inquit. Vę terræ cymbalo alarum, quæ eſt trans flumina AEthiopię,qui mittit in mare legatos,& inuaſi ſpapiri ſuper aquas. „
Primò Hiſpanos homines alloquitur,eiſque mãdata quædam ex perſona Dei perferenda committit: deinde docet ad quos ea perferre debent,hoc eſt noui orbis incolas ita deſcribit notis ſuis atque proprijs, eos vt conſpiciendos exhibeat. Væ terræ cymbalo alarum. Hiſpaniã periphraſi „
& à coniunctis ſignificat: terræ cymbalo alarum,id eſt,terræ nauigiis abundanti, aut nauigationibus arteque nauigandi celebri. Nam figuratè naues vocat alatum cymbalum: carina enim cymbalo, velum alis eſt ſimile. Itaque Græci reiecta metaphora literatè *ουαι γῆς πλοιῶν πτερύγων*, id eſt, væ terræ nauium alatarum: alijque ex Hebræo terræ obumbranti alis, id eſt nauibus, & earum velis mare occupanti. Conſtat autem id Hiſpaniæ propriè conuenire, vt eius nauigijs plenum dicatur eſſe mare,nõ ſolùm quòd abundet nauibus,quodque ſint Hiſpani artis nauticæ omnium mortalium peritiſsimi, ſed etiam quòd ad tentandum mare ratibus ſint audaciſsimi, ita vt ex omni hominum memoria nihil celebrius repeti eorum nauigationibus poſsit. Nam non tantùm aditum ſibi patefecerunt ad nouum inueniendum orbem, ſed etiam ab Hiſpali Bethi-

cæ Hiſpaniæ non longè à Gadibus fretoque Herculeo nobiliſsima vrbe, Occaſum verſus ſoluentes, indeque ad Auſtrum deflexi, & per Antarcticũ mare ad Orientem Solem delati, ab eoque rurſus immenſo enauigato pelago, eò reuerſi vnde initio ſoluiſſent, circumcirca vniuerſam terram obierunt. Eos itaque Eſaias hac ambage, & tranſlatione verborum ſignificans dicit. Væ terræ cymbalo alarum. Pro væ, Hebraicæ eſt הוי Hoi, id autem interdum vocantis, interdum lamentantis eſt nota. Itaque licebit vertere. Heus terra cymbali alarum: quod ſi iſto modo accipiatur id verbum, Eſaias ex perſona Dei Hiſpanos vocat, ſicque attentos reddit ad ea intelligenda & in animo ſuo reponenda, quæ mandaturus eſt: ſin autem lamentantis id ſit, vt eſſe voluit noſter interpres, vicem Hiſpanorum acerbam vates dolet, & concatenatos, quos illi ſubeunt labores, dum ignoto, & magno mari nauigantes longiſsimi à domo alias adeunt oras, terraſque vaſtiſsimas obeunt, earumque terrarum incolas, quamuis feros, & immanes ſub iugum mittunt. Nam quamuis innumeris deuictis gentibus, permultiſque ſuæ ditioni additis prouincijs, Hiſpani & imperium latè propagaſſe, & nomen ſuum nobilitaſſe, & argenti, atque auri immenſam vim domum retuliſſe videri poſsint: tamen ſi ea conferantur cum ærumnis, quas exantlarunt, vtrum ij ſint, quibus inuidere alij, an quorum miſereri potius debeant, nemo facile ſtatuat. Certè ſi quæ auarè illi apud Indos, & inhumanè, & crudeliter planè fecerunt, ſecum quis reputet, imminere ipſis, atque adeò impendere à numine ob eas res magnum aliquod malum intelligat: itaque lamentabitur illorum vicem potius, quàm proſequetur gratulatione at-

ne atque plauſu. Igitur, Væ terræ cymbalo alarum, væ Hiſpaniæ, quamuis nauigijs præſtanti, Quæ eſt trans flumina AEthiopiæ. Adde nauigans, aut traijciens, aut aliquid ſimile. Nam in Hebræo præciſè dicitur, Quæ trans flumina AEthiopiæ. Itaque intelligi poteſt addi deberi, nauigat, aut aliud ſimile verbum, præterquam quod pro מעבר Meheber, Hebraico מְעֵבֶר Mahaber legi poſſe nonnulli dicunt, tantum punctis mutatis, id eſt, pro præpoſitione participium verbum legendum eſſe, ſicque verti deberi. Væ terræ cymbalo alarum traijcienti flumina AEthiopiæ. Pro AEthiopia porrò in Hebraico eſt כוש Chus, eo autem ſignificant Hebræi eas omnes regiones, quas magnis terrarum ſpatiis Orientem verſus Chus filij atque poſteri occuparunt, in quibus non ſolum AEthiopia interior ſed & aliæ iuxt aſinum Perſicum, atque vltra ipſum poſitæ, vſque ad Sinas & noui orbis terras continentur regiones, ad quas primi Luſitani bonæ ſpei promontorio ſuperato circumactis nauibus, & AEthiopiæ interioris littora legentes maximo circumductu nauigarunt. Qui mittit legatos. Hoc relatiuum ſuperius antecedens terram refert, quæ Hebraicè interdum eſt maſculini generis. Itaque ait. Heus terra arte nautica celebris, quæ legatos per mare mittis. Legatos autem vocat eos homines, quos Caſtellæ, atque Luſitaniæ reges altero quoque anno claſſe inſtructa mittere ſoliti erant nouæ regionis inquirendæ cauſa. In vaſis papiri ſuper facies aquarum. In vaſis papiri, id eſt, nauibus. Nam olim è Nilotica iunco nauigia fiebant, eoque ea vaſa papiri vocat pro Hebraicæ ſermonis conſuetudine & proprietate. Sed addit.

Ite Angeli veloces ad gentem conuulſam, & dila-

» dilaceratam,ad populum terribilem, poſt quem non eſt
» alius, ad gentem expectantem, expectantem & concul-
» catam, cuius diripuerũt flumina terram eius. Nam Deus
poſtquam Hiſpanos proprijs ſignificatos notis ad ſe vo-
cauit,vt viſum eſt Eſaiæ,eis mandat vt nuntium ſuum, id
eſt, euangelium ad nuper reperti orbis incolas maxima ce
leritate adhibita deferant:eos verò incolas noui orbis nõ
ſuis appellat nominibus, ſed ex accidentibus pro prophe-
» tarum more exactè deſcribit. Ite Angeli veloces. Volo,in
quit, ò Hiſpani veſtra opera Euangelium diuulgare in qui
buſdã valde remotis, & orbi veſtro ignotis locis: vos qui-
dem rei augendæ, imperijque propagandi cauſa nemini
antea notas magno vitæ diſcrimine mari terras inquiritis:
at ego veſtro iſto audaci ſtudio atque arte vti volo ad an-
nunciandum ijs,quos mari terraque perquiritis, meum
» Euangelium. Igitur, Ite Angeli. Nam quos ego ad hoc
» munus legare ſoleo, hac appellatione atque nomine
» dignor. Ite ergo veloces ad gentem conuulſam & dilace-
» ratam, ad populum terribilem poſt quem non eſt alius,ad
» gentem expectantem,expectantem & cõculcatam, cuius
» diripuerunt flumina terram eius. Noui orbis incolas ad
» quos Hiſpani homines nauigant,ſuis ita pingit coloribus,
» vt eos propè oculis ſubiiciat. Ad gentem conuulſam, in-
quit. Nam ſic eos vocat,quòd diuiſi ſint,& multum remo
ti à toto Romano orbe,& verò à commercio gentium re
liquarum ſeparati,atque ſecreti,vel certe conuulſi dicun-
tur propter viuendi morem varium,& agreſtem: maxima
enim ex parte nullo communis,aut vnius reipublicæ vin-
culo coniũgebantur, ſed vel per agros diſperſi ferarũ mo
re vitam degebant,vel qui vrbes & oppida colunt,pro vr-
bium ferè numero, alii alios vitæ mores, alias religiones
alia ſequuntur inſtituta reipublicæ. Vel conuulſos eos di-
cit quaſi immẽſis terrarum ſpatiis longè latèque diffuſos.

Nam

Nam pro (conuulſam) Hebraicè eſt ממשך Memuſach, Ψ
verbum ab extendendo & protrahendo ducitur: ſunt au-
tem,aut dici poſſunt producti Indi,vel collati ad alias gen
tes, vel habita ratione ipſorum inter ſe, propter cauſas
quas diximus. Sed addit. Dilaceratam Nam ſic etiam eam »
gentem vocat, vel ob regionum quas incolunt ſitum, ab
aliarum orbis regionum, vti diximus multum remotum,
atque ſeparatum: vel certè ob corporis ipſorum habitũ,
atque cultum. ſunt enim imberbes, lenique corpore ac pi
lis vacuo. Itaque & verbum Hebraicum מורט Morat, pro
prie depilatum atque lenem ſignificat. Sequitur, ad po-
pulum terribilem. Scilicet ob incultos, atque ferinos mo »
res. Nam & humanibus carnibus veſci ſoliti erant, ante-
quam noſtri ad eos accederent: & Idolis humano ſangui-
ne ſacrificabant: & ad bellum procedebant ora picti co-
loribus horrendum in modum: iuſti porrò, atque iniuſti
diſcrimen non tenebant, ac plerique eorum promiſcua
& maſcula Venere palàm vtebantur. Subiungit. Poſt quẽ »
non eſt alius, id eſt qui vnus erat reliquus, quique vnus ſu- »
pererat ex omnibus gentibus, cui promulgaretur Euange »
lium. Sed pergit, ne quis dubitandi relinquatur locus, ad »
gentem expectantem, expectantem, id eſt, multum atque »
diu à diluuii tempore ad extrema vſque mundi tempora
expectantem ſalutem,& lætum Euangelii nuntium: Expe
ctantem, inquam, non quòd ipſis antea nota aut promiſ-
ſa fuiſſet hæc ſalus per Chriſtum humano afferenda gene-
ri ſed expectantem, non tam ex ipſorum cogitationibus,
nec tam ex eo quod ipſi ſentirent aut ſcirent, quam ex eo
quod reipſa euenit, quando ea ipſis ſalus oblata eſt tam ſe
ro, tantoque poſterius quàm aliis reliquarum regionum
hominibus Nam quibus conferendum eſt boni aliquid,
ii tametſi id ipſi conferendum ſibi eſſe non ſciant, tamen
quandiu ſibi non confertur, Hebraici ſermonis proprie

tate

Esai. 5. Gen. vlti. tate, expectare dicuntur ipsum, vt in Esaiæ illo. Me insulæ expectant, & in illo Geneſis vltimo. Et ipse erit expectatio gentium. Quanquam (vt ego opinor) valde probabile est in omni natione atque gente extitisse semper aliquos homines à reliquorum hominum vitijs alienos, quibus Deus patefaciebat, non quidem æquè omnibus, tamen aliquo certo modo singulis futurum aliquem, qui humanum genus peccatis, & peccatorum pœnis obnoxium in libertatem esset assertu-
» rus. Sequitur porrò. Conculcatam, idque rectiſsimè. Dici enim conculcati Indi iure possunt, vel propter ingenium, & conditionem vitæ ipsorum: sunt enim abiectiſsimi, & ingenio humili, & ad seruiendum nato præditi: vel certè ob terræ, quam inhabitant, situm ad nostri orbis loca relatum. Sunt enim Indi Palæstinæ regioni, qua in regione constitutus Esaias ista scribebat, partim Antipodes, & partim Antisij. Quare alij to-
» tum hunc locum ex Hebræo ad verbum sic. Lineatim
» lineatim: siuè, ad perpendiculum ad perpendiculum conculcatam, id est, gentem contraria nobis vrgentem vestigia, nostrisque è regione subiectam pedibus Nam Hebraicum huius loci קוה quau vel est à קוה quaua quod est expecto. Quod sequutus Hieronymus expectantem conuertit: vel est Hebræis id ad quod fabricementarij exigunt, ædificia ne quam in partem inclinent, quod perpendiculum Latinè dicitur, quo in significatu non ineptè hoc loco capiatur, vt dixi. Ait denique.
» Cuius diripuerunt flumina terram eius, quo omne de Indis noui istius orbis dubitandi causam ijs modo, qui Platonis Athlanticum legerint, mihi substulisse videtur. Quem enim nos nouum orbem nunc dicimus, eum continentem cum nostro olim fuisse Plato commemorat:

morat, sed inundatione eius maris, quod Athlanticum dictum est, diruptum, & separatum ab orbe reliquo, deinceps non potuisse à nostris adiri propter pericula nauigationis longissimæ: Itaque sublato commercio paulatim in obliuionem venisse. Sed videamus, quod sequitur. Omnes habitatores orbis, qui
» moramini in terra cum eleuatum fuerit signum in
» montibus videbitis, & clangorem tubæ audietis,
» quia hoc dicit Dominus ad me: ego quiescam & con-
» siderabo in loco meo sicut meridiana lux clara est, &
» sicut nubes roris in die messis, ante messem enim to-
» tus efflоruit & immatura perfectio germinauit, &
» præscindentur ramusculi eius falcibus, & quæ de-
» relicta fuerint abscindentur, excutientur, & relin-
» quentur simul auibus montium, & bestijs terræ, &
» æstate perpetua erunt super eum volucres, & om-
» nes bestiæ terræ super illam hyemabunt. Postquam
» exposuit Esai. mandata Dei, & à quibus, & ad quos perferenda essent, exequitur docere ea, quæ euentura erant, cum ea res executioni mandaretur. Ac principio dicit Hispanorum ad has noui orbis oras accessum, eorumque, qui eas oras incolunt, conuersionem ad Christum, clarissimam futuram, & toti orbi notissimam, quemadmodum euenisse videmus. Peragrauit enim gentes omnes huius nauigationis, & noui orbis inuenti fama: Et vt signum, in edito monte positum ab vniuersis conspicitur, vtque tubæ cum ea insonuit, longè latèque clangor auditur: Sic nulla gens futura dicitur ad quam huius rei fama non perueniat. Omnes habitatores, inquit qui »
moramini in terra, cum eleuatum fuerit signum in mon- »
tibus, videbitis, id est, videbitis omnes, quæ prædico futura, quan-

ra, quando ea fient, sic clarè & apertè, atque vexillum conspicuum esse solet cunctis, quando eleuatum fuerit in montibus. Et clangorem tubæ audietis, id est, sicut clangorem tubæ quo nihil vocalius esse solet. Nam Hebraicè ad verbum sic. Omnes habitatores orbis, & morantes in terra, sicut eleuari signum in montibus videbitis, & sicut insonare tubam audietis. Sed pergit. Quia hæc dicit Dominus: ego quiescam, & considerabo de loco meo. Dixit id toto orbi notissimum futurum: Dicit nunc futurũ serò, & post multa sæculorum spatia decursa. Ego (inquit) quiescam in loco meo, id est, ego sublatus in cælum, quæ sedes mea est, & quietis locus, primùm quiescam, id est, quod ad illos, de quibus loquor, & ad salutis illorum procurationem attinet, ocioſus ero, aut certè quasi si essem ocioſus, ita me geram: quiescam itaque à curandis illis, eosque per multa sæcula in infidelitate, atque morum turpitudine iacere permittam. Quiescam, inquit. Nam ex habitu quo Deus inducitur, sæpè id significatur in sacris literis, facturus quod est: quiescunt autem, qui ab opere vacant. Et considerabo, id est, vbi satis quieuero, tunc considerabo, oculosque in eos coniiciam meos, eorum vt aliquando tandem miserear: idque tametsi pro hominum iudiciis serò, tamen pro re ipsa faciam maximè opportuno tempore. Hanc autem temporis opportunitatem in eo q̃ sequitur Esaias, declarat duabus adhibitis similitudinibus. Nam inquit. Sicut lux meridiana clara est, & sicut nubes roris in die messis. Aut, vt alii in eandem sententiã ex Hebræo conuertunt. Sicut lux pura post pluuiam. Adero, inquit, & adueniam ad illos optatus & opportunus, vt post turbidum, & nebulosum mane. Sol medio in cęlo dissectis nubibus optatus niteat: aut sicut post lõgas & tristes pluuias grata aduenit aëris serenitas: & sicut messis tempore, ardentissimoq; æstu inducta nubila sunt gratissima.

Quod

Quod & euenit. Eo enim statu erant earum gentium res, atque mores, quando ad eas classis Hispana appulit, nihil vt eis fieri posset desperatius atque corruptius. Sed ait. Ante messem totus efflоruit & immatura perfectio germinauit. Iam quæ illorum conuersionis ratio fuerit, exponit. Ante messem. Mesis vocabulum in sacris literis figuratè, vel pro extremo mundi tempore poni solet, vel pro alicuius populi aut gentis excidio, & postremo interitu. Ante messem igitur totus iste nouus orbis efflоruit. Ante messem quidem, quia mundi finis breui futurus creditur, quando, sicut Christus fore prædixit, finiri mundus atque consummari debet, vbi primum per totum orbem diuulgatum fuerit Euangelium: aut certè quia earum gentium ad Christum conuersionem consequutum mox est earundem excidium. Constat enim post Hispanorum ad illos aduentum, eorum pleroſque deletos esse bello, cædibus, fame atque peste. Totus autem efflоruit, quia vno ferè tempore eius orbis cultores audita doctrina Christi ei assensum præbuerunt. Non enim paulatim progressa est, sed temporis momento immensa terrarum spatia obijt doctrina Euangelij. Efflоruit porrò quia eorum in Christum fides, & ad Euangelij doctrinam conuersio floribus potiùs, quàm fructibus comparanda est. Haud maturuit totus, sed efflоruit dicit. Non enim illi postquam ad Christum conuersi sunt, maturos pietatis atque virtutis fructus edunt, sed specie tenus lætos atque probandos flores emittunt. Ea enim est eorum hominum naturæ atque ingenij ratio, atque leuitas, nullum vt egregiæ virtutis fructum, aut edant, aut edituros se aliquando esse spem faciant, contra atque accidit in primo tempore Ecclesiæ. Omne enim virtutum lu-

Universidad de Deusto
Biblioteca

men tunc maximè emicuit. Quod idem, & ea, quæ
" sequuntur declarant. Nam dicit. Immatura perfectio
" germinauit. Vel, vt alij ex Hebræo, vua immatura ad
" florem peruenit, hactenus enim profecerunt, vt im-
" perfectum quiddam ediderint & immaturæ vuæ simi-
" le. Et præscindentur ramusculi eius falcibus. Prædi-
cit quomodo illis tradenda sit doctrina Euangelij, fal-
cibus inquit, præscindentur eius ramusculi, non ora-
tione tantum & suasione, vt in principio Ecclesiæ
factum est, nec per inermes homines, sed per arma-
tos vi quodammodo, atque armis tradetur. Itaque,
" Præscindentur falcibus ramusculi. Nam perstat in
instituta vitis metaphora. Vt enim in vite quædam
falce putantur: sic ex illis gentibus plurimæ ferro & sæ-
uitia Hispanorum interituræ dicuntur, & certè inter-
" ierunt. Et quæ derelicta fuerint, abscindentur. Hæc
iam ad Hispanos victores pertinent. Et quæ derelic-
ta fuerint, id est, Hispani derelicti. Nam eos derelic-
tos propterea vocat, quia illis imperio cesserunt In-
di, terramque per tot sæcula ab ipsis possessam, &
cultam illis colendam & posidendam ex parte maxi-
ma reliquerunt. Et quæ derelicta, id est, gentes dere-
lictæ in terræ possessione, aut quibus terræ possessio,
atque dominatus relinquetur, Abscindentur, id est, &
ipsi interibunt. Constat enim eorum Hispanorum, qui
ad eas se contulerunt terras, alios morbo absumptos,
alios mari absorptos, alios bellis ciuilibus occisos,
alios alijs modis variè interemptos. Et quidem Hispa-
nos hoc significare vocabulo, satis indicat verbi He-
braici, cuius id loco ponitur, propria significatio.
Nam quod noster. Quæ derelicta fuerint. scripsit, He-
bræis vno dicitur verbo הכשושות id autem propriè sig-
nifi-

nificat in arbore eos ramos, qui se latè porrigunt,
atque extra ordinem quodammodo vagantes reli-
quos longitudine superant. Itaque & ipse Hierony-
mus Ieremiæ quinto, pro eo, propagines vertit. Nam „ Iere. 5.
inquit, auferte propagines eius, nam non sunt do- „
mini: quo in loco Hebræa sic habent. ליהוה המה
הסירו נטישותיה כי לא Esaias igitur ducta similitudine
ab arbore patula, & quæ latè porrigit ramos suos,
homines Hispanos significat: vt enim ea arbos ra-
mos, sic Hispania ex se genitos homines latè porre-
xit, id est, vsque ad remotissimas orbis oras propa-
gauit. Qui rami atque homines tam extra ordinem re-
liquorum vagantes, & ab Hispania genitrice, & al-
trice sua vsque ad nouum orbem porrigentes se, ab-
scindendi sunt, vt prædicit. Et relinquentur simul aui- „
bus montium & bestijs terræ, & æstate perpetua e- „
runt super eum volucres, & omnes bestiæ terræ su- „
per illam hyemabunt & relinquetur simul, scilicet, om-
nes, qui cæsi cadent, tam Hispani quam Indi inse-
pulti iacebunt, feris atque auibus dilaniandi: quomo-
do in bello fit cæso exercitu, quando campi omnes
complentur cæsorum corporibus. Itaque ex conse-
quentibus indicat fore, vt vtrique bello decertent in-
ter se & vt multis prælijs commissis, cadentibus vtrinq;
quam plurimis, magna strages hominum fiat, quod &
euenit. Ergò, In tempore illo: quando scilicet, hæc vni-
uersa, quę diximus fiēt, Deferetur munus Domino exerci „
tuum, id est, plurimi à seruitute peccati ad lumen veræ „
fidei atque libertatis per Christum asserti, quo nullum „
est munus Deo gratius, deferentur ad Dominum. Defe- „
rentur inquam, à populo diuulso & dilacerato & à po- „
pulo terribili, post quem non est alius à gente expe- „

« tante, expectante & conculcata, cuius diripuerunt flu-
« mina terram eius, vel, vt in Hebræo ad verbum. De-
« feretur munus Domino exercituum populus protra-
« ctus & depilatus, à populo terribili ab ipso, & vltra
« gens, linea linea conculcata, cuius diripuerunt flumi-
« na terram eius. Sed quò deferetur iste populus pro mu-
« nere Domino. Ad locum inquit, nominis Domini exercituum montem Sion. Quæ est Ecclesia Dei sine dubio. Atque hæc Esaias. E quibus omnibus constat priscis vatibus non fuisse ignotum fore, vt doctrina Christi traderetur ijs hominibus, qui has nuper inuentas regiones colunt.

Quo constituto, illud etiam aduertendum est: Pro Bosphoro, quod noster vertit interpres, in Hebræo esse שפרד Sepharad: Hebræos autem eo nomine Hispaniam nominare solere. Quod quoniam intelligo quosdam nunc indubium reuocare velle, vocum collectorem nescio quem, & leues quasdam coniecturas sequutos; ideò necesse erit & hoc vindicare ab errore. Ac principio, quid est quæso in collectore illo cur ei tanta sit adhibenda fides? scientia rerum Hebraicarum, & cognitio eorum linguæ atque sermonis? At ea minor est quàm mediocris: Et vt esset magna, nùm esse tanta potest, vt non dico anteferri, sed conferri vnus debeat cum tot Hebræis doctoribus, quibus vt omnia detrahamus, hoc tamen vnum, vt sermonis atque rerum suarum, quarum in cognitione summis ingenijs noctes dies-que versantur, summam scientiam habeant, negare certe non possumus? An antiquitas? At nostra vixit ætate. An authoritas? At quod eius alia de maximis nostræ religionis partibus iudicia declarāt, est certè leuissima. An probationes? At affert nullas. Leuiū igitur est, & sui amore cæcorum hominum leuissimi vnius nebulonis tantum

tum dicto commotos tot & tantas authoritates spernere. Nam primum omnes, qui intra hos proximos quingentos annos Rabbini scripserunt. Hispaniam Sepharat nominari tradunt. Deindè in Seder Golam magnæ authoritatis apud ipsos, & iam ante multa sæcula conscripto libro, Hispania Sepharat nominatur. Postremò, quod ijs, qui iudicio valent, pro satis magno argumento esse debet, Paraphrastes Chaldæus Rabbi Ionatas Vzielis filius, qui antequam Christus nasceretur scripsit, quique rem Christianam mirabiliter iuuit, in hoc ipso Abdiæ, quem interpretamur, loco, pro Sepharat Hispaniam apertè ponit: cuius isti authoritatem, quoniam ea se premi vident, eleuare frustra conantur. Nouum enim eum scriptorem esse dicunt, certè posteriorem Hieronymo, quando eius nusquam mentionem faciat Hieronymus: quasi necesse sit Hieronymum vniuersa Hebræorum scrinia euoluisse, aut quasi non constet, quantum studium adhibitum fuerit à Iudæis eo tempore, vt suas literas illum, suaque scripta celarent. Itaque & eum Iudæum, à quo Hebraicè docebatur, Hieronymus nocturnum præceptorem suum vocat, ob id ipsum, quòd is aliorum Iudæorum iram atque criminationes metuens, nisi noctu ventitare ad ipsum non auderet. Et certè hunc Paraphrasten antiquissimum scriptorem esse, & vt mimum antiquiorem Hieronymo, ex eo euinci potest, quod Iustinus martyr Hieronymo antiquior, eius paraphrasis, quam ipse Syram nominat, meminit. Quod si in re, vt videtur, aperta coniecturis agere oportet, aut decet, leuis ne illa sit, aut parùm probabilis coniectura, & non potius ita vehemens vt ea vna totam istam causam continear. Montanus qua vtitur. Docet enim solerti satis ratione, à Sepharat Hesperidam deduci Hispaniæ antiquum nomen.

Cui certè possumus addere, quòd in eiusmodi causis, & apud me plurimum semper valuit, & apud omnes puto valiturum, qui præstant iudicio, nullam fuisse Hebræis causam, nisi Hispania Sepharad diceretur, id ei vt nomen imponerent. Ecquid enim quis dicat illos sequutos ista finxisse? Sed vt aiunt, repugnat, & contradicit Hieronymus. Sed quo tandem ille quæso
" modo repugnat? Nos, inquit, ab Hebræo, qui nos in
" scripturis sanctis erudiuit, didicimus, Bosphorum sic
" vocari. & quasi Iudæus, ista, inquit, est regio, ad quam
" Adrianus captiuos transtulit. Hebræum doctorem suum
" tantum citat Hieronymus, & eius vnius vtitur autho-
" ritate.

Quæro igitur, vtrùm vni isti Hebræo ex tota Hebræorum Doctorum turba credendum esse censeant, aut in vno eo contineri omnes Hebræos credant? Nùm quia fidem illi adhibuit Hieronymus, quia in eo, cui adhiberet, neminem alium habebat, idcircò nos, qui innumeros alios, quos sequamur habemus, ijs neglectis hunc sequemur vnum? Etenim si Hebræis doctoribus fides adhibenda est multis, quàm vni, antiquissimo Paraphrasti quam posteriori nescio cui: scriptorum multitudine & celebritate nobilibus, quam obscuro & ignoto homini, qualis iste Hieronymianus doctor fuit, potius est adiungenda. Sed eum laudat in hac re, atque probat Hieronymus, cuius nobis iudicium grauissimum esse debet. Fac probasse, nam de hoc post videro. Probauit tamen, quia alium non habuit, quem sequeretur, nec enim aut Paraphrasin vidit Chaldaicam, aut reliquorum Hebræorum vniuersa scripta cognouit. Quanquam quî dici possit eam probasse sententiam, quam non sequitur, quam statim reijcit? Ipsi enim Sepharad Chaldaicum videtur esse nomen, idem

idem significans, quod Latinè terminus: Itaque transmigrationem quæ est in Sepharad, Iudæos esse dicit eos, qui per omnes orbis terminos dispersi erant. Sed demus Hieronymum Rabbini sententiam, aut probasse, quod certe non fecit, aut probare debuisse. Quid quæso ille dicit, in quo nostræ refragetur, aut potius in quo non suffragetur, & faueat sententiæ? Sepharad, dicit, eum significare locum, quem in locum Adrianus Iudæos captiuos transtulit. At constat Hispaniam in exilium missos fuisse ab Adriano Iudæos, idque testimonio Hebræi Iosippi scriptoris cum primis nobilis, & qui ea ætate, quando ista acciderunt historiam conscripsit. Sed eum locum Bosphorum ille nominat? nominat certè, eoque nomine Hispaniam significat, idque minimè absurdè. Nam etiam Hispania Bosphorus rectè appellatur propter angustias maris Herculeo in freto ad Calpe, & ad Herculis columnas. Dicitur enim Bosphorus vbi terras ita angustum mare diuidit, vt à bobe id transmeari possit: quod in mediterraneo mari tribus visitur in locis, vno in Hispania ad Gades, altero prope Bizantium Thraciæ vrbem: Tertio non longe à palude Mœotide. Itaque & Hispaniæ pars Bosphorus Herculeus rectè nominabitur, quomodo Thraciæ nominatur Bosphorus Thracius. Verisimile autem est Iudæos, quod eos Adrianus, quia ad rebellandum erant proni, in Hispania, longissimè scilicet à Iudæa exulare voluisset Hispaniæ vltima loca, ea autem sunt Gades atque Calpe fuisse iussos incolere: Itaque ideò illos missos dici atque translatos in Bosphorum. Et certè non sine arcano Dei consilio in Hispaniam confluxit Iudæorũ nobilitatis pars maxima, Nã & quando Chaldæi Hierosolymas solo æquarũt, magnã Iudæorũ miserũt multitudi- *Plini. li. 6 cap. 1.*

nem in Hiſpaniam, quæ Nabuchdonoſoro parebat, vt ſcribit apud Ioſephum Megaſtenes: & quando eas iterum ſubuertit Titus eodem relegauit omnem Hieroſolymita nam nobilitatem, Sacerdotes, Leuitas, Regis Dauidis omnes poſteros. Et tertiò, vt diximus, ſub Adriano eò miſſi ſunt vniuerſi. E quibus omnibus intelligitur, quæ ſit propoſitæ vaticinationis ſententia, eam enim nobis ipſe patefecit euentus: continet enim tertiam euangelij diuulgationem, quæ modo in nouo orbe per Hiſpanos fit homines. Nam inquit. *Tranſmigratio Hieruſalem quæ eſt in Boſphoro*, id eſt, fideles, qui Hiſpanias incolunt, oriundi, tum à gentibus, tum præcipuè ab ijs Iudæis, qui Hieroſolymis euerſis in Hiſpaniam demigrarunt, *Poſſidebunt ciuitates Auſtri*, id eſt, nouum orbem, qui Hiſpaniæ Auſtralis eſt, certè ſub Auſtrali plaga conſtitutus, poſsidebunt. Poſsidebunt autem quia eum & Euangelij doctrina Idolorum euerſo cultu, fidei Chriſti ſubijciēt: & armis ſuo adijcient imperio. Sequitur.

Et aſcendent ſaluatores in montem Sion iudicare mōtem Eſau. Tertia diuulgatio quam diximus, eadem eſt & vltima diuulgatio. Nam, vt liquet, è ſupra poſita Chriſti parabola, totus curſus Euangelicæ doctrinæ tantum tribus vocationibus conſtat. Itaque ea diuulgatione, quæ tertia eſt, finita, etiam finietur mundus, ſicut & à Chriſto prædictum eſt fore apud Matthæum ijs verbis. Et prædicabitur hoc Euangelium in vniuerſo mundo, & tunc veniet conſummatio. Conſummatio porrò mundi coniuncta eſt cum ſupremo illo atque magno die, quando Deus publicè de ſingulorum vita atque factis ſententiam feret. Cōſentaneè ergo poſtquā totū Euāgelij curſum prædixit, id cōtinuo addidit, quod Euangelio per omnes orbis partes diuulgato eſt euēturū, id eſt, addidit prędictionēvltimi atq; ſupremi iudicij. Et *aſcēdēt*, inquit, *ſaluatores in mōtē Sion.* Nam

Matt. 24.

Nam hæc verba ſupremi iudicij ſignificare diem, Chaldæa declarat paraphraſis, cuius pleraque ad noſtræ fidei doctrinæ confirmationem ſunt ſcripta diuinitus. Ea igitur ſic. *Et aſcendent ſaluatores in montem Sion ad iudicandam arcem magnam Eſau, & reuelabitur regnum Domini in inſtanti omnibus terræ incolis*. In inſtanti, inquit, ſic enim Chriſtus pollicitus eſt ſe venturum ad ſupremum iudicium exercendum, quà dicit. Sicut fulgur exit ab Oriente, & paret vſque in Occidentem, ita erit & aduentus filij hominis. Et Paulus dicit id futurum in momento & in ictu oculi. *Aſcendent*, inquit, *ſaluatores in montem Sion*, id eſt, quaqua verſum per totum orbem quàm latè orbis patet, tam latè diuulgato Euangelio, ſaluatores, id eſt, Apoſtoli, reliquique ſancti aſcendent in montem Sion iudicare montem Eſau, id eſt, in loco conſpicuo & illuſtri iudicia exercebunt. Quod & Chriſtus diſertis verbis apud Matthæum promiſit fore, dicens. Vos qui ſequuti eſtis me, in regeneratione cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael. Vocat autem illos ſaluatores aptiſsimè. Nam quod pro Latino Saluatore in Hebræo ponitur verbum, ab eo ducitur verbo, à quo & nomen Ieſus deductum eſt. Vocantur autem Ieſus ſancti ipſi, tùm quia officium & perſonam Chriſti tunc ſuſtinebunt: tùm quia ipſum & animi iuſtitia ſemper retulerunt & gloria, quod iuſtitiæ præmium eſt relaturi ſunt illa die: itaque futuri ſunt ſimiles Chriſto vt ex omnibus vna Chriſti veluti ſpecies atque imago reſultet. Dicuntur autem aſcenſuri. Primùm, quia reſumptis corporibus in nouam & glorioſam vitam reſurgent: deinde quia non vt antea contemptui habebuntur, aut infimum inter homines habebunt locum, ſed principem & eminentiſsimum inter omnes. Poſtremò quia impiis in terra iacentibus, ipſi in altum ſublati, loco ſublimi, atque ſplendido ius

Mat. 24.

" *Theſ. 3.*

Matth.

dicent hominibus. Quo finito iudicio sequetur id quod sequitur, quodque in hoc vaticinio vltimum est. *Et erit Dominoregnum.* Nam impijs damnatis, & sempiterno carceri addictis, reliqui omnes in quibus Deus dominaturus est temporibus sempiternis sancti erunt, id est, erunt Deo subiecti, cùm sua sponte, tùm perfectè atque plenè Quare regnabit plenè Deus in omnibus, nemine, qui ipsi repugnet aut eius possit detractare regnum relicto, sicuti & 1. Cor. Paulus in priori ad Corinthios scribit, qua dicit. Oportet illum regnare, donec ponat inimicos suos sub pedibus eius, nouissimè autem inimica destruetur mors: & paulò infra. Cum autem subiecta fuerint illi omnia, tunc & ipse filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia, vt sit Deus omnia in omnibus, cui sit laus atque gloria per sempiterna tempora, Amen.

FRA-

FRATRIS

LVYSII LEGIONENSIS AVGVSTINIANI, THEOLOGIAE *Doctoris, & Diuinorum librorum primi apud Salmanticenses interpretis.*

IN EPISTOLAM PAVLI AD GALATAS EXPLANATIO.

EPI-

EPISTOLAE
ARGVMENTVM.

Plin. li. 5. c. vlti.

GAlatia Asiæ minoris regio, Phrygiæ à meridiana sui parte contermina est. Hanc olim incoluerunt Galli, ex quo dicta Galatia. Itaque Galatæ à Gallis oriundi, vni ex Asianis, quorum acumē maximè prædicatur, tardiores ingenio sunt habiti. Quare Paulus eos in hac epistola insensatos appellat. Hi igitur cum Pauli suasione ab idolis ad Christum primò essent conuersi, postea quorundam Iudæorum, qui & ipsi in Christum credebant, falsa oratione inducti, sibi persuaserunt, fidem in Christum ad salutem non sufficere, sine legis Mosaycæ obseruantia. Itaque vtrumque esse necessarium, ac propterea simul coniungendum. Induxerunt autem eos in hunc errorem illi, primum Pauli authoritatem apud ipsos eleuantes, quòd dicerent ipsum neq; Apostolum à Christo missum esse, neque edoctum, atque institutum ab ipso fuisse, ac propterea ne dignum quidem esse, cui fides haberetur, in re tanta præsertim. Deinde affirmantes, Petrum, & Iacobum & Ioānem summos Apostolos in Iudæa docere, cum fide Christi legis obseruantiam coniungendam omnino esse, contra atque Paulus docebat. Postremo contendentes vnis Abrahami posteris salutem promissam esse: Quare nisi qui Abrahæ filius sit seruari neminem. Portò in Abrahami filium, qui carne non esset eum vna Mosaycæ legis professione adoptari: Quamobrem necesse esse legem vt seruarent omnes qui se saluos vellent: ob id enim traditam esse à Deo vt seruaretur perpetuò: ex quo ipsam repudiare, aut negligere licitum esse nemini. Quibus rebus Paulus commotus, quo Galatas ab errore tam pernicioso liberaret, hanc ad ipsos scribit

scribit epistolam. In qua eadem seruat in docendo vestigia, quibus deceptores illi in decipiendo institerunt. Nam in priori eius parte, authoritatem suam, munusque docendi sibi à Christo commissum ab iniuria magna verborum grauitate asserit: in altera vero narrat, quæ Petri, atque Iacobi ea de re fuerit sentētia. In tertia autem ipsam proptiè causam ingressus, docet nullo modo neque necesse esse, neque omninò licere cum Christi fide legis obseruantiam coniungere, quod agnationem cum Abrahamo non lex faceret, sed fides: quodque lex nunquam attulisset iustitiam, & tunc coruscante iam, & vigente Euangelio certam esset allatura perniciē, quas duas res variè & multipliciter probat. Porrò in quarta atque vltima ad mores instituendos pro suo Paulus more orationem conuertit. Itaque scopus, & tanquam status huius epistolæ est, vtrùm qui in Christum credunt, legem Mosaycam & ipsi obseruare debeant: sitque nobis omnibus lex adiungenda Euangelio. Sed iam Paulum audiamus.

CAPVT. I.

PAulus Apostolus, non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum, & Deum patrem, qui suscitauit eum à mortuis, & qui mecum sunt omnes fratres, ecclesiis Galatiæ, gratia vobis & pax à Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo, qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, vt eriperet nos de præsenti sæculo nequam, secundum voluntatem Dei, & patris nostri, cui est gloria in sæcula sæculorum, amen.

Quoniam, vt diximus quidam impostores Pauli, à quo fuerant Galatæ edocti, authoritati, atque scientiæ apud ipsos detrahebāt, quo sic illos facilius in suam sententiam pertraherent: idcircò Paulus statim in hoc salutationis exor-

exordio & se & munus suum quibuscumque potest modis à contemptu vindicat: ac simul iacit quædam veluti semina futuræ disputationis. Nam etsi laudare se neminem deceat, tamen quando alicuius doctoris authoritati iniustè derogatur, quo sic eius discipuli ab eo facilius auelli possint, & in errorem induci, honestè se is laudat, quod Paulus hic necessitate constrictus facit. *Paulus Apostolus*. Commendat personam, & authoritatem suam & eo se vocat Apostolum, vt Anselmus scribit. Nam etsi Apostoli vocabulum Græcum sit, quo missus aut legatus significatur, & ob id ad omnes qui legantur, aut mittuntur pertineat, tamen in sacris literis non solum munus legati significat, sed etiam dignitatis quandam prærogatiuam coniunctam cum principe potestate, tum res fidei docendi, tum leges ad religionis atque pietatis cultum spectantes ferendi, vt ex illo liquere potest, quod ab hoc ipso Paulo ad Corinthios scribitur. Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos: & ad Ephesios similiter. Ipse dedit quosdam quidem Apostolos. Quo etiam modo Christus apud Lucam id nomen indidit solis duodecim, quod & postea datum fuit nonnullis alijs, vt Paulo & Barnabæ, qui in Actis Apostolorum vocantur Apostoli, & Iacobo Episcopo Hierosolymitano, quem in hac epistola Paulus Apostolum vocat: nam is Iacobus alius fuit à Iacobis Zebedæi, & Alphæi. Quare hic dum se Apostolum Paulus nominat, eo ipso monet Galatas, potius vt sibi fidem habeant quam iis, qui ipsos seduxerunt, vtpote qui neque Apostoli essent, neq; vllo modo à Deo missi Sed addit. *Non ab hominibus neq; per hominem.* Id Diuus Thomas sic interpretatur. Non ab hominibus, id est, non à toto collegio Apostolorum, neque per hominem, id est, non ab aliquo priuatim Apostolo. Nam, inquit, qui-

1. *ad Cor.* c. 12. *Ephes.* 4. *Luc.* 6. *Act.* 14.

quidam mittebantur à toto collegio, quidam priuatim ab eius collegij aliquo, vt Paulus aliquando Lucam, & Titum misit, docet ergo Paulus vt Diuo Thomæ videtur, se non missum esse ab Apostolis, neque priuatim neque publicè, vt qui detrahebant ipsi dicebant, sed hic nimium strictè, nã vt mihi videtur & vt commẽtaria Chrysostomi & Hieronymi probant, Paulus ijs vocibus latius vsus est, quo se à nemine missum esse testetur. *Non ab hominibus*, inquit. Ab hominibus mittuntur, qui homines suæ legationis habent præcipuos authores: per hominem autem dicuntur missi qui mittuntur quidem à Deo, sed hominis alicuius ministerio, quomodo Matthias creatus est Apostolus. At Paulum neque homines fecere Apostolum, neque Deus per homines: sed ipse Deus solus illum instruxit, atq; legauit. In quo duo docet, primum esse falsum, quod pseudoapostoli de ipso sparserant missum ipsum esse ab Apostolis: Alterum se nonnullis Apostolis hac in parte esse prẽferendum, quòd illi per homines electi sint, vt Matthias, ipse neq; ab hominibus neque per homines. At qui verum sit Paulum ab hominibus nõ fuisse legatum, quod ipse de se testatur, cum constet ex Apostolorum historia Antiochenses presbyteros, misisse ipsum vna cum Barnaba ad docendum gentes Euangelium, manibus capitibus eorum prius de more impositis, quod erat signum collatę potestatis? Ad hoc dici debet, Antiochenses non misisse Paulum ad docendum gentes aut vllam eius rei potestatẽ illi feciisse, sed doctos ipsos ab Spiritu sancto hoc esse Pauli munus, ad quod ipsum iam pridem legisset Deus, noluisse illum amplius detinere apud se, neque aliis negotiis atque curis implicari ipsum esse passos. Sic enim scribitur. Ministrantibus illis Domino, & ieiunantibus dixit illis Spiritus sanctus. Segregate mihi Saulum, & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos, id est, ab alijs negotiis liberos,

Act. 13.

ros, sinite vt id obeant munus ad quod ipsos elegi. Quare neque hominum authoritate Paulus legatus est, neque hominum ministerio vsus est Deus vt illum legaret, quomodo ipse de se testatur. Quod si aliquis quærat, si Paulus fuit Apostolus, hoc stricto, & præcipuo modo quem dicimus, quid causæ fuerit, quare non vbique id sibi asciscat nomen? Pluribus enim in epistolis earum initio se Paulum tantum nominat, nō item vocat Apostolum, vt in epistola ad Philippenses, & in vtraque ad Thessalonicenses, & in epistola ad Hebræos: ei respondendum est, id modestiæ causa à Paulo factum. Nam id sibi non asciuit nomen in epistola ad Hebræos vt Hieronymus docet, ne si asciuisset in eo videri posset se æquare voluisse Christo, quē in eius epistolæ capite quarto appellaturus erat Apostolum dicens. Habentes ergo principem Sacerdotum, & Apostolum nostræ confessionis Iesum: in cæteris autē vt id vsurpare nollet nomen, eo adductus est, quod in earum epistolarum initio ad suum Pauli nomen, aliorum item nomina adiungebat, neque ex suo nomine tantum aut persona scribebat, sed etiam ex aliorum persona, quibus quoniam Apostoli non conueniebat nomen, ideò ne se quidem Apostolum nominauit, aut sibi vni tribuit, quod communiter iis quorum ex nomine scribebantur epistolæ tribui non debebat omnibus, ne se illis præferret. Quod si rursus obijcias in vtraque ad Corinthios epistola, & in epistola ad Colossenses, quas & suo & Timothei nomine scribit, etsi Timotheus eius nominis dignitate careret se tamen Apostolum nominasse: dici profectò debet, ideo fecisse, quod apud vtrosque necesse ipsi fuerit dignitatem tueri suam: quod vtrique à falsis seducti Doctoribus, quibus fidem habere cœperant, minus quotidie dicto audientes ipsi erant. Et certò vbicumque id nomen sibi Paulus asciscit,

Heb.4. „ „

scit, necessitate astrictus asciscit. Nam prēter hæc, id nomen vsurpat sibi ad Romanos, & ad Ephesios, & ad Timotheum, & Titum scribens: & ad Romanos quidem & ad Ephesios, quòd illis esset ignotus (non enim ipse erudierat illos) se Apostolum nominauit, sua vt apud illos oratio pondus haberet: ad Timotheum autem, & ad Titum, quoniam eis præcepturus erat, vt constituerent Episcopos, quo constaret suæ potestatis esse id & præcipere, & facere, in ipso scribendi initio se appellauit Apostolum. Quo Pauli exemplo docemur, etiam eorum quæ exercemus officiorum ac munerum honorificos titulos nisi necessaria de causa vsurpandos non esse. *Paulus*, ergò inquit, *Apostolus*. Quasi obliquè seductores illos primo verbo perstringens, atque ita ferè dicens. Apostolus, inquam, non seductor vt apud vos falsò iactatur. Ab alio missus ad docendum, non me ipse impudenter ingerens, vt faciunt nonnulli: vtilitatem vestram vt Apostolus quærens: non mea priuata commoda augens sub prætextu doctrinæ. Apostolus inquam, vt sequitur, non ab hominibus neque per hominem. Quod si Paulus arbitratus est authoritatem nō habiturum munus suum, nisi ostendisset se neque ab hominibus Apostolum fuisse lectum, neque per homines, quanti quæso illi faciendi sunt, aut quid de illis sperandum. qui ipsi se neque à Deo, neque ab hominibus vocati Ecclesię administrationibus ingerunt? & quos videmus, vt inquit, Hieronymus, redempto fauore electorum in sacerdotia subrogari? de quibus Ieremias verisimè. Non mittebam eos, & ipsi currebant: non loquebar ad eos & ipsi prophetabāt. Sed addit. *Sed per Dominum Iesum Christum.* Nam nisi qui à Christo constituitur, atque præficitur, nemo rectè præesse potest. ex quo iure Paulus. Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui

Ierem.c.23. „ „ *Heb.4.*

vocatur à Deo tanquã Aaron. Sumit, inquit, ideſt, ſumet, aut ſumere debet, pro ſermonis Hebraici ꝓprietate, cuius & in Græca noui teſtamẽti ſcriptura plura extãt veſtigia. Pergit. *Et Deum Patrẽ qui ſuſcitauit illũ à mortuis.* Et hoc pertinere videtur ad ſuã authoritatẽ nõ tuendã modo, ſed amplificandã etiã, vt Chryſoſt. Hieron. Anſelmꝰ, & nõnulli alij annotarũt: quòd docere videatur ſe Apoſtolũ cõſtitutũ à Chriſto à mortuis ſuſcitato, hoc eſt, in vita cõſtituto malorũ experti, nõ autẽ vt cæteri Apoſtoli à Chriſto, dũ apud nos agebat, & ſimilẽ nobis morti ac malis obnoxiã vitã viuebat. Sed aduerti ęquum eſt qua prudẽtia Paulus, & quãta cautione ſuã temperet oratio nem. Nã dixerat ſe electum eſſe, neque ab hominibus, neque per hominem, ſed per Ieſum Chriſtũ, in quo docuerat Chriſtum eſſe Deum, vt Hieronymus intulit cõtra Ebronis, ac Photini hæreſin Chriſti diuinitatem negantium, ſed quoniã ex eo & ex vi particulę aduerſatiuę ſed, quam ſubiecit, colligi poſſe videbat non eſſe homine Chriſtũ, vt Manichęi poſtea dixerunt, ideò adhibuit ſtatim medicinam ſubijciens. *Et per Deum Patrẽ qui ſuſcitauit illum è mortuis.* Nã qui à mortuis ſuſcitatus dicitur, is neceſſe eſt vt verus ſit homo, & ita paucis verbis teſtificatus eſt Chriſtũ eſſe, & Deum & hominem eſſe. Sed etiã eſt aduertẽdũ, cum poſſet Paulus alias afferre res, è quibus Chriſtus intelligeretur eſſe homo, mentionẽ ipſum eius reſurrectionis feciſſe, vt futurę diſputationis ſemina ſpargeret. Nã docturus poſtea eſt eius iuſtitiæ, qua noſtri ſanctificantur animi effectorem in nobis eſſe, nõ aut Moſen ipſum, aut præſcriptũ Moſaicis legibus vitæ degendę modum, ſed vnum Chriſtum Ieſum. In Chriſti autem à mortuis ſuſcitatione, & ad nouã vitã reditu ad iuſtitiam præluſit Deus noſtram, cauſamq; vitæ, atq; ſanctitatis noſtrę in illa eius noua vita cõſtituit: illo enim ad vitam

vitã de integro redeũte omnes quicunq; cõtinebamur in illo, affecti eadẽ vita ſumus, cã vt poſtea in nobiſmet ipſis, cũ ex illo naſcimur, viueremus. De quo idẽ Paulus alibi ſcribit. Mortuus eſt propter delicta noſtra, & reſurrexit propter iuſtificationẽ noſtrã. Itaq; de iuſtitia animi & ſanctitate dicturus, & ab vno Chriſto nos eã habere docturus, ſuſcitationis Chriſti in qua nõ ſolũ imago vitę animorũ noſtrorũ inerat, ſed & efficiens includebatur vis, mẽtionẽ intulit dicẽs. *Et Deum Patrẽ, qui ſuſcitauit illũ à mortuis.* Sequitur. *Et qui mecum ſunt omnes fratres.* Et his etiã maiorẽ fidẽ ſuis dictis cõciliat, vt adnotauit Chryſoſtomꝰ, quaſi ſic dicat. Nõ ego ſolꝰ hæc ſentio & ſcribo, ſed & omniũ qui mecũ ſunt eadẽ ſententia eſt: itaque vniuerſi hæc ad vos ſcribimus. Rectè autẽ & cõſentaneè, quos fratres vocat, eos vnà ſecũ eſſe dicit, id eſt, ſentire idẽ quod ipſe ſentiat, & ſenſibus atq; volũtatibus cõcordare cũ ipſo. Nã fraternitatis ratio nõ vnius domus, aut nominis cõmunione cõſtat, ſed animorũ potiùs cõcordia cõtinetur: de quo Dauid ſcribit in Pſal. Eccè quã bonũ, & quã iucũdũ eſt, habitare fratres in vnũ. Nec enim fratres aut ſunt, aut dici poſſũt, niſi vnà ſimul habitẽt, id eſt, niſi vna omniũ mens ſit. Sed Paulus, & qui cũ Paulo ſunt fratres, ad quos quæſo ſcribũt? *Eccleſijs*, inquit, *Galatiæ.* Eccleſijs dixit numero multitudinis, quia nõ ad vniꝰ tãtũ ciuitatis fideles, ſed ad omnes Galatię regionis homines ſcribebat. Nã erroris quẽ diximꝰ, cõtagio totãillã regionem infecerat. Eos igitur primũ ſalutat ſuo more: *Gratia*, inquit, *vobis & pax à Deo Patre, & Dño noſtro Ieſu Chriſto.* Rectè cẽſet Chryſoſtomus Paulũ his verbis cœpiſſe pręmunire ad futurã diſputationẽ. Nãhoc perinde eſt ac ſi diceret. Gratia vobis à Deo Patre quidẽ, & à Dño nr̃o Ieſu Chriſto, nõ autẽ à Moyſe, aut ab eiꝰ legis obſeruãtia, vt vobis quidã nitũtur perſuadere. Solus inquã Deꝰ

Pſal. 132

Pater,& Christus Dominus authores gratię sunt,quare ab eis solis peto,vt vos gratia sanctificēt. *Gratia vobis & pax.* Hac salutatione ideò perpetuò Paulus in suis vtitur epistolis,quod nihil alteri precari possumus gratia,& pace melius: hæc enim duo bona omnē vitæ beatæ,& causam continent & rationem: gratia causam,rationem autem pax. Præposuit autem gratiam rectissimè quo doceret,nisi à gratia oriatur nullam esse pacē. Nā pax vberrimus est virtutis fructus: virtus autem vera sine gratia esse non potest, quare Esaias. Et erit opus iustitiæ pax, *Esa.*32. & in Psalmo: Iustitia & pax se osculatę dicūtur & de impijs dicit Dauid. *Psal.*84. Et viam pacis non cognouerūt, quod ad pacem vna perueniatur virtute duce,quam ducem sequi impij nolunt. *Psal.*31. Ex quo semper fit vt homines flagitiosi,neque ipsi secum,neque cum alijs vllam habeāt pacem, vt Esaias testatur qua scribit. Non est pax impijs dicit Dominus. Secum non habent, quia suis cupiditatibus,quibus inter ipsas magna contentio est,abiectissimè seruiunt: ab alijs autem dissident, quia in contentionem ob ea quæ immodicè cupiunt bona,sæpè cum illis veniunt: ex quo oriuntur dissensiones,& inimicitiæ. Non ergò fruuntur pace nisi qui virtutem colunt: neque colit virtutem quisquam, nisi cui eius colēdæ Deus per Christum gratiam atque facultatem contulit. Et ideò vera pax nemini contingit, nisi per Deum Patrem,& Dominum Iesum Christum. *Per Deū Patrem.* Non sine causa est quod Deum Patrem hoc præcipuè appellat loco, hoc est, quòd pacem eam illis precatur, quā Deus efficit pater,tacitè enim & in hoc suæ seruit sententiæ. Nam si qui gratiam efficit, Pater Deus est,sequitur quæ lex,quæquę legis obseruantia Deum non vt patrem amat, sed vt Dominum metuit atq; veneratur,eam gratię efficientem non esse,qualis Mosay-

Mosayca lex erat, quippe quæ spiritum seruitutis, vt Paulus ad Romanos scribens loquitur, suis cultoribus, non filiorum conferebat spiritum: sic enim afficiebat eorum animos, vt Deum non tam pro Patre indulgente haberent, quam pro seuero & graui domino: contrahebatque eos metu, & in officio continebat formidine, non amore ad decus accendebat, nec erigebat, aut spe, aut desiderio cælestis hæreditatis cernendæ, vt se quasi qui cælesti essent sati semine, pro filiis gerere velle animum vnquam inducerent. Id enim est proprium Euangelij, de quo verè Paulus. Non accepistis, inquit,spiritum seruitutis iterum in timore, sed spiritum adoptionis filiorum Dei,in quo clamamus Abba pater. Nam eo accepto spiritu non solum intelligimus, à Deo nos sic effuse diligi, non tantum vt qui vnicus ipsi esset longè charissimus filius, eum iterum ex nobis nasci, & pro nobis mori voluerit, sed etiam vt coniecerit nos omnes in ipso & penè vnum effecerit, quo sic ipsius, nostrique vna esset & propè eadem apud ipsum fœlicitatis conditio, idem genus, idem nomen, eadem filiorum indoles, eadem erga ipsum in nobis obseruantia atq; amor. Quare & addidit. *Et Domino Iesu Christo, qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, vt eriperet nos à præsenti sæculo nequam, secundum voluntatem Dei & patris nostri.* Nam omnis Euangelicæ legis efficacia à Christi meritorum magnitudine manat. *Qui dedit*, inquit, *semetipsum pro peccatis nostris.* Hoc dicit, primum vt doceat non sine causa authorem gratiæ atque pacis Christum nominasse: morte enim ille sua, quam de Patris voluntate pro peccatis subiit nostris id assequutus est vt posset. Deinde id ponit, vt seruiat futuræ argumentationi. Nam si lex Mosayca iustitiam conferret, nosque à peccatis expiaret, sine causa Christus pro peccatis nostris mortuus esset. Postremò sic scri- *Rom.*8.

Universidad de Deusto
Biblioteca

bit, vt admoneat Galatas gratitudinis erga Christum, sicque eos à Iudaismo efficacius abstrahat. Nam in vtro quæso melius & securius quis spem suam collocet, in Moyse, qui legem grauissimis mandatis plenã attulit, an in Christo, qui vitam suam atque sanguinem pro peccatis effudit nostris? aut vtriùs legis cultu atque victimis verosimilius est homines sanctificari posse, Christi ne, qui seipsum pro nobis, patre volente, & approbante victimam sanctissimam in cruce obtulit, an Mosis, qui pecudum, & animalium iugulationes ad expiationem animorum instituit? *Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris.* Quam paucis verbis Christi in nos amoris infinitam vim complexus est. *Dedit*, inquit, id est, liberaliter donauit, nullo inductus pretio, nulla mercede, quò magis suum erga nos amorem testaretur. Etenim nulla nostra merita fuerunt, quæ prouocare Christum possent, vt nobis benefacere vellet: contra potius meriti eramus, nos vt prosequeretur odio inexpiabili. *Dedit*, inquit, quò intelligas non temerè, neque casu ipsum coniecisse se in vitæ discrimen, sed adhibuisse consilium prius, & re diligenter examinata, rationeque reperta quæ omnium esset optima, mortem oppetiuisse. Quod idem Paulus apertius ad Ephe
» sios scribit dicens. Qui dilexit nos, & tradidit semetipsum
» pro nobis, tradidit consulto, scilicet, & quasi qui curam adhibuerit, vt quod non posse fieri videbatur, vt Deus mortem obiret, fieret tamen, mortique aditus ad ipsum pateret. *Qui dedit*. At quid dedit? *Semetipsum*, inquit, vno exhauriens omnia verbo. Non aliquid sui, neque laborum, atque actionum suarum partem aliquam tantum impertitus est nobis: sed semetipsum totum. Non vitam excipio, inquit, non animi dotes diuinas, non diuinitatem ipsam, vniuersa nobis dedit, quando sua omnia ad nostram salutem retulit. Nostri enim causa

& natus

& natus est & peregrinatus in hac vita, & exsul ab ipsa factus, & iterum ad eandem redux. Nostri etiam causa cælum ascendit, patriqué assiduus astat, pro nobis ipsum sæpe interpellans, neque cum se totum nobis dedit, vnius atque singularis generis bonum nobis contulit, sed id bonum donauit, in quo vniuersa continentur bona, vt verè idem Paulus collegit, qua scribit. Qui etiam pro- *Rom. 8.*
» prio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit
» illum, quomodo non etiã cũ illo omnia nobis donauit?
Sed addit. *Pro peccatis nostris*. Nam peccata nostra ipse à nobis in se suscepit, nobisque ipse vicissim seipsum dedit: suscepit illa, vt quas meriti eramus ob ea peccata pœnas, ipse subiret: dedit autem semet, non vt ipse careret se, sed vt nos vnà secum coniungens suorum bonorum participes efficeret. Sequitur.

Vt eriperet nos à præsenti sæculo nequam.

Diuus Thomas hoc ita accipit quasi eo significet Paulus alium effectum mortis Christi nullo modo cum superiori coniunctum, id est, cuius peccatorum remissio antea commemorata, causa non fuerit, vt si scripsisset. Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, & prætereà vt eriperet à præsenti sæculo nequam. Et peccata, pro quibus se dedisse Christus dicitur, ea intelligit, quæ quis commisit antequam Christo se crederet: sæculum autem præsens & nequam, postea peccandi causas continere arbitratur. Nam Christus sua morte & delet peccata, quæ, antequã in ipsum crederemus admisimus, & prætereà vires addit, quibus deinceps viuere possimus sine crimine. Recte hoc, atque verè. Sed simplicius videtur vtrumq; coniungere, ita vt in altero alterius causa insit: Pauluscq; dicat Christum se in mortem dedisse pro peccatis nostris eo fine, vt illis delendis atque expiandis

nos eriperet à præsenti sæculo nequam. Nam sæculi vocabulum hoc loco accipi debet, non propriè pro temporis aliquo spatio, sed figuratè, & per Metonymiam, aut pro sæculi principe, aut pro ijs hominibus, quos filios sæculi sacræ literæ vocant, aut certè pro eorum hominum viuendi instituto, proque ijs legibus, quas ipsis suæ cupiditates indicunt: quasque viarum difficilium appellatione Sapiens nominat dicēs ex impiorum persona. Ambulaui
Sap. 5. mus vias difficiles, viam autem Domini ignorauimus. Nā quocunque id modo accipiatur verissimè Christus mortuus esse dicitur propter nostra peccata, id est, eò mortuus, vt morte sua peccatis & peccatorum fomite, & peccādi mala libidine abolitis, quasi grauissimo excusso à ceruicibus nostris iugo in libertatem nos assereret à grauissima seruitute, primum diaboli: nam fundamentum eius in nos dominationis, nostra mala libido est, itaq; ea sublata illius imperium statim corruit. Deinde filiorum huius sæculi: quia qui suas cupiditates compressas habet ei, vti extra omnem fortunæ aleam constituto, nemo nocere potest: postremò ab instituto vitæ sæcularis, atque profanæ, quia sola mala libido est, quæ nos ei vitæ seruire cogit. Nā, exempli gratia, qui mulieroſus est, quia cupiditati, vt in se dominaretur, permisit curas subire, debet inimicitias suscipere, pericula adire, sumptus immensos necessario facere: similiter, quem cupiditas honorum atque ambitionis inflammat, is vt seruiat multis necesse habet. Ergò qui cupiditatibus vacat, huius est seruitutis expers, quæ certè seruitus vitā nobis acerbā reddit: vt cupiditatibus autem vacaremus Christus mortuus dicitur pro peccatis nostris, vt nos eriperet à præsenti sæculo nequam. Nam moriendo, quod ad se attinet, & peccati admissi omnem culpam & peccandi fomenta, atque libidinem vniuersam penitus excidit: eisque excisis à dura seruitute sæculi ad veram liber-

libertatē nos transtulit. Quod, antequam moreretur se facturū est pollicitus, quando eius promissi spe nos inuirabat, vt se vellemus sequi, sic dicens. Venite ad me omnes, ,,*Matt.* 11
qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Sed & ,,*Rom.* 6.
Paulus, huius libertatis magnitudinem, & diuinas vtilitates sic explicat. Nunc vero liberati à peccato, & serui facti iustitiæ, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finē vero vitam æternam, stipendium enim peccati mors. Nā malę cupiditates in animo dominantes, non solum vitam fœlicitatis & gratiæ illi eripiunt, & in interitum sempiternum pręcipitant, sed etiam dum hæc vita manet multis eū subijciunt rebus morte peioribus, illum vt curis excarnificent, & angoribus miserè cōficiant. Sed addit Paulus tandem & aliam causam, quæ Christum impulit vt mori pro nobis vellet. *Secundū*, inquit, *voluntatē Dei patris nostri*, Id est Christus passus pro nobis est, quia sic placuit cælesti patri, cui Christus fuit per omnia obediens: vt simul Christi cōmendetur erga nos charitas, & erga patrem obedientia. Pro quo hominibus impenso beneficio, quoniam illi sempiterna debetur laus, tandem subiecit. *Cui est gloria in sæcula sæculorum* Docens, quando referre Deo parem gratiā non possumus, oportere vt gratias illi semper habeamus. *In sæcula*, inquit, *sæculorum*. Hic quærit Hieronymus, quid sit sæculum, quid sæculorum sæculum, & vtrum æternitatem significet, an temporis spatium definitum, & si forte modo hoc, modo illud, qua nota dignosci possit vtrū significet. Sed quamuis certum sit sæculi vocabulo in sacris literis tempus definitum sæpè significari, neque semper vnum aut idem, quomodo latius alibi diximus: tamē quantum obseruare potuimus sæcula sęculorum, semper in ęternitate dicitur. Non enim illi male, qui qua figura Hebræi Cantica Canticorum, aut Sancta Sanctorum solēt dicere, qua id significent, quod in suo genere eximium atq;

præstans est, eadem sæcula sęculorũ dici arbitrantur, ad significandã longissimã ex omnibus durationẽ, quę sine dubio est æternitas. Quãquã etiam possit dici per αἰὼνας sæcula sęculorũ id appellari tempus, quod à fine mũdi per æterna deinceps tempora producetur. Nam hoc in quo decurrit vita nostra tempus, sęculum & ipsum est: at illud sæculorũ sæculum, quoniam hæc vitæ spatia atq; sæcula ad illud omnia referuntur nunquã finiendũ sæculũ. Quo in sęculo verè Deus gloriosus futur⁹ dicitur; quoniã & omnis, & ab omnibus illi tunc gloria reddetur. Itaq; ad hoc sæculum, quod à mortuorũ suscitatione decurret, illud psalmi pertinet. Sit gloria Domini in sæculum, lætabitur Dominus in omnibus operibus suis. Idẽ significatur in illo. Cum sederit filius hominis in sede maiestatis suę: & regnũ illud Dei, de quo vt adueniat precamur, in hoc sęculũ incidet: ex quo liquet id esse gloriæ Dei propriũ tempus, & ob id Paulũ de Deo rectè dicere. *Cui est gloria in sæcula sæculorũ.* Quasi planius dixisset. Cuius in eo sæculo, quod exactis omnib⁹ huius vitæ sæculis nunquam finiendũ succedet, maximè illustris est futura gloria: quem tunc cuncti prędicabunt, qui illo tẽpore cũctorũ ore perpetuò laudabitur. Quod vt doceret fore ratum Paulus, Hebræa vsus perpetuæ veritatis nota inquit. *Amẽ.* Quod alij verè interpretantur, alij profideliter accipiunt: Græci interpretes pro eo γένοιτο ponunt, sed vniuersi consentiunt Hebræos ea voce vti in eis rebus, quæ ita firmæ, ac certæ sunt, vt in contrarium verti nullo modo possint, & cum Amen, dicunt, non solum significare optare se, vt id, quo de agunt, certum sit, sed persuasos se sine vlla dubitatione esse id omninò futurum. Atque hîc Paulus salutationem finit.

Psal.103. „ *Matt.19.* „

Sed antequam ab hoc discedamus loco non ab re fuerit cognoscere Lutherum, atque alios nostræ ætatis Hæreticos ex hoc Pauli loco reiicere solitos ea opera, quibus pro

propœna, quæ peccatis semel remissis luenda relinquitur satis Deo facimus, veteri probatoque more, quòd dicant nihil quod vlla postea satisfactione sit eluendũ in ijs hominibus relinqui, qui meritorũ Christi semel participes sunt effecti: quando Christus, vt Paulus hîc dicit, dedit semetipsum pro peccatis nostris, vt eriperet nos à pręsenti sæculo nequam. Aut enim, inquiunt, dicendũ est, Christi meritũ imbecillũ, & inefficax esse, aut si est, vt certè est, summè efficax proculdubio fatẽdũ eo vniuersa nostra peccata omnino deleta esse, & ex eo fieri necessariũ nõ esse, vt ad eius merita nostras ipsi satisfactiones addamus. Sed primò, malè id certè colligũt ex hoc Pauli loco, cũ apertè dicat Apostolus Christũ se dedisse pro nostris peccatis secundũ voluntatẽ Dei & Patris nostri: & ex eodẽ Paulo alibi constet, Deũ id velle, vt ipsi in nobismet sancti simus. Hæc est, inquit, volũtas Dei sanctificatio vestra. Ex quo colligit volũtatis diuinæ esse, catenus vt nobis infundatur Christi satisfactio, atq; meritũ, quatenus bene ipsi eodẽ adiuuante operãdo habiles efficimur, quibus infundi possit, vt diserte idẽ Paulus scribit. Si cõplãtati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis futuri sumus. Et alio in loco. Si tamẽ cõpatimur vt glorificemur. Nam si quæ admisimus scelera, ea ociosis nobis & nihil agẽtib⁹, propter Christi meritũ remitterẽtur, non ille quidẽ nos sanctos efficeret, sed nobis impunè prauis esse cõcederet. Itaq; hoc perperã colligũt, estq; ipsum per se falsũ, esseq; demõstrat illustre illud Dauidis exẽplũ, qui quãuis Dei oraculo didicisset sibi remissũ esse peccatũ suũ: adhibuisse tamẽ preces atq; lacrymas dicit, Deique misericordiã, sibi vt id amplius remitteretur, studiosè imploraſſe, vt è Psal. quinquagesimo liquet.

1. Thes. 4. „ *Rom. 6.* „ *Rom. 8.* „ *Psal. 50.*

Sed vt ista res magis explanetur, debet aduerti, ex ignoratione ei⁹ rationis, qua Chrs in iustis est, & iusti in Christo esse cẽsent, & hęreticos lapsos esse, & è nostris nõnullos in varias

varias opiniones diuisos. Nam ea si cognosceretur ratio, neque hæretici interioris iustitiæ ornamenta animis iusto rum inesse, aut eorum esse aliqua apud Deum bona merita, aliquasq; pro peccatis satisfactiones inficiati essent, neque è nostris aliqui tam fuissent pertinaces in negãdo, aut homines Christi iustitia iustos efficit, aut hominibus iustis Christi bona merita toties addi, proprioraq; fieri, quo ties ipsi benè, & honestè operantur. Non enim pugnant inter se, sed potius mirè consentiunt ista. Primũ vna Chri sti satisfactione, atque merito omne meritum atque satisfactionem contineri, ab eoque pro omnium peccatis plenissimè satisfactum esse: & rursus, illis, qui ad iustitiam trãsferuntur, sæpius hactenus peccatum dimitti, vt necesse habeant pœnarum aliquid sustinere: verèque ipsos & satisfacere, & mereri dici. Deinde homines iustos tales fieri, quod aliquando affecti sint eadem ipsa, qua Christus iustitia: & rursus eosdem, cum iusti fiunt in animo suo hærentem habere gratiæ cæleste donum, à Christi spiritu, qui in eorum inest animis, tanquam splendorem è sole ortũ, & per animum latè diffusum. Postremo iustos à primo totam Christi iustitiã pro sua habuisse: & rursus eius iustitiæ, atq; meritorum quotidie magis participes esse posse. Est enim, quo ista intelligãtur, ea adhibẽda distinctio, quæ, qđ δυνάμει tale esse dicitur, a beo quod re ipsa, & actu tale est, distingui solet. Nam sciendum est Christum in illa nocte, quæ proximè præcesserit eam diem, quam is vixit mortalis inter mortales vltimam, quando cœnans cum discipulis suis, panemq; & vini poculũ accipiens, ea in suum corpus, atque sanguinem vi verborum conuertit, in id corpus suum cõuertisse illa, quod integrè corpus ipsius est, id est, quod ex ipso tanquam Capite, & nobis membris eius corporis constat. Itaque sub illis panis, ac vini speciebus, panis atque vini substantia vi summa Dei in id corpus cõuersis: & cor-

& corpus id Christi, quod propriè Christi corpus est, verè fuit, & item vniuersa, ad quę eius corporis vis peruenire potest, mẽbra fuerunt: illud corpus re ipsa: hęc autẽ membra spirituali quodam modo, quo certè modo, & illius corporis membra esse cẽsentur. Quo constituto illud item oportet adjicere, ex eo postea factũ esse, vt illũ Christus panem edẽs, illudque poculũ hauriens, omnes nos, qui in illo ineramus pane, atque poculo, in suũ ipse corpus traiecerit, ac secũ vniuersos miro modo cõiũxerit: neque solum nostram ipse personã subierit, sed nosmet in se incluserit: ex eoq; iam non vnus aliquis, priuatus, & singularis homo fuerit, sed quasi qui vniuersos intra se inclusos teneret, cunctorũ factus seminariũ, communis omniũ cœperit esse pater. Atque huic rei fuisse consequens, vt cum postera die in crucẽ actus ille fuit, & cũ eius diei vesperè fuit sepulturæ traditus, & cũ postea die ab eo die tertio oriri incipiẽte vitæ fuit restitutus, simul nos, quos ille omnes intra se cõtinebat, vnàcũ illo, & eadẽ qua ille, affecti fuerimus tùm morte, tùm vita. Quæ res à nobis in eo libro, quẽ inscripsimus de triplici coniunctione fideliũ cum Christo, quemque Deo annuente propediẽ edituri sumus, copiosè explanatur. Ergò illa morte à nobis in Christo obita, omnis est in vniuersum deleta culpa atq; pœna: & similiter illa adeptavita, omnis est comparata iustitia atq; gloria. Sed in origine tãtum cõparata, atq; κατα την δύναμιν (nã & vos Christus δυνάμει cõtinebat in se melioris nostrę originis futurus parens) nondum autẽ re, à nobis adepta illa fuerunt, aut in nobismetipsis perfecta: quod extare illa & perfici in nobis, nisi re ipsa ex illo oriremur priùs nõ poterãt. Nã cuiusq; rei substãtia fundamẽtũ est cæterarũ, quæ illi insunt rerum: nõ enim, qui nulli in se sunt, salui in se, aut iusti esse possũt. Quamobrẽ, vt in nobismetij

esse

esse incipiam⁹, qui in illo, in cuius virtute cõtinebamur aliquando facti sumus, necesse est, vt ipsi ex illo tanquã egressi, & in hanc lucem editi viuere ex illo incipiam⁹ in nobismet. Quod certè ortu quodam, & natiuitate eę lesti fieri debet, vt pro eo quantum ex Christo esse atq; viuere in nobis incœpimus, tantũ ex eo bono, quod in Christo dũ eramus, assequuti sumus, ad nosmet trãsferamus, arq; deriuem⁹, sitq; huius deriuationis, & traductionis nõ solũ à primò effectrix, sed etiã in tota vita moderatrix ipsa natiuitas. Cuius rei clarissimũ in priori Adã exemplũ, quod nos exẽplũ latè exequuti sumus in eo quẽ diximus libro. Id igitur mysteriũ ignorãtes hæretici, quia in sacris scriptoribus, quibus tota ista ratio, nõ solũ erat cognita, sed & ante oculos quoties ad scribendũ se conferebant posita, sæpè vident Christum nostram esse iustitiã dici, & eũdem se dedisse pro nobis scribi, vt nos ab omni iniquitate redimeret, in illo mortuos nos peccato esse, in illo similiter omnẽ vitam nostrã latere, & eiusmodi plura, omnẽ salutis nostrę rationẽ in Christo ita esse perfectam censent: sic ad illum omnem iustitiæ rationem referunt, sicq; in ipso includunt atque obserant, vt quod in nobismetipsis insit, atque hæreat, nullum eius salutis, atque iustitiæ velint apparere vestigiũ, nihil quod nos interius iustificet, nihil quodà nobisquãuis iustis editũ, vel ad penitùs abstergendã culpã, vel ad iustitiam alẽdam & augẽdam pertineat. In quo multũ fallũtur. Nã & illa, & eiusmodi alia omnia quæ in sãcris tradũtur literis, accipiẽda sunt dici de illa peccati morte, quam sustinuimus in Christo inclusi, & vnà in crucẽ acti cum ipso, & similiter ad eam ipsa eadem referenda sunt vitam iustitiæ, ad quam simul cũ Christo reuocati sumus, quando ille restiutus est vitæ. Verè enim, tunc iusti effecti sumus ipsamet iustitia, qua Christus iustus est

vt po-

vt pote qui ipsius morte mortui, eiusdẽq; noua vita viui, fuerimus effecti. Sed mortui & viui effecti, nõ ipsi planè in nobismet (qui enim possemus, qui tũc nulli essemus?) sed, vt in Christo cõtinebamur inclusi, viui effecti sumus id est, in nostris tãquã seminibus & in nostri origine, & in eo in quo vi ineramus vniuersa illa perfecta sunt. Ex quo, nõ solũ nõ sequitur, nos nihil indigere interiori iustitia, itaq; illa vacuos de Christo nasci, sed cõtra potiùs necessario colligitur, quia in semine, & in nostri origine affecti sumus ipsa Christi iustitia, cũ deinceps è Christo nascimur, re in nobismetipsis eius iustitiæ exemplum atque vim hærere debere: quo enim baccharum semina aut colore quis, aut sapore infecerit, eũdem certè referãt in se saporem, atq; colorẽ, postea bacchæ è seminibus natę: ob eã enim causam illa bona indita sunt, atque impressa in origine nostra, vt eis similia postea in nobis ipsis hærerẽt & extarẽt: extarẽt autẽ proportione nostrę natiuitatis ex Christo. Nã quoniã traduci ad nos, atq; deriuari bona illa nostris, vti diximus impressa seminib⁹ nisi nascamur è Christo nõ possũt: nascimur porrò ex illo per fidẽ, & per charitatis inductionẽ in ipsum, & per imitationẽ, & similitudinẽ morũ, ita vt, & alius alio vberius nascatur, & idẽ alias alio, atq; vberiore modo natus cẽseatur è Christo, ideò fit, vt quo quis vberius ex illo nat⁹ est, idest, quo fide, & charitate ampliùs in ipsum fertur, quoq; eũdem morũ honestate magis imitatur, eò magis ad se deriuet suæ origini bona indita: magisq; que, quod inolitum ipsi est, dum latebat in Christo, id in eodem ipso iam de Christo nato & in lucẽ edito appareat, & splendescat, è quibus sequitur vera esse, verèque affirmari hæc vniuersa. Primum ipsamet iustitia qua Christus iustus est nos imbutos fuisse olim in ipso, quia inclusi in illo, eadem quæ ipse vel fecit, vel passus est, & fecimus ipsi, & passi sumus: eodẽq; affecti quo ille modo, & eisdẽ rebus

Deinde.

Deinde. Nos in nobiſmetipſis habere hæretem iuſtitiã, quia orti è Chriſto & in lucẽ educti, eo affecti modo naſcamur oportet, quomodo infecta fuerũt noſtri in ipſo ſemina: Præterea omni nos exſolutos fuiſſe per mortẽ Chriſti peccati culpa atq; pœna, ſed exſolutos quatenꝰ continebamur in Chriſto, quia quam Chriſtus mortem obijt, eadem à nobis eſt obita mors. Poſtremò opera honeſta, quæ ipſi ex Dei inductu facimus, non ſolũ illa quibus ad naſcendum in Chriſto diſponimur, ſed & ea quibus iã ex Chriſto nati legibus ab ipſo latis paremus, ampliuſq; quotidi ex illo naſcimur, fructuoſa eſſe & vtilia non tãtum ad iuſtitiam de principio in nobis gignẽdã, ſed etiam ad augendam genitã, & ad peccati reliquias, penitùs eluẽdas, quia quod in origine noſtra geſtũ eſt, extare in nobis & elucere nequit, niſi id ad animos noſtros veluti aduocent, atque introducant iſta, quæ diximus opera. Atque hęc ritè intellecta plurimũ lucis huic epiſtolę adferẽt eamq; ob cauſam illa præmiſimus. Sed iam inſtituta exequamur. Sequitur enim.

Miror quod ſic tam citò transferimini ab eo, qui vos vocauit in gratiam Chriſti in aliud Euangelium.

Salute dicta, cauſam ipſam ſtatim aggreditur ab admiratione ducẽs initiũ. Nam ſic oportuit ad illorum erroris fœditatem & magnitudinem oſtendẽdã, & ad magis commouendos Galatarum animos. Nam quos videmus abſurdè aliquid & intemperãter ſine cauſa facere, eorum amentiam ſolemus demirari: aq; ij Galatæ erant qui nulla commoti ratione, cũ ſuo maximo incommodo, à libertate Euãngelij ſe vltrò ad ſeruitutẽ legis tranſferrẽt. Itaque ait ſe vehemẽter mirari, quòd ſic tam citò aliorũ cõſilijs trãsferri ſe, & trãſportari ſiuiſſent ab inſtituto ſuo, non ſolum recto, ſed ipſis valdè vtili, vt pote Chriſtiana libertate pleno, ad aliud inſtitutũ moleſtiſſimum

mum ipſis ſine dubio futurum. In quo duo præcipuè erãt maxima reprehenſione digna, quæ ambo in his verbis ſubindicat Paulus. Vnũ quod ſe transferri paſſi ſunt in aliud Euangelium, id eſt, transferri à libertate gratiæ ad legis ſeruitutem: à Deo, qui illos ad gratiam Chriſti vocabat, ad obſeruationes Moſaycas: à viuendi honeſta & iucunda ratione, ad ſummas vitæ moleſtias: &, vt inquit quædam Gloſſa, à lætitia ad exitium. Alterum quod id tam citò fecerunt, hoc eſt, in animum ſuum tam citò induxerunt, vt aſſentiri vellent illis nouis doctrinis: quòd erat ſummæ leuitatis indicium. Nam qui cito credit leuis eſt corde, quo modo ſapiens ſcribit. Sed ſingula verba expendamus, *Sic tam cito*. Quidam alterum iſtorum redundare exiſtimant. Nam Græcè tantum eſt, ἐυτως ſed verius videtur neutrum redundare, nam Græcum ἐυτως vtrumque ſignificet: & Latinus interpres Græcæ vocis vtramque ſignificationem prudenter expreſsit, vt duas cauſas, quibus, vt modo diximus, leuitas Galatarum maximè declaratur, innueret. Nam illud, *Sic*. commutationis ipſum deſignat genus, id eſt, quid pro quo Galatæ leuiter cõmutaſſent, ſcilicet Euãgelium pro lege, libertatem pro ſeruitute. At illud *tam citò*, leuem eorum & præcipitem animi feſtinationem præcipuè in re tanti momenti ſubindicat. Quãquam illud, *cito*, aliter à Hieronymo, aliter à Chryſoſtomo accipitur. Hieronymus cenſet cito mutatos dici Galatas, quod Paulo poſt fidem habitã Euangelio in errorem ſint abducti. At hoc non augeret, quod Paulo propoſitum erat efficere, ſed minueret, & extenuaret illorum culpam: facilius enim ignoſcatur homini recenter ad fidẽ Chriſti conuerſo, quã veteri Chriſtiano, quod à vera fide defecerit, vbi id acciderit, vt alter eorũ ambo ve ab ea deficiant. Quare rectius Chryſoſtomus cito defeciſſe Galatas dici credit, quòd ad primum illorum hominum, qui ipſos ſeducebant, ſermo-

Interli. Gloſſ.

Eccle. 19.

nem, ad primamque inuitationem illorum, re neque explorata, neque examinata prius, conuersi sunt ad Iudaismum sequendum, quod certè maximè reprehendendū videtur. Atq; vt ad ὑποθέσει ad θεσιν id est, à finita quæstione ad infinitam, à parte ad genus orationem meam transferam, iure miremur, quàm citò, id est, quàm leuibus de causis, mortales cuncti iustitia deserta, quæ vna totius beatæ vitæ rationē continet, ad scelus in quo summa miseria est, omnia sua studia cōuertant, quamque leui impulsu se deiji à recti studio, & à constantiæ statu patiantur, sic Iudæi maximis à Deo, & maximè recentibus beneficijs affecti, quod ad breue quoddam tempus eos liquisset Moses, ab amore Dei ingratè recedunt. Sic ijdem, cum & potentiam Dei, & beneuolam erga se voluntatem pluribus haberent exploratam exemplis, tantum paucorum & timidorum audito sermone hominum robora corporum Chananeæ gentis laudantium, se abalienauerunt à Deo. Sic Dauid, homo Deo alioqui gratissimus, quod forte fortuna deambulans lauantem Bersabæam aspexit, eo subito captus vnius fœminę amorē, cū Dei amore cōmutat. Sic denique Apostolus Petrus, quamuis de se multa pollicitus, vna ancillæ voce, rogatione que perterrefactus, ac promissi immemor, de cōstantia fidei deijcitur. Sic certè homines vniuersi, quoties à Deo ad hæc deficiunt terrena & caduca bona, rebus inanissimis inducti deficiunt, leuissimèque impulsi statim corruunt: ac victi manus dant ad primos rumores belli antequam signa conferant. Ecquid enim, magis imbelle voluptatis illecebra, honorum specie, diuitiarum copia, res ipsæ, si prout sunt, expendātur? At hæc quamvis imbecilla, tamen statim atque se ostendunt nobis, sua specie nostros perstringunt oculos, & à Deo abducunt

Exod. 32.

Num. 14.

li. 2. reg 11

eunt nos, & ad suas partes miserè transferunt. Quam rem demiratus Sapiens dicebat. Fascinatio nugacitatis obscurat bona. Duarum enim rerum omnium leuissimarum coniunxit nomina ad eorum, à quibus nos capi sinimus, leuitatem significandam: ea enim, fascinationem & nugacitatem nominauit, vel potius nugacissimam fascinationem: quo doceret nihil in eis solidi esse, nihil firmi, nihil dignum amari, nihil etiam quod nos ad se allicere magnopere posset, nisi turpiter, & per summam ignauiam ipsi nos proderemus. Itaque miratur à talibus nugis vera obscurari bona, non quòd vlla obscurandi vis in illis sit, neq;, quòd nugæ istæ virtutis luminibus officere valeant, quæ, vt dicitur, splendet in tenebris, sed quod à nostræ mentis imbecillitate & errore id habeant vt possint: vt quod Paulus de Galatis propriè, id ad vniuersos pertineat verè, dicaturque de omnibus. Miror quod sic tam cito transferimini. *Ab eo*, inquit, *qui vos vocauit.* Quidam sic. Ab eo scilicet Euangelio, atque doctrina, per quam vocati estis ad Christi gratiam ad aliud doctrinæ genus transportari vos sinitis, atque traduci, id est, à doctrina, quæ docet per gratiam Christi vos liberatos à peccatis esse ad eam doctrinam, quæ vos seruitutis iugo premit. Nec verò huic expositioni obest relatiuum, (qui), quòd Euangelio non conuenit. Nam Græca ita conscripta sunt, vt Euangelium demonstrare valeant. Nam illud, τοῦ καλέσαντος, ab vtroque genere duci potest. Alij melius sic. *Ab eo*, id est, à Christo, qui vos in gratiam vocauit, id est, vocauit ad iustitiam gratis, hoc est, non modo nullo merito vestro, sed nullo etiam à vobis labore impenso ad obtinendam istam talē ac tantam iustitiam, ipse suum pro vobis fudit sanguinem. Ita Hieronymus cui Syra suffragatur editio, in qua sic.

Sap. 4.

Miror quòd tam citò conuersi fueritis à Messia illo, qui vocauit vos per gratiam suam. Et certè Græca satis commodè vertas. *Ab eo, qui vos vocauit in gratiam Christo*, vt sit hyperbasis, siue vocis transgressio, quæ figura familiaris est Paulo. Plures sic potius exponunt. *Ab eo*, id est, à Deo Patre, qui vos participes esse voluit gratiæ Christi, sic Chrysosto mus Theodoretus, OEcumenius. Anselm⁹ D. Thomas, minoresque alij, quę mihi explanatio rectior videtur, vt to tum illud, *Ab eo qui vos vocauit in gratiã Christi*, sit periphrasis qua cælestis Pater describitur. Nam primum vocatio fe re semper à Paulo Patri tribuitur. Ad Roma. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum ijs, qui se cundum propositum vocati sunt sancti. Ad Thimotheum, de patre loquens. Qui liberauit nos, & vocauit vocatione san cta. Ad Thessalonicẽses. Nos debemus gratias agere Deo semper pro vobis fratres dilecti à Deo, quod elegerit nos Deus, ad quod & vocauit vos. In quo obiter aduerti debet, quali vtatur Paulus inuersione sermonis. Nã illi, Debemus gratias agere Deo pro vobis fratres, affine, & consentaneum erat subijcere, quia vocauit vos ad id, ad quod nos elegit. At pro eo inuerso sermone dixit. Quod elegerit nos, ad quod & vocauit vos. Neque id sine causa, sed vt doceret se quòd amaret illos Deus, electum ab ipso esse, qui sua voce atque doctrina eos ad iustitiã perduceret. Itaque quod electus à Deo sit, se quodammodo ipsis debere: ipsorum enim salutis causa ad id gratiæ munus electum se esse. Deinde sic melius occurritur Galatarum errori. Nam illi, vti rectè OEcumenius, suorum persuasu Doctorum credebant se legem seruando gratum facere Patri, eius scilicet latori legis. Quare rectè dixerit Paulus, ipsos legibus seruandis Mosaycis tantum abesse ab eo, vt Deo Patri gratum faciant, vt ipsum potius ab se repellant. Postremò, isto modo, vt

Rom. 8.

2. ad Thes ca. 3

do, vt Chrysostomus dicit, eorum doctorum fraudis plenos conatus aperit. Nam illi non tam id agebant vt Galatas ad Iudaismum pertraherent, quàm vt ea re ipsos à Deo, & à Christo abducerent & separarent: quod enim studium præseferebant legis id agebant vt sub eo studio latentes facilius se insinuarent in animos Galatarum, fidẽ que sic confirmarent sibi, quod vbi semel adsequuti essent, facile eos quò vellent perducerent: perducere autẽ illos ad id volebant, vt à Christo deficerent, ad quod, si statim illos & apertè adhortati essent, illorũ à se animos proculdubio alienassent. Quare Paulus vt istas impostorum insidias retegat, & vt tam pernicioſa consilia in luce constituat, rectè hîc intelligitur de Deo Patre loqui, & ex eo id mali, quod subest detegere, atque ita planè dicere, se eorum non tam animi inconstantiã, quam mentis cæcitatem & errorem valde mirari, qui quas sibi, salutique suæ illi deceptores insidias parent, non videant: illos enim, non id agere, vt ad Mosaycę cultum legis ipsos adducãt, sed vt abducant à Christo, & à Patre Christi ipso Deo, cui præter cætera, & hoc deberent recens, atque maximũ beneficium, quod ab idolorum cultu, à peccati seruitute, à tenebris ignorantiæ fædissimis ipsos ad Christi gratiam, id est, ad libertatem, splendorem bonorum spiritualium summas copias largè ipsis nullo suo merito exhibitas planè vocauerit. I*n gratiam*, inquit, *Christi*. Hoc bifariam exponitur, vno modo. *In gratiam*, id est, ad gratiam, hoc est, ad veniam erratorum, ad iustitiam animi, ad pacem & secum & cum alijs, denique ad amorem & familiaritatẽ cum Deo. Altero. *in gratiam*, id est, per gratiam Nam ἐν in, aut, quod ei respõdet Græcum ὄν, more Hebraico sæpè in sacris vsurpatur literis in significatione instrumenti. vt vel exillo, Si percutimus in gladio, liquere potest. Itaq; dicat ad summæ fœlicitatis atque bonorum spem vocatos esse

Luc.

Galatas per Christi gratiam, id est, propter Christi erga suum patrem diuina merita, gratis & liberaliter communicata nobis, & vt pro nostris ea habeamus concessa, & ob id gratia nominata. Galatæ itaque, vt Paulus scribit, etsi vocati à Deo essent, ad summa bona per Christi meritum, tamen malè decepti transferri se patiebantur in aliud Euangelium. At cur aliud? cum quod verum non sit, Euangelium, id est, bona annuntiatio esse non possit, & præter vnum Christi Euangelium nullum sit verum?

Ad hoc alij aliter. Diuus Thom. alio Euangelio legem veterem significatam esse arbitratur, quam impostores illi seruari oportere affirmabant nam eius legis annuntiatio, inquit Diuus Thom. bona illa fuit, quia bona quædam, ijs, qui se coluissent, pollicebatur, sed non erat planè perfecta, quomodo & ea, quæ ostentabat, imperfecta bona erant, quippe quæ essent caduca, & terrena, & ob eam causam non Euangeliũ, sed aliud Euangelium nominata est, diminutè quodammodo, vt esse intelligatur quiddam Euangelio minus. At Hieronymus: quem plerique sequuntur, aliud Euangelium nominasse Paulum dicit, id quod ab istis tradebatur de coniungenda Mosaycæ legis obseruantia cum fide. At cur Euangelium, quod falsum, & ob eam causam nuntium esset malum? Primò quia in eo annuntiabatur etiam Christus, & tradebatur, ad salutem valere, modo coniũgeretur cum lege: itaque qua parte Christi in nos dona prædicabat, Euangelium fuit, qua vero legis obseruantias ad iungebat fuit aliud Euangelium. Deinde id Paulus nominauit sic, non tam ex suo sensu, aut ex rei veritate ipsa, quàm ex eorum, qui illa tradebant sermone atque sententia. Nam illi quæ docebant, Euangelium nominabant, nec Euangelium modo, sed genuinum, & maximè germanum

Caret. & Eras. in Paraphr.

num Euangelium, quod idem esse dicerent cum eo, quod in Iudæa cæteri tradebant Apostoli, cuius rationem, aut non satis calleret Paulus, aut peruertere cuperet. Et fortasse illi non planè condemnabant Pauli doctrinam, sed præferebant suam, vtpote quæ tutior esset, & ad salutem consequendam expeditior & certior, propterea quod vtramque viam insisteret, & copularet cum fide legem, nequid quod ad iustitiam efficiendam quoquo modo valeret, ijs deesse videretur, qui se iustos esse cupiebant. Quare duas constituebant vias, & Euangelia duo. Vnum non malum, quod Paulus annuntiabat: alterum multo præstantius, & ab omni periculo, atque fraude remotius, quod, & ipse Galatis, & principes in Iudęa annuntiabant Apostoli. Itaque Paulus non ex suo, sed ex illorum potius sensu locutus est, cum Euangelij nomen, eorum tribuit doctrinę. Quod & OEcumenio visum est, & Syrę editionis authori, quippe qui verterit. Ad Euangelium aliud quod quidē non est, sed prout sunt aliqui illud est, id est, tale nominatur, & habetur ab aliquibus, ijs nimirũ, qui vos inducunt in assensum eius. Et quoniam Paulus ex illorum nominandi vsu, non autem ex suo, atque vero sensu, eorũ doctrinam Euangelium nominauit, idcircò orationi suæ correctionem statim adhibuit, adiecitque.

Quod non est aliud, nisi sunt quidam, qui vos conturbãt, & volũt conuertere Euangelium Christi.

Quasiita dicat, & sentiat. Deficitis ad aliud Euangelium: Euangeliũ, inquã, aliud sicut ivos, magistriq́, vestri ipsũ appellatis, nã re ipsa nullũ aliud est, sed neq́; esse potest Euãgeliũ: vna est enim vera doctrina, reliquę falsæ sunt, ac proinde non sunt. Et quod posset quis rogare ipsum ac dicere. Quid ergo isti sibivolunt, cum nobis aliud esse Euangeliũ, idque in Iudæa annuntiari confirmant, siquidem præter eam quam tu annuntias, nulla alia ratio est tradendi

Euangelij? id occupat Paulus, atque respondet dicens: *Nisi sunt quidam qui vos conturbant, & volunt conuertere Euangelium Christi.* Id est. Non est quidem aliud, & aliud Euangelium: neque alia annuntiant in Iudæa Apostoli, & alia ego vobis annuntio, vt isti vobis falsò persuadent, vel damnantes meum Euangelium, vel certè præferentes suum: neque vos veram Euangelij rationem docere volunt, sed perturbare vos cupiunt, & semel perturbatos auertere â fide Christi, verũq; eius Euãgeliũ, quod vnum, atq; simplex est, euertere, & admistionẽ legis non quidem perficere, sed corrũpere, & sic tandẽ vos à Christo alienare: idque suis isti machinationibus quærunt, idque callidè agunt, vt Chrĩsti gloriam, atque nomen extinguant. Nam etsi verum erat, quod illi dicebant, Ecclesias Iudææ obseruare legalia simul cum fide Christi, tamen ex eo non efficiebatur aliud in Iudæa ab Apostolis, aliud à Paulo tradi gentibus Euangelium. Nam vtrique docebant per vnum Christum aditum ad salutem patere, & gentibus, & Iudæis: sed in Iudæa concedebant Apostoli Iudæis ad Christum conuersis, vt illo tempore quo ad Christi satis promulgaretur doctrina legalia seruarent, quòd eis assueti essent, non quòd necessaria ad salutem putarent, quo modo, vt infra dicturi sumus, illorum obseruatio Christianæ libertati contraria non erat, quod & Paulus minimè inficiabatur posse fieri à Iudæis ad Christi fidem conuersis: sed neque Paulus, neque cęteri Apostoli inducebant gentes ad obseruationẽ legalium? Nam cum eis gentes non assuesciissent, induci ad id non poterant, vt obseruare ea vellent, nisi edocerentur esse necessaria ad salutem, quod nemo Apostolorum docebat. Et sic vna erat omniũ Apostolorũ doctrina vnum q́ue Euangelium. Nam neque Paulus impediebat, quin Christiani ex Iudæis legalia tunc suo arbitratu seruarent:

rent: neque Apostoli conuersos è gentibus adigebant ad eorum obseruationem. At illi seductores exẽplo eorum Christianorum, qui in Iudæa legalia non necessitate, sed quòd eis assuessent, seruabant, Galatis persuadebant necessaria ea esse cunctis hominibus. Quare, & eorum perturbabant animos, & Euangelium atque fidem Christi imbecillitatis, & infirmitatis arguebant. *Nisi*, inquit, *sunt quidam, qui vos perturbant & volunt conuertere Euangelium Christi*. Perturbabat hæc impostorum doctrina Galatas primò, quia timorem illis incutiebat, vt editio Syra vertit, à quo Græcum παράσσει, non abhorret: incutiebat autem timorem, partim quòd affirmabat interire eos, qui non seruassent legalia: partim quòd illis causa erat, vt timerent fidem habere Christo, seq; Christianos effici, ne simul etiam onera seruandæ legis subirent. Deinde quia ex eius disceptatione quæstionis, vtrum lex cum Euangelio coniungi deberet, magnæ dissensiones inter ipsos, magnæq́ue contentiones oriebantur: nec dubium erat, quin eorum plurimi ea de causa ne se legis laqueis implicarent, à iam data Christo fide discederent. Vnde addit. *Et volunt conuertere Euangelium Christi*, id est, subuertere & destruere, vt exponit Chrysostomus, vt μετάστρεψαι positum sit pro καταστρεψαι. Nã id è primo sequebatur. Nã ex dissẽsione ac perturbatione opinionum & animorum fiebat, vt quæ pro certissimis habenda erant, primum in dubiũ reuocarentur, deindè pro falsis & commentitiis haberẽtur. Quanquam alij conuertere hoc loco pro inuertere accipiunt, id est, pro præposterè vertere, quod fit cum quæ præferenda sunt postponũtur: quod isti seductores faciebant, vt qui in salute conferenda primas partes darent Mosaycæ legi, secundas verò Christi Euangelio. Nã in lege ante Christum multos fuisse iustos dicebant, in Euãgelio autem iustum esse posse neminem, nisi qui ad Euangelij fidem legis obseruantiam adiunge-

ret,& sic conuertebant Euangelium, id est, ipsum de suo pellebant loco, & de eo, quod ipsi debebatur, dignitatis gradu ejciebant. Sequitur porrò.

Sed licet nos, aut angelus de cælo, Euangelizet vobis, præterquam quod Euangelizauimus vobis anathema sit, sicut prædiximus, & nunc iterum dico, si quis vobis Euangelizauerit præter id quod accepistis, anathema sit.

Dixerat illorum doctrinam non esse Euangelium, quamuis eam ipsi Euangelium nominarent: neque id Euangelium, quod Apostoli in Iudæa docebant, diuersum esse ab eo quod ipse doceret: nunc ne quis existimaret causæ huius & controuersiæ cardinem versari in eo, vtrùm illorum doctrina Euãgelium nominanda esset, nec ne, & ne ex eo, quomodo illa nominaretur, quis crederet huius quæstionis definitionem pendere: vtque sciret non esse nominis controuersiam, sed de magna atque graui re disceptari, statum causæ aliò transfert nec de eo agi vult, vtrum ea sit nominanda Euangelium doctrina, sed vtrùm ei omninò fides habenda sit, vt vt nominetur, idque magna orationis grauitate definit sic dicens. *Sed licet nos, aut Angelus de cælo.* Quod perinde est, vt si dicat. Sed vtcumque eam nominetis doctrinam, siuè Euangelium, eam, siuè aliud Euan-
» gelium velitis vocare, non enim laboro de nomine, quo
» vocetur cumq; modo, hoc affirmo ac definio, quidquid ab eo, quod vos docui, diuersum quis docuerit, id omninò esse falsum, atque ita falsum vt anathemate feriendum sit, siuè illud vobis ipse tradam, siuè quispiam alius quisquis is fuerit, tradiderit. *Sed licet nos.* Plures rationes sunt propter quas Paulus se atque suam hîc immiscuit personam, prima, vt, quomodo significat Augustinus, doceret fidem Euangelij, quod tradiderat, non pendere à sua authoritate, sed in veritate diuina niti, quare ne sibi quidem contraria aut diuersa tradenti fidem habendam

dam esse. Altera, quam Chrysostomus affert, nequis suspicaretur ab studio propriæ & inanis gloriæ effici, vt Paulus vsque eò traditæ à se doctrinæ faueret, semet execratur, si quid contra ausus fuerit docere. Tertia, quoniam illi in vulgus sparserant, non modo Apostolos in Iudæa aliud Euangelium docere, sed & ipsum Paulum alibi docuisse diuersam ab ea, quam tunc docebat doctrinam: ideò nunc scribere ne sibi credi velle, si quid diuersum vel antea docuit, vel deinceps postea docuerit. Sunt etiam qui censeant illo verbo, *Nos*, simul se & Apostolos significasse reliquos, vt modestiæ causa, & ne quis ipsum putaret aliquo liuore affici erga illos, se cum illis coniunxerit, & vnam atque eandem omnium esse causam voluerit. Quam eandem ob causam, nimirum, vt inuidentiæ atque liuoris opinionem à se auertat, adiecit, vt Chrysostomo videtur, quod sequitur. *Aut Angelus de cælo.* Non Apostolos modo, sed & cælestes Angelos, quibuscum Paulo nulla subesse poterat de principatu doctrinæ contentio, Anathemate inuoluens si quid contra docuissent. Quanquam id Hieronymo ὑπερβολικῶς dictum videtur: & certè inest in eo honesta quædam animi elatio, & grandiloquentia hyperbolica à fidei studio incitata. Deniq́ue sic debet accipi, non quod aut Apostoli, aut Angeli aliud Euangelium traditurі essent, sed quod si tradidissent, ne eis quidem, quamuis tanta præditis dignitate aut assentiendum, aut ignoscendum putet. Et vt ostendat id sibi non inconsideratè excidisse, neque se id elatum iracundia, sed iudicio scripsisse, & vt ratum id atque firmum esse doceret, iteratis ac geminatis verbis idem redintegrat dicens. *Sicut prædixi, & nunc iterum dico, si quis vobis Euangelizauerit præter id quod accepistis, anathema sit*, id est. Vt dixi, dico iterum atque iterum.

Anſ Hiero Gloſſ. interlin.

Sed

Sed sunt in hoc loco duo de quibus dicere aliquanto vberius debemus. Primum de anathema, quid sit, deinde de eo quod Paulus præter Euangelium posse doceri scribit, quasnam doctrinas ea voce significet?

Et quod ad prius attinet, aduerti debet, duo esse Græcis nomina sono affinia, literis aliquanto diuersa, Ανάθημα & Ανάθεμα è quibus Ανάθημα donarium esse Deo in templis dicatum, quo & ornatur ipsum templum, ex quo & templa & theatra & porticus & eiusmodi reliqua quæ vrbibus ornamenta sunt ædificia, Ἀναθήματα etiam appellari solere. Ανάθεμα autem Paulo significare, quod diris deuotum est, & execrabile, & ab hominum consortio semouendum, eoque modo passim in sacris literis accipi, omnium scriptorum consensu. Sed quæritur, vnde is vocabuli vsus ad sacras scripturas manarit? De hoc aliud Hieronymo, aliud Chrysostomo, vt apparet, videtur. Chrysostomus enim quod ἀνάθεμα pro execrando & diris deuouendo ponatur, ad Græci sermonis proprietatē refert. Sic enim in cōmentariis in nonum caput epistolæ ad Romanos scribit. Sicut „ ἀναθήματα dicuntur quæ Deo dicata sunt, quia ea nemo au- „ det attingere aut in suos vsus cōuertere: sic etiā homines „ execrabiles & à communione cæterorum separandos „ ἀνάθεματα dicuntur, quòd nemo cum iis se coniungere debeat, aut quidquam commune cum illis habere. Itaque Chrysostomo vt videtur quæ Deo dicata sunt & quæ diris deuota, partim conueniunt quod ab vtrisque manus quisque suas continere debeat, partim autem differunt, quod ab illis abstinendum est, quia Deo sacra, ab his quia eidem inuisa sunt. Quod idem & Iustinus scribit martyr in quæstione orthodoxa vicesimaprima supra centesimam. Hieronymus autem, quem in hoc sequar libentius, Paulum affirmat ei nomini istam significationem dedisse, non ex vsu Græci sermonis, sed secundum proprietatem Hebraicam. Nam Hieronymo, vt opinor Græco loquendi more, ἀνάθημα, & ἀνάθεμα donariū Deo dicatū significat. Sed quod vel alterū, vel vtrumq; etiam pro diris deuoto ponitur, id illi de Hebraica cōsuetudine ductum videtur. Hebræis enim vocabulum חֵרֶם significat & quod cultus gratia Deo dicatur, & in templo suspenditur, & quod ob eam causam occiditur, & absumitur, quia Deo ingratum, & inuisum est. Vtrumque è sacris literis constat, de primo in Leuitico dicitur. כלחֵרֶם, id est, omne donarium quod quis consecrauerit Domino. De secundo in libro Iosue sic scribitur. Ne fortè ponatis castra Israel חֵרֶם, id est, ne illis interitum & perniciem creetis. Paulus ergo, vt est arbitratus Hieronymus, quia vno Hebraico חֵרֶם, illa duo significantur, Græco ἀνάθεμα, quod illis donarium solum est, vsus est pro Hebræo, vt non solùm donarium, sed & quod diris est deuotum significet. Atque hæc de anathema.

Leui. 27.

„ *Iosu. 2.*
„ *& 6.*

Eius autem, quod esse præter Euangelium Paulus dicit, difficilior explicatio est. Est enim valdè obscurū ad intelligendum, quæ dicatur præter Euangelium doctrina. Nam si quidquid de nouo affertur, quod in sacris literis comprehensum non est, id præter Euangelium esse dicitur, omnis Ecclesiastica traditio interibit, omnes leges pontificiæ, omnia conciliorum decreta, id quod nostræ ætatis hæretici studiosè contendunt. Itaque ex isto loco argumento ducto in omnes traditiones non scriptas acriter inuehuntur, easq; vti commentitias res, & adulteratrices Christianæ doctrinæ reijciunt, præter Euāgelium eas omnes esse constare dicunt. Sed certè malè illi in hoc loco, vti & in pleriſque aliis verborum Pauli sensum intelligūt. Nam Paulus non damnat traditiones Ecclesiæ, neque præter Euangelium esse intelligit, quod ad pleniorem Euangelicæ obseruantiam legis Episcopi atque Pontifices obseruari

seruari præcipiunt : sed id præter Euangelium esse censet quod repugnat Euangelio quouis modo, eiusque sanctæ libertati : itaque illud præter, idem valet Paulo quod contra. Nam valere constat primum concordi sententia veterum patrum, sic hunc Pauli locum interpretãtium : Sic enim Ambrosius id interpretatur, sic Chrysostomus, Theodoretus, OEcumenius, Anselmus ac Thomas, sic Augustinus, qui sermone nonagesimo octauo super Ioannem scribit. Non dixit Apostolus, si quis vobis Euangelizauerit, plus quam accepistis, sed præterquam quod accepistis. Nam si illud diceret sibi ipse præiudicaret, qui cupiebat venire ad Thessalonicenses, vt suppleret, quæ illorum fidei defuerunt : sed qui supplet, quod minus erat addit, non quod inerat tollit. Deinde è subiecta re & orationis atque argumenti circunstantiis idem colligitur. Nam in quos quæso hîc Paulus inuehitur? nonne in eos, qui Galatas inducebant in legem, quod dicerent paruisse Euangelio ad salutem animæ non sufficere? Atqui hæc doctrina Euangelio aduersatur : Quæ aduersantur ergo traditæ à se doctrinæ condemnat, eaque præter Euangelium esse dicit, id est, contra Euangeliũ. Quod si quis dixerit illud παρα, quo Paulus vsus est, non significare contra, ex quo fieri, vt aut Paulus imperitè loquutus fuerit, aut nos impiè vim ipsius afferamus scriptis : dici sanè debet παρα Græcis sæpè significare contra, quod ex Xenophontis atque Theophilacti constat scriptis. Sic παρα νομον Græci dicunt, & παρα φυσιν, quod vel ipse Cicero contra naturam vertit & παρ' ο πεφυκε, id est, contra quam natura comparatum est, Nec solum Græcum παρα, sed etiam Latinum præter, sæpè contra significat optimis Latinæ linguæ scriptoribus. Plautus in Mercatore.

Omnia mihi hodie eueniunt præter sententiam.

Id est, contra quam volo. Et in Andria Terentius.

Vt præ-

Vt præter ciuium
Morem, atque legem, & sui voluntatem patris
Tamen hanc habere studeat, cum summo probro.

Præter morem, id est, contra morem, præter voluntatem, id est, contra voluntatem, vt est author Donatus. Et idem præter opinionem dicit in Heccyra, & in εαυτοντιμωρουμενου præter ætatem, pro contra opinionem, & ætatem eodem donato authore & interprete. At cur ambigui vsus atque significationis voce Paulus vti voluit, cum alię apertiores suppeterent? vt, quò mollior est huius vocis significatio atque vis, eò magis coerceret licentiam eorum, qui in doctrina fidei nouare aliquid conarentur, hoc est, vt nihil eorum, quæ Euangelicæ veritati quouis aduersarentur modo, non comprehenderet : &, vt dicit Chrysostomus, quò doceret non solum anathema esse qui, quæ Euangelio apertè contraria essent, palam tradit, sed, & qui id labefactare conatur, quamuis occultè, atque tectè : non solum qui eius vniuersam doctrinam euertit, sed qui quamuis minimam eius partem immutat. Sequitur.

Modo enim hominibus suadeo, an Deo? an quæro hominibus placere? Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem.

Perobscurus locus, & variè à variis expositus : nos itaque omnes omnium. Erasmus sic vertit. Num homines suadeo, an Deum : explanat autem sic. Num suadeo aut doceo humana, an potius ea, quæ diuinitus mihi tradita sunt? Sed id & duriusculum est & parum cum superiori sententia cohærens : Caietano, suadeo, hic est confido. Nam & πειθειν confidere est vt in Matthæi illo, πεποιθεν επι τω θεω : ergo, inquit docet Paulus qua ipse re fisus angelos anathema dicat, Deo enim confidebat, qui ipsi eã

pote-

potestatem dederat, vt ne angelis quidem cederet in negotio Euangelij. Sed hanc explanationem Græca non admittunt. Nam πάθω pro confido semper datiuo iungitur, hîc autē iūgitur accusatiuo, ἀνθρώπους, inquit, πάθω, ἢ τὸν θεόν. Diuus Augustinus nouam & ipse viam ingreditur à nullo ante tentatam. Non enim putat hæc per interrogationem dici, sed per affirmationem: affirmat enim Paulus vt ipse censet, se non Deo, sed hominibus suadere. Nam, inquit,
" nemo Deo suadere potest, quia manifesta sunt illi omnia,
" sed hominibus ille bene suadet, qui non se illis placere
" vult, sed ipsam, quam suadet veritatē, quale est quod idem
2. Cor. 5. " Apostolus ad Corinthios scribit. Hominibus suademus,
" Deo manifesti sumus, sed hęc male cum superioribus. Itaque ea nemo alius præter Augustinū. Chrysostomus suadeo accepit, quasi si esset forense verbū, pro causam apud iudices ago, hoc sensu. An ego causam ago apud homines vt quidam alius Demosthenes, an potius apud Christi tribunal? certè vt si apud Christi tribunal agerem, ita dico, illi vni probare meam causam studeo, vni veritati seruio, hominum gratiam, aut approbationem nihil moror. Non enim studeo hominibus placere. Alii sic, modo suadeo hominibus, an Deo? id est, num instituti mei est ista dicere hominibus, id est, hominum honoris causa, hoc est, vt hominis alicuius honori atque dignitati seruiam, an potius vt Dei gloriam quæram? certè vt quæram gloriam Dei. Nā hæc dicēs causam reddit, quare tam aspere in eos, qui secus atque ipse docuit, aliquid docuerint inuehitur, neminem excipiens, nullius personæ rationem habens. Quasi planius ita dixisset. Nec verò me quisquam miretur quòd vniuersos diris deuouerim, quòd nullius indignationem metuens cunctos execratus sim: nam mei propositi non est suadere, id est, in assensum fidei mea oratione quemquam inducere eo fine vt alicui hominum gratum faciam,

faciā, sed vt Dei atq; Christi gloriā illustrē. Alij minoriam bitu rē expediunt, quorū ego interpretationē, quod cæteris simplicior sit, magis probo. Accipiūt enim suadere pro placere, blādiri ad gratiā loquī: quod & Gręcū πάθω sæpè significat. Rogat ergo Galatas Paulus, nū cū ista scribit, cūq; tāta libertate euangelij causam agit, existimari possit hominibus placere velle, an potius Deo gratū facere cupere: idq; rogat vt adulationis, ac vafriciei suspicionē à se amoueat, in quā ipsum illi vocabant doctores, dicentes ad gratiam hominum cuncta loqui, seque & orationem ac doctrinam suam vertere ad ingenia & voluntates multorū: itaq; eumdem ipsum, & Galatis noluisse imponere onus legis seruandæ, quò illis placeret, & apud Iudæos, quò item illis gratum faceret, legem seruari oportere dicere. Quare Paulus cum tam acriter inuectus esset in eos, qui contra atque ipse docuisset, quidquam docerēt, ex eo idoneum argumentum arripiens ad remouendum à se assentationis suspicionem istam, & ad apertè ostendendum quàm ea res à se aliena esset, id sedulò vrget, itaque ait. Nū igitur, qui ista dicam, quique ea cum dico, Iudæorum in me odia acerbissima concitem, hominibus gratificari velle videor, aut gratiam ab aliquo inire? Ideòque subdit. *An quæro hominibus placere?* id est, an vobis nunc videor hominibus placere cupere? hoc certè meo facto palām efficitur me nullius hominis gratiam quærere. *Nam*, inquit, *si hominibus placerē Christi seruus nos essem.* Id est, si hominibus placere cuperem, idque esset mihi in vita propositum, vt hominum fauorem quacumq; ratione possem colligerem, nunquam Christi seruus esse vellem, nūquam eius fidem, atque doctrinam sequerer, hoc est, nunquam Iudaismum desererem. Mallem enim Iudæis, quam vobis placere, id est, meis, quàm alienis, multis quā paucis, ijs quibuscum viuebam, quam ijs, quos ne de facie quidem noueram; ijs

apud quos repositas habebam vitæ copiosæ, & tranquillæ degendæ omnes spes, quàm iis, quorum causa in maximis rerum difficultatibus constitutus, & vndique à malis obsessus vitam sollicitam & ærumnosam sustineo. Sequitur.

Notum enim vobis facio fratres Euangelium quod Euangelizatum est à me, quia non est secundum hominem, neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per reuelationem Iesu Christi.

Initio diximus quadripartitam esse huius Epistolæ rationem, & in prima eius parte Paulum suam authoritatem & doctrinam, cui multũ illi Galatarum doctores detrahebant, ab iniuria diligenter asserere: ea igitur de re nunc dicere instituit. *Notum enim vobis facio.* Loco, enim, Græcis est, autem, quod hic rectè conueniat, nam nouum argumentum, nouamq; narrationem aggreditur Quamquam & ipsum, *enim*, non male quadrabit. Nam, vt quidam dicunt, reddit Paulus causam, quare nolit in annuntiando Euangelio hominum seruire voluntati, hoc est, nolit doctrinam suam flectere & accommodare ad singulorum libidines: quia nimirum, non ipse illam de suo cõfinxit capite, vt eam suo arbitratu fingere valeret, atque refingere aut planè immutare, sed accepit per reuelationem à Deo, vel certè, vt alij quidam censuerunt, reddit rationem, quare veritus non fuerit anathemate percutere omnes contra sentientes, quippe à Deo accepit quod tradit. *Notum*, inquit, *vobis facio fratres Euangelium, quod Euangelizatum est à me.* Alia est Euangelii doctrina, alia annuntiandi Euangelij potestas ea, quæ Apostolico munere continetur. Principio affirmauit potestatem docendi, id est, munus Apostolicum à Deo & non ab hominibus accepisse se. Nunc idẽ affirmat de ea doctrina quam docet, sibi eam ab vno Christo esse traditam. *Non enim*, inquit, *est secundum hominem.* Id quidam sic non est hominum

Gloss. ordin. & Interlin.

D. Thom. & Cai.

minum inuentum, aut humano ingenio excogitatum aliquid, vt aut falsi in eo quidquam sit, aut de eo dubitare quis possit, quin sit verum. Sed alii rectius. Non est secundum hominem, id est, non est mihi ab homine traditum, nemo hominum me docuit Euangelium, quomodo ego vos ipsum doceo, sed eius doctrinæ vnum Christum doctorem habui. Id enim sic intelligi deberi, quæ & sequuntur declarant: ea autem sunt. *Neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici.* Et certè non obiiciebatur Paulo, quòd quæ ipse sibi confinxisset, Galatas docuisset, sed quòd docuisset quæ ab hominibus acceperat non satis in Euangelii doctrina versatis, cum Apostoli reliqui id à Christo accepissent Quare non est sollicitus Paulus docere, de quo dubitabat nemo, si non confinxisse Euangelium, sed studet palàm facere se habuisse eundem magistrum in Euangelio, quem alii Apostoli habuissent Vnde ait. *Neque ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per reuelationem Iesu Christi.* Sed vtrùm ista duo accepi, & didici possunt pro eodem? Quidam prius referunt ad potestatem annuntiandi Euangelium: posterius ad cognitionem Euangelicæ doctrinæ pertinere dicunt. Quasi dicat. Non accepi Euangelium, id est, potestatem ipsum annuntiandi ab homine, sed à Christo, vt in Actis Apostolicis legitur Non etiam didici ipsum, id est, doctrinam eius ab homine. At Hieronymus rectius, vt mihi quidem videtur, ista distinguit. Inter accipere, & discere hoc, inquit, interest, quod accipit Euangelium, cui primum insinuatur, & ad fidem eius adducitur, vt credat vera esse, quæ scripta sunt, discit autem is, qui ea, quæ in illo per parabolas, & ænigmata figurata sunt, explanata, & diserta cognoscit. Hæc porrò sic accepi hoc loco Caietanus, vt est acutus, rectè quantum ego iudico, ex eo probat, quòd illis duobus non

Aug. et D. Tho. Chrys. Theodor. Oecum. & Cai.

S. Thom. Anselm. Gloss. interlin. Act. 9.

accepi, non didici, id vnum opponit Paulus, quod sequitur. *Sed per reuelationem Iesu Christi*. Nam reuelatio ad illustrationem mentis solùm, & ad animi cognitionem pertinet: ex quo fit consequens illa duo, non accepi, non didici, ad cognitionem ambo esse referenda: Vt Paulus dicat se neque quod attinet ad simplicem cognitionem rerum gestarum accepisse, neque quod pertinet ad cognitionem mysteriorum difficilium didicisse Euangelium ab homine: sed vtrumque Christum ipsi reuelasse, & res quas gesit, quasque docuit, & mysteria in eis latentia rebus. Itaque & in fide, & in Theologia edoctus à Christo fuit. *Sed per reuelationem*, inquit, *Iesu Christi*. Hieronymus hic aduertit αποκαλυψεος vocabulum Græcis inusitatum, & ignotum, à septuaginta interpretibus, qui Græcè de Hebræo vetus testamentum transtulerunt, fuisse confictum, quo vocis Hebraicæ גלה significationem melius exprimerent. Id quàm rectè obseruatum sit, alij iudicabunt: ego & Plutarchum & Isocratem verbo αποκαλυπτειν vsos inuenio, pro eo quod est detegere, & detracto velamine aliquid apertè dicere & quod ignotum erat notum facere. Sequitur.

Audistis enim conuersationem meam aliquando in Iudaismo, quoniam supra modum persequebar Ecclesiam Dei, & expugnabam illam, & proficiebam in Iudaismo supra multos coætaneos meos in genere meo abundantius æmulator existens paternarum mearum traditionum.

Probat quod dixerat, se non accepisse Euangelium ab homine, expositione anteactæ vitæ suæ, & commemoratione sui & erga Ecclesiam odij, & erga Iudæorum religionem studij, quo nullum afferre posset argumentum efficacius. Nam, quod ait Chrysostomus, perspicuum est nulla fieri potuisse humana persuasione, atque arte, vt tam subito ex infesto hoste fieret

fieret fidei acerrimus propugnator Paulus, nisi diuina accessisset reuelatio atque vis. Itaque quo magis ostendat se virtute Christi ad Euangelij fidem & doctrinam transtum, eo exaggerat & amplificat, quanto antea odio incensus in ecclesiam ferretur, quantoq; studio defendendæ legis arderet. *Audistis*, inquit, *conuersationem meam aliquando in Iudaismo*. Audistis ait, quoniã de ipso celebris fama omnes Ecclesias peruaserat, vt nemini fideli ignotum esse posset eorum aliquid, quod ad Pauli anteactã vitam pertineret. *Conuersationem meam*. Qualis scilicet ipse essem, quid agerem, quarum præcipuè rerum studijs tenerer. *In Iudaismo*, nimirum, cum in Iudæorum legibus & religionem versarer alienus à fide Christi. Sed quia hoc nimis generale est, subiicit id, ex quo intelligi possit, de quibus suis rebus loquatur, & quarum meminisse illos velit, sic dicens. *Quoniam supra modum persequebar Ecclesiam Dei*. Id est, vt alia mea ignorasseris, at hoc certè cognostis quàm acerbus eorum hostis fuerim, qui in Christo credebant. *Supra modum*, inquit. Vel quia maioribus illos afficiebat malis, quàm vt ferendo essent: vel certè supra modũ, quia Iudæos omnes reliquos, quamuis religionis studiosos, in hoc studio Christiani nominis extinguendi Paulus superabat. Itaque non solum iussa faciebat, sed & ipsos accendebat Synagogæ principes, & ad acrius insequendos fideles sollicitabat. *Et expugnabam*, inquit, *illam*. Laurentius Valla legit oppugnabam, sed id Græcæ vocis vim minus declarat. Nam επορθουν, vastare est, & populari, vt fit vrbe capta: & certè Paulus non oppugnabat modo, sed & vastitatem, & direptionem, & excidium ecclesiæ inferebat. Hæc autem Paulus dicens tacitè argumentatur, idque bifariam. Primò sic. At si, vt constat, totus eram in persequendo Ecclesiam Dei, palam est mihi sic affecto, nec otium fuisse, neque animum

Euangelij ediſcendi: nemo enim quæ odit, & delere cupit, ijs addiſcendis vacat. Secundo iſto modo. At ſi Iudaiſmi ſtudio Eccleſiam Dei perſequebar, perſpicuum eſt, quod nunc legi & Moſaycis ritibus detraho, id non fieri à me, quòd Iudæorum religionem odio habuerim aliquando, aut quòd leges fuerim auerſatus Moſaycas: Eccleſiam odiui potius, vt ſi quis alius acerrimo odio, alios in carcerem contrudens, aliorũ neci conſentiens, alios armis pellens, alios è latebris educens, in quas ſe coniecerant, de
Act. 9. quo ſic Ananias in Actis. Domine audiui de viro hoc quã
„ ta mala fecerit ſanctis tuis in Hieruſalem, & hic habet po-
„ teſtatem à Pontificibus alligandi omnes, qui inuocant nomen tuum. Eaque adhuc magis confirmat. *Et proficiebam*, inquit, *in Iudaiſmo ſupra omnes coætaneos meos*. Quaſi ita dixiſſet. Non ſolùm profeſsione Iudæus eram, ſed multò etiam magis amore & ſtudio, vſq; eo vt in cognitione & obſeruantia earum legum, quas à patribus accepiſſem ſic anteirem omnes coætaneos meos, vt me nemo aut obſeruantior eſſet, aut doctior. Ex quo certè efficitur primum me tunc neque voluiſſe diſcere doctrinam Euangelij, quam haberem pro impia, neque ſi vellem, potuiſſe impeditum ſtudiis meæ religionis, quibus me totum addixeram. Deinde quòd nunc Moſaycas leges & inſtituta reiicio, id me non facere, neque odio ipſarum rerum, quas à prima ætate dilexi, neque quod eas ignorem in quibus ediſcendis ætatem conſumpſi, & quarum ſcientia plurimos ſuperaui: neq; quod ſeruare eas nequeam, quas obſeruaui & diu, & ita ſtudioſe, vt earũ obſeruandarum ſummam mihi & facultatem & facilitatem parauerim. *Et proficiebam in Iudaiſmo.* Iudaiſmum hîc vocat, vt rectè colligit Auguſtinus, quod opponitur Euangelio: nam quod perſequeretur Eccleſiam, eo in Iudaiſmo profeciſſe ſe dicit. At lex Moſayca ritè intellecta non pugnat cum Euan-

Euangelio: erit ergo Iudaiſmus ea lex cum prauè & carnaliter intelligitur. *Supra omnes coætaneos meos*. Modeſtè non ſe natu maioribus antepoſuit. *In genere meo*. Id eſt, Iudaici generis coætaneos meos: Quaſi dicat. Omnes Iudæos mihi ætate æquales ſtudio ſuperabam legis. Quamquam quidam hoc, *in genere meo*, cum eo, quod Caietanus
ſequitur, iungit, iſto modo. *In genere meo abundantius æmulator exiſtens paternarum mearum traditionum*. Hoc eſt, Inter contribules ac mei generis Iudæos eminebam ſtudio earum ſeruandarum rerum, quas noſtri nobis tradiderunt maiores. Sequitur.

Cum autem placuit ei, qui me ſegregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam ſuam, vt reuelaret filium ſuum in me, vt Euangelizarem illum in gentibus, continuo non acquieui carni, & ſanguini, neque veni Hieroſolymam ad anteceſſores meos Apoſtolos, ſed abij in Arabiam, & iterum reuerſus ſum in Damaſcum.

Supra probauerat ſe, antequam ad credendum in Chriſtum conuerteret mentem ſuam, à nemine didiciſſe eius religionis doctrinam. Nunc docet, ne in ipſo quidem conuerſionis ſuæ ad Chriſtum tempore ſe fuiſſe doctum ab aliquo, demonſtraturus ſtatim, nec poſteaquam Chriſtianus effectus eſt, doctorem habuiſſe, qui ſe Chriſtianæ religionis doctrinam doceret, ergo inquit: Deus vocauit me, & quando ab ipſo vocatus fui, ipſemet meam mentem rerum Chriſti illuſtri cognitione imbuit, atque cumpleuit, poſt vocationem autem neminem qui me doceret conueni, ſed protinus abij in Arabiam. Quibus rebus id docet, quod ipſi docere propoſitum eſt, ſe ſcilicet toto doctore caruiſſe. *Cum autem*, inquit, *placuit ei qui me ſegregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam ſuam, vt reuelaret filium ſuum in me.*

Particula vt, aut finalis hic est, & refert se ad proximè præcedens verbum vocauit, hoc sensu. Et vocauit ad id vt reuelaret filium suum in me. Quod Latinorum interpretum maximæ parti placet: aut est explosiua, & refert se ad superius verbum placuit, hoc modo: Cum autem & qui me segregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam suam, placuit vt reuelaret filium suũ in me, in quem sensum Græca propendunt magis, in quibus αποκαλυψαι legimus, non εις αποκαλυψαι: tum Syra editio huic suffragatur sententiæ. Itaque Græca scholia, & Latini noui scriptores eam potius sequuntur. *Cum autem placuit ei.* id est, cum Deus sua sponte voluit, cumq; illi fuit cordi. Nam ευδοκέω pro quo, placuit, Latinus posuit, est ita probare aliquid, gratumque habere, vt eius approbationis causa potissimum ducatur ex prona ad benefaciẽdum voluntate, quæ certe benefaciendi voluntas in Deo caput est totius nostræ fœlicitatis. Nam etsi Deus bene velit iustis, eosq; approbet propter ipsorũ bona merita ab ipsius gratia ortũ ducentia, tum primus Dei amor erga nos, primaque approbatio è qua tanquam è fonte omne nostrum deriuatur bonum, ευδοκια est, id est, ingenuus quidam amor sola ipsius qui amat bonitate nixus, & ab ea vna profectus: quẽ nos amorem beneplacitum haud malè vocemus. Et quoniam ex hoc beneplacito, ingenuoque amore Dei omne ducitur nobis benefaciendi principium, idcirco in Christo, in quo pater benedixit nos omni benedictione in cælestibus, Deus collocasse dicitur huiusmodi ευδοκιαν, atq; beneplacitum. Pro eo enim quod in Matthæo legitur (Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui,) Græcè est, in quo ευδόκησα, quasi dicat, in quo omne beneplacitum collocaui meum: propterea quod omnis mea beneuola erga alios volũtas, in huius vnius amore continetur, meaque erga singulos homines beneplacita, ex hoc vno ortũ

Matt. 17.

ortũ ducunt beneplacito. *Qui me segregauit ex vtero matris meæ.* Id est, à Synagoga, quæ me aluit, vt placet Augustino. Sed simplicius Chrysostomus, & Græca scholia, *ab vtero,* interpretantur à primo ortu, statim atque sum in lucẽ editus, vel certè in ipsomet vtero, quando primum cœpit viuere, quale est quod in Psalm. De ventre matris meę tu es protector meus: & in alio. Alienati sint peccatores à vulua. Ab ipso ergo genitricis suæ vtero segregatũ se esse à Deo Paulus dicit, segregatum inquam, id est, non eductum ex vtero, vt quidam volunt, & in lucem productum, sed selectum & sepositum ad enuntiandum Euangelium. Nam αφορίζειν propriè dicitur, in ijs, quæ vt eximia & præcipua seliguntur, & ad seruanda seponuntur: quomodo selectum esse Paulum ex illo constat, quod de ipso in Apostolicis Actis scribitur. Vas electionis mihi est, vt portet nomen meum, &c. Et *vocauit me per gratiam suam.* Id est, quem à puero selegit, eundem me iam virum factum vocauit ad id obeundum munus, ad quod me selegerat: idque per gratiam suam. Paulus gratiæ acceptum refert, quod vocatus sit, nec hoc solum sed quidquid vnquam benè operatus est, id totum gratiæ diuinæ tribuit. At Deus in Actis vt affirmat Chrysost. vocasse ipsum dicit, quia bonam in eo tanquam materiem vidit, è qua suo postea tempore ministrũ efficeret, idoneus qui esset tanto muneri sustinẽdo atque obeundo. Quippe alia est iustorum de se, alia Dei de iustis oratio, iusti nihil sibi tribuũt, omnia Deo accepta referunt: Deus autem vel minima eorum bona, bonorum ve initia & prædicat, & plurimi facit: illud modestiæ iustorũ est, hoc Dei in ipsos eximię benignitatis: iusti in illo animi sui submissionem commẽdant: Deus in hoc magnitudinem suæ in illos bonitatis declarat, &, quod inter se amantium proprium est, certant laudibus inter se & vtrique in alterum mutui amoris sui causam referunt. Sic

Psalm. *Psalm.*

Act. 9. *Act. 9.*

Luc 17. iusti apud Lucam, Serui, inquiunt, inutiles sumus, quod
Matt. 25. debuimus facere fecimus. Sic rursus Christus apud Matthæum. Venite, inquit, benedicti Patris mei, possidete regnum quod paratum vobis est ab origine mundi, sitiui & dedistis mihi bibere, & quæ sequuntur in eandem sententiam. Sed quærit hoc loco Chrysostomus, quare Deus, quem ad Apostolicum obeundum munus à prima ætate selegit, passus sit Paulum tot annis Euangelio aduersari? Ad quam tamen ipse quæstionem nihil respondet: sed responderi potest id permisisse Deum vt & ipsius potentia illustrior redderetur, & fideles ipsi magis in fide confirmarentur. Illa enim ex acerbo fidei hoste in fidei studiosum defensorem mutatio tam subita diuinæ potestatis magnũ indicium fuit: quod autem, qui hostis Euangelij antea fuerat, is postea tanto studio atque diligentia Euangelium defenderet, argumento erat id vsque eo verum esse, vt vel suos inimicos in assensum sui conuictos pertraheret. Quæ res maximè confirmatura erat fidem Euangelio credentium. Quare sequitur. *Vt reuelaret filium suum in me.*

Chrysost. Nam, vt quidam exponunt illud (*in me*) ponitur pro ex
S. Thom. me, aut pro exemplo mei. Perinde ac si dicat. Me selegit Deus ad hoc munus, & ex inimico sui studiosum fecit, vt exemplum in me bonitatis statueret suæ, vtque hoc in me edito exemplo cuncti de ipsius benignitate sibi polliceantur omnia, cum me per tot annos in impietate versatũ, nec versatũ in impietate solũ, sed etiã, pietati & veræ religioni bellũ quotidie inferentẽ, ab ipso sic cõuersũ videat, nõ modo vt veritatẽ agnoscã, sed vt veritatis defen-
1. ad Tim. 1. sor sim. Quod & ipse Paulus alibi explanat sic scribẽs. Ideo misericordiam consequutus sum, vt in me primò ostenderet Christus Iesus omnẽ patientiam ad informationẽ illorum, qui crediturí sunt illi. *Vt reuelarit filium suum in me.* Alij hoc sic, in me, id est, per me, mea scilicet prædicatione at-

ne atque voce. Alij vero. *In me*, id est, mihi: nam de voce & prędicatione statim infra meminit dicens. Vt euangelizarem illum in gentibus. Quasi ita dicat. Placuit Deo filium suum mihi reuelare, non tantum vt eum ipse cognoscerem, verum etiam vt gentibus ipsum notum facerem. Neque sine causa verbum variauit, sibi reuelatum esse Christum, se autem euangelizasse ipsum dicens. Nam aliter Paulo Christi mysterium notum fuit, aliter gentibus, quibus id Paulus prædicauit. Paulo namque plenè & perfectè magno menti ipsius diuinitus infuso lumine, gentibus autem non æquè perfectè. Ac præterea Paulus Euangelizabat Christum gentibus, quia voce tantum eius vim illis annũtiabat: at verò Paulo reuelatus Christus dicitur, quia non solũ infusione cælestis luminis id assequutus est vt Christũ cognoscceret sed multò etiã magis effectione, & impressione imaginis Christi in ipso, & efficacitatis illius in se illustri experimẽto, per Christi spiritũ ipsi inditũ, & in ipso inhabitantẽ. Quare nõ sic scripsit, vt reuelaret filiũ suũ mihi, sed sic potius, vt reuelaret in me, quo doceret, nõ solũ sibi voce traditũ, neq; solum patefactũ menti suę, qui esset Christus, sed in suo etiam animo atque corpore tanquam impressum conspicuum apparere Christum, hoc est, se totum ab spiritu Christi, qui cordi ipsius infusus, & animum eius atque corpus peruadens, veterem in ipso extinguebat hominem, ita effectũ, esse & confirmatum ad imaginem Christi, vt eum in semet viuentem & agentem videret, ipsumq; cognosceret filium esse Dei, ex ijs rebus, quas experiebatur eius virtute in se effici, & non solum ex eo quod id Deus affirmasset ipsi. Igitur Paulus sic vocatus, quid? Quid? *Continuò*, inquit, *non acquieui carni, & sanguini.* Acquieui, id est, retuli, aut contuli: sic enim id verbũ hoc loco accipi debet, nã Græcũ προσανεθέμην

cuius

cui[a] id loco ponitur hoc propriè significat, vti infra initio secũdi capitis & ipse Latinus vertit interpres. Sed & Syra editio sic habet. *Nõ patefeci carni, & sanguini.* Nã vrget Paul[s] propositũ illud suum, à nemine hominũ Euangelij Doctri nam accepisse se. Non enim, postquam vocatus sum, inquit, causa discendi Euangelij, carnem, & sanguinem adij; sic enim sanctæ scripturæ more homines vocat, Hebræis
Ioan. 1. „ enim homo sanguis & caro dicitur, vt in illo. Et verbum caro factum est. Et in illo. Quia igitur pueri participauerunt carni & sanguini, id est, quia homines erant, & ipse
Hebr. 2., participauit eisdem. Et in illo rursus: Non est nobis collu-
Ephe. 6., ctatio aduersus carnem & sanguinem. Et apud Matthæum
Mat. 16., denique. Caro & sanguis non reuelauit tibi, id est, nemo hominum. At vtrùm homines vniuersos, an vnum eorũ genus hac ambage Paulus significat? Chrysostomus Petrum & Iacobum significatos censet: Hieronymus pecca
" tores omneis, ne bis idem, nam statim subiungit. Nec veni
" Hierosolymam ad antecessores meos Apostolos: tum φ
" ea vocabula plerumque accipiantur in malam partem, vt
1. Cor. 13. in illo. Caro & sanguis regnum Dei possidere nõ possunt. Quanquam id certè non obest. Nam & sæpè in bonam, & repeti idem bis solet per Epegesin, maioris expositionis causa, idque Paulo familiare est. Itaque nonnullis Chrysostomi sententia magis probatur: quod enim Paulus obscurius dixerat Hebraica proprietate vsus, id statim apertioribus verbis planum fecisse dicunt, quasi ita dixisset. *Non contuli cum carne & sanguine*, id est, *non veni Hierosolymam ad antecessores meos Apostolos*, eos scilicet, qui antequam ipse Apostolus crearer, Apostoli constituti fuerunt. Sed quid est illud *continuò*, quod dicit? Nam quidam id cum superioribus isto modo coniungunt. Continuò vt reuelauit filiũ suum in me, abij in Arabiam, id est, nulla mora interposita abij. Alij verius cum verbo acquieui, quod sequitur, copulant

lant isto sensu. Continuò non acquieui, hoc est, retuli, id est, Non statim atque sum conuersus ad Christum, retuli ad Apostolos, quidquam eorum, quæ Christus aut in me fecisset ipse, aut per me fieri vellet. Nam certè post illa tempora, id est, post annos à sua conuersione quatuordecim, quod ipse initio capitis sequentis scribit, contulit cum Apostolis doctrinam suam. Sed hoc ipsi nunc tantũ erat propositũ, vt doceret, se antequã ab vllo doceri posset homine instituisse prędicare Euangelium, quo ex eo verum esse constaret, id quod initio proposuit se id à nemine didicisse. Itaque id Syra explanat editio, in qua sic. Et *statim non patefeci, Sed*, inquit, *abij in Arabiam.* Annuntiaturus scilicet Euangelium, in Arabia porrò aliquandiu commoratus iterum redijt Damascum, inibique Euangelium annũtiare cœpit, quomodo Lucas in Apostolicis Actis scribit, quanquam is huius in Arabiam profectionis non memi- *Act. 9.*
nit, sed à conuersione sua Paulum dicit Damasci Euangeliũ vsque eo studiosè atque liberè annuntiare cœpisse, vt acerbissima in se Iudæorum odia excitaret. Quorum vt declinaret insidias, quas vitæ ipsius tendebant, insidias, postea Damasco, profugerit fune demissus è muro: fieri autẽ potuit vt de Arabica profectione siluerit, quòd aut ea loca Paulus breui reliquerit, aut certè nihil in eis egerit, cõmemorandum quod esset, sequitur.

Deinde post annos tres veni Hierosolymam videre Petrum, & mã si apud eum diebus quindecim, alium Apostolorum vidi neminem, nisi Iacobum fratrem Domini.

Ideò declarat quantum temporis commoratus apud Petrum fuerit, vt ex eo Galatis ostendat se intra tam exiguam diem non potuisse Fidei doctrinam à Petro discere. Porrò dicit neminem alium præter Iacobum visum à se esse, vt eo occurrat suspicioni dicentium, si minus à Petro, tamen potuisti doceri ab aliquo alio. Et fortasse causa quare

quare neminem Paulus vidit præter Iacobum & Petrum, ea fuit, cuius Lucas meminit loco suprà citato, quòd Hierosolymis omnes fideles timerent, se cum Paulo commungere, quod eius antiquum odium in Ecclesiam scirent, commutationem autem voluntatis in melius, aut nescirent aut suspectã haberent. Sed vt ea, quæ dixit confirmet, iusiurandum adhibet, dicens.

Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo quia non mentior.

Quo iusiurando, non solùm ea quæ dixit, sed & quæ statim dicturus est, confirmare voluisse est intelligendus. Itaque id ad vtraque pertinet, &, vt puto, ad ea quæ sequuntur magis, quòd ea vsitata minus, confirmatione magis egerent. Quis enim fieri posse putaret, vt aut Petrus Apostolorũ columẽ adduceretur, vt simulare vellet ab eo abstinere se, à quo iudicaret non esse abstinendum, aut Paulus vir modestissimus in publico hominum & magno conuentu in os Petrum reprehenderet? Quæ tamen facta esse paulò infrà, dum causam suam agit, Paulus commemorat. Ad ea igitur quæ mox dicturus erat, nequis fingi ab illo crederet, hac obtestatione præmunijt. Itaque sequitur.

Deinde veni in partes Syriæ & Ciliciæ, eram autem ignotus Ecclesijs Iudææ, quæ erant in Christo.

Id est Postquam vidi Petrum, & commoratus apud illum sum dies quindecim, relictis Hierosolymis profectus sum in Syriam, & Ciliciam, in eas scilicet regiones, in quibus, qui me Euangelium doceret, erat nemo, ipse potius earum regionum homines docui, *Veni*, inquit, *in partes Syriæ, & Ciliciæ.* hæc subiecit, vt narrationis ordo magis constaret. Nam quod sequitur. *Eram autem ignotus Ecclesijs Iudææ, quæ erant in Christo*, non cohæret cum his, sed cum illo potius quod antecesit, nimirum: Et mansi apud Petrum diebus quindecim, alium autem Apostolorum

rum vidi neminẽ. Explanat enim causam, quare dũ Hierosolymis fuit, cum alijs fidelibus cõgressus nõ fuerit. Quia, inquit, illo tempore, quando scilicet apud Petrum diuersatus sum, eram ignotus Ecclesijs Iudææ, id est, nemo me de facie nouerat, tantum audierant, quã olim odio prosequutus sum religionem Christi, me studiosè iã defendere: itaque quod ignotus illis essem, neque ipse illos alloquutus sum, neque me eorũ alloquutus est aliquis. Quæ ideò Paulus scribit, primò, vt ex eo Galatæ intelligerent ipsum, quo tempore Hierosolymis fuit, non annuntiasse Euãgeliũ Iudæis, quod Pauli aduersarij falsò iactabant dicẽtes, ipsum seruandæ legis authorem illis fuisse. Deinde hæc scribit, vt ex eo ostendat, quomodo censet Hieronymus, se dum in Iudæa fuit à nemine potuisse doceri, quando neagnosci quidem à Iudæis fidelibus potuit propter temporis breuitatem. *Tantum*, inquit, *in me glorificabant Deum.* Quia nimirũ audiebãt me è Christi hoste effectũ esse præconẽ Christi, glorificabant autem iure. Nam quod eorum ipsorum, qui ipsi aduersari volunt, armis atque consilijs causam suã tuetur Deus, & ad fœlicem perducit exitũ, ea re suam gloriam illustrat maximè. Sed sequitur.

CAPVT. II.

Deinde post annos quatuordecim iterum ascendi Hierosolymã simul cum Barnaba, assumpto & Tito.

Exequitur institutam narrationem id semper studens, vt è rebus à se gestis, & è suæ vitæ omni cursu demonstret, neque se didicisse Euangelium ab homine, neque apud Iudæos aliquid dixisse aut fecisse, ex quo intelligi posset sentire ipsum seruandam esse legem Mosaycam. *Deinde*, inquit, *post annos quatuordecim iterum ascendi Hierosolymam simul cum Barnaba* Quærat aliquis quo ab initio hi quatuordecim numerentur

anni:

anni: à conuersione Pauli, an à primo ipsius ad Hierosolymas aduentu? Hieronymo ab hoc videtur, quem in eo nō nulli sequuntur, sed plerisque à conuersione placet, quod & verius esse ex iis, quæ postea dicemus constabit. Sed maior quæstio est, vtrùm hîc Pauli in Iudæam aduentus sit is, cuius Lucas in decimoquinto libri Actorum me-
Act. 15. minit, cum Antiochenses ipsum atque Barnabam Hierosolymam miserunt ad consulendū Apostolos super quæstione de cessatione legalium. Atq; vt ea quæstio melius explicetur, debet aduerti in Actis Apostolicis dici quater Hierosolymā venisse Paulum, semel à conuersione sua anno tertio, quando Damasco profugit Iudæorum insidias vitandi causa, de quo Lucas in nono. Iterum cum grandi
Act. 9. pecunia, quam Ecclesia Antiochiæ subsidio misit Ecclesijs Iudeæ, famis quæ sub Claudio accidit, tēpore, de qua
Act. 11. fit mentio in vndecimo. Tertio consulturus Apostolos de quæstione legalium, quando ipsum atque Barnabam ijdem Antiochenses miserunt vt dicitur in decimo quin
Act. 15. to. Quarto tandem cum illi in templo vna cum alijs oranti, Iudeorum quorundam ipsi inimicorum artibus excitato tumultu, manus iniectæ sunt; quomodo scribitur in vi
Act. 21. cesimò primo. Ergo quæritur, quod hîc scribit quatuordecim exactis annis ascendisse Hierosolymam simul cum Barnaba, is ascensus ad quem horum quatuor pertineat, aut vtrum ad eos omnino pertineat. Et satis constat neq; ad primum, neque ad vltimum pertinere: de tertio quando ascendit consulturus Apostolos est controuersia. Nam Theodoretus pertinere censet, cuius sententiæ & alios olim fuisse Hieronymus scribit, & nunc nonnullos esse constat. At Chrysostomus contra hunc ascēsum aliū arbitratur ab illo esse, de quo in decimo quinto capite scribitur. Cui ego sententiæ non dubito quin omnes assensuri sint, qui modo, quæ hîc Paulus cum illis, quæ in decimo quinto

quinto scribit Lucas, exactè contulerint. Primum enim ibi dicuntur missi ab Ecclesia Antiochensi, hîc dicuntur venisse Spiritus sancti admonitu: deinde ibi res acta dicitur in publico Ecclesiæ concilio: hic Paulus scribit seorsim & priuatim rem contulisse cum Petro & cum nonnullis alijs Apostolis. Præterea ibi quæstio de cessatione legalium publicè proposita dicitur, hic nullius propositæ quæstionis mentio fit. Ad hæc, ibi quæstio proposita concilij Apostolorum decreto legitur definita, definitioque literis consignata missa Antiochiæ: hic nec definitionis neque vllius decreti, neque literarū Paulus meminit sine dubio mentionem facturus earum, quando eis nihil validius afferre poterat ad id euincendum, quod ipsi probare propositum est in hac epistola, non necesse esse leges obseruare Mosaycas, Petrumque & reliquos Apostolos ita censere. Quare pro certo habeo hunc, de quo hic Paulus scribit accessum, alium esse ab illo, de quo Lucas scribit. At si alius, vter prior, hic, an ille? Chrysostomo ille prior videtur, contra ego hunc omninò priorem puto, quod facile probo. Nam si quæ Lucas scribit, prius gesta sunt, ea potius hic aut ea sola Paulus commemorasset, quando eis solis commemorandis propositum, vti diximus suum plenè consequutus esset. Itaque vtrumque certum mihi est, & hunc accessum ab illo Lucæ esse alium, & esse illo priorem. Sed si alius ab illo qui est apud Lucam tertius, vtrùm etiam alius ab eo quem idem ponit secundum? Alius fortasse nonnullis videatur, & omninò diuersus ab illis quatuor, quos supra commemoraui, & omninò quintus accessus. Sed opinor, is ipse est, qui apud Lucam secundus, quando Paulus atque Barnabas Antiochia Hierosolymam profecti sunt, vt pecuniam deportarent. Nam allata ea pe-

cunia Ecclesijs Iudææ fuit, quod fame premerentur, quæ viguit sub Claudio: at à conuersione Pauli ad id famis tempus ferè quatuordecim numerantur anni, vt ex Eusebij, liquet Chronico. Ex his omnibus colligo, & quidem, vt mihi videor, verisimè Paulum hanc scripsisse epistolam ante tertium illum suum in Iudæam aduentum, & omninò ante decretũ illud editũ de abrogatione Mosaycarum legũ. Nam post decretum illud editum nulla causa erat eius scribendæ, omni de legibus Mosaycis, quod ad Gentiles attinebat, dubitatione sublata. Posset enim Paulus addubitantes Galatas facile ad id decretum reijcere, & eo decreto prolato illos tumultuantes sedare, & vt literarum aliquid super hoc ad illos dare, in animum induceret suum, tamen in eis literis decreti huius vel imprimis mentionem faceret. Quî enim, id Paulus omitteret, quod vnum erat efficacissimum, ad omnem istam de legis Mosaycæ obseruatione necessaria tollendam dubitationem: quem videmus in hac epistola vniuersa colligere, quamuis minuta argumenta, quibus effici modo possit gentes ad id non teneri. Quod si quis nobis obijciat scholia quædam esse Græca, in quibus affirmetur Paulum, dum esset Romæ, epistolam scripsisse istam, hoc est, multo tempore post decretum illud editum. Dicendum est non esse illa scholia eiusmodi, vt habere illis fidem necessario quis debeat. Nec etiam me moueat, quod fortasse nonnulli dicent, non constare ex Apostolicis actis Paulum annuntiasse Euangelium Galatis ante illud decretum editum. Nam certè secus se id habere satis apertè colligitur ex eo libro, is si liber attentè legatur. Nam in eius libri capite decimoquinto post illius editionem decreti, sic legitur. Post aliquot autem dies dixit

Act. 15.

xit ad Barnabam Paulus, Reuertentes visitemus fratres per vniuersas ciuitates, in quibus prædicauimus verbum Domini quomodo se habeant, quod & fecerunt alius aliò profecti. Et deinde in capite decimosexto subijcitur. Cum autem pertransirent ciuitates, tradebant eis custodire dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis, & senioribus, qui erant Hierosolymis: transeuntes autem Phrygiam & Galatiæ regionem. Phrygia igitur & Galatia in ijs continentur regionibus, quibus ante id Apostolorũ decretum Paulus annũtiauerat Christi Euangelium, & quas post id decretum editum confirmauit in fide, & vt id decretum seruarent, admonuit. *Post annos*, inquit, *quatuordecim iterum ascendi Hierosolymam cum Barnaba, assumpto & Tito.* Ascendi dicit, quoniam Hierusalem in loco edito sita erat. *Cum Barnaba, assumpto & Tito.* Hos assumpsit Paulus, testes vt essent eorum, quæ euenerunt, quæque mox narraturus est accidisse ipsi, neque non est aliquid quod ait, *assumpto & Tito.* Habet enim Emphasin illud, &, quasi dicat, & ipsum Titum, quamuis è Gentilismo fidelem, quamuisque incircuncisum, nõ sum veritus mecũ ad Apostolos, & reliquos è Iudaismo fideles adducere pro comperto habens, conuersos è Gentilismo circuncidendos non esse. Sed pergit. *Ascendi autem secundum reuelationem.* Nam quamuis publicè missus est ab Antiochensibus ad deportandam pecuniam, tamen, vt eò missus conferret, quod annuntiabat Euangelium cum Apostolis, & illis doctrinæ suæ genus atque rationem exponeret, id illi non mandarant Anthiochenses, sed vt faceret Deus ipsum admonuit. Quare addit. *Et contuli cum illis Euangelium, quod prædico in gentibus.* Contuli, id est, communicaui, & quasi in sinum depo-

Act. 16.

sui. *Cum illis*, mox exponit cum quibus, cum Petro scilicet, Iacoboque, & alijs nonnullis. *Euangelium quod prædico in gentibus*. Non simpliciter Euangelium, sed quod propriè pertinet ad gentes, non enim cum illis contulit vniuersam Euangelij, quam ipse prædicabat, doctrinam, sed eius illam partem, quæ Christianos homines liberatos esse docet à seruitute legis Mosaycæ, qua de re per id temporis magna erat inter fideles dissensio. Contulit autem non publicè, vnde addit. *Seorsim autem ijs, qui videbantur aliquid esse*. Quasi dicat. Quod dico me contulisse Euangelium cum illis, nolo sic intelligi, quasi palàm contulerim in Ecclesiæ conuentu publico: contuli quidem, sed priuatim cum ijs solis, qui aliquid esse videbantur: Græcè τοῖς δοκοῦσιν, sic enim Græci appellare eos solent, quorum est præstans authoritas. At cur contulit? *Ne forte*, inquit, *in vacuum currerem aut cucurrissem*. Ne forte, id est ne aliquo pacto, aut modo, *in vacuum currerem*, id est, sine fructu laborarem. Quasi ita dixisset. Contuli, non ideo quidem, Quod ipse addubitarem vtrum vera mea esset doctrina: quî enim id possem, qui à Deo accepisse ipsam certus omninò essem? Sed contuli, ne nisi conferrem, authoritate careret doctrina mea apud eos, apud quos maleuoli quidam, fidem vt detraherent dictis meis, falsæ doctrinæ traditæ, & imposituræ in docendo factæ nomine me falsò accusabant. Itaque ex quo cognitum est me cõtulisse, probatamque ab Apostolis meam doctrinam esse, ex eo mea vox authoritatem apud illos retinere suam, eisque fructuosa esse cœpit. At cur non statim à conuersione sua contulit, vt statim probata cognosceretur, eique haberetur fides omni detrahendi ipsi causa præcisa? Quia illo initio nemo

nemo erat, qui Pauli doctrinæ detraheret, quique diuersa ipsum docere diceret ab ijs, quæ alij docerent, non ergo oportuit remedium adhibere nondum exorto malo: tùm quia si contulisset, quando nulla conferendi causa necessaria apparebat, contulisse putaretur discendi causa, ex quo eius doctrinæ authoritas minueretur. Sed ait. *Ne forte in vacuum currerem, aut cucurrissem*. Cursum vocat operam, quam in docendo ponebat, & in vacuum currere ponit, non pro eo quod est falsa docere, sed pro eo quod est frustra & sine fructu docere. Et forassè sic loquutus est ex proprietate sermonis Hebraici, in quo currendi verbum in ijs vsurpatur rebus, quæ studiosè à nobis fiunt & cum quadam voluptate, vt in illo. Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum. Subindicat ergo Paulus laborem docendi voluptati sibi esse, seque in eo versari studiosè & libenter. Præter hæc Euangelij doctrina recte nominetur cursus, vtpote quæ breuissimo temporis spatio vniuersum obiens terrarum orbem ad vltimas illius oras mira celeritate peruenerit. Sed & dictum videri possit metaphora ducta à cursoribus in stadio. Nam vt illi omnes suas vires profundunt, sic Paulus in docendo nihil ad summam diligentiam sibi reliqui faciebat. Nam ista metaphora, vt videtur, delectatus sæpius ea vtitur, vt in illo, sic currite vt comprehendatis. Et iterum. Sic curro non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aerem verberans. Et rursus. Quia non in vacuum cucurri. Et tandem. Per patientiam curramus. Sequitur.

Psal. 118.

„ 1. *Cor.* 9.
„ *Phil.* 2.
„ *Heb.* 12.

Sed neque Titus, qui mecum erat, cum esset gentilis compulsus est circuncidi, sed propter subintroductos falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostram, quam habemus in

Christo Iesu, vt nos in seruitutem redigerent, quibus neque ad horã cessimus subiectioni, vt veritas Euangelij permaneat apud vos.

Dixerat contulisse, non dixerat quibuscum contulerat, eos collata probasse: nunc id docet probasse ipsos non tam voce, quàm, quod firmius est, re ipsa atque facto. Non enim, passi sunt legitimo ritu circuncidi Titum è Gentilismo ad Christum conuersum. *Sed neque Titus* ait, *qui mecum erat, cum esset gentilis, compulsus est circuncidi.* Quasi dicat. Exposui Apostolis quemadmodum docerent liberas esse gentes à legitimis cæremonijs, quod si nosse cupitis, vtrùm in eo fuerim ab ipsis probatus, eorum facta cognoscite, nullo enim modo inducti sunt, Titum vt circuncidi vellent, qui genere gentilis esset. At quorsum quod sequitur? *Sed propter introductos falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo Iesu, vt nos in seruitutem redigerent, quibus nec ad horam cessimus subiectioni.* Nam illa particula, sed, aduersatur dicto, itaque infert contrarium eius quod præcesserat, præcesserat autem, Titum circuncidi compulsum non esse. Significat ergo, idque recti sermonis ratio vt significet exigit, quem nollent Apostoli circuncidi propter subintroductos falsos fratres, circunciſum tamen esse, quod à vero longè abest. Hic mirum est quantum se torqueant interpretes, in re facili, illa quidem, sed illis, quod non animaduerterunt Hebraica proprietate loquũ tũ Paulum, difficillima visa. Itaque alij aliud confingunt. Quidam enim, illud, *sed*, sublatum volunt, itaque legunt. Sed neque Titus compulsus est circuncidi propter subintroductos falsos fratres, id est, ne instantibus quidem illis circuncidi compulsus est. Alij id retinent, sed negationem remouent ab eo quod sequitur: legunt enim,

Hiero & Theodore. Ambros. & quædã Latina exẽplaria Hierony. tempore.

enim. *Sed propter introductos falsos fratres, qui subintroierunt explorare libertatem nostram, quam habemus in Christo Iesu, vt nos in seruitutem redigerent, quibus ad horam cessimus subiectioni.* Vt dicat Apostolos quidem non præcepisse Tito vt circuncideret se, quòd autem se circũcidit, nam circuncidisse se illum dicunt, id factum ne eis qui subintroierunt fratribus esset offendiculo. Alij autem vtrumque quod & oportuit, retinentes, illud sed, propter introductos falsos fratres, cum eo coniungũt quod dixerat contulisse Euangelium suum seorsum cum ijs, qui videbantur esse aliquid, vt huius priuatę collationis Paulus dicat subintroductos falsos fratres causam dedisse sibi. Augustinus porrò sic exponit, vt Titum Apostoli circuncidi noluerint, alioqui fortasse circuncidendum, eoque illos adductos esse, quòd circuncidi deberi subintroducti illi nimis contenderent, quibus iudicauerunt obsequendum non esse. Quo in sensu illa particula (sed) extenuãdi vim habet, vt cum dicimus: percussi Petrum, sed prouocatus ab illo. Alij alias rationes cõminiscuntur, sed, vti diximus, sine causa. Nam constat id à Paulo scriptũ esse Hebraici sermonis proprietate ea, qua in priori versus parte negatio posita in posteriori à cõmuni repetitur, repetitę autẽ à communi negationis exempla sint illa. Psal. quadragesimo tertio. Et non recessit retro cor nostrum, & declinasti semitas nostras, à via tua, id est, & nõ declinasti. Psalmo nono, Hebraice adverbum. Non in finem obliuio erit pauperis & patientia pauperum peribit in finem, id est, & nõ peribit. Gen. 2. Nõ enim pluerat Dominus super terrã, & homo nõ erat qui operaretur terrã, sed fõs ascẽdebat de terra irrigãs vniuersã, terrã, id est, sed neq; fons ascẽdebat de terra: ergo & in hoc loco, qđ ait, sed propter introductos falsos fratres, ab eo qđ pręcesserat. Sed neq; Titus

Caietanus.

D. Thom. Gloss. interlinearis.

Psal. 43.

Psalm. 9.

Genes. 2.

cum esset gentilis compulsus est circuncidi, negatione mutuata ac desumpta pro eo habendum est, ac si diceret, sed neque propter subintroductos falsos fratres. Nam auget quod dixerat Titum se circuncidere non esse compulsum, vsque eo enim id esse verum, vt ne instantibus vt circuncideretur & perurgentibus falsis quibusdam fratribus, qui eo se insinuauerant, in familiaritatem ipsorum vt explorarent, vtrum legitimis cæremonijs seruirent: compulsus sit circuncidi, sic certè hunc locum interpretatur Chrysostomus quod item OEcumenio & Theophilacto videtur. Chrysostomus enim scribit sic. Titum cum esset incircuncisus Apostoli
" non coegerunt circuncidi, quo maxime declararunt se
" non reprobare quæ Paulus docuisset, atque fecisset, &
" quod maius est, ne quidem aduersarijs adstantibus, id-
" que agnoscentibus adducti sunt Apostoli, vt id fieri præ
" ciperent. *Sed propter introductos falsos fratres.* falsos fratres Paulus illos vocat, quod cum se Christo studere dicerent, Christianę libertati insidias ponerēt Quare & sub intrasse illos dicit, quo significet clanculum ad insidiandū ingressos, itaque sequitur? *Qui subintroierunt explorare libertatem nostram.* Nam in bello exploratores appellari ij solent, qui castra hostium clam ingressi ipsorum consilia, vt suis prodant, rimantur. *Libertatem*, inquit, *quam habemus in Christo Iesu.* id est, per Christum Iesum, hoc est per eius meritum atque mortem, qua nos liberauit non solum à peccato, sed etiam ab onere Mosaycæ legis seruandæ propterea quod ipso moriente eius legis omnes vmbræ esse desierunt, vel certè, *sic in Christo*, id est, in Christianismo, hoc est in ea religione, quam qui perfectè colunt plane liberi sunt: quod non solum soluti sunt legibus Mosaycis, sed etiam omni eo pœnæ timore vacui quo

quo quidam ad honestè operandum tanquam serui inducuntur. *Vt nos in seruitutem redigerent.* ob eam causam, inquit, ingressi sunt explorare nostram libertatem, vt vbi comperissent nos obseruare nolle legitimas cęremonias, molesti instarent nobis. *Quibus*, inquit, scilicet falsis fratribus, nostrisque insidiatoribus, *nec ad horam cessimus subiectioni*, id est, noluimus ne ad breue tempus ab illis victi videri, vt illorum causa seruituti legis subiiceremur. *Vt veritas Euangelij permaneat apud vos.* Quasi dicat, non tam nostri causa, neque tam nostræ molestiæ vitandæ gratia illis obstitimus, & quamuis contendentibus, vt Titum circuncidi vellemus, non cessimus, quam propterea, vt apud vos Euangelii libertas integra, & inuiolata maneret. Nam si, vt illis faceremus gratum, passi essemus Titū circuncidi non tam ipsorum voluntati indulsisse id, quam iudicio videremur atque sententiæ assensisse. Sentiebant autem necessario illum circuncidi deberi. Itaque is error ad vos permanaret, ac seruituti legis vos inuolueret perniciose. Quā quam, & id interpretari possimus dictum cum diminutione quadam, isto modo vt libertas maneat apud vos, id est, saltem apud vos maneat. Quasi ita dicat & sentiat. Quando fieri nequit, vt qui conuersi sunt ad Christum è Iudaismo Euangelij libertate integrè frui velint, quod legitimis cæremoniis assueti, eas dediscere, aut negligere in animum non inducant suum, studiose curauimus, vt saltem apud vos Græcos ea libertas maneret nulla seruitutis infuscata labe. Sequitur.

Ab ijs autem, qui videbantur esse aliquid (quales aliquando fuerint nihil mea interest, Deus enim personam hominis non accepit) mihi enim qui videbantur esse aliquid nihil contulerunt.

Docuit Paulus ex eo quod Titum circuncidi deberi non censuissent Apostoli, quid de hac suæ doctrinæ parte sentirent, nam qui non coegerunt circuncidi Titum, gen

Universidad de Deusto
Biblioteca

tes legitimis non teneri cæremoniis, quod docebat Paulus, sine dubio probarũt. Nunc quid de omni sua doctrina senserint, docet, ea scilicet narrans, quę illi secum egerunt. Dicit enim eos, doctrinam ipsius cum probe cognouisset ipso eam illis planè exponente. Nihil contulisse ipsi, id est, nihil de sua ipsorũ adiecisse, nihil de Pauli doctrina repudiasse. *Ab iis*, inquit, *qui videbantur esse aliquid*, id est, à præcipuis Apostolis adiecturus erat, nihil adiutus sum, sed omisit dicere, quia quædã per parenthesin interposuit, moxq; redijt ad id quod cœperat, orationis formam nonnihil immutata, dicẽs. *Mihi qui videbantur esse aliquid, nihil contulerunt.* Interposuit autem quid? *Quales autem aliquãdo fuerint, nihil mea interest. Deus enim personam hominis non accipit*, id est, dico nihil mihi cõtulisse eos qui erant in pretio, eo sanè tempore quando cum illis doctrinã meam cõtuli, nam ante id tempus quales illi vel fuerint, vel habiti sint commemorare nihil attinet. Sed cur hoc Paulus, aut qua de re notare voluit Apostolos? Ambrosius, quẽ alii sequuntur, notasse scribit

D. Tho. Lyranus, Cate.

præteritæ ipsorũ conditionis, & status humilitatem, quasi si planius dixisset. Nihil mihi contulerunt ij, qui habebantur in pretio: in pretio, inquã, habebantur tunc, nam de coquales antea habiti sint nõ laboro. Constat enim illos minimi pretij fuisse homines, nempe illiteratos, piscatores, è media vulgi fæce, sed vt dixi, parũ id refert quales fuerint, quando Deus, qui personam hominis nõ accipit, id est, ad hæc fortunæ, aut naturæ parum attẽdit bona facile potuit ex indoctis doctos, è cõtemptis, & humilibus, magnos, & claros facere. D. Augustin. id ad mores refert, hoc sensu. Quales olim fuerint, boni ne, an praui, nihil mea refert. Suspectum me, inquit, haberi ex eo volunt quod fideles olim odio atque armis prosequutus sim, possem & ego tale aliquid obtrudere & iis, qui nunc in Ecclesia habentur præcipui, sed prætermitto dicere, quoniam ad propositã disputationem

tionẽ parũ certè pertinet, illud pertinet, ipsos mihi cõtulisse nihil. Chryso. & Hieron. & Græcorũ pleriq; illis verbis doctrinę genus Apostolorũ quo aliquãdo vsi sunt, notatũ putãt. Quasi sic Paul. dicat. Vtrũ ante id tẽporis docuerint Apostoli, fideles circuncidẽdos esse, secus ve nihil mea refert dicere, ipsi si quid vnquã docuerunt tale rationẽ Deo reddẽt, qui eã ab ipsis seuerè exiget nulla ipsorũ dignitatis ratione habita, nõ enim hominis personam accipit. Sed vt vt antea, hoc tamen constat, quando cũ illis doctrinã meã contuli, nihil ipsos aut mutasse de illa aut contra sensisse. *Sed contra cum vidissent, quod creditum est mihi Euangelium præputij, sicut, & Petro circuncisionis (qui enim operatus est Petro in Apostolatu circuncisionis, operatus est & mihi inter gẽtes) & cum cognouissent gratiã, quæ data est mihi, Iacobus, & Cephas, & Ioannes qui videbantur columnæ esse, dextras dederunt mihi & Barnabæ societatis, vt nos in gentes, ipsi autem in circuncisionem, tantum vt pauperum memores essemus, quod etiam sollicitus fui facere.*

Antea dixerat Apostolos cognita ipsius doctrina nihil de ea demutasse: nũc dicit vsq; eo probasse illã, vt societatem inierint cũ ipso inter se partiẽtes munus annuntiãdi Euangelij. *Sed cõtra*, inquit, *cũ vidissent*, illi videlicet præcipui Apostoli quibuscũ doctrinã meã contuli. *Creditũ mihi esse Euangelium præputij*, id est, munus docẽdi gentes doctrinã Christi. *Sicut & Petro circuncisionis.* Præputium & circuncisio vocabula sunt in scripturarũ sermone Iudæos, atq; gẽtiles significantia. Cũ vidissent igitur Paulo gẽtiles Petro Iudæos in fide instituẽdos esse cõcreditos, dextras iunxerunt cũ ipso paciscẽtes id vt quisq; munus obiret suæ curationis quod esset: mutuã tamen omnes inter se pacẽ & beneuolẽtiam seruarẽt. At quomodo id viderũt, Paulo Gẽtiles Petro Iudæos esse cõmissos? *Quia*, inquit, *qui operatus est Petro in Apostolatum circuncisionis, operatus est mihi inter gentes*, id est, quia cognouerunt mihi commissum à Deo esse docere gentes quomodo ab eodẽ Iudæorum docendorũ Petro cõmissa

cura

cura est,id enim vocat,vt plerisque placet,operari in Apo-
stolatum, potestatem facere annuntiandi Euangelij.Non
igitur facta fuit Paulo potestas Iudæorum docendorum,
Dicet aliquis neque contra Petrus gentes docendi pote-
statem habuit. At id verum esse quî possit, cum vniuersis
Apostolis potestas facta sit doctrinæ disseminandæ pro-
miscuè in omnes gentes? Marci vltimo.Euntes prædicate
Mar.vlt. Euangelium omni creaturæ, & Petrus propriè & eximiè
constitutus à Christo fuerit totius Ecclesiæ pastor & Do-
" ctor ? Sed & illi propriè vt scribit Lucas diuinitus præce-
" ptum fuit vt gentes doceret,quando demissum è cælo ve-
lum vidit vario bestiarum genere plenum, eique dictum
est. Petre surge, occide,& manduca. Certè neutri illorum
alteros docendi fuit adempta facultas: immo vtrique in
vtrosq; fuit nominatim concessa. Nã & de Paulo dixisse
Act.9.„ Christus scribitur. Vas electionis mihi est vt portet nomẽ
meum coram gentibus & regibus,& filijs Israel.Itaque &
Petrus gẽtes,& Paulus Iudæos,non solum docere potuit.
sed re ipsa docuit. De vtroque constat in Actis Apostoli-
cis, de Petro in capite decimo, de Paulo autem in capiti-
bus decimoquarto, & decimoseptimo, & duo de vicesi-
mo. Quare quod hic dicit,sibi esse creditum Euangelium
præputij, sicut & Petro creditum fuit Euangelium cir-
cunciſionis, eo non tam significat diuisum munus à Pe-
tri munere sibi esse delatum, idem enim vtrique & in eos-
dem docẽdi munus delatum est,quam declarat, ad quam
eius muneris obeundam partem ipsorum quisque aptior
esset,& habilior,neque Paulus dicit docendi gentes pote-
statem sibi vni esse factam, sed docet suam operam præci-
puè in docendo gentes spectatam esse, & cum fructu ver-
satam:idque ex eo cognosci atque probari posse affirmat,
quod addit. *Qui enim operatus est Petro in Apostolatum circun-
cisionis, operatus est mihi inter gentes*. Quo,vt ego sentio si-
gnificat.

gnificat, sibi munus Apostolicum obeunti, & apud gen-
tes Christum prædicanti, Deum suffragatum ipsi esse, vti
antea Petro ad Iudæos loquenti fuisset auxiliatus, hoc est,
Deum ipsius orationi atque voci cõtulisse efficacem vim
quæ animos ingressa auditorum facile eos ad assensum fi-
dei pertraheret. Nam Græcè est ἐνεργεῖν quod vim addere,
atque immittere ad id quod quis obeat efficiendum po-
tius, quam deferre munus aut magistratum mandare si-
gnificat. Contulit autem Deus sine dubio Pauli orationi
atque sermonibus istam vim, quoties apud gentes dice-
bat: miro enim modo influebat in illarum animos.Itaque
nemo illo gratior gentibus fuit:nemo quem libentius au-
dirent: nemo cuius singula dicta magis probarent: nemo
cui haberent maiorem fidem. Vnde & dux verbi lystris Act.14.
appellatus est, & pro Mercurio habitus, vt Lucas scribit,
pluresque vnus Paulus ad Christum conuertit è gentibus
quam Apostoli reliqui,quod non item ipsi accidebat
apud Iudæos dicenti, apud quos spretæ Mosaycæ legis in-
uidia plurimum laborabat, ex quo illos auersissimo à se
animo semper expertus est, & ob id minus fructuosa illis
quam gentibus,vox eius fuit.Cõtra autem Petri industria
in conuertendis ad Christum Iudæis maximè enituit ipso
Deo id agente, & orationi eius semper ἐνεργησαντι, vna
enim ab illo atque altera apud Iudæos oratione habita
ad fidem Christi conuersi vno tempore sunt ad octies mil Act.3.&
le Iudæi. Ergo cum Paulum viderent aptum & tanquam 4.
factum ad docendas gentes,quod ex eo colligebant quod
ipso docente deserto idolorum cultu ad nostram religio-
nẽ turmatim se conferebant gẽtiles, vti & Petro concio-
nãri,libẽtissimè audiẽtes se præbuerũt Iudæi, Deo alteri
apud alteros præcipuè cõciliante beneuolentiã & gratiã,
id est,ἐνεργησαντι, id ergo cũ viderent dextras,quomodo di-
ctum est societatis dederunt fœdere inito, vt in eo quisq;
versa-

Universidad de Deusto
Biblioteca

versaretur ad quod quisque factus videbatur. Sequitur.

Cum autem venisset Cephas Antiochiam in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat: prius enim quam venirent quidam à Iacobo cum gentibus edebat, cum autem venissent, subtrahebat & segregabat se, timens eos qui ex circuncisione erant, & simulationi eius consenserunt cæteri Iudæi, ita vt & Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem. Sed cum vidissem, quod non recte ambularent ad veritatem Euangelij, dixi Cephæ coram omnibus. Si tu cum Iudeus sis gentiliter vivis, & non Iudaice, quomodo gentes cogis Iudaizare.

Adhuc magis suam authoritatem confirmat. Nam docuerat se præcipuis Apostolis parem esse, quod lectus à Deo, & ab illis ascitus esset ad idem docendi munus, iam docet se superiorem esse quodammodo. Ea enim narrat quæ sibi Antiochiæ acciderunt, quãdo Petrum in os coarguit in plurimorum conuentu. Nam Petrum quod quorundam Iudæorum offensionem timeret, qui è Iudæa Antiochiam peruenerant se subtraxisse scribit à commercio eorum qui credebant è gentibus, qua re visum esse tacitè in eam opinionem illos inducere, vt putarent Mosayca seruanda esse quando ea Petrus seruaret. Itaque se cum id animaduertisset multis præsentibus coarguisse illum simulationis atque timoris. Hoc quidem verba præse ferunt, sed vtrum id admitti debeat, & vtrũ fieri omnino possit, vt in hoc, Ecclesiæ caput Petrus, errauerit & ista fecerit, quæ fecisse illum Paulus scribit, & vtrum credi debeat, vsque eo suæ modestiæ Paulum oblitum esse, vt quæ ipse fecerit ea in altero reprehendat, an potius aliquis alius sensus altior lateat in his verbis, magna profecto & ad diiudicandum difficilis est quæstio, & quæ non solum veterum scriptorum ingenia torserit, sed etiam duo Ecclesiæ lumina Hieronymum & Augustinum inter se vsque eo commiserit, vt eorum dissensio parum abfuerit à conuicio,

quos

quos qui postea scripserũt sequuti, dum alius alium magis probat, & ipsi in varias sententias diuisi sunt. Omnis autem huius rei difficultas ex eo est quod videtur absurdissimum Petro affigere aut errorem, aut culpam, quod si illũ à culpa liberamus Paulum condemnare videmur, vel procacitatis qui rectè agentem obiurgauerit, vel mendacii, qui cum nõ obiurgarit, obiurgasse tamen scripserit. Quod si quis posset huius orationis sic interpretari sententiam vt & Petrum liberaret à peccato & Paulum à procacitate, & mendacio, is certè optimè interpretatus eam esset. Et quo magis pateat quam hoc sit factu difficile, ea quæ & pro Petro, & contra Petrum faciunt, proponam.

Ac principio non peccasse illum, sed rectè & prudenter fecisse quod cũ gentibus vesci noluerit, ne eos qui à Iacobo venerãt Iudęos offenderet, demõstratur primo sic. Nõ peccauit, quod Mosayca seruari oportere arbitratus sit. Nam sciebat oraculi eius, de quo in Actis, admonitu, non necesse esse seruare ea. Itaque & ipse Antiochiæ vna cum gentibus promiscuè cibum capiebat, nec peccauit quod re illa postea seruarit in gratiã eorum qui aduenerãt. Nam cum illi vtrumuis esset liberum, potuit, imo debuit Iudæorum fidelium vitare offensionẽ. Nam vt & Paulus scribit, si esca mea scandalizat fratrem meum, carnes nõ gustabo in æternum. Deinde necesse erat alterutros offendi, gẽtes quod se subtrahebat, Iudæos ni se subtraxisset. Vtris ergo potius debuit Petrus consulere? debuit certè Iudæis, quorum propriè salutem procurabat, igitur non peccauit, sed officium potius secutus est. Ad hæc. Cur quæso Antiochenses è gentibus ad Christum conuersi offendantur? an ignorare poterant Petrũ quem ante illã diẽ vna secũ victitasse viderãt, Mosaycarum legũ obseruãtiorẽ simulare se, nõ iudicio, aut q̃ censeret oportere seruari, sed indulgẽtia quadã in Iudæos paterna, & vt eorum infirmitati seruiret?

Act. 10.

1. Cor. 8.

An

An nesciebant æquum esse & Christianæ debitum pietati proximorum infirmitati quoad fieri potest, consulere? ergo si causam illi cur offenderētur non habuerūt, eorum offensionis vitandæ gratia, Petrus negligere Iudæos non debuit. Præterea Paulus quid, nonne & ipse Iudæorum fidelium quos videbat studiosos legis esse offensionem accuratè vitauit? nonne eius rei gratia, & ipse Mosayca
Act.16. seruauit? aut certè simulauit seruasse? nonne ipse de se, Factus sum Iudæis Iudæus vt Iudæos lucrifacerem, ille Timotheum circuncidi fecit, quo Iudæis faceret satis: ille ca-
Act.18. put sibi Chenchris rasit more Iudaico. Idem Hierosolymis purificauit se legitimo ritu, quo se studiosum esse lè-
Act.21. gis persuaderet Iudæis. Reprehendit ergo in Petro, quod in se probauit? quî credi possit? at hoc vafri esset & liuidi, & indignum probo homine, ne dum eo qui in omni virtutum genere excelluit, igitur quam longè Paulus à liuore, & detrahendi studio abest, tam certè vacat Petrus culpa atque peccato. Atque hæc Petrum defendunt. Accusant autem ea quæ de ipso Paulus scribit, quibus fidem non habere non possumus. Nam primo dicit se Petro in faciem restitisse, ergo ita se gerebat Petrus vt ei obuiam iri oporteret, male ergo se gerebat, & ob id peccabat. Deinde asserit ipsum in eo fuisse reprehensibilem, non autem fuisset nisi peccasset, ergo aut peccauit aut reprehensione dignus falso, & mendaciter dicitur. Mendacem porro Paulum dicere, vt alias possemus, hoc certè tempore, atque loco non possumus, quando non tam ipse quam sacræ mentirentur literæ, quarum hoc ipsum quod Paulus scribit, pars quædam est. Præterea, non rectè ambulasse Petrum ad veritatem Euangelij, idque se vidisse idem scribit. Quid autem est non rectè ambulare, nisi claudicare cum incedis, nisi offendere. Offendere autem in tanta re, quanta est Euangelii doctrina, nemo citra peccatum potest.

Deni-

Deniq; cum obiurgasse illum his verbis scribit. Si tu cum Iudæus sis gentiliter viuis, & non Iudaicè, quomodo cogis gentes Iudaizare? rogo vtrùm hoc illi iure, an iniuria? si iniuria deliquit Paulus grauissimè, & quod obiecit, & quod obiecisse scriptum reliquit: sin iure, magnum profectò crimen Petri fuit, quando nihil fortasse peius sit aut scelestius, quàm vt si quis alium in Iudaismum inducat. Atque hæc in vtramque partem disseruntur, quorum difficultate permori quidam, & quòd modum non inuenirent, quo se ab his laqueis explicarent, commenti sunt aliū quendam Cepham non Apostolum, sed è quingentis illis, quos habuisse Christus dicitur, discipulis vnum, de quo hæc Paulum scripsisse volunt: & certè Græca quædā scholia huius sententiæ authorem citant Cæsariensem Eusebium. Sed hoc commētitium est. Nam neq; demonstrari potest illorum aliquem vocatum Cepham, neque vt demonstraretur, ideo dicendum esset Cepham hunc, de quo Paulus esse eundem cum ille. Nam hunc Cepham Simonem esse Apostolorum principem vel ex eo apertissimè constat, quòd eum cum Ioanne & Iacobo summis Apostolis Paulus componit: quodq; eminere vsque eo ipsum dicit, vt pro columna Ecclesiæ haberetur. Quare D. Hieronymus Græcos scriptores, Origenem, Eusebium, Didymum, Theodorum, innumeros alios sequutus, vt, & Petrum à peccato, & Paulum à mendacio liberaret, scripsit quæ Paulus scribit verè illa quidem ab ipso scripta esse, re enim ipsa gesta fuerunt, sed gesta de ipsius Petri sententia, hoc est, conuenisse Paulo cum Petro, vt & Petrus se subtraheret à conuictu gentilium, quo satisfieret Iudæis, & Paulus vbi ille se subtraxisset, palàm obiurgaret ipsum, de eo quòd se subtrahebat, vt sic rursus fieret satis gentilibus. Itaque censet, quæ Paulus scribit esse aut dicta à

se, aut facta à Petro, re illa quidem dicta factaque esse, sed dicta factaque simulatè & compositò: ex eoque constare, neque Petrum, in eo quòd Iudæorum placādorum causa fecit, ipso id occultè approbante Paulo, quidquam peccasse: neque rursus Paulum falso aliquid scripsisse, aut dixisse: Obiurgasse enim re ipsa Petrum in multorum conuentu, ipso se sic obiurgari volente, quemadmodum inter ipsos conuenerat. Confirmat autem suam hanc sententiam Hieronymus iis potissimum argumentis, quæ suprà exposita sunt, quibus & illud propriè addit, quod Paulus scribit se Petro in faciem restitisse. Nam in faciem valere aut idem, quod in speciem: sicque in sacris
2. Cor. 10. literis sæpius poni solere, vt in illo, (quæ secundum faciem sunt videtis,) id est, quæ habent ostentationem potius, quàm ipsam rem: & in illo: vt habeatis ad eos, qui in facie gloriantur, & non in corde, id est, ad eos, qui
2. Cor. 2. simulatè se gerunt. Quare non esse dubitandum, ait, quin ista per simulationem gesta sint, cum apertè Paulus dicat in faciem, id est, per speciem, & simulationem à se Petrum esse reprehensum. Atque hæc qui probant, ij, ad ea quæ contra allata sunt sic respondent. Dicunt enim, non obstare iam quod obijcitur, peccasse Petrum colligi, quoniam illi in faciem restitit Paulus: restitisse enim in faciem illi, id est, in speciem, non seriò neque verè, aut quod iudicaret ipsum malè aliquid facere, sed, vt simularet sibi id non rectè factum videri, quo sic gentes placaret. Nec etiam illud, quod scriptum à Paulo de Petro est, quia reprehensibilis erat, suæ obesse sententiæ. Primo enim Græcè reprehensum, id est, κατεγνωσμενον, non autem reprehensibilem legi: itaque Græcos commentatores legisse constare, & è Latinis Ambrosium, atque Hieronymum, reprehensum autem Petrum

trum dici, scilicet ab iis gentibus, quæ in Christum credebant, quòd, vt ipsæ interpretabantur, Iudæorum qui aduenerant, metu, vt autem se res habebat, prudenti salutarique consilio, ipsarum consortia vitaret. Deinde, vt detur debere legi, reprehensibilis, vt necesse esse dari videtur, quando κατεγνωσμενος Hebraico more pro nomine eo, qui significat habitum, videri potest Paulus posuisse: sic enim Hebræi מְהוּלָל dicunt, non vt id significent, quod laudatur, sed quod laudari dignum est. Ergo vt id detur, non tamen ex eo sequi Petrum prauè fecisse aliquid, sed sequi sic visum Paulo esse, Petrum scilicet, aliquid prauè facere. Itaque illum quod sic scripserit nihil mentitum esse, scripsisse enim verè & ingenuè quod videbatur sibi, sed visum ipsi falsò esse, itaque in eo fuisse deceptum. Quod porrò addit, vidisse se quòd non rectè ambularent ad veritatem Euangelij, nullo modo Petri causam grauare. Non enim de Petro id Paulum scribere, sed de Iudæis illis ad Christum conuersis, qui tamen ipsi legem nimis studiosè seruabant, & quorum offensiones vitare Petrus cupiebat: itaque dicere, se cum eos videret Iudæos, quorum causa Petrus simulabat cum gentibus se nolle congredi, non rectè viam ingredi veritatis, sed nimis morosè legitimas cæremonias retinere velle, disputasse aduersus Petrum ipsis audientibus, simulasseque se in illum inuehi, vt in Petro Petri sectatores, atque studiosos doceret. Iam verò, quod scribit Petro dixisse, (si tu cum Iudæus sis gentiliter viuis, quomodo gentes cogis Iudaizare) dixisse certè id, vt scribit, fatentur. At non ex animo dixisse putant, aut quod ita iudicaret, à Petro gentes in Iudaismum induci, sed vt per illam simulatam reprehensionem vtriusque generis fidelium saluti consuleret.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Atque hæc de Hieronymo, quem contra Augustinus
scribens affirmat nihil simulatè, aut compositò actum,
Epist. 97 sed omnia sine fuco & fallaciis: ex quo & Petrum pec-
casse iudicat, & Paulum vera loquutum. Et argumen-
ta, quibus hoc diuus Augustinus confirmat, ea sunt,
quorum suprà meminimus, & potissimum vrget illud:
nempe, colligi ni Petrus peccauit mendaces sacras esse
literas, in quibus affirmetur reprehensibilē fuisse Petrum.
Etenim nisi qui in culpa sit, reprehensibilem dici nemi-
nem: mendacio autem vel vno vel semel in eis admisso
literis omnem illarum authoritatem subuerti. Neque
huius incidere rationis neruos, quod modo dicebam, ni-
mirum Paulum quidem opinione sua falsum esse, verè
tamen quod sibi videretur posuisse: itaque sacras lite-
ras verum dicere. Dicunt enim non qualis esset Petrus,
sed qualis Paulo sit visus, cui certè reprehensione visus
est dignus. Nam ex eo liquere in iudicando quidem cer-
tè, non autem in scribendo Paulum fuisse deceptum, hoc
est falsum illum esse iudicem, scriptorem autem verissi-
mum. Id, inquam, minimè obstare, quoniam Pau-
lus non id tantum videri sibi, sed re ipsa scribit repre-
hensibilem fuisse. Quare nisi detur peccasse Petrum,
non solum in iudicio Pauli, sed in lingua, atque in scri-
ptura eius, quæ eadem Spiritus sancti scriptura est, in-
esse mendacium necesse esse. Quibus permoti schola-
stici ferè omnes ab Augustino stantes, Petrum peccati
reum faciunt, peccati tamen leuioris, veniaque digni.
Nam & si inducere in Iudaismum, quod tribuitur Pe-
tro malum graue crimen per se esset, tamen id leue ha-
beri debuisse in Petro dicunt, quod non prudens at-
que sciens faceret, sed se imprudente, atque nescien-
te ex eo fieret, atque sequeretur, quod bono ille quidem
animo,

animo, sed non nimis considerate faciebat. Quamquam,
vt quod est fatear, Augustinus cum alibi, tùm præcipuè
hunc istius enarrans locum epistolæ, acerbius in Pe-
trum inuehi, ipsumque dictis grauius onerare videtur.
Quod animaduertentes nostræ ætatis hæretici, & in Petri
facto, & in Augustini iudicio de ipso causam nacti ad de-
trahendum de Romanorum authoritate Pōtificum, Au-
gustinum valde probāt, Petrum criminosissimè accusant,
neque minus illum peccasse, cum hæc simulabat dicunt,
quàm peccarit olim, quādo notum sibi esse Christum ne-
gauit. Quæ potissimum res omnes catholicos inflamma-
re debet studio aliquid inueniendi, quod cum Augustini
bona pace & Petrum à culpa liberet, & sacram scripturam
mendacio vacare ostendat: me certè id mouit, vt tota
mente in eam curam incūberem, ac pro eo quantulum fa
cultatis in me est, id telum hæreticis è manibus extorque-
re conarer, & nisi me opinio fallit, videor mihi extorsisse
ratione inuenta, qua, & Petrum à peccato, & à mendacio
Paulum libero, & præterea demonstro nihil compositò,
aut per simulationem esse gestum, sed simpliciter omnia
& sine fuco, atque eo planè modo quomodo hic Paulus
commemorat. Epi. 19. de Agni. Christ. c. 30.

Quod vt demonstrem aliquanto altius rem totam re-
petam. Nam sciendum est per Christi mortem legibus ob-
literatis Mosaycis, hęc duo ab vniuersis Theologis pro cer
tis & minimè controuersis haberi Vnum, pernicio sum ac
pestiferum ex eo deinceps tempore semper habitum eas
leges ea ratione seruare, quòd ad salutē animi consequen-
dam necessariæ putarētur. Alterum, illis Apostolorū tem
poribus cum ipsis Apostolis, tum ipsorum discipulis, reli-
quisq; eius ætatis Christianis, licitum existimatū ea facere
quæ Mosaycis erant præscripta legibus, quoties id aut Eua
gelij postulasset causa, aut salutis aliorum & incolumitatis

ratio exegisset. Nam quamuis Augustinus atque Hieronymus non idem ambo sentiant de eo, vtrùm post Christi mortem aliquo tempore Christiano homini Mosayca seruare licuerit, eo fine vt seruaret, quamuis in eis spem salutis non poneret: Alter enim censet licuisse quandiu non satis promulgata lex Euangelica erat, non quòd salutaris earum esset obseruantia legum, sed quòd non esset mortifera. Alter vero enixius contendit post Christi mortem, ne ad punctum temporis id alicui fuisse permissum, vt Mosayca seruare posset animo ea seruandi, quamuis spem salutis suæ non collocaret in eis. Itaque quamuis ita dissideant, tamen vterque, atque adeò omnes in eo conueniunt, licuisse illa omninò ætate, atque tempore, quando id Euangelio vtile iudicabatur fore, aliquid eorum facere, quæ illa lex præcipiebat. Nam hoc Hieronymo non videtur esse tale, vt qui id faciat, dici ob id debeat Mosaycas seruare leges, quoniam non vt eas seruet facit, sed vt aliorum vtilitatibus consulat: neque ex animo seruat, sed seruare se simulat: idque omnino agit, atque cupit, non quidem, vt eius legis cultor sit, sed vt pro cultore habeatur. Augustinus verò satis esse putat, vt quis dicatur seruare legem, si ea faciat exequaturque, quæ lex ipsa præscribit, quemcunque sibi in exequendo proponat finem. Sed hęc vti diximus, non rei, sed nominis controuersia est, nam licuisse vsurpare illa eo fini, quem diximus, ambo concedunt.

Quibus sic constitutis præterea adiiciendum videtur, quemadmodum de hoc inter omnes constat, sic etiam certum esse apud omnes, eodemmet tempore, quandocunque in earum obseruatione rerum alij videbantur offendere, seruare eas non licuisse, ex eoque effici, vt quoties dubitatio incidebat, vtrùm saluti aliorum ea res profutura esset, nocitura ve, quòd ex obseruantia quidam offenderentur, ex neglectu verò alij, pro eo quod grauius existimaretur, aut pro eo quod verosimilius erat euenturum fore, aut seruare liceret, aut non seruare necesse esset. Sed & offensionis ex alterius facto (nam & hoc aduertendum est) non vnam esse, sed duplicem rationem liquet. Nam, aut ipsum factum tale natura sua est, vt iure alios offendat, aut non in ipso offensionis aliorum culpa est, sed in eorum, qui se offendi dicunt imbecillitate, & insciti a. Quod factum sua sponte ipsum alios offendit, id statim de principio vitandum est: at ex quo causam ruinæ alij sua insciti a sibi sumunt, id nos quidem postquam, aut ipsi per nos, aut ab aliis admoniti viderimus alios in eo offēdere, omittere etiam debemus modo nostro fiat commodo. Igitur hoc Petri factum, quo de agimus, ritè æstimatum non erat tale, vt ipsum Antiochensibus vllam ruinæ iustam præberet causam, neque eam sumpturum ipsos Petrus præuidere, aut potuit, aut debuit. Nam cur existimaret Antiochenses sibi persuasuros se censere legalia obseruanda esse, apud quos ipse de abrogata lege toties declarasset suam sententiam, non verbis solùm, sed, quod erat testimonium efficacius, re ipsa atque opere? vrebatur enim cibis vna cum illis lege prohibitis, omnemque istum legitimum cultum in eorum oculis negligebat. Neque si eorum causa qui è Hierosolymis venerant se paulisper ab Antiochensium mensa & conuictu subtraxit, vereri Petrus debuit, ne idcircò mutasse ipsum sententiam Antiochenses putarent, sed existimare potius illos, id quod æquius erat, & cum veritate coniunctius, facilè intellecturos quid animo ipsi esset, & quod sequeretur consilium: intellecturos, inquam, ipsum eorum, qui de nouo venerant infirmitati id concedere, quod viri boni erat, & aliorum salutis studiosi, & amantis: non autem facere, quod legem vigere censeret eam,

quam esse abrogatam, quam non esse seruandam toties suo exemplo monstrasset. Id quod praui certè atque vafri esset hominis, aut, vt minimũ iudicij leuis, & parum in sententia constantis. Itaq; si Antiochẽses in facto Petri offenderunt, vt offenderunt certè, id magis ex eo euenit, quod ipsi non satis attentè rem ipsam considerarunt, quàm ex eo quòd Petrus de se malè suspicandi atque iudicandi vllam illis præbuit iustam causam. Sed nec ista Antiochensium existimatio de Petri facto, istaque animi illorũ offensio (quod etiam attendamus oportet) tota subitò extitit, aut orta est, statim atque Petrus ipsorum cõsortia vitauit, sed nata postea est, quando plures alij exemplum sequẽtes Petri ab eorum consortio se subtraxerunt. Sic enim Paulus scribit. Et simulationi eius consenserunt cæteri Iudæi, ita vt & Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem. Quæ res tempore indiguit: non enim vnà omnes communicato consilio gentes vitandas esse censuerunt, sed alius alterius exemplum sequutus Petri simulationi adiunxit se. Itaque paulatim creuit numerus simulantium se seruare legalia, creuitque vsque eo, vt Antiochenses ab omnibus ijs Iudæis, quibuscum ante id tẽpus viuebant, se prẽter opinionem suam desertos, & vt apparebat, spretos viderent. Quæ res grauiter mouit, atq; pupugit illorum animos. Tunc enim aut primum, aut certè potissimum indignari cœperunt, quod se haud dubiè sperni putarũt. Nam quod ferre à principio vt cunq; poterant propter aliorum salutem, cum se Petrus abalienauit ab ipsis, postea tã multis alijs ipsorum consortium, atq; congressum Petri exemplo vitantibus, ferre haud quaquam potuerunt, visumque est illis toleratu indignum, tùm quòd se eorum consuetudine, quos plurimi faciebant, priuari videbant: tùm quòd ignominiosum sibi esse existimabant, se pro immundis haberi à Iudæis fidelibus, aut certè quasi si

essent

essent immundi, sic religiosè arceri ac submoueri ab ipsorum consortio. Et par est illorum aliquos abstinere voluisse à cibis gentium, & ritus seruare Iudaicos decreuisse, ne Petri, cæterorumque fidelium consuetudine diutius carerent. Quod Paulus animaduertens, & quod initio bono consilio à Petro cœptum esse sciebat, id longè in diuersum videns mutatum esse: foreque existimans, id quod res erat, vt Antiochenses, aut & ipsi Iudæi effici vellent, aut Euãgelio nuntium remitterẽt ex facto Petri, & aliorũ indignatione concepta, vidensq;, vt scribit, quod non rectè ambularent ad veritatem Euangelij, illi scilicet Iudæi, qui Petri inducti exẽplo se cultores haberi legis nõ nolle fingebant, ratus vlterius dissimulandum nõ esse, sed Petrum quam primum esse admonendum, noluit ipsum occultè admonere, quod liquidò ipse cognosceret, quod ad Petri animum attinebat, & bono cõsilio fecisse ipsum, & eidem satis esse persuasum, legis obseruationẽ non esse necessariam, sed admonuit publicè coram multis, tùm vt Iudæi illi, qui se Petri exemplo subtraxerant, siqui eorum fortasse errore decepti putabant, legalia esse seruanda, admonerentur erroris sui: ùm vt fideles ex gentibus, si quã falsam ex facto Petri persuasionem induerant, eam exuerent ijs auditis, quæ ab ipso dicerentur, Petro præcipuè assentiente, atque tacente. Itaque illum liberè & palàm admonuit, nec tam ipsum Petrum coarguit, quàm in ipso reliquos increpuit Iudæos, atq; adeò docuit vniuersos, quã ad salutem animi conferendam imbecillum esset institutum Mosayc̃u. Petrus porrò iustæ admonitioni se audiẽtem præbens, non amplius Antiochensium fidelium aut vitauit mensam, aut congressum exhorruit: neque perseuerauit in eo quod facere instituit, malè sine dubio facturus, si quàm grauiter in eo offenderent gentes cognoscẽs, amplius perseueraſſet.

E quibus omnibus ista sequuntur. Primò, Petrũ quod se propter Iacobitas Iudæos continuit à conuictu gentiũ fidelium non peccasse, sed officium boni pastoris, atque pij viri potius sequutum esse. Nam, vt dictum est, illo tempore ob vitandam aliorum offensionem seruare legalia licebat: & Petrus ex eo quòd seruasset ea ipse, non irritandorum fidelium Iudæorum causa, suspicari non debuit, fore, vt id fideles Antiochenses molestè ferrent, quoniam, vt supra demonstratum est, illa gentium offensio non tam ex facto Petri orta est, quàm partim ex ipsorum imbecillitate: partim ex multitudine eorum, qui Petri exemplum sequuti sunt, Petro non prævidente. Deinde sequitur. Postquam in facto Petri Antiochenses offendere cœperunt ita grauiter, vt dictum est, quamuis magis ex sua ipsorum infirmitate ea oriretur offensio, quàm ex eo quod Petrus ipsis afferebat offensionis iustam aliquam causam: tamen ex eo tempore Petrum reprehensibilem esse cœpisse, vt verè Paulus scripsit, id est, admonitione & correctione dignum fuisse ex eo tempore. Non quidem quòd peccasset in eo, quod fecerat, sed quod ex eo tempore id quod faciebat, incipiebat esse detrimentosum & noxium gentium fidelibus, quorum offensio magis vitanda Petro erat, quàm Iudæorum fidelium offensio, quia erat grauior atque nocentior. Nam Iudæi si Petrus cum gentibus cibum caperet, hactenus offenderent, vt de Petro malè iudicarent: at gentes vniuersis Iudæis cum Petro nolentibus cum illis congredi, non de Petro malè, sed de Euangelio iudicabant prauè, imbecillum id ad salutem animi conferendam esse censentes: itaque Iudæi & ipsi fieri & ad eorum ritus se transferri volebant. Quare peccaturus proculdubiò Petrus esset ex eo tempore, si agnito quantum suo illo facto noceret, perseueraſſet in eo. Nam illud Petri factum

factum iam ex eo incipiebat esse malum, quia erat valde noxium, sed excusabat Petrum, quòd neque adhuc ipse norat, quam id noxium esset, neque de principio præuidere debuit futurum. Sequitur postremò Paulum quando Petrum admonuit habuisse admonendi & coarguendi ipsum, causam iustissimam, & ob id neque procacem in eo fuisse, neque contumeliosum vllo modo, vt quidam falsò affirmârunt. Nam, vti diximus, id gentium malum grauius quam Iudæorum erat, & ob id erat necessariò vitandum. Itaque debuit admonere Paulus Petrum de eo, quod se inscio ex ipsius sequebatur facto, & Petrus semel admonitus nisi ab incœpto destitisset, peccasset. Quæ si à nobis constituta sunt verè, vt certè videntur esse, iam liquet, & Petrum nihil peccasse, & eundem iure reprehensum aut reprehensibilem dici, meritoque ipsum à Paulo admonitum esse: & nihil ex composito gestum fuisse inter ipsos, sed omnia, quomodo à Paulo perscripta sunt, facta esse sine simulatione atque sine fuco simpliciter.

Cum autem, inquit, *venisset Petrus Antiochiam, restiti illi in faciem.* id est, publicè, atque in os. Nam & hoc id vocabulum in sacris significat literis, vt in epistola ad Corinthios, & in Actis Apostolorum perspicitur. Itaque publicè restiti, id est, oppositi me illi, ipsumque ab incœpto deterrui. *Quia reprehensibilis erat.* Græci, vt dixi, quia reprehensus erat. Syra editio, quia offendebantur in eo. Sed pro certo habeo Paulum Hebraica proprietate, pro eo quod reprehendi debet, posuisse reprehensum. Sic enim Hebræi loquuntur, itaque nostrum interpretem vertisse rectè, *Quia reprehensibilis erat*, id est, quia erat correctione & admonitione dignus, non quod in culpa esset, sed quia futurus erat, si in eo perseueraſſet, quod cœperat.

2. Corint. cap. 10. Act. 23.

Nam

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nam reprehensionem hoc loco poni pro admonitione ingenua atque libera apertè testatur Chrysostomus dicēs. Quod dicitur admonitio est, sed ei Paulus speciem reprehensionis addidit propter Iudæos, sed re exposita vnumquisque sè, mox eam per partes enarrat. Itaque ait. *Prius enim, quam venirent quidam à Iacobo cum gentibus edebat*, scilicet, Petrus edebat, id est, promiscuè, & sine delectu quibuscunque cibis vtebatur cum gentibus, & hoc faciebat Petrus sciens obliteratam esse Mosaycam legem super inducta Euangelij noua lege: faciebat autem, id, *antequam aduenirēt à Iacobo*, scilicet Hierosolymorū Episcopo, *quidam*, scilicet, fideles Iudæi, qui, vt apparet, legi Mosaycę plus iusto studebant: cui rei argumento est venisse à Iacobo. Nam is, quod ex Actis Apostolorū colligitur, cæremonias Mosaycas studiosius seruabat. Itaque vbi venerunt, Petrus subtrahebat se à gentium consuetudine, neque iam vti antea, cibum capiebat cum illis. *Timens*, inquit, *eos, qui ex circumcisione erant*, id est, eos Iudæos, qui à Iacobo venerant timēs. Rectè hoc loci Chrysostomus, non timuisse Petrum sibi ait, id est, non subtraxisse se, quòd veritus esset molestos futuros Iudæos sibi, id enim indignum Petri cōstantia ea, quam semper ostendit, qua cunctis præstitit: sed timuisse ipsis Iudæis, ne laberentur, vt pater filijs solet timere. *Et simulationi eius consenserunt cæteri Iudæi* Id est, Iudæi Anthiochenses, non autem illi modo missi à Iacobo. Qui tamen Anthiochenses Iudæi ante istorum Iacobitarum aduentum edebant & ipsi cum gentibus: sed vbi Petrum se subtrahentem viderunt, cœperūt se paulatim subducere ab illarum consuetudine, quò suum studium legis Iacobitis probarent, quos & Barnabas imitatus & ipse à conuictu gentium se abstrahebat. *Itaut & Barnabas*, inquit, *duceretur in eandem simulationem.* Barnabas autem gentium docendarū vnà cum Paulo curā susceperat: Itaque pro officio suo.

suo agere solitus erat illarum causam, & earū tueri libertatem. Amplificat ergo Paulus mali magnitudinem, quando Barnabam, qui gentium libertatis assertor erat, exemplo commotum Petri simulasse se cultorem legis scribit. Simulationem porrò id Paulus vocat, quia videri obseruatores legis, non autem esse studebant. *Sed*, inquit, *cum vidissem, quòd non rectè ambularent ad veritatem Euangelij, dixi Petro, &c.* Quibus verbis apertè significat se id aliquandiu toleasse, id est, toleasse quandiu imbecillitati Iudæorū sine detrimento gentium, illos seruire vidit, at vbi tot se subtrahentibus Iudęis animaduertit quàm id molestè ferrent gentes, quàmque ad defectionem ab Euangelio spectaret res, tum demum intellexit illos non rectè ambulare, id est, illorum facta, atque consilia noxia esse incipere gentibus, quas tacitè ea res ad obseruantiam Mosaycarū legum ducebat cum insigni iniuria Euangelij. Id ergo cū vidisset, illos scilicet, eorum, quæ agerentur ignaros errare non tam voluntate, quam re, quid obsecro fecit? Quid? *Dixi*, inquit, *Cephæ coram omnibus, si tu cum Iudæus sis gentiliter viuis & non Iudaicè*, id est, si tu genere & institutione Iudæus, tamen non Iudaicè viuis, hoc est, nō seruas ritus Iudaicos, sed eisdē cibis vteris, quibus gentes vtuntur, *Cur gentes cogis Iudaizare?* Id est. Cur gentes quas neque genus, neque mos, neque susceptа religio, neque maiorum aliqua authoritas legibus subiecit Iudaicis, Iudaizare ipse cogis? id est, quare eas adigis tuo exemplo, dum religiosus legis obseruator non ita pridem videri vis, vt & ipsæ optent Iudęos se esse, certè iudicent oportere? Quibus & quæ sequuntur adiecit.

Nos natura Iudæi, & non ex gentibus peccatores, scientes autē quod non iustificatur homo ex operibus legis, nisi ex fide Iesu Christi, & nos in Christo Iesu credimus, vt iustificemur ex fide Christi, & non ex operibus legis.

Nam

Universidad de Deusto
Biblioteca

Nam argumentatur à maiori: si, inquit, nos, id est, si ego, & tu Petre, qui natura Iudæi sumus, id est, nati & educati in religione Mosayca, & non vt gentes, alieni à veri cognitione Dei, tamen, quia intelleximus, eius legis quam à pueritia coluimus, quamuis sanctæ, & à Deo traditæ cultu, ad veram & perfectam animi iustitiam peruenirì non posse, sed id totum & petendum, & sperandum esse à Christo verę iustitiæ authore vnico: idcircò nostra ad illum studia conuertimus, omnemque nostram spem reposuimus in ipso, vt quod lex dare nobis non potest, id ab illo accipiamus. Si hoc inquam nos in legis gremio nati & enutriti sentimus, quanto magis gentes idem facere & sentire debent, quæ cum lege nihil habuerunt commercij? Hæc nos integrè, quæ valde præcisè Paulus. Prima enim argumentationis fundamenta tantum posuit, cætera subticuit, nobisque adijcienda reliquit, quod in rebus perspicuis fieri solet, vel certè fit, quoties aliquid commoto, dicitur & irato animo. Sequitur:

Propter quod ex operibus legis non iustificatur omnis homo.

Quæ est generalis sententia ex tota superiori oratione collecta. Sed pergit.

Quod si quærentes iustificari in Christo inuenti sumus & ipsi peccatores, nunquid Christus peccati minister est? Absit.

Quasi dicat. Quod si quis ita existimet, prius quidem nos quòd arbitraremur iustificari per Christum posse, homines illum cœpisse colere: nunc autem re melius intellecta sententiam mutasse: inuenisse enim Christi nobis fidem, & cultum nihil valuisse ad consequendam iustitiam: non vides Petre quid consequatur. Consequitur enim, id quod cogitare nefas est, nempe Christum, qui nobis author fuit collocandæ in ipsum fidei, quique vt legis obseruationes negligeremus fecit, huius

huius nobis attulisse peccati, atque erroris causam. Et addit.

Si enim, quæ destruxi, iterum hæc ædifico, præuaricatorem me constituo.

Id est, si enim, quæ damnaui prius, atque vt inutilia neglexi, negligendaque esse docui, eadem nunc studiosè seruo, sique illis de integro pondus & authoritatem adijcio, alterutrũ vt sequatur necesse est: vel tunc errasse nos quando illa pro nihilo duximus: vel nunc certè perfidiosos in Christum esse: profesi enim illius fidei defensionem, quæ fidem eneruant, colimus cæremonias Mosaycas. Sequitur porrò.

Ego enim, per legem legi mortuus sum, vt Deo viuam, Christo confixus sum cruci.

Duæ causæ afferri poterant, quare gentes legi obedire deberẽt, vna quòd eam Deus maioribus tulisset ipsorum, qua ratione cũ gentibus nihil poterat proficì, vt pote quibus ea lex lata non esset. Altera quòd nisi qui eam seruasset, nemo iustitiam obtineret, qua re persuaderi gentibus poterat. Ergò hoc Paulus subuertit, quo subuerso omnis necessitas seruandæ legis euertitur: subuertit autem varijs modis, quorum tres suprà posuit breuissimis verbis comprehensos. Nam primum argumentatus est ab eo quod inerat in sua & Petri persona, argumentatusque est isto modo. Nos quamuis Iudæi in lege enutriti, Christum tamen sequuti sumus, quia legis imbecillitatem cognouimus: ergò si ne nobis quidem, qui ipsam colebamus, lex contulit iustitiam, gentibus, quæ hospites testamentorum sunt, quî quæso conferet? Deindè id confirmauit ab absurdo, quod sequitur, si semel admittatur legem Mosaycam valere ad salutem. Sequitur enim Christum peccati ministrum esse, quod ne cogitari quidem sine summo scelere potest, sequi autem constat, quan-

quando is author suis est, vt ab se vno, & non à lege salutē sperent. Tertium denique argumentum ducebat à Petri constantia, id est, ab eo quod antea docuerat. Nam docuerat antea legem Mosaycam non esse obseruatu necessariam, cui sententiæ nunc si repugnet, aut fidem prodat, aut prius iudicium suum damnet, quorum neutrum cadit in tantum virum. Hæc igitur suprà. Nunc aliud molitur. Nam quoniam legem Mosaycam Deus tulit, & ob id aliquis diceret parendum Deo, eamque accipiendam esse legem, etiam si nullam propriè iustitiam conferret, id enim ipsum salutare esse Deo præcipienti parere: idcircò non contentus demonstrasse imbecillam eam esse, docet superinducta Euangelij noua lege etiam esse abrogatam: ita que qui Christo adhærescunt nullo illius obligari vinculo. At id docet quo nam quæso modo? Quo idem docuit ad Romanos scribēs, nisi quòd apertiùs ibi atque enodatius, hìc verò presse, & obscurè: vtrobique tamen argumentū ducit ab ipsius legis authoritate, & ab eo quod ipsa sancie bat. *Ego enim*, inquit, *per legem legi mortuus sum*. Ego, in se scilicet vniuersos, qui Christo nomen dederunt, id est, qui in eadem, qua ipse esset, causa erant, significat. Ego, inquam, id est, omnes nos per legem legi mortui sumus, id est, defuncti sumus cura & necessitate legis seruandæ, per legē, id est, ipsamet iubente lege atque ita fieri sanciente. Vbi autem ista legis sanctio, atque iussio? Eam idē Paulus ad Romanos protulit dicens. An ignoratis fratres, scientibus enim legem loquor, quia lex in homine dominatur quanto tempore viuit. Nam quæ sub viro est mulier viuente viro alligata est legi, si autem mortuus fuerit vir, soluta est à lege viri. Igitur viuente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro, si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est à lege, vt non sit adultera si fuerit cum alio viro. Sancit ergo lex. Qui in altero dominatur, potestatem habere in ipsum

Rom. 7.

sum tandiu, quādiu vterq; viuit, & qui subest, & qui dominatur, nā alterutro vita functo statim amittere. At ex ista legis sanctione quid sequitur? Quid? legi, inquit, nos esse mortuos, id est, à legis iugo & dominatione liberatos per mortem. Mortem autem vtrius quæso, legis ne, an nostri? sanè nostri ipsorum. Mortui verò nos, quando, aut quomodo? Quando Christus, scilicet mortuus est, vnaq; cum ipso. *Christo enim*, inquit, *confixus sum cruci*. Nam quoniam nos in se continebat, & quoniam sustinebat suorum omnium personam, idcircò ad mortem profectus omnes in crucem sustulit vnà secum. Itaque illo moriente, & nos vita functi in ipso sumus, & ob id à dominatione legis liberamur, quòd in eos, qui vita functi sunt, Domino imperium nullū sit. Sic enim, & ad Romanos scribens intulit. Nam post illa quæ suprà. Itaque, inquit, fratres mei, & vos mortificati estis legi per corpus Christi: mortificati nimirum, id est, per mortem à seruitute legis in libertatem asserti, idque per corpus Christi, id est, per eam mortem, quæ in Christi inuadens corpus, in eos peruasit omnes, qui in illo continebamur corpore: corpore enim illius morte affecto peccati corpus in nobis occisum est. Vt sitis alterius, inquit, qui è mortuis resurrexit. Quasi dicat non iam legis, cui mortui estis, sed Christi, per quem nouam & veram vitam viuitis, vt fructificetis Deo, Deo inquam non carni, siquidem illa iam desijt viuere extincta per mortem Christi, in quo continebatur inclusa. Antea enim cum essemus in carne, mirum scilicet non erat, si fructificaremus carni: passiones enim peccatorum, quæ per legem erant, ostensæ scilicet, & quarum causa lex in nobis dominabatur, operabantur in membris nostris, hoc est vigebant & extabant, & quia ipsæ vigebant, similiter & legis in nobis vigebat imperium. Nam in-

genij noſtri prauitas, & ad deteriora propenſio, perturbationeſque & affectus animorum noſtrorum varij atque acres, cauſa Deo fuit legis ferendæ. Neceſſe enim erat vt hominum in peccata procliuitas legum ſeueritate vinciretur. At nunc, inquit, ſoluti ſumus à lege mortis, vel certè morientes, nam Græcè eſt, ἀποθανοντες, id eſt, quia mortui, idcircò ſoluti à lege, in qua detinebamur, vt ſeruiamus in nouitate ſpiritus: & non in vetuſtate literæ, cui nimirum mortui ſumus, quia ſumus cum Chriſto confixi, & quia mortui idcircò etiam ab eius dominatione liberati: quoniam ipſamet lege id decernente, omnis in alios dominatio morte finitur eorũ, qui aut dominantur, aut ſeruiunt.

Nec me latet alios aliter hunc explanare locum, & ſuo modo ſingulos, quorum explanationes non refero, quia aliquid in eis deſidero. Sed ſi quæ illarum probandæ ſunt, duæ earum, mea ſententia ſunt præferendæ cæteris, ambæ illæ quidem Chryſoſtomi, ſed altera etiam Theodoreti. Quarum prior ſic. *Per legem legi mortuus ſum.* Id eſt, lex ipſa docet ſe ſuo functam eſſe munere: itaque nos non iam amplius ſubeſſe ipſi: docet autem quia in eius legis continetur literis poſitam illam eſſe tantiſper, dum veniret ſemen, cui benedixit Dominus. Nam prophetæ & legiſlatori futuro Moſes in Deuteronomio vt pareamus præcipit. Et Ieremias nouo teſtamento prædicit vetus conceſſurum: & Dauid in Pſalmo ſimiliter. Sacrificium, inquit, & oblationem noluiſti, aures autem aptaſti mihi: poſterior autem. *Per legem legi mortuus ſum.* Id eſt, obrutus legis onere (Nam lex præcepta accumulat: vires autem ad quæ præcipit obeunda non ſuggerit) tranſgreſſor legis extiti, itaque legi mortuus ſum, hoc eſt, incidi in mortis pœnam legibus

Deut 18. *Iere* 31.

gibus in tranſgreſſores conſtitutam, reus mortis, ob id quod ſum tranſgreſſus, legem effectus: cui tamen trangreſsioni atque morti per occaſionem nonnil ſuffragata videtur & ipſa lex. Nam vt idem Paulus ad Romanos ſcribit. Ego viuebam ſine lege aliquando, ſed cum veniſſet mandatum, peccatum reuixit, ego autem mortuus ſum, & inuentum eſt mihi mandatum quod erat ad vitam, hoc eſſe ad mortem. Nam peccatum occaſione accepta per mandatum, ſeduxit me, & per illud occidit. Lex enim, dum prohibuit, nonnulla docuit, quæ ipſi ante legem latam fieri poſſe neſciebamus: aliorum autem quæ ſciebamus, & quorum deſiderio languidius mouebamur, quia licere putabamus, cupiditatem accendit: quod humanum ingenium propenſius ſit, ad ea quæ ſunt interdicta. Itaque tot formis & generibus peccatorũ legis indicio proditis cupiditates prohibitione irritatæ nos ad peccandum acrius ſollicitare cœperunt. Atque hac occaſione peccatum per legem accepit robur, noſq; occidit, vt Paulus ſcribit. Eſt ergò mori legi per legem, reum mortis effici, propter tranſgreſſionem legis, cuius tranſgreſsionis ipſa lex per occaſionem author fuerit. Ex quo firmum elici argumentum poteſt ad id confirmandum, quod eſt Paulo propoſitum: nullam vim ineſſe legi ad afferendam ſalutem. Quid enim afferat, quæ tantum abeſt, ab eo vt ſanet, vt etiam, quomodo diximus, per occaſionem cupiditates irritet, quibus amittitur vita animi? Itaque Paulus ſic tacitè arguit. Si mihi lex attulit mortem, quis ſperet ab ipſa vitam? Nec ſolum affirmat legem vitam non dare, ſed etiam docet, eam à viua in Chriſtum fide ſperandam eſſe, ſic dicens. *Vt viuam Deo, Chriſto confixus ſum cruci*, id eſt. Quemadmodũ lex mihi intulit mortẽ,

sic viua in Christū fides vitam restituit: illa dum mihi imbecillo grauia præcipit, transgressorem per occasionē effecit me, & obid etiam extinxit: at Christus me vnà secum affigens cruci, ad vitam reuocauit. Quis igitur sanus legi Mosaycæ mortis illatrici se addicere velit repudiata lege Christi, quæ vitam donat? aut, quod Galatis persuasum erat fieri oportere, quis superaddat eius obseruantias ad fidem? *Vt Deo*, inquit, *viuam, christo confixus sum cruci.* Multa insunt in his verbis, quæ silentio præteriri non debent. Nam principio his intelligimus, eos qui colunt iustitiam, verè viuere, illos autem dici mortuos, qui leges Dei transgrediuntur. Itaque sacræ literæ homines flagitijs deditos nominant mortuos. Ad Ephesios Paulus. Cùm essemus mortui peccatis: & iterum. Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. Idque ipsa postulat ratio: vita enim cuiusque cernitur in agendo, ex quo pro eo, quod quis aut agit, aut agere omittit, vel mortuus dicitur, vel viuus censetur. Proprium autem hominis est ea agere, quæ recta ratio præscribit, cui consequens est, vt qui rationis ductum non sequuntur, qua homines sunt, mortui sint habendi. Viuunt illi quidem pro natura earum rerum, quas amant, & quarum in studijs versantur, aut Leones, aut Sues, aut Viperæ, aut id genus bruta animalia, tum quod ad hominis propriam viuendi rationem attinet, prorsus vita carent. Quæ res causa fuit, quare Petro, quando ipsum monebat Deus, vt gentes ad cælestis doctrinæ communionem admitteret, ostensum fuit prægrande linteum quadrupedibus atque reptilibus plenum, vt in Actis scribitur. Reptilia enim illa gentes erant peccatis deditæ, & ferarum more viuentes. Nec ob aliam causam vt puto, Saul qui per quadraginta vno minus regnauit annos,

Ephes.2.
Ephes.5.

Act.10.

annos, quique septuagenarius mortuus est, in Regum libris dicitur vnius anni filius fuisse, quādo inijt regnū, duobusque regnasse annis. Quia scilicet tandiu vixisse cēsetur, quandiu bene vixit, ex quo etiam illi impij, de quibus fit mentio in libro Sapientiç, post multos vitæ annos in impietate consumptos lamentantur, ac dicunt. Et nati continuò desiuimus esse. Nimirum, quia turpis, & scelerata vita pro vita non est habenda. Contra autem de Abrahamo homine sanctissimo in Genesi scribitur, plenū dierum mortem obijsse ipsum. Non quòd diutissimè vixerit, alij enim diutius vixerunt, sed quòd omnem suam vitam in studijs pietatis consumpserit: illa enim verè vita est, quæ cum pietate coniuncta est, quam qui auersantur atque oderunt, vt maximè sibi videantur florere atque viuere, non viuunt certè vitam hominis, sed pro eo studio ad quod dant se, brutorum speciem induunt alij aliorum. Ad quod fortasse illæ Pythagorę animarum ex alijs, in alia corpora transmigrationes pertineant. Non enim homo sapientissimus sibi persuasit futurum, vt qui hominis corpus exuisset animus, is postea bruti alicuius corpus indueret, sed vidit plerosque homines in hac vita, cupiditatibus duci suis, alios alijs, ac pro ea cupiditate, quam quisque sequitur, brutorum animalium ingenia imitari, & illis similes habitus induere: cui erat consequens, vt hac vita finita animus ad ea studia & eos mores, quibus assuesset propensus, nec exuere eum habitum valens, quī uis abiecisset corpus, praui effigiem quam ex corpore contraxisset retineret, ac pro eius prauitatis natura vel Leo habendus esset, vel aliud id genus animal. Nec alienum à ratione est, qui belluarum more prauè & turpiter viuunt, ac se flagitijs contaminant, cum ex hac vita discedunt, ignea in infernis locis induere corpora, quæ illos torqueant conformata ad earum belluarum formas,

1.Reg.c.13

Sap.5.

Gene.25.

Universidad de Deusto
Biblioteca

quas habitu animi ipsi referunt. Atque hoc primò, secundò autem ex eisdem verbis colligitur, vt viuat quis Deo, id est, vt viuat veram vitam, ipsum mori necesse esse, nec solùm mori, sed mori cum Christo. *Vt viuam*, inquit, *Deo Christo confixus sum cruci.* Itaque ad hanc vitam morte contenditur. Nam duplicem mortem memorant sacræ literæ, vnam bonorum, alteram malorum: vnam animi, alteram corporis: itemque vitam duplicem. Quæ ita inter se comparantur, vt vita carnis cum morte animi semper coniũcta sit, & vnà animi cum carnis morte perpetuò copuletur, ex quo efficitur, vt vita carnis mortem animi efficiat, & vita animi car-
2. Pet. c. 2 nis mortem sequatur. De hoc Petrus. vt peccatis mor-
Rom. 8. tui iustitiæ viuamus. Et ad Romanos Paulus. Si spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. De illo autem eodem in loco idem. Si secundum carnem vixeritis mo-
1. Tim. 5. riemini: Et ad Timotheum, vidua in delicijs viuens mortua est. Vnde & in sacris literis mortui bifariam dicuntur, alij cum laude, alij cum probro: homines scelerati mortui dicuntur, eorumque vituperatur mors,
Gal. 5. iusti & Deo chari etiam appellantur mortui: quia, vt inquit Paulus, carnem cum suis concupiscentijs crucifixerunt, eorumque ista mors, quæ veræ vitæ efficiens
Coloss. 3. est, iure laudatur. Itaque Paulus de ijs. Mortui, inquit, estis, & vita vestra abscondita est cum Christo,
1. Pet. c. 3. Et Petrus. Christus semel pro peccatis nostris mortuus est, iustus pro iniustis, vt nos offerret Deo mortificatos quidem carne, viuificatos autem spiritu. Comparatur itaque morte carnis vita animi: At non morte vt cumque, sed quali Christus mortuus est, id est, crucis morte, sic enim dicit. *Vt viuam Deo, Christo confixus sum cruci.* Cuius mortis ea vis est, non vt extinguatur corpus, nam cum quis cruci affigitur non statim extinguitur,

tur, sed vt coerceatur & comprimatur cupiditas ac si clauis confixa esset, quomodo qui in crucem aguntur suorum membrorum nullum vsum habent ligno clauis affixi. Nam quo magis cupiditas alligata fuerit, eò magis ratio atque pietas elucebit. De quo Paulus scribit. Cum 2. Cor. 12. infirmior fortior sum. Et rursus, virtus in infirmitate perficitur. Cuius rei imaginem illa Seraphin præseferunt, de quibus apud Ezechielem scribitur conuelasse illa faciem Ezech. 1. duabus alis, duabus item pedes, reliquis autem duabus, (nam senas habebant alas singula) volitasse clamantia, Sãctus, Sanctus Sãctus, Dominus Deus sabaoth. Nã in bonis & Deo charis hominibus nihil apparet ex quo credi possit ipsos viuere, nisi quod volant, quodque sanctus inclamant, id est, quòd ad cælestia ac diuina aspirant bona, & in cælum voce, atque votis feruntur: cætera autem, pedes nimirum, in quibus terreni significantur affectus, & facies in qua sensus insunt, quorum nos cupiditates perturbant, sic velata atque tecta habent, vt ne habere quidem videantur: hoc est, habent cruci clauis affixa, & ita impedita, & studio pietatis compressa, vt quod ad vsum eorum attinet, perinde sit, ac si non haberent, itaque affixi cruci viuunt Deo. Nec satis est affixos cruci esse, sed necesse est vt sint confixi cum Christo, id est, vnà affixi cum ipso, hoc est, affixi ad exemplum illius. Quod ipse præcepit quà dicit. Qui vult venire post me, tollat crucem Matt. 16. suam, & sequatur me. Nam qui id non sequitur exemplum, quamuis laboret, agit nihil. Deo enim, nisi quod Christo simile est, nihil gratum, atque probatum esse potest. Nã hæc est vis illius paterni elogij de Christo. Hic est filius meus dilectus in quo mihi bene cõplacui. Ac Matt. 17. similiter ad hoc pertinet, quod Paulus ad Romanos lucu-

Rom. 8. lenter ſcribit, Quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imagini filij ſui. Igitur, vt vniuerſa quæ diximus in vnam ſummam conferamus, Ad hanc animæ de qua tam multa dicimus, comparandam vitam, non ſatis eſt carne mori, nam & ipſi flagitioſi magnos ſubeunt labores, & interdum maiores quam virtutis ſtudioſi, vt conſequantur quod cupiunt. Nec etiam ſatis eſt mori crucis mortem: nam & qui pietatem falſò ſimulant, eius mortis imaginem induunt, & ſuas coercentes cupiditates imitantur piorũ vitam vſque eò, vt pro pijs habeantur. Sed neceſſe eſt mori crucis mortem ad exemplum Chriſti, eumque imitantes ita vt ipſi efficiamur verè ſimiles. Neque id adhuc ſatis eſt, ſed præterea eſt neceſſe, vt ab ipſo Chriſto ſublati in crucem & ipſi ſimus, id eſt, vt quando Chriſtus mortuus eſt, mortui nos in illo ſimus, & vna cum illo, eadem ipſa morte, qua affectus eſt Chriſtus. Nam hoc eſt, quod dicit. *Chriſto confixus ſum cruci:* Eo enim non ſolum ſignificat ſe, quomodo Chriſtus cruci affixus eſt, ſimiliter cruci eſſe confixum, ſed etiam declarat vna cum Chriſto vnam & eandem mortem obijſſe, de
2. Cor. 5. quo apertius alibi dicit. Si vnus pro omnibus mortuus eſt, ergo & omnes mortui ſunt. Nam, vt ſuprà dictum eſt, Chriſtus vt caput electorum, & vt is, qui omnium perſonas in ſe continebat, mortem ſuſcepit: ex quo effectum eſt, vt illius mors, noſtra item mors fuerit. Et ſicut illo moriente mortui ipſi, ſic eodem ad vitam redeunte viui effecti ſumus, ea ratione vt quando ex illo naſcimur, vtrumque ex ipſo ad nos deriuemus, mortem ſcilicet atque vitã, mortem peccati, & vitam iuſtitię. Diuinitus ergò Paulus tam multa tam paucis, *Vt viuã*, inquit, *Deo Chriſto confixus ſum cruci*. Sed & tertio ex his intelligimus verbis ſummam Dei ſapientiam, ſummamque poteſtatis eius

eius vim in hominibus liberandis, & reuocandis à morte. Quod enim fieri non poſſe putabatur, per mortem vitam dedit. *Vt vitam*, inquit, *Deo Chriſto confixus ſum cruci*. Deus enim Chriſto in cruce mortuo, nos ad vitam reſtituit vniuerſos. Itaque peccati potentiam, quæ ſumma erat, confregit, & animæ vitam, quæ recuperatu difficillima erat, reſtituit re, primum omniũ infirmiſsima, nihil enim morte imbecillius, aut infirmius: deinde prorſus contraria ei, cuius efficiendi cauſa adhibebatur, vita enim cum morte pugnat. Quod admirans Paulus dicebat. Vt per mortem deſtrueret eum, qui habebat mortis imperium. Et ad Co- » *Heb. 2.*
rinthios ſcribens. Quod infirmum eſt Dei, inquit, poten- » *1. Cor. 1.*
tius eſt quam homines. Chriſti enim crucis imbecillitate & infirmitate ea effecit Deus & ad exitũ perduxit, quę poſſe perduci nemo credidiſſet vnquam. Præclarè igitur hoc loco Chryſoſtomus. Hæc verba, inquit, duplex Dei decla- »
rãt miraculum, vnum quod mortuum Paulum reuocauit »
ad vitam, alterum quod per mortem largitus ſit illi vitam. »
Largitus eſt autem illi vitam per mortem Chriſti, quæ »
& ipſa communione quadam membrorum cum capite, & mors Pauli fuit. Quibus conſentanea ſunt, quæ ſequuntur.

Viuo autem iam non ego, ſed viuit in me Chriſtus.

Nam qui mortuus erat eo quòd vnà cum Chriſto eſſet in crucem ſublatus, & qui ad vitã reuocatus fuit, eo quòd Chriſtus ad vitam redierit, eum non ſolum debere Chriſto ſuam vitam, ſed etiam Chriſti vitam viuere neceſſe eſt, hoc eſt Chriſtum in ipſo viuere. Nam vt Paulus ad Rom. ſcribit. Si complantati ſumus ſimilitudini mortis eius, & *Rom. 6.*
reſurrectionis ſimiles erimus. Et ſicut peccati corpus mortę ea, quam Chriſtus paſſus eſt, extinctum virtute fuit, re autem in nobis extinguitur, quando effecta mortis Chriſti

in animis nostris existunt: sic vita animi vt in causa reuixit Christo ad vitam redeunte, re autem restituitur nobis, quando iustitia, quæ Christi resurrectionis effectus est, se ad animos nostros insinuat: vnde quemadmodum in illo mortui sumus, sic viuimus in illo: quod si in illo viuimus, non tam ipsi viuimus, quàm Christus in nobis viuit. Verè ergo. *Viuo*, inquit, *iam non ego, sed viuit in me Christus.* Non enim Paulus viuit, quia quæ propriæ erant Pauli, malæ scilicet cupiditates ipsi à puero innatæ & tanquam iure hæreditario à maioribus acceptæ non viuebant in Paulo: at viuit Christus in illo, quia non solum gratiam illi confert suam, quæ est animi vita, sed semet infundit in ipsum, eum vt agiter, atque moueat sicut anima mouet corpus, quæ est Christianæ pietatis summa perfectio, finisque is, qui nobis in omni vita propositus esse debet. Eò enim vsque progredi debemus, quoad id assequamur, vt nihil nostri viuat in nobis: ita vt, quod ad nos attinet, & ad carnis veteres sensus simus veluti mortui, solusque Christus in nobis viuat, & qui ex Christo motus extiterint: Solus Christus mentem nostram se dignis cognitionibus imbuat, solus accendat voluntates, solus sensus regat, cupiditatibusque moderetur: vt quidquid volumus, agereve suscipimus illo ciente, hoc est, illo non solùm præmonstratore atque duce, sed etiam impulsore, & præcipuo authore faciamus. Nam certè in quo Christus viuit, is Christum pro animo habet: itaque quemadmodum ab animo corpus mouetur, ita à Christo vniuersa bonorum opera ortum habere debent: & vt animus dominatur in corpore, sic Christus dominatur in suis: & vt corpus speciem, splendorem, dignitatem omnem suam ab animo mutuatur, sic eorum, quos Christus plenè subiecit sibi, omnis pulchritudo & species animi ex Christi in ipsis manentis

nentis atque vigentis lumine & splendore diffunditur. Itaque idem Paulus Romanos etsi iam iustos & Deo gratos effectos, tamen adhortatur, vt Christum induant, hoc est, vt ad hanc perfectionis summam, & tanquam arcem pietatis ascendere, & peruenire contendant. Induimini, inquiens, Dominum Iesum Christum. Nam *Rom.13.* is Christum induit, in quo nihil, quod non Christi speciem præ se ferat conspicitur, qui spirat Christum vndiquaque, cuius in vultu, incessu, habitu, denique actione omni Christus apparet. *Viuo autem iam non ego, sed viuit in me Christus.* Pro *autem* quidam ponunt *tamen*, quod Græcum *de*, & hoc modo verti possit. Paulus ergo, quamuis, inquit, Christo, vt dixi, cruci confixus sum, & simul cum illo mortuus, viuo tamen, id est, non ita mortuus sum, vt vitæ sim expers: viuo enim, immo quo magis vnà cum Christo confixus sum, eò magis viuo: aut, si verum est dicendum, non tam ego viuo quàm Christus viuit in me. Nam sicut in illo mortuus ipse fui, sic rursus ille in me viuit, pro portione enim illius mortis quam dico, hæc efficitur vita. Viuere namque ea in nobis dicuntur, quæ nos ad agendum efficaciter mouent: si cupiditates nostræ nos ducunt, eæ in nobis viuunt: si sæculi negotia atque curæ, & eæ viuunt in nobis. Ex quo certè cognoscitur, quare qui peccant, eos peccati seruos esse sacræ literæ dicant, vt Christus eos vocat *Ioan.8.* in illo. Qui facit peccatum, seruus est peccati. Id enim à quo quis agitatur atque mouetur, id sine dubio principem in illo locum obtinet. Ac similiter ex eo liquet, quare iidem dicantur iterum cruci affixisse Christum, vt de illis Paulus scribit quà dicit. Iterum crucifigẽtes Filium *Heb.6.* Dei Nã sicut Christus in eis viuit, quos agitat atq; mouet: sic in eis planè moritur, qui se ab eo nõ permittũt incitari atque

atque duci. *Viuo*, inquit, *iam non ego, sed viuit in me Christus.* Ergo honesta opera, quæ homines iusti faciunt, magis Christi sunt, qui in ipsis viuit, & eos ad operandum impellit, quàm ipsorum met qui operantur. Quod si Christi ea opera præcipuè sunt, proculdubio insaniũt hæretici, dum ea cælesti præmio digna esse negant. Sequitur.

Quod autem nunc viuo in carne, in fide viuo filij Dei, qui dilexit me, & dedit semetipsum pro me.

Τὸ, Quod, non est coniunctio, quæ causam reddat, sed vim relatiuam habet, perinde atq; si dictum esset. Hoc quod viuo in carne, id est, hæc vita quam in carne viuo. Nam & Syra editio similiter. Et hanc vitam, inquit, quam nunc viuo in carne. Quo etiam modo accipi debet, quod
Rom. 6. ad Romanos, ponitur. Quod autem mortuus est: & quod paulo inferius subiicitur: quod autem viuit, viuit Deo: quod Græcè iis omnibus in locis habeatur non ὅτι, sed ὃ. Ergò ait. *Quod autem nunc viuo in carne.* Viuere in carne non idem semper significat. Itaque pro eius significationis varietate, variè etiam hunc locum scriptores exponũt. Viuit in carne, qui vitam hanc mortalem ducit, qui in hoc cor-
Philip. 1. pore spirat. Quomodo Paulus. Quod si viuere in carne, hic mihi fructus operis est. Viuit etiam in carne, qui carnis cupiditates sequitur, aut etiam is in quo exultant, atq; vigent. Ergò quidam priorem significationem sequuti aiunt Paulum his verbis quod præmiserat explanare. Dixerat enim primum se viuere, deinde se corrigens addiderat non se, sed Christum viuere in ipso. Quæ quoniam pugnare inter se videbantur, quomodo cohæreant explanat sic dicens. Quod autem viuo in carne, id est. Hoc quod me viuere dixi, intelligi debet in carne me viuere, hoc est, id eo dixi, quia hanc vitam mortalem viuo. Quod autem affirmaui non me viuere, sed Christum in me, id in fide filij Dei intelligẽdum est me affirmasse, id est, de ea loquutũ vita

vita fuisse, quę pietate in Christum comparatur & viuitur, hoc est, de spirituali vita. Sic Thomas. Alii rectius, mea quidem sententia, in carne viuere pro carnis sensu moueri atque affici accipiunt, Pauliq́ue istum locum sic interpretantur. Dixerat Paulus Christum in ipso viuere, seq́ue cruci affixum vnà cum illo esse, quo significasse videri poterat se iam beatam vitam & omnis miseriæ expertẽ viuere, qualis vita Christi est, qui viuebat in ipso, contra atque ipse de se aliis in locis scripserat ærumnis grauissimè oppressum se esse dicens, & in laboribus, atq; angoribus versatum maximis, plurimorum odiis, & infestatione agitatum. Quare ei suspicioni vt occurrat, superiorem sententiam statim corrigit. Itaque ait. *Quod autem viuo in carne.* Quasi dicat: cum autem dico Christum viuere in me, non nego me in carne viuere, id est, vitæ huius casibus & miseriis obnoxium esse, rerumq́; molestarum, & aduersarum incursione, quas partim ipsa ex se parit fragilitas naturæ nostræ, partim inuehit aliorum improbitas, infestari atque premi: sed etsi premar his vitæ malis atque infester, tamen viuo ipse, meq́ue sustento in fide filij Dei, quæ me res non modo à seruitute peccatorum atq; legis asseruit, neque solum maximis affecit animi bonis, sed etiam superiorem me constituit malis omnibus. Qua de re & alibi de se ipse agens scribit. In carne ambulantes non secun-
2 Cor. 10 dum carnẽ militamus. Et alio in loco, quo ex loco huius loci apertissimè explanatur sententia. Habemus, inquit,
2. Cor. 4. thesaurum istũ in vasis fictilibus, vt sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis. Thesaurus namq́ue vita Christi ea est, quam in se Paulus habebat: vas autem fictile, corpus fragile, & vita corporis, & naturæ & maleuolorum hominum iniuriis expositа: sublimitas verò Dei, quam appellat, fides atque pietas in filium Dei, per quam Deus in ipso Paulo fragile illud vas aduersus omnes huius vitæ ictus munie-

Universidad de Deusto
Biblioteca

muniebat, efficiebatque vt quod sequitur, verè diceret. In omnibus tribulationem patimur, sed non angustiamur, aporiamur sed non destituimur, persecutionem patimur sed non derelinquimur, humiliamur, sed non confundimur, deiicimur, sed non perimus, semper mortificationem Iesu Christi in corpore nostro circunferentes, vt & vita Iesu manifestetur in corporibus nostris. Alij porrò aliam interpretationem afferunt, non multum ab hac discrepantem. Nam illud, *In carne*, pro quamuis in carne existens, exponunt, & aiunt, quoniam Paulus dixerat se viuere in Deo, aut Christum in ipso viuere, spirituali vita scilicet: & quoniam id poterat alicui mirum videri, qui esset obsessus carne, talem posse vitam viuere, idcircò ipsum explanare nunc, quo id modo sibi contigerit: itaque dicere. *Quod autem Viuo*, Id est, hoc vitæ genus, quod me viuere dico, Christo dignum atque cælestе. *In carne*. Id est, etiam nunc cum in carne versor fragilitate vitæ ac miserijs implicitus, *In fide Viuo filij Dei*, id est, id certè assequor in Christum Filium Dei pietate, atque fide. Sunt & alij qui sic. *Quod autem Viuo in carne*, id est, quòd non iam olim extinctus sum, pro eo atque peccatis debebatur meis, quòd spiro, quòd istam auram vitalem duco, id Christi benignitate fit, quoniam credidi in ipsum. Itaque amplificat Paulus quod dixit, Christum in ipso viuere: nam dicit, vsque eò verum esse Christum viuere in se, vt non solum vitam animi illi debeat, sed quòd spiret, quòdque istam animam ducat, eiusdem etiam dono habeat. Et addit.

Qui dilexit me, & dedit semetipsum pro me. Rectè quidam hoc loco tria commemorasse Paulum dicunt, quæ fidem in Christum nostram maximè firmam reddunt. Primum Christi diuinitatem, cum Filium Dei ipsum appellat: deinde eius in nos dilectionem, quà dicit, *Qui dilexit me*: postre-

postremò mortem, quam nostræ salutis causa idem subiit, de quo tandem subiecit. *Et dedit semetipsum pro me.* Nam hæc certè sunt, quæ nos in Christi fide stabiliunt, quæ nostram in illum charitatem maximè accendunt, quando nobiscum reputamus ipsi ei fidere nos atque obsequi, cui primò vti Deo summa adsit facultas benefaciendi: deinde vti nostri generis amatori, minimè desit voluntas: postremò causa ingens suppetat, vtpote qui pro nobis vitam suam atque sanguinem fuderit, vt optabilis ipsi vel eo nomine nostra salus futura sit, ne si nos perierimus, inaniter ipse quodāmodo tot labores subierit. Quæ simul commemorata, atque in vnum congesta, quantam ad accendendum animos in fide & amore Christi vim habeant, ex eo potest cognosci, quòd & separatim singula ritè considerata inflammare possunt nos. Itaque sacræ literæ aliis in locis, singulis eorum vtuntur ad erigendos nostros animos, atque confirmandos in fide & amore Dei. Diuinitatis allegatione faciunt in Genesi, in capite decimoseptimo. Cùm enim confirmasset Abrahamo Deus, ipsi quamuis seni & effæto ex vxore sua, item sterili prolem futuram masculam, vt fidem astrueret promissioni suæ, sic ad illum loquutus dicitur. Ego Dominus omnipotens, ambula coram me, & esto perfectus, ponamque fœdus meum inter me & te. Et similiter ad Isaac, vt in eodem commemoratur libro, causa eius fiduciæ alendæ sic loquitur. Ego sum Deus patris tui Abraham, noli timere. Et Iacobum etiam patrio relicto solo in AEgyptum demigrantem, ne migrationem eam sibi, posterisve suis damno futuram metueret, eadem ratione confirmat, sic dicens. Ego sum fortissimus Deus patris tui noli timere. Et in Exodo. Mosis quem ad Pharaonē AEgypti regem legabat, fidem cōfirmaturus, id imprimis adducit.

»*Gen.*17.
»
»
»
»
»*Gen.*26.
»
»
»
»*Gen.*46.
»

adducit. Nam dicit: Ego sum Deus patris tui, Deus Abra-
Exod. 3. ham, & Deus Isaac, & Deus Iacob. Dilectionis porrò Dei
erga nos causa ad eandem confirmandam & corroborā-
Esa. 49. dam fidem affertur in Esaia, qua dicitur, ex persona Dei.
Nunquid obliuiscì potest mulier infantem suum, vt non
misereatur filio vteri: & si illa oblita fuerit, ego autem nō
obliuiscar tui. Subest autem, & dici intelligitur, quoniam
nulla mater tam tenerè suum filium diligit, quàm ego vos
diligo. E rebus antea gestis, & ex operibus quę Deus homi
num causa fecit, argumenta ducuntur sexcentis in locis,
Dani. 9. in capite Danielis nono, & Esaiæ sexagesimotertio, &
Esa. 63. sæpissimè in Psalmis.

Qui dilexit me, & dedit semetipsum pro me. Rectè ex hoc Chrysostomus iustos, ait, loqui solere, de iis rebus, quas Deus communis salutis causa pro omnibus fecerit, quasi ipsorum singulorum gratia essent à Deo factæ. *Qui dilexit*, inquit, *me*. Atqui Christus non te solum Paule dilexit, neque pro te vno se in mortem dedit. Sed id faciunt iusti & sancti viri, primum amoris sui erga Deum abundantia. Nam amor non solum familiaritatem conciliat, sed quod amat pro suo ducit, sibique quoad eius fieri potest totum vendicat. Deinde id faciunt inducti quodam modo ab humili agnitione sui. Nā quia de se submisse sentiunt, suamq; indignitatem penitius agnoscūt, se indigniores omnibus putant, quos Christus dilexerit: ex quo ipsum suā clementiam & humanitatē in ipsis diligendis maximè expromsisse, & præcipua quadā ratione ac propria declarasse existimant: itaque ipsis videtur se propriè à Deo diligi. Postremò id dicunt, quo declarent summam Christi erga vniuersos homines charitatem, quæ certè tanta est, vt singulis sua & propria ratione consulat, itaque singulorum curet res, quasi id solum curaret. Cuius rei significandæ causa in Parabola de oue perdita, & studiosè à pastore quæsita,

quęsita, Christus non plures oues, sed duntaxat vnā ouem ad similitudinem contulit, eo docens labores, quos pro communi hominum salute pertulit, ita pro eorum singulis pertulisse, quasi omnium salus in vniuscuiusq; nostrum salute verteretur. *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.* Aptè dilectionem copulauit cum morte. Nam morte potissimum, quàm nos eximiè diligeret, declarauit. Dilexit inquam nos, non verbo, sed re, itaq; tradidit semetipsum pro nobis, hoc est, suæ erga nos dilectionis illustrissimum exhibuit documentum.

Sed quoniā ex eo postquā enarrare illa verba Pauli cœpi. (*Per legē legi mortuus sum*,) varias enarratorū interpretationes retuli, quæ res interpretationis quā ipse sequerer, filū sæpè rupit, ex eoq; fortasse obscurius effectū est, quod explanationis illato lumine erat illustrādum, age iterū repetētes omnē verborū Pauli ab eo loco sententiā paucis cōprehensam oculis subiiciamus. *Ego*, inquit, *per legē legi mortuus sum*. Id est, lex non illa vitā attulit, sed conciliauit mortē, animo quidem meo, quia me præcepti transgressorem constituit: corpori autem quia sui transgressores capite damnat. Quorum prius obliquè & per occasionem effecit, posterius directè, & per se. Quare si mortifera mihi fuit non ab ipsa, sed aliunde vita petenda est. Vnde igitur eam Paule petes? Vnde? *Vt viuam*, inquit, *Deo, Christo cōfixus sum cruci*. Id autem est. Vt assequar vitam animi, quam legis amisi occasione, vnà cum Christo affigar cruci, nam quomodo ille è morte ad vitam rediit, sic ego, si illi commoriar, vitā animæ, quæ vita Dei est, recuperabo. At hæc animi, corporis autem, quam item amisisti vitam mortis reus effectus, vnde potrò petes? *Quod autem*, inquit, *viuo in carne, in fide viuo filij Dei*. Sed cur in fide? Quia per fidem viuam vnus cum illo efficior, ex quo quæ ille passus est, & ipse videor perpessus: ille vero, & dilexit me, & tra-

Universidad de Deusto
Biblioteca

didit semetipsum pro me, hoc est, eam in se mortem sustinuit, cuius reus ipse eram, quòd legis transgressor essem: & quoniam eam sustinuit ille, idcircò subire eam ipse non iam amplius debeo, ab omni scilicet eius subeundæ obligatione solutus. Igitur & quod viuo mortis ex lege reus, hanc corporis mortalem vitam, Christo acceptum refero: itaque vt lex me dupliciter interemit, sic vnus Christus vtramq; vitam mihi restituit. Sed quorsum hæc Paule? aut quid ex his colligis? Id scilicet quod statim. Nam sequitur.

Non abijcio gratiam Dei.

Id est, Ex his colligo, æquum me facere quòd frui, atque vti volo ista Dei benignitate atq; gratia, quæ mihi duplici morte mortuo duplicē vitam per Christū reddit. At quonam modo quæso ista es gratia fruiturus? Totam, scilicet, spem meam in vno Christo ponam, cuius vitalem vim expertus sum: nihil præsidij aut adiumenti à lege petā, cuius item non solum imbecillitatem experimento didici, sed mortis inferendę maximam vim planè cognoui. At si Mosaycam legem & ipse colens, nùm gratia Dei atque Christi idcircò minus frui posses? Haud dubiè, inquit, minus. Nam si aliunde quàm à gratia Christi aliquid subsidij ad salutem quærerem, ipsam imbecillitatis damnasse atque abiecisse viderem. Itaque nō abiicio gratiam Dei, id est, quia fructum eius in me sentio, eo contentus abiicere ipsam nolo, hoc est, nolo legem in subsidium aduocare, id enim esset gratiam abiicere. Etenim errarem dupliciter, & quòd id negligerem, cuius vires exploratas haberem, & quod id à lege mihi dari postularem, cuius ipsa conferendi nullam facultatem haberet. At cur non habeat? quia vt sequitur è vestigio.

Si enim per legem iustitia, ergò Christus gratis mortuus est. Quasi dicat, ex eo ipse colligo legem conferendæ iustitiæ facultate carere, quia quò homines iusti efficiantur, Christus

stus mortem oppetiit. Nam si eos lex iustos redderet, Christo nulla moriendi causa esset. Atque hæc hactenus.

CAPVT. III.

O insensati Galatæ, quis vos fascinauit non obedire veritati, ante quorum oculos Iesus Christus proscriptus est, & in vobis crucifixus?

Initio huius expositionis dixi Pauli studium in hac epistola in quatuor præcipuè rebus versari. Primò enim stabilire studere authoritatem suam contra mendacia & detractiones, quibus quidam, quò facilius Galatas ab ipso auerterent & in suam ipsorū sententiā pertraherēt, eam eleuabant, atq; minuebant. Secūdò accuratè docere suam doctrinam minimè pugnare cum eo quòd summi docerent Apostoli. Atque his de rebus hactenus dixit. Quod autem tertio loco ipsum conari dicebam, vt argumentis euinceret legis obseruantias ad salutem necessarias non esse, de eo in hoc capite agere instituit. Itaque ait. *O insensati Galatæ, quis vos fascinauit, &c.* Hactenus cum Petro loquutus fuerat, siuè potius ea scripserat, quæ Petrum monēs ipsi dixerat in publico Ecclesiæ conuentu: nunc ad Galatas sermonem suum conuertit, inquiens. *O insensati Galatæ.* Incipit ab obiurgatione, quæ nonnil acerbitatis habere videatur: sed id totum refert Paulus ad eorum, quos obiurgat, salutem. Non enim obiurgat illos, quòd in ipsum contumelioſi essent, sed quòd immemores salutis suæ à Christo ad Iudaismum deficerēt, idcircò ipsos reprehendit: id quod omnibus pro exemplo esse debet, sed præcipuè Ecclesiæ pastoribus, vt nullam obiurgationem sua ipsorum causa, sed omnes aliorum salutis gratia suscipiant. At quomodo obiurgat? *O insensati*, inquit, *Galatæ.* Insensatos eos vocat, seu stupidos, & vecordes, sineque mente, id enim vox Græca significat, vel quòd stolidiores natura essent, vtpote à Gallis oriundi, vel certè quòd à me-

Universidad de Deusto
Biblioteca

lioribus orsi, delapsi erant sine causa ad peiora: quòdque sua sponte libertatem Euangelij, cuius salutarem experti erant vim, repudiarent, legis autem Mosaycæ, cuius nunquam periculum fecerant, grauissima onera studiosè subire vellent. Sed addit. *Quis vos fascinauit.* Videte Christianæ lenitatis exemplum. Nam obiurgare aggressus, statim obiurgationem temperauit. Cum enim illos à quo sint fascinati rogat, eorum erroris culpam in alios derivat: nec tàm ipsis vitio dandum, quòd errarunt significat, quàm ascribendum illorum improbitati, qui suis dolis atque fallaciis ipsos in errorem & fraudem induxerunt. Sic ille Samari-
Luc. 10. tes, de quo apud Lucam in decimo, eius curaturus vulnera, qui in latronum manus inciderat vinum oleo miscuit, id est, acerbitatem lenitate temperauit. Sed & ipse Chri-
Can. 6. stus in Canticis figuratè dicitur candidus & rubicundus, id est, è leni, atque seuero temperatus. Et ob eandem causam idem in Apocalypsi capillos candidos habere dicitur instar lanæ atque niuis, oculos autem acres & flammeos. Nam in candore eius animi significatur lenitas: flammæ autem oculorum ad seueritatē referendæ sunt. Et in Psal-
Psal 44. mo quadragesimoquarto eidem vtrumq; tribuit Dauid, quà sic dicit. Propter veritatem & mansuetudinem de-
" ducet te mirabiliter dextera tua. vel verbum pro verbo.
" Equita super verbum veritatis, & mansuetudinis. Nam veritati, id est, iustitiæ, & seueritati mansuetudo addita salutare quoddam temperamentum efficit, iis certè. qui aliis præsunt maximè necessarium. Quare equita dixit super verbum veritatis, & mansuetudinis, id est, insidetanquam equo his duabus virtutibus, ac earum iugo virtutum te duci permitte, quæ ynæ reges fœliciſsmè ducunt: te certè illæ inoffenso cursu perducent.

Quis vos fascinauit. Fascinare Latinis dicuntur, qui vel aspectu noxio, vel maleficiis atq; carminibus de sano aliquem & in-

& incolumi naturæ statu deturbant: sed eius vis maximè extat in pueris, & in iis, quorum vires vsque eò imbecilles sunt, vt vel solo aliorum aspectu possint debilitari, atque lædi. Sed & est fascinatio ex laudatione. Nam sunt, qui laudando fascinant, cuiusmodi quasdam familias in Afri-
Li. 7. c. 2. ca fuisse Plinius tradit. Ex quo & pueri quò decori magis sunt, & habitu corporis meliori præditi, eò magis opportuni creduntur esse, qui ab aliis fascinentur: quoniam eos specie ipsorum atque pulchritudine allecti laudant: atque amant omnes: itaque acrius in illos obtutum oculorum fi-
Idilly. 6. gunt. Vnde & apud Theocritum, ille pastor quòd sibi valde videretur pulcher, idcircò ratus se fascinationi patere ter in sinum despuit suum. Itaque inquit.

Ως μὴ βασκανδῶ δὲ τρις ἐς ἐμὸν ἔκτυσα κόλπον.

Quare Paulus dum rogat, à quo sint Galatæ fascinati, significat primò vsque eò illos esse pueros & imbecillos, vt eos deiecerit de recto fidei statu vel vnus leuissimorum hominum sermo: deinde versatos ipsos à principio cum laude fuisse in eo, quod à Paulo acceperant, quæ res oculos fascinantium allexit, eis vt nocere cuperent. Præterea impositum fuisse illis per speciem laudis: nam verosimile est, qui Galatas seduxerunt, illorum pietatem in Christum primum laudasse, atque verbis in cælum tulisse, addidisse tamen magno se dolore affici quòd perspicerent legis cultu neglecto inanes eorum labores esse: id est, fore vt nullum pietatis suæ fructum referrēt, quod legis cæremonias atque decreta vnà cum fide Christi non colerent. Postremò significat id ipsis imprudentibus euenisse, non maxima ipsorum culpa, sicuti & pueris accidit, quos nihil tale aut cogitantes, aut præcauentes aliorum maleficus fascinat obtutus. Quod & ad eos homines aptè transferri potest, quos suis præstigiis cupiditates decipiunt: similiterq; de illis dici. *Quis vos fascinauit?* Nā fascinantur certè primo,

quia huius vitæ bonorum fallaci aspectu læsi afficiuntur, deinde quia quàm facilè læduntur pueri, tàm ipsi imbelles atque infirmi sunt ad his obsistendum rebus, & ad eorum noxiam vim repellendam, prætereà quia nulli facilius isto malo corripiuntur, quàm qui plus placent sibi, seq; rectius valere putant. Postremò quia, vt fascinatores laudando, sic ista, quæ dico, bona nocent blandiendo. Atque hæc de fascinatione, quæ ipsa Hieronymo, & Augustin. probantur. Porrò Græcum ἐβάσκανε, qua voce Paulus vsus est, & pro qua Latinus interpres (fascinauit) posuit, inuidere etiam significat. Nam qui oculorum obtutu fascinant, eo fascinare creduntur, quod in eos acrius intueantur, quibus bonam inuident corporis habitudinem: significat ergò Paulus, quòd pseudoapostoli in errorem Galatas induxerunt, fuisse ex eo quod & ipsorũ virtuti, & Pauli apud ipsos gratiæ inuidissent. Ita Chrysostomus. At alius quidam præter hęc βασκανιαν esse putat pręstigiis imponere, quod fit, quando aut videre nobis videmur, quæ nusquam sunt, aut quæ sunt proposita ante oculos non videmus, aut non qualia sunt videmus delusi præstigiis, cum qua certè significatione vocabuli, rectè quæ sequuntur conueniunt. Nam inquit.

Ante quorum oculos Christus proscriptus est, & in vobis crucifixus.

Id est. Quis vsque eo delusit vos, quis vestris sic imposuit sensibus, vt quem ante oculos habetis tanquam depictum Christum, eum non videatis? ita enim ipsum negligitis, cum vt nunquam cognouisse videamini. Nam est præstigii quoddam genus, quando quis ita affectus est, vt oculis apertis atque valentibus, quæ adsunt, quæque coram proposita ipsi sunt, ea non videat, quæ autem absunt, aut quæ nusquam certè sunt, ea ab se videri putet. Quibus similes erant Galatæ. Salutem non petebāt à Christo, cuius tamen

tamen salutarem vim experti erant: petebant autem à lege, in qua eius efficiendæ nulla vis inerat. Quod in omnes eos rectè conueniat, qui se suis cupiditatibus à recto abduci permittunt, quæ enim verè bona sunt, in ipsorum licet incurrant oculos, tamen non vident, aut, quasi non videant, ita negligunt: quæ verò nihil minus quàm bona sunt, ea sibi fingunt pro bonis. Nam cum nihil neque verius sit, neque magis perspicuum, quàm esse diuinam quādam & præpotentem naturam omnia moderantem, omnia intelligentem, quæ pro cuiusq; merito bonis præmia diuidat, malis supplicia: cumque nemo non videat quàm angusti is humanæ vitæ curriculum terminetur & concludatur spatiis, ad ea hebetes sunt & cæci, nec earum cogitatio rerum, vt animos ipsorum subeat, permittunt: contra autem videant, aut certè sibi vidētur videre in terrenis bonis, in quibus nusquam est, beatam vitam locatam atque quiescentem: in vno cæci, in altero lyncei, siuè potius in vtroque præstigiis dementes redditi. Itaq; & cæci simul, & pernersè videntes sunt: cæci quia oculis orbati sunt iis, quibus verum dispicitur: videntes quia visu carnis pręstāt eo, quo falsa pro veris cernunt. Quod ipsis malum hæsit, ductum à primis parentibus, quorum quando leges Dei transgressi sunt, ex quo mentis magnam cæcitatē contraxerunt, aperti dicūtur fuisse oculi. Similiter enim illi amiserunt & receperunt visum: Amiserūt enim oculos mentis quibus pollebant ante peccatum, nam antequam peccarent de illis scribitur. Et vidit mulier lignum quòd esset pulchrum visu & ad vescendum suaue: receperunt autem alios fallaces oculos carnis & sensuū, quibus in errorē inducti sunt, sicut scribitur, & aperti sunt oculi eorū: in quo multa præclarè philosophatur Origenes. *Ante quorum oculos Christus proscriptus est, & in vobis crucifixus.* Variè hūc locū scriptores explanant, quorū nos singulas sententias expla-

Gen. 3.

Hom. 17. in num. 16 in Lucā. li. 7. cōtra Celsum.

Universidad de Deusto
Biblioteca

nationeſque referemus. Quanquam imprimis ſciri debet, in illo. *Et in vobis crucifixus*, illud. *Et*, redundare, quod ex Græcis & Syris codicibus intelligitur, & ex emendatis libris vulgatæ editionis: tùm & illud ſciendum eſt pro *proſcriptus*, nonnullos Latinos codices habere præſcriptus. Ergò aliqui illud prius retinentes, idque explanãtes ex vſu Latini ſermonis, in quo proſcribere damnare eſt, & proſcripti, ij, inquos abſentes capitalis ſentẽtia fertur, ſic Paulum exponũt. Ante quorum oculos Chriſtus proſcriptus eſt, ideſt, à vobis Chriſtus damnatus eſt quoniã repudiatus eſt à vobis, eſtq; idemin vobis crucifixus, quia quantũ ad vos attinet, cum illũ abnegatis ipſum iterũ crucifigitis, ita Auguſti. Alij cũ Ambroſ. propè ſimiliter, Paulũ loquentẽ inducunt, dicentemq; Galatis. Vſq; eò vos Galatæ inſenſati eſtis, & præſtigiis cæci atque dementes effecti, vt iudicio veſtro Chriſtum proſcribatis, & cruci affigatis, id eſt, iudicetis, factis certè iudicare videamini morte Chriſtum merito eſſe mulctatum, quippe qui Deum ſe eſſe profeſſus ſalutẽ non potuerit afferre ſuis. Nam qui Iudaiſmum ſuſcipere volebant conſequendæ ſalutis cauſa, re ipſa affirmabant eius efficiendæ nullam in Chriſto ineſſe vim, ac proinde falſo credi Deum. At Hieronymus aliter. Proſcriptus, inquit, id eſt, ante ſcriptus per prophetas, eos ſcilicet, qui de Chriſto antequam naſceretur vaticinati ſunt. Vt dicat Apoſtolus. Adeò ne vos eſſe cæcos, vt deficiatis à Chriſto, de quo ſciatis tanto ante prophetas vaticinatos eſſe, fore vt pro vniuerſorum ſalute mortem obiret in cruce? Sed Græcorum explanatio, vt ſimplicior eſt, perinde verior videtur. Proſcribere enim aut præſcribere hoc loco è προεγραφεν, cuius loco ponitur interpretatum, coram deſcribere depingereque ſignificat. Galatas igitur Paulus reprehendit & obiurgat, quòd Chriſti ſalutis atque rationis penè obliti viderentur, cum neq; rumore obſcuro, neque incerta

incerta fama Chriſtum cognoſſent, ſed cũ illis tradidiſſet ipſe atque explanaſſet, ita exactè, ac perſpicuè vt Chriſtus, id eſt, Chriſti vniuerſa ratio veluti depicta in tabella ipſorum oculis eſſet propoſita conſpicienda. Qua ratione acriorem obiurgationem facit amplificatione ſtultitiæ Galatarum. Nam amplificat eorum ſtultitiam, dum affirmat eo vſque illos eſſe dementes, vt Chriſtum, & oculis ipſorum penè ſubiectum, & pro ipſis eiſdem propè videntibus cruci affixum commutare pro Moſayca lege vellẽt. Quod & de nobis haud iniuria diceretur, poſſetq; itẽ Paulus iure rogare nos, ecquis nos faſcinaſſet? ecquis oculos mẽtis eruiſſet nobis? qui quẽ ante oculos noſtros propè depictũ habem⁹ Deũ, cuiuſq; in nos amoris innumera documẽta ſingulis propè horis in oculos noſtros incurrãt, ad eũ ne reſpiciamus quidẽ, negligere certè ipſum, ac deſpicatui habere & omnino nõ eſſe, nec humanis præeſſe rebus putare videamur. Sic Græci, vt dixi Chryſoſtomus, & Oecumenius, & Theophilatus, quorum ſententiæ Syra ſuffragatur editio, quæ ſic. Quis vos faſcinauit? ecce coram vobis quaſi pingendo depictus fuerat Ieſus Chriſtus crucifixus. Sed & in eo quod proſcriptum, aut præſcriptum illis Chriſtum eſſe dicit, palàm ſignificat doctrina Chriſti imbutos fuiſſe Galatas antequam alijs inficerẽtur doctrinis, quæ res plurimum valet ad illorum refutandum & coarguendum errorem. Nam ſi Galatæ, antequam eos Paulus docuiſſet, Iudaicas didiciſſent doctrinas, ſique prius quã Chriſtum coluiſſent, Moſaycis eſſent ſacris initiati, ad veterẽ illos redire cultum minus ſanè mirandum eſſet. Nũc autem labi in Iudaiſmum eos, quibus Chriſtus proſcriptus ſit, id eſt, traditus, atque prædicatus antequã Moſen ne rumore quidem cognoſcerent, id verò maximè mirũ videri debuit. *In vobis*, inquit, *crucifixus*, id eſt, depictus, cruci affixus in vobis, hoc eſt, in oculis veſtris: vel *in vobis*, id eſt,

pro vobis ex Hebraici proprietate ſermonis in quo ב pro ל ſæpè ponitur: aut certè *in vobis crucifixus*, id eſt, in vobiſmet paſſus non abſimilia ijs, quæ pertulit, quando Iudæi ipſum in crucem egerunt. Nam Galatas, vt infrà dicetur, quod ſe Chriſti cultores profiterentur eſſe, cæteri acerbè perſequuti ſunt, quod illi malum patientiſsimè pertulerunt. Quoniam igitur Galatæ propter Chriſtum cruciati ſunt, idcircò Chriſtus dicitur crucifixus in ipſis: valetque id ad eorum errorem magis amplificandum. Receſſerant enim à Chriſto, cuius virtutem non ſolùm optimè nouerant, ſed & propter quē & corporum cruciatus, & rei familiaris damna pertulerant. Præter hæc reſpexiſſe Paulus videri poteſt, non ſolum ad doctrinam, quæ ad Galatarum aures peruenerat, nec ad id ſolum, quod externè ipſum de Chriſto concionantem audierant, ſed ad ea etiam, vel ad ea ſola potius, quæ interius in ipſorū animis fides ſuſcepta Chriſti, & charitas diuina perfecerat: Hac enim qui ritè, atque perfectè imbuti ſunt, Chriſtum gerunt non tantum propoſitum ante oculos, ſed infixū in animo, atque ſenſibus ſuis ſic, vt Chriſti in ipſis effigies exter illuſtriſsima, quales fortaſſe fuerant Galatæ. Eos enim mox rogat Paulus, nùm ſanctum Spiritum, quo fuerunt imbuti ex auditu fidei accepiſſent, an ex obſeruantia legis Moſaycæ, ex quo apparet illos fuiſſe Spiritu imbutos. Loquitur autem, vt videtur, de illo diuini Spiritus dono conſpicuo, quo primo Eccleſiæ tempore Deus pleroſque afficiebat. Quod donum in eo, qui accepiſſet ipſum, & magna veteris hominis euerſio ſequebatur, & maxima corroboratio, maximúmque incrementum eius creaturæ, quam Paulus nouam nominat: quæ in deducendo ad nos Chriſtum, inque imprimendo ipſum & adglutinando animis noſtris, illoſque ex ipſius habitu, atque imagine

gine penitus effingendo tota conſiſtit. Itaque apparet Galatas, antequam vacillare in fide cœpiſſent, & labaſcere ad partes Moſaycas, auctos Spiritu ſancto circumgeſtare Chriſtum cœpiſſe in ſuo corpore, eiuſque efficacitatis atque virtutis ſenſum cepiſſe. Quæ res admirationi, atque adeò ſtupori Paulo erat. Qui Dei in ſe, atque Chriſti inhabitātis, ipſoſque ſanctificantis tantum donum deguſtaſſent, hoc eſt, qui penè experti eſſent, Chriſti in cruce confixi quæ eſſet & quanta vis ad omne cæleſte & comparandum & poſsidendum bonum, ipſo Chriſto quomodo cruci affixus eſt ſic ſe inſinuante & effundente in eorum animis: & ſimiliter atque ipſe affectus fuit, ſic afficiente ipſos, ad omne ferè peccatum ineptos atque languentes: eos inquam, qui ſic affecti eſſent, adduci vllo modo potuiſſe, vt ſui penè obliti, alia ſibi præſidia ad iuſtitiam putarent eſſe quærenda. Nec enim, mediocris is error erat, aut ex eo genere, de quo reddi poſsit aliqua probabilis cauſa, ſed profectò ita magnus, ita temerè, & ſine cauſa ſuſceptus, vt ab eo, qui modo ſui arbitrij compos eſſet, non crederetur poſſe ſuſcipi: & videretur potius referendus in maiorem aliquam & potentiorem vim, quæ Galatarum excantaſſet animos, ac dementes effeciſſet, quam in humani animi leuitatem & inſcitiam. Itaque acriter ipſos vellicat, atque pungit tanquam torpentes & ſtupidos, & quò erroris ipſorum magnitudinem, & animi ſui de eo admirationem exprimeret, oratione ea vtitur, qua ad vtrumque ſignificandum, & quàm ipſe ſtuperet, & quàm illi temerè feciſſent, nihil excogitari potuit vehementius. Nam & Apoſtrophen & cum Apoſtrophe exclamationem coniunxit, & interrogationem addidit, quæ in excitando

tando valet plurimum, & fascinandi verbo vsus est, malum vt significaret præter morem, atque naturam rerum incidens, inusitatum scilicet, & insperatum, & omnino grauissimum. *O insensati, inquit, Galatæ, quis vos fascinauit non obedire veritati, ante quorum oculos Christus proscriptus est, in vobis crucifixus.* Meritò enim illos insensatos vocat, qui ne à suo quidem sensu admoneri se voluerint, quique voci eius, qui interius in ipsis loquebatur, se audientes præbere noluerunt, & qui quod sentiebant & penè experiebantur neglecto leuissimorum hominum oratione inducti vanissima somnia sequi maluerunt. Itaque inquit. Cum in vobis ipsis vigeret, ac penè conspiceretur Christus, eiusque mortis in vobis peccato iam propè morruis clarissimum extaret exemplum, quis vos sic dementauit, vt eius obliuisceremini, quod sensu & penè manu prehēsum tenebatis? itaque sequitur. *Hoc volo a vobis discere. Ex operibus legis spiritum accepistis, an ex auditu fidei?*

Accedit ad confirmationem. Nam ex hoc loco argumentari incipit. Argumentatur autē primò à facillimis, & ab ijs, quæ Galatis erant valde nota, atque cognita, estque firmissimum argumentū: qua de causa primo loco ipsum, & quasi in prima acie constituit. Galatæ Pauli persuasione ab idolorum cultu ad Christum colendum traducti, Baptismoque mūdati Spiritus Sancti donum acceperant, dabatur illo tempore id donum aperte: itaque quibus id dabatur, ij subitò & variarum accipiebant cognitionem linguarum, & vaticinabantur futura, & alia edebant planè stupenda opera, quod & ipsis vt videtur, cōtigerat Galatis cum primum Christum cœperant colere. Ex hoc igitur Paulus argumentum ducit suo more prēcisè, atque breuiter, & quò sit validius, interrogatione id quodāmodo intorquet. Itaque ait. *Hoc volo à vobis discere. Ex operibus legis spiritum accepistis, an ex auditu fidei?* Plenè autem sic diceret.

ret. Fide in Christum, & non Mosaycæ obseruantia legis Spiritus sancti, adsequuti estis admirabilem vim, ergo à Christo & non à lege salutem animorum vestrorum sperare debetis. Quod quoniam cōstat rectè sequi, quod proposuit confirmat. Nam statim, inquit, atque Christum coluistis, quando ne rumore quidem quidquam acceperatis de Mosis religione atque legibus, experti in vobis estis Spiritus sancti virtutem. Sic integrè, vt dixi, sed Pauli acre & ardens ingenium has moras orationis non sustinens, è tribus, quibus hæc conclusio partibus constat, nimirum, accepistis Spiritum sanctum: & non à lege, sed à Christo accepistis, ergo nō debetis à lege sperare salutem: minorē expressit tantum partem, cæteras partes reticuit. *Hoc*, inquit, *volo à vobis discere.* Id est, vel hoc vno, quod minimè inficiari potestis, vos conuincere volo. *Ex operibus legis*, id est, Propterea ne, quòd leges custoditis Mosaycas, *accepistis Spiritum*, eximiam nimirum & manifestam Spiritus vim mira in vobis edentem opera palàm cunctis videntibus. *An potius ex auditu fidei?* id est, ob id ipsum quod assensi dicenti mihi, Christo fidem habuistis? sed pergit.

Sic stulti estis, vt cum Spiritu cœperitis, nunc carne consummamini.

Quod dicit illos Spiritu cœpisse, id intelligi dictum potest, vel quia in ipso initio suæ ad Christū conuersionis acceperant Spiritus sancti donum ratione visibili, quomodo statim dicebam, vel quia suæ in Christum fidei atq; amoris, postquam se Christianos esse professi sunt, magnū ediderunt documentum, grauibus ab alijs ob eam causam detrimentis affecti, quæ ipsi detrimenta atque mala quomodo viros fortes & cælesti Spiritu plenos decebat, tulerunt. Et certè vtronis modo id accipiatur, merito eorum accusat Paulus stultitiam. Nam stultitiæ summæ fuit ad Mosaycas obseruationes salutis atque iustitiæ comparandæ

randæ causa deficere, qui ex quo tempore colere Christum cœperunt, liquidò cognoscebant se donatos esse, atque auctos cælesti Spiritu, & eius virtute eo vsque corroboratos, vt nullis aut rerum temporalium damnis, aut vitæ periculis à recto abduci potuerint. Nullum enim neque certius argumentum habere illi poterant, neque manifestius ad cognoscēdum in Christum religionis obseruātia atque cultu salutarem inesse vim ad cōciliandos cū Deo hominū animos, quā quod ipsos sic affecisset, ac recti studiosos reddidisset is cultus, vt vel mortē officij tuēdi causa parati fuissent oppetere. *Sic*, inquit, *stulti estis*. Quod hic Latinus interpres vertit stultos, supra verterat insensatos, nā vtrobique ἀνόητοι Græcè legitur. *Vt cum Spiritu cœperitis carne consummamini*. Id est, vt ad perficiēdam salutem & iustitiam vestram, quæ Spiritu instituta est, putetis necesse esse addere carnales legis obseruantias. Quasi dicat, Cultus Dei, in quem vos Christi fides induxit, spiritualis est, Mosaycæ obseruantiæ ad carnalem, & rudē cultum pertinent: nullo autem modo fieri potest, vt carnalis, id est, imperfectus, & imbecillitati nostræ concessus Dei cultus, cultum spiritualem, id est, Deo & veritate dignum perficiat: contra potius fieri oportuit, vt Spiritualis fidei cultus adueniens eorum animi pietatem & iustitiam perficeret, quos pueros obseruantię carnales tanquam quidam pædagogus ad virtutem instituissent. Nec verò sileri debet, quod, *consummamini*, dixit passiua significatione, atque voce. Id enim, fecit, vt Theodoretus scribit, quò significaret ipsos quid paterentur ignaros more pecudum à seductoribus agi, circuncidi, initiari sacris Mosaycis. Sequitur.

Tanta passi estis sine causa? si tamen sine causa.

Supra diximus Galatas propter Christiani nominis profes-

sionem grauia damna toleraſſe: ex eo igitur nunc aliud ducit argumentum Paulus, ſed præciſè vt prius, & per interrogationem, vt vim maiorem haberet. *Tanta*, inquit, *paſsi eſtis ſine cauſa? ſi tamen ſine cauſa*. Ergo inquit. Si Chriſti fides ad ſalutem non ſufficit, non ſolum veri iacturam feciſtis perſuaſionibus falſis imbuti, ſed etiam ſine fructu illius fidei tuendæ cauſa maximos labores ſubijſtis. At vos ea protuliſſe ſine fructu quis credat, & vt alij falli in eo poſſent, vos certè, quorum intereſt, non decebat. Valetque hoc argumentum non ſolum ad demonſtrandum ab vno Chriſto petendam eſſe iuſtitiam, ſed etiam ad perſuadendum, vt abiecto Moſaycæ legis cultu, iterum ſua ſtudia ad vnius Chriſti cultum conuertant. Nam ex eo quòd multa pro Chriſto paſsi ſunt, paſsique eo tempore quando ſua in Chriſtum fides, vti recens nata, erat ſine dubio imbecillior, rectè ſequitur, primum illud virium robur ipſos à Chriſto accepiſſe, ac ob id ipſum vnum authorem eſſe omnis actionis iuſtæ, atque rectæ: deinde etiā colligitur illos ſtultiſsimè facere, cū ad extremum Chriſtum deſerunt, cuius gratia tam multa paſsi ſunt à principio. Nam id cum faciunt, & prius ſuum iudicium condemnant, & ſperatum fructum amittunt, itaque eos Paulus ſic quodammodo alloquitur. Ad hæc debetis, ſi vobiſmetipſi conſtare vultis, & prius iudicium tueri veſtrum, lege repudiata Moſayca ſpes veſtras ad vnum Chriſtum conuertere. Nam quando tā multa pro illo paſsi eſtis, tunc ſatis declaraſtis ab illo vos ſperare omnia, cuius ſpei atque tolerantię vberrimos fructus, cur quæſo amittatis? Nam amiſſuros conſtat veſtro iudicio, iudicatis enim, Chriſtū nihil prodeſſe vobis poſſe lege in ſubſidium non aduocata & aſcita. Sed quod addit, *Si tamē ſine cauſa*, eo addit, vt neq; ſe deſperaſſe

de

de illorum salute, neque ipsos animum debere desponde-re demonstret. Docet enim non modo non intercluſum ipsis esse ad salutem regressum, sed & regressuros ipsos es-se aliquando & in viam tandem redituros persuasum si-bi prope esse: quod vbi acciderit, fore vt non sine causa il-la mala pertulerint, fructuosa enim, illis iterum ad Christū reuersis, & perutilia futura. Ex quo intelligitur, cum quis ex iusto peccator factus ad iustitiam iterum peccato re-pudiato cōuertitur, manere ipsum sua præmia ob ea, quæ iustè, atque honestè, antequam in peccatū laberetur, effe-cit. Sed redit ad propositum argumentum, idque repeti-tione ipsa quodammodo vrget, & ad alia transiturus con cludit. Itaque ait.

Qui ergo tribuit vobis Spiritū, & operatur virtutes in vobis, ex ope ribus legis, an ex auditu fidei?

Enallage tēporis, tribuit pro tribuebat, scripsit: & ope-ratur pro operatus est. Quanquam ad vtrunque tempus pertinere Græca fortasse possunt. Sed tribuebat Galatis Spiritum Deus, quando illi purè in Christum credebant: nam nunc, id est, quando ista illis ad Mosen respiciētibus scribebat Paulus, non iam tribuebat Spiritum, neque ope rabatur virtutes. Virtutes autem vocat non eas, à quibus studiosæ proficiscuntur actiones, sed δυναμεις, vt Græcè est id est, præter rerum naturæ ordinem opera edita mirabi-liter. Qui ergo, inquit, tribuebat spiritū vobis, & mirabi-lia opera edebat, is quæso quod ob meritum erga ipsum id faciebat vestrum? Vtrùm quia Mosis legibus obsequuti estis, an potius quoniam ijs, quæ de Christo vestris sunt instillata auribus, assensum præbuistis? Cōstat, inquit, cer-tè ob habitam Christo fidem hæc vobis dona tributa esse. Sed à quo quæso tributa? Diuus Thomas, mea sententia nō rectè, ab ipso, inquit, Apostolo. Nam exponit hoc mo-do. Qui ergo tribuit vobis Spiritum, id est, ego ipse, cuius officio,

officio & studio, Spiritum adepti estis & qui tot res apud vos mirabiliter operatus sum, nùm quod vos Mo-saycis obsequeremini legibus, ideircò ea feci, an potius quod credideretis Euangelio? Itaque arbitratur aliud, & à priori distinctum hîc poni argumentum. Quasi Paulus sic dicat. Quod si forte vobis, ò Galatæ, de vobis metipsis nō liquet, quo animo vel erga legem, vel erga Christum affe-cti fueritis, cum datus est vobis Spiritus: at de eius animo, qui ipsum vobis dedit, id est, de me, cuius datus est ministerio, minimè dubij esse potestis: non enim eius doni vobis minister fui, quod Iudæos vos esse voluistis, sed quod mihi assensi credidistis in Christū. Sed hæc coa-cta nimis, itaque vt dixi, minus vera. Nam is, de quo Paulus. Qui tribuit vobis Spiritum, non ipse Paulus est, sed Deus potius: nec nouum in his verbis instruit argumentum, sed repetit superius positum, tùm vt id, vtpote validissimum magis infixum in mentibus Galatarum relinquat, tùm vt molliorem transionem faciat ad ea, quæ mox dicturus est. Nam primò qui-dem argumentatus est dicens. Hoc volo à vobis disce-re, ex operibus legis Spiritum accepistis, an ex audi-tu fidei: & postea occasione huius quædam inseruit per Hyperbaton, & demum ad illud prius reuersus, idem ipsum tantum verbis nonnil commutatis, repe-tijt, hæc ferè dicens. Denique, quod initio dixi, ad il-lud redeo, vrgereque magis id volo. Qui legi obsequi-mini, rogo vos, legis ne cultus Spiritum vobis dedit, atque eam indidit vim, qua nacti estis summam facul-tatem ad edendum opera mirabilia, an potius vtrum-que fides? Certè fides id fecit. Nam Mosis legem eo ig-norabatis tempore. Quo satis exposito pergit ad alia, Di-cit enim.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sicut scriptum est. Abraham credidit Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Cognoscite ergo, quia qui ex fide sunt, ij sunt filij Abraham. Prouidens enim scriptura, quia ex fide iustificat gentes Deus, prænuntiauit Abrahæ, Quia benedicentur in te omnes gentes. Igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham.

Nam est hoc aliud ad eandem confirmandam rem argumentum ab exemplo Abrahami ductum, & scripturæ testimonio confirmatum, sed inuolutè nimis propositum. Verùm id, antequam exponamus veram huius lectionem loci, constituamus, Nam illud, *scriptum est*, quod in plerisque vulgatæ editionis codicibus legitur, in alijs deest, in editionibus autem Græca atque Syra non habetur, in quibus sic, sicut Abraham credidit Deo, & reputatum est ei ad iustitiam. Quo etiam legisse modo Ambrosium, & Thomam ex eorum commentarijs satis apparet: & certè ratio cuincit sic legi deberi. Nam Paulus hic nullum citat testem, sed adducit exemplum, & confert similitudinem. Vt quod in Abraham factum dicitur, vt ex fide iustus effectus fuerit, & non ex operibus legis: idem fieri credatur in omnibus. At dices illud, sicut, quid confert? nec enim si illa verba, scriptum est, demas, aliquid videtur esse reliqui, quod ei postea respondeat. Respõdet certè subintellectum aliquid, & pro Hebraici sermonis proprietate supplendum, isto nimirum modo, sicut Abraham credidit Deo, & reputatum est ei ad iustitiam, sic cognoscite, quia qui ex fide sunt, ij sunt filij Abraham, hoc est, sunt efficiendi iusti eadem ratione, qua ille iustus effectus est. Nam Hebræi in similitudine conferenda partes orationis eas, quæ similitudinum indices, & tanquam duces sunt, sæpè reticent vel vnam vel

vel ambas. Ambas vt in illo. Qui tetigerit picem inquinabitur ab ea: & qui communicauerit superbo induet superbiam. Id est. Sicut qui tetigerit picem, sic qui communicauerit superbo. Et in Prouerbijs. Vnguento & varijs odoribus delectabitur cor, & bonis consilijs amici anima dulcorabitur. Vnam reticent, vt in illo. Nubes & ventus, & pluuiæ non sequentes, sic vir glorioſus, & promissa non complens. Igitur sic argumentatus est Paulus. Abraham iustus effectus est, quia Deo credidit, & non ex eo quòd legi, quæ lata nondum erat, est obsequutus. Ergo & omnes reliqui non Mosaycis seruandis legibus, sed fide Christi colenda iustitiam consequentur. Demõstrat autem fidem, non legem Abrahamo profuisse, quod dicatur de illo, ipsum credidisse Deo, idque reputatum ipsi esse ad iustitiam. At ex eo sequi fore vt nos similiter iusti efficiamur, docet: quia qui ex fide sunt, id est, qui Deo libenter atque certò credunt, sunt filij Abrahami. Igitur ad exemplum patris sui, & ipsi iusti efficientur. Ac idem rursus docet testimonio scripturæ, in qua Abrahamo dictum scribitur futurum, vt in ipso omnes benedicerẽtur gentes: id est, vt iusti efficerentur omnes ad exemplum ipsius. Id enim scriptura futurum videns, benedictionis illo voluit significare verbo. Igitur qui ex fide sunt benedicentur, id est efficientur iusti cum fideli Abraham, id est, ad exemplum illius, vt quorum similis fides sit, eorundem sit par ratio consequẽdæ iustitiæ: & qui fidem Abrahami imitãtes, & ob id ad idem quod ille pertinentes genus, suæ fidei ipsum veluti parentem habent, vt in credendi firmitate, in consequendæ iustitiæ ratione imitenter parentem suum.

Atq; hęc Paulus argumẽtatus est. Qua in argumẽtatione

Ecc. 13.

Prou. 27.

Prou. 25.

Universidad de Deusto
Biblioteca

multa sunt, quæ intelligentem lectorem meritò mouere possunt. Nam, vtà facillimis ordiamur: principio quæri potest, qua Paulus ratione ad confirmandum fide iustitiam acquisitam Abrahami potissimum exemplo sit vsus? Ad quod Chrysostomus & OEcumenius respondet. Ideò ad exemplum adductum, tùm quod eius apud gentes nomen maximè celebre esset: tùm quòd Paulus videret, qui Galatis authores fuerant, vt ad cultus Mosaycos respicerent, id imprimis persuasisse illis, nisi qui in Abrahami nomen & familiam transirent, quod professione Mosaycæ religionis fieri dicebant, salutem consequi posse neminem, quod Abrahamo pollicitus fuisset Deus fore, vt in ipso omnes benedicerentur gentes. Itaque Paulus id sciens, suis vt illos armis conficeret non solum iustitiæ per fidem habitæ exemplum ab Abrahamo potissimum petit, sed ex eo ipso, quòd in illo gentes benedicendæ essent, sequi docet, futurũ vt iustificarentur per fidem. Nam imitatione fidei transeunt in familiam illius. Et quia legis suspiciebant antiquitatẽ Mosaycæ, & ob id ipsum illam Galatæ Euangelicæ fidei præferebant, idcirco tacitè Paulus & artificiosè demonstrat, fidem antiquiorem esse lege, quando Abraham, qui tanto antecessit legem tempore, & fidem ipse coluerit, & fidei cultu consequutus fuerit iustitiam.

Sed præterea quærat aliquis, cum Paulo propositum sit argumentis confirmare, fide in Christum, & non legis cultu peruenri ad iustitiam, cur ad probationem adducat eius exemplum fidei, quam Abraham Deo habuit pollicenti ipsi, fore vt non decederet sine liberis? Quid enim isti fidei cum ea, de qua Paulus disserit, cõuenit? aut quale hoc argumẽtum est, quia Abrahã iustus effectus dicitur, q̃ senex liberos sperauit suscipere

Deo

Deo id ipsi affirmanti, idcircò deberi intelligi omnes futuros iustos, qui credant in Christum? Nam hanc quam dico fidem Abrahamo ad iustitiam reputatam esse, quod Paulus testimonium citat, constat ex Genesi, in cuius decimoquinto capite legimus. Sermo Domini factus est ad Abraham dicens. Non erit hic hæres tuus, sed qui egredietur ex vtero tuo, ipsum habebis hæredem. Eduxitque eum foras, & ait illi. Suspice cælum, & numera stellas si potes. Et dixit ei. Sic erit semen tuũ. Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiã. Sunt quibus videtur in hoc quod dicitur Abraham credidisse Deo, fidem in Christum includi, nam habuit promissis diuinis fidem. Deus autem, vt ex oratione eius modo citata patet, pollicitus illi est, non solum liberos, sed & posterorũ futuram innumerabilem multitudinem, in quibus sine dubio Christus includitur, qui non modo genere ad illum pertinuit, sed & auxit ipse infinita hominum fideliũ sobole Abrahami familiã atq; genus. Itaque & ipse Paulus paulò inferius affirmat promissum à Deo esse Abrahamo, fore vt in eius semine omnes benedicerentur gentes, semenque id benedictionis in omnes & fœlicitatis cunctorum futurum caput, nullũ aliud quam Christum esse idem Paulus affirmat. Nam dicit. Non in seminibus quasi in multis, sed quasi in vno, & semini tuo, qui est Christus. Sed huic sententiæ atque responsioni obstat, quòd duas promissiones re, & tempore distinctas in vnam confundit. Aliud enim promissum est, cuius Paulus hic meminit, aliud illud de semine, à quo benedictio in omnes effundi deberi dicitur, de quo infra mentionem facit. Nam hoc cuius modo meminit in capite decimoquinto libri Geneſis legitur Abrahamo factum, cum liberos non haberet,

„ „ *Gene. 15* „ „ „ „ „ *Driedo de captiu. & redem. gener. hum.*

Gene. 15.

Gene. 22. & esset de hærede sollicitus. At illud, vt dicitur in eiusdem libri vicesimosecundo capite, cum iam è vxore sua Sara Isaac filium suscepisset, & eum ad aram sacrificare Deo vellet: tunc enim quod se in Deum tam eximiè ostendisset pium, ipsi dictum scribitur. Per memetipsum iuraui, dicit Dominus, quia fecisti hanc rem, benedicens benedicam tibi, & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ. Itaque non solum tempore ista promissa differunt, verum etiam causa & sententia. Hic enim numerosa soboles, illic autem deriuanda ad omnes per Christum Abrahami semen benedictio promittitur. Quid? quod & ipse Paulus ad Romanos scribens hunc eundem de Abrami fide, quæ illi ad iustitiam reputata dicitur, locum pertractans, disertè docet, hac fide id solùm persuasisse sibi se quamuis effætæ ætatis senem, tamen susceepturum esse carnales liberos. Nam inquit. Qui contra spem in spem credidit, vt fieret pa-

Rom. 4. „ ter multarum gentium, secundum quod dictum est ei,
„ sic erit semen tuum sicut stellæ cæli: & non infirmatus
„ est fide, neque considerauit corpus suum emortuum,
„ cum iam ferè esset centum annorum, & emortuam
„ vuluam Saræ. Quare potius dicamus, vel istam Abrahami fidem ad exemplum adductam, quamuis non esset de Christo, neque ferretur in ipsum, tamen in ipso nixam & ob id salutarem ipsi factam, & ad iustitiæ incrementum verè illo reputatam: nixam autem in Christo, quia nitebatur in misericordia & largitate Dei erga homines: vnus autem Christus est, per quem homines Deus amat, & propter quem suæ in eos benignitatis fontes deriuat. Id si Abraham per id temporis cognoscebat, manifestum est non potuisse ipsum fidem habere Deo, de suo erga ipsum animo tam prolixè

lixè & liberaliter promittenti, quin vnà fidem illam suam & spem collocaret in Christo, quem nosset eius erga se animi atque voluntatis Dei esse conciliatorem: sin autem nondum id cognoscebat, tamen tacitè & in solutè fiduciam suam constituebat in Christo, quia constituebat in eo, quidquid id esset, ipsi licet ignotum esset, cuius gratia Deus se beneficium præbebat hominibus. Vel certe dicamus hoc Paulum argumento, quomodo ipse se vberius explicat ad Romanos scribens, id potissimum agere, vt doceat ante Mosaycę lationem legis fuisse homines, qui per fidem in Deum iusti essent, per fidem inquam viuentem, id est, cum charitate in eundemmet Deum coniunctam; ex quo sequi & habitos fuisse, & habendos iustos esse, qui Deo eiusmodi fidem habent. Habent autem & qui ea, quæ de Christo testatur atque promittitur, credunt, immo ij habent potissimum. Itaque licebit argumentari à minori. Si Abraham non quòd legis cultor ipse fuerit, sed quòd Deo sobolem ipsi pollicenti fidem habuerit, iustus effectus est: multo verius, qui eidem fidem de Christo habuerunt, iustitiam consequentur, omni licet Mosaycæ legis fuerint destituti præsidio.

Alia quæstio. Paulus in hoc exemplo id, quod in augenda iustitia factum est aliquando, statuit semper fieri in iustitia à principio infundenda, & ab eo, quod homini iam iusto accidit, colligit quod de homine impio cum iustus efficitur, statuendum sit. Quorum tamen diuersissima videtur esse ratio. Aliud enim est, aliquem ex impio iustum fieri, aliud qui iustus est ad altius iustitiæ gradum ascendere. Quod igitur illi consilium fuit? aut quid spectauit, vt

Universidad de Deusto
Biblioteca

à re tam diuersa argumentum rectè posse duci censeret? Nam ducere apertissimè constat. Quod enim de Abrahamo scriptum est, quodque Paulus ad suam sententiam confirmandam adducit, reputatam illi ad iustitiam fidem esse, non reputatam vt esset iustus intelligendum est, sed vt magis iustus haberetur, & esset. Nam & ante id temporis iustus erat Abraham, & Deo pergratus. De ipso enim, antequam istam fidem liberos ipsi promittenti Deo haberet, scribitur apparuisse ipsi
Gene. 12. Deum, & vt natale solum desereret præcepisse: tùm magna eidem pollicitum esse bona, ipsumque obse-
Gene. 13. quutum statim solum vertisse. Et in capite decimotertio traditum est Pharaonem AEgypti regem grauiter increpitum à Deo, quod Abrahami vxorem apud se retineret, ab ipso audisse, quàm sibi Abrahamus gratus esset, atque charus. Quid ergo dicemus? Sanè verum esse illo loco non simpliciter ad iustitiam, sed ad maiorem iustitiam Abrahamo valuisse, quòd habuerit fidem Deo, at ex eo non sequi Paulum malè argumentatum esse. Etenim argumentatus est optimè. Nam si homo iustus, cui certè supperit vt honestè viuat, & vt legibus obsequatur rationis, nisi ageret ex fide, iustior non fieret: qui iniustus est adhuc, quique peccati nondum abiecit illud graue pondus, quo, ne quod opus præstans efficere possit, opprimitur, is quonam quæso modo sine fide per legis obseruationem ad iustitiam perueniet?

At ex hoc ipso, alia oritur quæstio implicatior. Nam si id, quod Abrahamo ad iustitiam esse reputatum dicitur, non de prima iustitia est, sed de incremento iustitiæ: igitur ex sententia Pauli ne incrementa iustitiæ nobis dãtur propter bona merita nostra, quod Catholicæ aduer-

aduersatur doctrinæ. Nam Paulus id iustitiæ incremẽtum negat Abrahamo contigisse ex operibus legis, quo etiam negasse videtur ex meritis contigisse illi, quia in Pauli sermone ex fide iustitiam dari, est dari gratis & sine meritis nostris, & dari ex operibus, est dari quia debeatur ob merita. Sic enim ad Romanos scribit. Ei autem, qui operatur *Rom.* 4. merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum; ei autem, qui non operatur, credenti autem in eum qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiã
Sm propositum gratiæ Dei. Et quidem nostræ ætatis Hæretici hoc argumento triumphant, & quasi debellatum sit epinicion canunt: putant enim eo apertè confici vtramque iustitiam, primam videlicet, atque secundam nobis à Deo donari gratis, ac proinde neminem, quamuis iustum, ijs quæ benè facit, vlla iustitię aut gloriæ partẽ mereri. Quare è nostris nonnulli illis respondent isto modo. Negat Paulus Abrahamum iustitia auctum fuisse ex operibus. Annuunt. Concedit auctum ex fide. Annuunt similiter. Ergo auctus gratis dicitur, nulloque suo merito. Id verò pernegant. Paulus enim, inquiunt, operibus legis auctum negat, idque verissimè, (qui enim ille nondum latam legem obseruare potuisset, vt ex eo iustior haberetur quòd illam seruasset?) sed non negat ex meritis, id enim ipsum quòd homo alioqui iustus fidem Deo habuit, magnum ipsius erga Deum meritum fuit. Quod Paulum sentire confirmant, quia proximè superius scripserat. Qui tribuit vobis spiritum, & virtutes operatur in vobis, nùm ex operibus legis, an ex auditu fidei? & è vestigio subiunxit. Sicut scriptum est quòd Abraham credidit Deo, & reputatum est illi ad iustitiam. Id est, fides illi ad iustitiam imputata est, nõ legis opera. Ea igitur legitima opera docet Paulus non valere ad iustitiam, non autem negat edere nos posse bona opera, quibus mereamur incremẽtum iustitiæ. Et certè, quod

Universidad de Deusto
Biblioteca

ad huius loci Paulini explicationem attinet, ista ratione omnis videtur esse sublata quæstio. Sed quoniam in epistola ad Romanos Paulus plura operū genera inutilia esse dicere ad iustitiam consequēdam videtur. Damnat enim, hoc est, inutilia fuisse docet omnia & Gentilium & Iudæorum opera, rectius cum D. Augustino dicemus, Paulum cum negat Abrahamum ex operibus esse consequutum iustitiam. Cumque ad iustitiam siue de principio consequendam siuè maiorem efficiendam opera valere negat, ea opera dicere, quæ quis suis viribus, naturæque ipsius efficit ductu & sine proprio Dei instinctu, & auxilio, siuè ratio ea fieri deberi dicter, siuè lex ipsa præscribat. Ea enim quoniam sine spiritu Dei fiunt, fiunt imperfectè, multumq; ab eo absunt, quod ad amicitiam ineūdam aut arctius contrahendam cum Deo gratum ipsi est & acceptum. Quod vt sine confusione cernatur, tria operum genera distinguenda sunt. Vnum eorum, quæ quis, quòd ea recta putat, sua sponte suisque viribus facit: alterum eorum, quæ admonitus à lege Mosayca, & ex illius præscripto, suis tamen nitens viribus efficiebat: Tertium eorum, quæ edit gratia atque fides. Duo priora iustitiam animi neque gignunt, neque alunt: Tertium autem & disponit animum, atque mirificè præparat ad iustitiæ prima semina accipienda & fouenda, & eorundem seminum augendorum & in maius promouendorum magnam habent vim atque meritum. Quod totum genus Paulus fidei vocabulo comprehendit. Itaque sentit neminem vnquam neque ex prauo iustum, neq; ex iusto magis esse iustum effectum ob ea, quæ ipse suis viribus edidisset opera, siuè ea ipse bona duceret, siuè lex facienda præscriberet, siuè suo iudicio, siuè præscripto legis ea faceret: sed ex eo quòd Deo fidem habuerint omnes, qui vnquam, aut fuerunt aut iusti futuri sunt, esse consequutos iustitiam, id est, ex fide, operi-

Aug. in Psal. 31.

operibusque iis, quæ per charitatem efficit fides. Quæ certè opera pro eo, ad quod referuntur, & dispositiones, & merita esse possunt. Ex quo rectè concluditur stultum esse salutem à lege petere, quod Paulo est propositum. Nec tamen ob id abiicitur aut inutile iudicatur, quod charitas atque fides edit: id enim à fide socia charitate profectum est, & cum fide vti surculus cum radice cōiunctum, & ob id à Paulo vno fidei nomine nominatum & comprehensum, & similiter magno ab ipso in pretio habitum, multumque conducere iudicatum ad vtrumque, scilicet, ad primam, & ad secundam iustitiam. Sed pergit argumentari.

Quicunque ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt. Scriptum est enim. Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, vt faciat ea.

Mentio benedictionis suprà facta, maledictionis meminisse Paulum fecit. Dicens enim fore, vt qui Deo fidem haberent benedicerentur cum fideli Abraham, quoniam scriptum erat in ipso gentes benedicendas, occurrit illi scriptum item esse, qui legibus subiiciebantur Mosaycis, eos obnoxios maledicto atque execrationi esse, eas nisi ad vnguem seruassent leges. Quod ad propositum sibi argumentum aptum esse videns, atque conducens, silentio præterire noluit, sed arripuit id statim, & in scripta sua retulit: itaque de integro argumentatus est. *Quicunque*, inquit, *ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt.* Id autem est, Fideles quidem sicut Abrahamum in fide imitantur, sic benedictionis, quæ, aut in ipso resedisse, aut ex illo in suos deriuanda esse dicitur, participes erunt. Itaque fidei illius imitatoribus, benedictionem video esse promissam. At in eos, qui ex operibus legis sunt, id est, in eos qui lege seruanda se esse iustos volunt, quid?

Quid?

Quid? Grauem profecto,& metuendam maledictionẽ intentam. Itaque tantum abest, vt lege iusti fiant, qui se illi subiici profitẽtur, vt sint proximi periculo in diras execrationes incidẽdi. Quod scripturę probat testimonio ducto è Deuteronomio, in quo scribitur, futurum maledictum qui non ad vnum omnia seruauerit, quæ præscribuntur in lege. Tacet autem, idque nobis cogitandum relinquit, seruasse neminem, itaq; cunctos esse maledictos. Quoniam certè, quod ex vi ipsius legis, & ex eorum qui legi parere volunt facultate erat, omnes in eas maledictiones incidebant. Illi enim infirmi erant ad legitima obeunda opera, lex autem ipsa imbecilla & ægra, ad opitulandum ipsis: ex quo efficiebatur, vt professores legis, iidem transgressores legis omnes essent, & ob id execrationi & maledictis obnoxij. Non quin multi ipsorum sanctissimè vixerint, easq; in transgressores intentas maledictiones vitauerint, (id enim non negat Paulus) verùm id vt efficere illi possent, à fide omnes habuerunt, & à gratia Christi, quæ etiam viguit antequam ipse inter homines nasceretur homo: non autem habuerunt à se, aut à lege. Itaque professores legis, vt diximus, quantum ex vi legis, aut ipsorum erat, transgressores erant legis, & ob id maledictioni subiecti: lexque ipsa non afferebat salutem ipsis, sed potius dum eos præceptis onerabat, & nisi parerent maledictione afficiebat: nec tamen vt parere possent auxilio fulciebat, quantum ex se erat maledicto astringebat. Nam loqui Paulum sic de lege, deque professoribus legis, idest, non de eo, quod ipsis quoquomodo contingebat illa legis ætate atque tempore, sed de eo quod ipsa per se apta erat efficere, effecitque in multis, & in omnibus effectura erat, ei nisi sic per occasionem lædenti adiunctum aliunde esset quod ipsam fulciret, manifestissimè ex eo constat, quod legis opera opponit fidei: & eos, qui nituntur legis operibus, cum iis confert,

Deut. 27.

confert, qui fide nituntur, & inter se vtrosque committit. Quæ autem sic conferuntur, eorum vnum in altero non debet includi. Includeretur autẽ, si professores legis quos nominat, & quos maledicto subesse confirmat, eos intelligeret, qui à fide in Christum profecti, & eius gratia, atque spiritu muniti decurrebant ad legitima opera. Non itaque dicit neminem eorum, qui vixerunt in lege, fidei beneficio expertem maledicto euasisse, sed affirmat ex vi legis ipsius, ob causas quas diximus, neminem maledicto expertem vixisse, quin omnes, quod ad illã attinebat, obnoxios maledictis atque detestandos fuisse. Ex quo rectè concluditur id, quod propositum est Paulo concludere, Galatas nimirum, qui ipsi iam per fidem ac sine lege iustitiam consequuti essent, eius iustitiæ comparandæ causa, stultissimè nunc denuo ei velle seruire legi, quæ ne ipso quidem tempore quando maximè & præcipuè vigebat, vlli eorũ apud quos ipsa vigebat, potuerit esse causa iustitiæ. Quoniam nemini sui seruandæ facultatem & potestatem concesit: itaque omnes quod in illa fuit, iis maledictis ac pœnis inuoluit, quas grauissimas in transgressores ferebat. Vna namque, vt Paulus vbique prædicat, in Christum viua fides est, quę miseros ac de peccato languẽtes homines sem per ad sanitatem restituit, quæque restitutos confirmauit ad sine offensione decurrendum in via legis atque mandatorum Dei. Quæ legis via fuit illis hominibus, qui Christi ortum pręcesserunt proposita, non vt obeũdo ipsi eam ad iustitiæ peruenirent metam, sed vt per fidem semel effecti iusti gnauitatis suæ documentum in ea ederent, periculumque sui facerent, seque tantisper exercerent, dum in aliud homines & spatio breuius, & dignitate præstabilius bonorum operum inducerentur curriculum. Quod in curriculum iam inducti Galatæ, & per fidem valentes redditi ad decurrẽdum in eo, quid erat, cur desertam iam illam

llam legis viam & virgultis ac sentibus obsitam vellent ingredi, nimis nisi essent stulti, atque cæci? Nam certè euanuerant iam illæ legis operum vmbræ veritatis aduentu, vtpote quæ institutæ essent, quando fidei Euangelicæ veritas non se dabat in publicum, sed arcanis latebat inclusa adytis: institutæ autem non vt iustos efficerent homines, sed vt eorum, qui per illam occultam & sacris penetralibus latentem fidem iusti essent, probitatem & obedientiam docerent. Sequitur.

Quod autem in lege nemo iustificatur apud Deum, manifestum est, quia iustus ex fide viuit: lex autem non est ex fide, sed qui fecerit ea homo, viuet in eis.

Pergit prætereà argumentando, & argumentatur per concessionem quandam. Nam inquit. Nemo quidem vnquam, qui soli legi niteretur, legem plenè seruauit, ex quo eiusmodi omnes non iusti effecti sunt, sed pœna ac supplicio digni sunt constituti. Quod si ex abundanti fuisse aliquem dedero, qui legem plenè seruarit, non dabo tamen eum esse effectum iustum per legem: quia lege seruanda nemo apud Deum iustificatur. Fides enim est, quæ iustis vitam adfert, sicut scribitur, iustum ex fide viuere: lex autem neque fidem ipsa continet, neque vitam simpliciter suis cultoribus aut promittit, aut adferre potest, sed vitam hactenus vt pœnas legibus constitutas euadant. Nam de legitimis mandatis scribitur. *Qui fecerit ea, viuet in eis.* Id est, mortem effugiet, cuius qui leges transgrediuntur sunt rei. In qua argumentatione, vt rectè Diuus Thomas aduertit, ordo rectę conclusionis inuersus est: primo enim loco ponitur, quod in conclusione debebat esse vltimum, mox propositio subiicitur, ac deinde adhibetur assumptio. Sic enim concluditur. Lex non iustificat, quia fides iustificat: lex autem non est ex fide. At esset recta conclusio. Fides iustificat,

stificat, lex non est ex fide, non ergo iustificat. Hæc vniuersę, sed percurramus singula verba. Inquit. *Quod autem in lege.* Id est, per legem, hoc est, per opera, quæ lex præscribebat. Nam legis nomine hoc loco legitima significasse Paulum opera cõstat, vt Augustinus rectè colligit, ex eo quod paulò post subiicit, qui fecerit ea, scilicet legis opera, viuet in eis. Legitima autem vocat opera legis præcepta vniuersa, siuè quæ cæremoniarum, iudiciorumq; rationem continent, siuè quæ ad tabulas duas spectant, vt idem Augustinus verè tradit in libris de spiritu & litera. Eorum enim operum nullum genus ipsum per se, quamuis religiosè obseruatum vim habebat ad conferendam iustitiam, sed ea omnis semper inuecta est, & de principio animis ingenerata & infusa per eam viuam fidem, quam interdum obscurius, interdum distinctius Deo de Christo multa promittenti semper habuerunt homines. Quod autẽ Paulus addit. *Apud Deum*, ideò addit, quia legis nuda, & à fide non profecta obseruantia apud homines quis haberi iustus posit, & illis suam innocentiam probare: itemque coram iudice, & apud legitimum tribunal censeri legis custos religiosus ex ijs quispiam posit: sed non item apud Deum, cui sine fide per charitatem operante probatum aliquid atque gratum esse non potest. *Quia*, inquit, *iustus ex fide viuet.* Viuet, id est, iustus est, vitam habet iustitiæ: vel certè, vt Hieronymus arbitratur, ita potius distinguendum est. Iustus ex fide, id est, qui per fidem iustus est, viuet, id est, vitam sempiternam consequetur, vt distinguat iustum ex fide ab eo, qui per obseruationem legis opinioni hominum, & præsidis legum iudicio dicitur esse iustus. Nam, & Augustinus scribit, est quædam legitima, aut legalis iustitia, de qua idem Paulus ad Philippenses scribens, ait, se versatum in lege fuisse sine querela: cui etiam

iustitiæ suum etiam erat præmium constitutũ in fructu & copia bonorum terræ, & in eorum nullo hoste perturbata possessione collocatum. *Iustus*, inquit, *ex fide* viuet. Hoc ex Habachuc Paulus adducit testimonium, in quo testimonio fidei vocabulum neque solam credulitatem significat, neque solam fiduciam, sed pro vtraque simul & hîc & alibi sæpius accipitur. Causa autem eius scribendi prophetæ fuit, vt ea ratione Iudæis, quos aliquando Babyloniis seruire desituros vaticinabatur, persuaderet, vt quamuis morãtem Deum expectarent: non enim placere Deo qui in ipso non fidunt. Itaque diem ex die ducendo, morandoque fidei ipsorum erga se fortasse periculum facturum, ac probaturum, vtrùm eo erga se animo essent, quo qui iusti viri sunt erga Deum esse solent: hoc est, minimè dubio de diuinis promissis. Nam qui fidem Deo perfectè habent, ij sine dubio vitam ex Deo habent, eique probantur ac placent. Sed quod propheta de certa re dixit, id meritò Paulus in omni eo valere vult, in quo habetur Deo fides, & in ijs præcipuè, quæ ad Christum spectant. Earum enim fides rerum cum iis coniuncta animi virtutibus, quibus sine ipsa non viuit, vnica salutis causa semper hominibus fuit. Sed cur in citando testimonio neque Græcos interpretes sequutus est, neque codices Hebræos? Nam Græci. Iustus ex fide mea viuet. Hebræi autem. Iustus ex fide sua viuet. Id enim à nonnullis quæri solet, & vt mihi videtur, sine causa: vtroque potius sequutus est, nam illa pronomina subintelligi sæpè solent. Neque refert vtrum meã, aut suam dicas, cum cõstet quæ mea erga Deum fides est, quia eam illi habeo, eandem Dei esse fidẽ, quia vt habeam ab eo accipio. Sed addit. *Lex autem non est ex fide.* Id est, non includit in se fidem. Ex quo liquet legem, & opera legis à fide in his locis distingui: hoc est ea dici legis opera quæ intra se, aut vnà secum fidem coniunctam non habent.

Haba.2.

Sed

Sed occurrit quæstio. Quî fit verum lege fidẽ non contineri, cum præcipiat ipsa lex, vt vnus credatur esse Deus, sicut scriptum est. Audi Israel, Dominus Deus tuus vnus est. Nam quod nõnulli dicunt, lege non contineri fidem, ideò dici, quia quæ præmia lex promittit iis, qui se colunt, sunt terrena præmia, & ex hoc bonorũ genere quod oculis subiicitur, & manibus contrectatur, & in quibus nullus locus sit fidei, non satis considerate dicitur, vt mihi quidẽ videtur. Nam hæc in lege non repræsentabantur statim atq; quis legitimis defungebatur officiis, sed promittebantur futura, vt necesse etiam in his esset Deo fidem habere. Itaq; & in earum rerũ promissionibus fides sæpè versatur, vt in ijs apparet hominibus, quorũ à Paulo in epistola ad Hebræos fidei commemorantur exempla. Quare rectius dicemus, non contineri fidem in lege dici, vel quod non quidẽ credentibus, sed facientibus nominatim & disertè. Vitæ præmium promittit, qui ea, inquiens, fecerit viuet in eis: vel certè nõ omninò & simpliciter de lege dici fidem non continere. Continet enim illa in toto suo ambitu & in vniuersitate præceptorum suorum nõnullarum rerum credendarũ præceptum, sed negari in lege Mosayca vsquã præcipi, vt credatur in Christum, vt ab eo salus animi & iustitia petatur, vt in eo spes & fiducia nostra collocetur. Nã tametsi id de Christo polliceri sibi, atque credere, vnicuiq; nõ illorũ modo qui sub lege vixerũt, sed omnino omniũ, qui vllo vnquam fuerunt tempore, si modo se esse saluum vellet, erat necesse: tamen ea necessitas nõ manabat à præceptionibus & sanctionibus legis, sed multo ante latam legem, cum primum à peccato, in quo primi homines lapsi sunt, reuocare se cœperunt, & ad spẽ veniæ aspirarunt, denũtiatum vniuerso hominũ generi fuit, eius cõsequendæ veniæ vnicam esse à Deo apertã & munitam viam per fidem Christi, quã qui nollent ingredi salui esse nõ possent.

Deut.6.

Heb.11.

Universidad de Deusto
Biblioteca

Itaq; de ista fide suscipiēda lex nihil nominatim præcepit: esset enim superfluū legibus sanciri Mosaycis, quod à primo, & ante omnia à Deo erat accuratè sancitum: sed præcepta sua ad id retulit, vt istarum rerum salutarem fidem, quæ omnibus erat populis, atq; hominibus necessaria, in illo Iudæorum populo, propriè retineret, & excoleret ipsum partim veris de Deo opinionibus imbuendo, partim in iis exercendo cæremoniis, ac ritibus, qui earum Christi rerum, quas credi necesse erat, imaginē continerent. Quare Paulus verissimè, *Lex*, inquit, *non est ex fide*, nimirum ex fide Christi. Nam etsi ad illam respicit & se totam refert, tamen eius, neq; cognitionē lex prima docuit, neq; vsum aut necessitatem in vitam induxit: & ideò vt obserues totam legem, non ex eo consequetur, vt hanc fidem possideas, quæ extra legis præceptorum versatur ambitum, & ob eādem causam, neq; iustus apud Deū eris, apud quem ratum est & firmum neminem futurum iustum sine ista in Christū vigente ac valēte fide. Et certè in lege Mosayca isto modo quē dicimus nominata, id est, nudè sumpta, & quantum ad ea solum quæ propriè ipsa præscribit, duo insunt maxima incommoda. Vnum sic seruari non posse: nam sine spiritu viuæ fidei, quo sanatur, & cōfirmatur hominis animus, lex seruari non potest. Quod vitium proximè suprà Paulus notabat in eo, quod qui ex lege essēt, hoc est, qui se profiterentur seruare legem, omnes sub maledicto esse dicebat. Id enim eo dicebat, quia eorū nemo legē seruabat, & ob id incurrebat in pœnas & maledictiones constitutas à lege. Alterum legis est incommodum ipsam ne si sic seruaretur, (vt id ex abundanti demus fieri potuisse) habuisse vllam vim ad eos efficiendos iustos, qui se illo modo seruassent, quoniam remota fide Christi nulla vera cōstat iustitia. Quod legis vitium hoc in loco Paulus declarat, dum testimonio Prophetæ docet vitam ex fide dari,

dari, fidem autem in lege non contineri. Itaque inquit, *Sed qui fecerit ea viuet in eis*. Id est. Ea legis opera nudè sumpta, quamuis accuratè facta non conferunt vitam animi, sed id afferunt solùm, vt in eis homo viuat, id est, vt iudicio legis non moriatur: nec enim morti lex eum addicat, qui se nullo modo transgreditur. Hæc porrò verba Paulus è Leuitico citat, in quo sic. Custodite leges meas atque iudicia, quæ faciens homo viuet in eis. Ex quo miro ingenij acumine collegit eas leges verè vitæ efficientes non esse. Nam quoniam Moses non simpliciter scripsit, qui ea fecerit viuet, sed adiunxit in eis, acutissimè vidit propter earum obseruantiam legum non promitti vitam simpliciter, sed eam tantum, quæ inest in ipsa lege. Id est, non promitti vitam animi, quæ vna vita dicenda est, sed vitam corporis, cuius efficiendæ ideò in lege facultas inesse dicitur, qua eius auferendæ illata morte corporis in ipsa residet potestas plena. *Leui. 18.*

Quanquam aduersus hæc sunt nonnulli, qui obiiciunt. Primò apud Matthæum scribi, Christum cuidam iuueni de ipso quærenti, quibus factis vitam consequi sempiternam posset, respondisse, vt seruaret mandata. Mandata ergo legis ritè seruata hominem efficere beatum possent. Deinde, inquiunt. Quænam obsecro est ista conclusio? Viuet in eis, ergo vitam corporis tantum viuet. Nam certè in eis, quod Hebraicæ linguæ proprietate dictum est, valet per ea: quod autem quis per opera legitima, quæ obsequutus legi facit, viuere dicatur, quî sequitur ipsum vitā corporis dici victurum? nùm qui per fidē operatur non rectè dicetur per ea quæ ex fide edit opera viuere? Dicetur sanè: nec tamē ex eo sequetur id de corpore intelligi. Postremò Chaldaica paraphrasis illud viuet in eis, sic vertit, vt de vita sempiterna animi Mosen intelligat esse loquutum. Sic enim id reddidit. Quæ faciens,

ciens homo viuet in eis vitam sempiternam.

Sed ad hæc respondere non est difficile. Dicimus enim rectè Paulum collegisse. Nam proculdubio, viuet in eis, *Haba.2.* valet, eam consequetur vitam, cuius conferendę vim ipsa opera habent: habent autem eius, quam promittunt. At, quam promittant ex ea, quam in transgressores mortem inferunt, satis apertè demonstrant. Itaque illud Christi, Serua mandata, de ea mandatorum obseruantia intelligendum est, quæ manat ex fide, ad quam etiam Chaldæus respexit. Quanquam hunc nodum Chrysostomus & OEcumenius alia ratione dissoluunt. Dicunt enim hoc testimonio Leuitici nolle docere Paulum vtram vitam lex obseruata cōferat, id enim Habachuc testimonio docuisse: sed notū reddere velle fidei, id est, credēdi in Christum præcepta non numerari in præceptis legis, quod Moses non qui crediderit ea, sed qui fecerit ea scriptum reliquerit. Eo enim ipsum declarasse vniuersa legis mandata ad facta referenda esse, omnesque eius præceptiones propriè in operando versari, hoc est, à lege, non quæ quis de Christo credere, sed quæ ipse debeat facere præscribi, atque præcipi. Sequitur.

Christus nos redemit à maledicto legis, factus pro nobis maledictum, quia scriptum est. Maledictus omnis qui pendet in ligno, vt in gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Iesu, vt pollicitationem spiritus accipiamus per eum.

Quid his verbis Paulus velit efficere, & quomodo eorum sententia connectenda sit cum superiorum verborū sententiis, non omnes explanatores eodē modo tradunt. Alij enim per digressionem hæc à Paulo dici existimant, vt quoniā de maledicto legis loquutus sit, eius occasione digrediatur ab eo, quod propositum sibi est, ad docendū à quo, aut per quē id maledictū irritum fuerit redditū. Alij autē de nouo Paulum in eo argumentatū putant. Alij per occu-

occupationem ista dici arbitrantur. Alij denique maioris explicationis ac plenioris doctrinæ causa. Quæ duæ posteriores rationes mihi magis probantur. Itaque de vtraque dicam, & de priore prius. Dixerat iustitiā acquiri fide non lege, quo ea ratione Galatas ad cultum legis Mosayeæ tendentes à cursu auerteret, & ad fidem Christi reuocaret. Sed quia fortasse eorum aliquis diceret. Lex, quemadmodum tu Paule confessus es, execratur eos, qui se non seruant, illosque maledictis insequitur: igitur & nos ni obtemperamus, configet lex maledictis suis. Quî ergo nobis author es vt legem negligamus? cur à tam vtili legis cultu nos auocas. Cui tacitæ obiectioni nunc Paulus respondens, *Christus*, inquit, *nos redemit à maledicto legis*. Quasi ita dicat. Nihil est ò Galatæ, cur recusetis, Mosayca deserta lege, ad Christi fidem reuerti: non enim si legem neglexeritis, maledicta legis vos comprehendent. Nam Christus à maledicto legis eos liberat, qui se fide & amore prosequūtur. Atque hæc de priori, posterior autem ratio sic se habet. Duobus supra positis argumentis Paulus confirmauerat legem pro iustitia maledictionem inferre, nam omnem iustitiam à fide esse. Sed quæri poterat quarum rerum fides iustitiam efficeret. Igitur ad causam suam propius accedens demonstrat fidem, quæ de Christo Deo habetur, effectricem esse iustitiæ: id autem demonstrat cum docet Christum liberasse nos à maledicto legis, ipse pro nobis maledictum factus, hoc est, subiens ipse atque suo corpore eam pœnam luens, quam lex in transgressores constituit, nec pœnam solùm exoluens, sed & probra & maledictiones eas patientissimè perferens, quæ legitimè damnatos & pœna capitali affectos sequuntur. Ex quo sic quodammodo argumentatur. Lex pro iustitia maledictionem nobis attulit, Christus eam subiit vnus pro omnibus, itaque nos ab ea exemit: igitur ipsa ratio postulat,

stulat, vt ab eo vno promissam Abrahami posteris benedictionem speremus, ideſt, speremus animi salutem atque iustitiam. Quod si Christus nostræ salutis author est, vt in Christum nostram fidem collocemus necesse est. Sicut enim quia æneus ille serpens, quem Moyses fabrefecit & in altum sustulit, videndumque vniuersis proposuit, sanare eos poterat, quos veri serpentes suo morsu sauciauerāt, ideò sauciis necesse erat in eum intentè respicere, eius vt salutarem vim ad se deriuare, atque transferre sic possent: sic vt eorū, quæ pro nobis Christus gessit ac pertulit, vim deducamus ad nos necesse est, vt fide, & amore in ipsum respiciamus. Ea igitur sola fides salutaris & iustitiæ effectrix est, quæ cum vero Christi amore coniuncta in eundem Christum confertur. Ait igitur. *Christus nos redemit à maledicto legis.* Legis maledictum duplex erat. Vnum quod scripto inferebat, alterum cuius incurrendi causam dabat. Nam execrationes atque dira in trāsgressores canebat, & per occasionē, vt dictum est, cunctos efficiebat trāsgressores. De vtroq; autē maledicto vna opera Christus nos liberat, id est, liberat à trāsgressione, & à trāsgressionis pœna. Nā Christi salus, & peccati admissi maculas reatūq; delet, & præterea vires homini suggerit, quibus valeat legi deinceps satisfacere. Quod autem dicit. *Redemit nos.* Illud, nos, quidam ad Iudæos solum pertinere putant: sed alij rectius ad homines vniuersos extendunt. Nam licet Iudæis tantum lex Mosayca lata esset, tamen quod ad ea præcepta attinebat, quæ moralia vocantur, quod omnem morum honestatem contineant, quæ ipsa ad naturæ ius etiam spectant, ad omnes pertinebat mortales. Nec verò Mosayca tantùm lex, sed & naturalis etiam ipsa per se, nisi à fide adiuuetur, eos qui se colunt trāsgressores constituit, peccatoque & ob id peccato debitis pœnis & maledictis inuoluit, quia spiritu destituta, abundare pecca-

peccatum facit. Sed & in eo quod ait, *Redemit*, aduerti debet. Pro eo quod redemit noster posuit, Græcè ἐξηγόρασεν esse, quod non fit nisi pretio persoluto: ex quo vult Paulus intelligi à Christo nos redemptos esse non vi, sed iure, ac summo quidem. Pretium enim, id est, peccati pœnam, cuius debitores effecti sumus, ipse persoluit. At quam pœnam? *Factus est*, inquit, *pro nobis maledictum*. Id est, De se ipse dici voluit, quod in nos propriè competebat. In quo primum videre licet quantum Deus nos amet, qui vt Petrus scribit, nos redimere voluit non corruptibilibus auro & argento, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, & incontaminati. Deinde perspicitur quàm exacta sit diuinæ iustitiæ ratio, quæ passa non est maledictum alia re, quàm maledicto vitari atque dissolui. In quo mirum certè est quàm ad vnguem à Christo seruata sit pro ratione eius, pro quo satis Deo faciebat, peccati in satisfaciendo forma atque modus, vt qui in ligno vincebat, quomodo canit Ecclesia, in ligno quoque vinceretur, & vt per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium. Et vt Eliseus propheta fœminæ Sunamitis paruum filium vita functum à morte excitaturus se ipse colligens, & ad demortui pueri corpus suum corpus accommodans, supraque ipsum incumbens, os ori applicuisse dicitur, pectusque pectori: sic Christum Deus voluit, humani generis peccato mortui singula membra contingere, hoc est, se prorsus ex eo fingere, & eius in se similitudinem omninò transferre, eademque agere, vt cum redderet vitæ, quæ ille prætermittens facere se præcipitauit in mortem: patique ipsum, quæ homo passurus esset, & morte compensare mortem, & maledictum maledicto redimere. 1. Pet. 1.

Sed tamen aduerti debet, quod hoc loco scribit Chrysostomus, non eiusdem esse generis vtrumque maledictum. Nam maledictum quod in nos competebat, & à quo liberati per Christum sumus, illud erat, quod lex in eos, qui se transgressi essent ferebat, de quo in libro Deuteronomij fit mentio. Eius autem generis maledictum subire Christus non potuit, qui vnus plenè legem seruauit, & vt ipse de se affirmat, impleuit: tãtum abest, vt illam in aliquo transgressus esset: Subijt autem aliud genus maledicti, quod in eos ferebat lex, qui in crucem agebantur, de quibus propriè dicebat maledictos esse omnes, qui pẽderent in ligno. Illud maledictũ culpam sequebatur: hoc autem erat coniunctum cum pœna, atque ex illa ferè manans, quòd probrosum & ignominiosum esset, nõ solum capite damnari, sed etiam in crucem agi, & eo supplicij genere vitam finire, quam ignominiam execratio consequebatur. Execrabantur enim merito omnes id genus mortis, quod & legum & hominum ipsorum iudicio tam insigni infamia conspersum esset. Christus itaque in crucem se agi sustinens, & execrationes eas subiens, quæ crucis consequebantur supplicium, non solum nostram culpam deleuit, sed etiam maledictis ijs nos liberauit, quæ in nos redundabant ex culpa. *Factus*, inquit, *pro nobis maledictum*. Sic enim interpretor maledictum pro nobis esse factum Christum dici, quia maledictionẽ à lege in eos latã, qui illud mortis obirẽt genus sustinuit, vt vna legali maledictione patienter à se tolerata nos liberaret ab altera legali itẽ maledictione, cui eramus propter trãsgressionẽ obnoxij. *Matth.6.*

Quanquam scio aliis videri, maledictum esse factum Christum dici, quia hostia fuit, qua peccati hominum culpa, & è culpa maledictio orta fuit expiata, eo scilicet sermonis genere, eaq; orationis figura, qua idem alibi ipsum appellat peccatum, id est, expiamentum peccati, qua dicit.

Eum

Eum qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit. Sed & alij hoc sic interpretantur, vt factus maledictio dicatur Christus, quia, quando in iudicio capitis condemnatus est, habitus est ab hominibus pro impio, & blasphemo. Sic enim apud Ioannem Iudæi dixisse referuntur. Si hic non esset malefactor, non tibi tradidissemus eum. Sed neutra explanatio, alia alia de causa mihi satis probatur. Nã certè Paulus non videtur loqui de maledictione, quæ ex eo extitit, quod homines de Christo male opinati sunt, id est, de eo quod habitus est pro nocenti, & legum transgressore: sed de maledictione à lege in eos lata, qui agebantur in crucem. Decernebat enim lex, vt eos omnes nõ modo pro nocentibus haberẽt, sed execrarẽtur etiam, ac diris omnibus deuouerent. Quod malum execrationis atque detestationis, quod cruci affixos legitimè sequebatur, Christus profecto subijt: & sicut mortuus est pro nobis, sic etiam nostri causa isto, quẽ dico, modo effectus est maledictus? Neque id Christum non decuit, cui non solum gratum atque dulce, sed etiam prædicabile fuit omnia ferè pœnarum & dolorum genera perferre pro nobis. Nec maledictum factus est in eo solum quod expiationis hostia factus est, ad ea, quæ in nobis inerant maledicta abolenda, sed in eo etiam quod legitimis execrationibus atque diris obnoxius voluit efici, quod ex eo, quod Paulus subijcit, liquet. Subijcit enim veteris legis testimonium, quo dicitur. *Maledictus omnis qui pendet in ligno.* Maledictus igitur Christus habitus est ex ista censura legis, quando in ligno pependit. *2.Cor.5.* *Ioan.18.*

At hoc testimonium quale est, aut vnde id Paulus desumpsit? Desumpsit ex Deuteronomio, in quo sic scribitur. Quando peccauerit homo, quod morte plectendum est, & adiudicatus morti suspensus fuerit in patibulo, non permanebit cadauer eius in ligno, sed in eadem die sepe- *„Deut.21.*

„ lietur, quoniam maledictus à Deo est, qui pendet in li-
„ gno, & nequaquam contaminabitis terram. Cuius te-
„ stimonij verba variè explicantur. Nam & in eo quod ma-
ledictus esse suspensus dicitur, & in eo quod sepultura af-
fici præcipitur, explanatores non eadem sentiunt. Qui-
dam sic. Maledictus à Deo, id est, valde erit infamis, qui
ea morte afficietur: erat enim id mortis genus valde ig-
nominiosum apud omnes. Chaldæus Paraphrastes aliter
sensit, sic enim vertit. Sepelite illum, quia pro eo quod
peccauit coram Domino suspensus est. Ex quo apparet
maledicti vocabulum peccatum significare ipsi, & de
eius sententia, quod lex dicit maledictum esse à Deo qui
pendet in ligno, valere, quia peccârit in Deum, & le-
gem eius transgressus sit, ideò pendere: cui sententiæ
propè accedit Symmachus, qui Hieronymo referente
sic vertit. Quia propter Dei blasphemiam: suspensus est.
Alij porrò dicunt, dici maledictum à Deo, siuè apud
Deum, quia ea pœna à Iudæis non afficiebantur, nisi
qui essent Idololatræ, aut in Deum blasphemi, quæ pec-
cata imprimis detestatur, atque execratur Deus, sed cur
eos statim humo condi iubet? iustius enim erat, vt qui tã
essent scelerati, insepulti feris laniandi iacerent. Quia, vt
dicunt nonnulli, oportebat, vt qui tantum scelus in Deũ
commisissent, quique ipsi ob eam causam execrabiles
essent, statim ab oculis omnium remouerentur, quod suo
aspectu quodammodo vniuersa polluerent. Itaque ad-
iectum statim in lege pro causa esse. Et nequaquam con-
taminabitis terram: vel, vt alijs videtur, humanitati in
eo seruitum est, & ne sub prætextu religionis, crudeli-
tati indulgeretur prudentissimè cautum. Nam aliter,
dum se pios haberi homines cuperent, in impiorum
& supplicio affectorũ hominum corpora acerbius fortas-
se sæuirent, quàm humanitas pateretur. Itaque quod
scribi-

scribitur, quia maledictus à Deo, qui pendet in ligno, sic
interpretari licebit, eum qui in ligno pendeat sepultu-
ra afficiendum esse, quamuis sit maledictus à Deo, sa-
tis enim illi sit vnum dependisse supplicium. Lyranus
porrò horum sepulturæ aliam reddit causam haud sanè
improbabilem. Quia, inquit, dum pendent non inter-
mittunt homines de eorum loqui blasphemia, cuius
tamen rei memoriam aboleri magis expedit. Sunt e-
tiam, qui putant in hac præceptione atque lege feren-
da maioris alterius rei, & magis arcanæ rationem esse
habitam, id est, habitam fuisse rationem Christi hono-
ris. Nam quoniam ille cruci affigendus erat, & eam ig-
nominiam mortis subiturus, aiunt consequens fuisse,
vt omnes qui in cruce penderent, quandiu penderent,
eius ignominiæ qua Christus afficiendus erat, imagi-
nem præseferrent, & eam quodammodo prædicarent,
quod contumeliosum Christo erat. Quare remoueri ab
oculis eorum corpora statim præcipi, atque humo con-
di iuberi. Vnde quod dicitur, maledictus à Deo, qui pen-
det in ligno, Aquila & Theodotion, & nonnulli alij ita
vertisse asserunt. Quia maledictio, aut ignominia, aut
iniuria Dei suspensus. Sic enim dicunt. ὅτι ὑβρις θεοῦ ὁ κρεμά-
μενος & certè Hæbraica כִּיקְלָלַת אֱלֹהִים תָּלוּי, verbum pro
verbo si reddantur sonare. Quia execratio aut probrum
Dei suspensus. Sed & Iudæum, qui Hieronymum He-
braicè docuit, sic ista verti posse, vt idem Hierony-
mus scribit, dixisse. Quia contumeliosè Deus suspensus,
vt videlicet quia Deus contumeliosè suspendendus erat,
& quia eius contumeliosè suspensi imago extabat in sus-
pensis in ligno, dicatur lex præcepisse, eos statim de
cruce tolli & sepulturæ mandari. Et certè mihi du-
bium non est, quin hac in lege sancienda Deus
respe-

respexerit ad futuram Christi mortis rationem. Nam nisi nominatim cauisset, vt cruci affixorum corpora sepultura afficerētur, eos sine dubio insepultos reliquissent, aut igne absumpsissent Iudęi propter sontium ipsorum scelęris magnitudinem. Nam vti dictum est, hoc crucis supplicio lege apud illos tantum afficiebantur homines blasphemi & idololarræ. Quod si more receptum apud Iudęos esset, vt cruci affixorum corpora aut absumerētur igne, aut patibulo affixa relinquerentur feris volucribusque dilanianda, id etiam seruarent in Christo, quando ipsum in crucem egerunt: quæ res illius futuræ resurrectioni, aut nostræ certè de ipso persuasioni, atque certitudini magnas afferret tenebras.

Sed quærat fortasse aliquis, quod & Hieronymus quærit, cur Paulus hoc scripturæ veteris testimoniū non integrè retulit, omisit enim illud verbum à Deo. Nam, vt dictum est, in Deuteronomio, maledictus à Deo dicitur suspēsus in ligno: itaque tam in vulgata editione legitur, quā in Græcis, Hebraicis, Chaldaicisque codicibus: nec solum omisit illud, sed & de suo addidit verba illa, omnis, & in ligno, quibus carent Hebræa. Et vt de hoc posteriori dicamus prius, responderi profectò debet, quamuis desint in Hebræo illa duo verba, tamen necessario subintelligenda esse. Nam lex illa genus vniuersum comprehendebat, ex quo suspensus id esse, quod quicumque suspenditur. Et rursus cum suspensus scribitur maledictus, intelligi, suspēsus in ligno, nam de illis nominatim agebatur: præcesserat enim. Si quem suspendisti in ligno, non maneat eius cadauer in ligno. Et addit Quia maledictio Dei suspensus, scilicet, in ligno: id enim è superioribus repeti deberi constat, quod Græci fecerunt interpretes, quos in eo Paulus sequutus est.

Sed de priori illo maior est controuersia. Nam Hieronymus

nymus eo propendit vt credat additum Hebræis codicibus, & insertum illud verbum fuisse à Iudæis studentibus ea ratione infamiam Christiano conflare nomini, quod pro Deo colere Christiani dicerentur, quem scriptura maledictū à Deo esse affirmaret. Quod vt verosimilius astruat audacter affirmat, nusquam in scriptura quenquam à Deo maledictum dici, inueniri. Sed vt de corruptione Hebraici codicis, & de fraude Iudæorum, & eorum nocendi studio nunc sileam, hæc certè Hieronymi obseruatio vera non est. Nam aut intelligit non esse Dei cuiquam maledicere, aut si maledicat, non tamen scribi ipsum maledicere, neque cum maledicendi verbis Dei nomen vsquam coniūgi. At vtrūq; incertū, vt videtur, quod patet. Genes. quinto capite sic scribitur loquutus Lamech. Hic consolabitur nos à laboribus manuum nostrarū in terra, cui maledixit Dominus. Et in duodecimo. Deus ad Abrahamum se ipse profitetur maledictionis illatorem futurum. Benedicam, inquit, benedicentibus tibi, & maledicam maledicētibus tibi. Et in octauo idem. Neque vltra maledicam terræ propter homines, inquit, consequens ergo est antea maledixisse dici, sexcenta sunt huiusmodi in primo Regum libro, sic aduersus quosdam Dauid precatus scribitur. Maledicti sint in conspectu Domini: quod imprecatus fuisset minimè, si non esset Dei maledicere. In Numeris Balaam. Quomodo maledicam, cui non maledixit Deus? Iosue in capite sexto. Maledictus vir coram Domino, qui suscitauerit, & ædificauerit ciuitatem Iericho. In quarto Regum de vno propheta Eliseo. Qui cū respexisset, vidit eos, & maledixit eis in nomine Domini. Et rursus in Numeris. Det te Dominus in maledictionem. In Ecclesiastico porrò. Maledictus à Deo, qui exasperat matrem. Et illud Christi quod mirum est nō occurrisse Hieronymo, quo nihil est magis neque apertum, neque obuium. Ite maledicti in ignem æter-

„*Gene.* 5.
„
„
„
„*Gene.* 12
„
„
„*Gene.* 8.
„
„*Reg.* 26.
„
„
„*Num.* 23
„
„*Iosu.* 6.
„4 *Reg.* 2
„
„*Num.* 5.
„
„
„
„*Matt.* 25

æternũ. Cur enim negemus Deum in sacris literis maledicere dici, cum videamus eas ipsum maledicentem inducere? Quod autem Iudæos in hoc loco suos codices post Christi aduentũ corrupisse dicit, id nõ est verosimile. Nũ & Græcos etiam vitiarunt codices. Nam & septuaginta viri multis annis ante Christum natum sic transtulerunt: & vt vitiare vellent, quî possent tot codices tam multis locis dispersos, & quod maius est, in scrinijs Ecclesiæ clausos, & in potestate fidelium positos? Sed faciamus potuisse, quid quæso vitiasse retulit? Nùm minus est ad contumeliam Christiani nominis (si tamen in eo vlla est contumelia,) Christum à lege diuinitus lata, quàm à Deo maledictũ dici? Atqui, vt verba illa à Deo eradamus, tamen recusare non possumus, qui pependerit in ligno maledictum esse legis diuinæ vocibus atque decretis, sed quid est, cur Christũ maledictũ dici nolimus, aut id nobis, nostroque nomini ignominiosum fore putemus? quod Hieronymus fore putat. Itaque magno studio molitur ab isto legis maledicto Christum eximere, quod lex de sontibus statuat, Christus autem insons affectus supplicio fuerit fraude pontificum. Aquo ipsum labore Paulus potuisset liberare, eo ipso quẽ exponebat loco, animum modo aduertisset. Nam Paulus non veretur Christum maledictionem legis subijsse fateri, disertè enim scribit. Christus nos redemit à maledicto legis, factus pro nobis maledictum. Paulo autem nemo neque in loquendo cautior neque honoris Christi fuit studiosior. Ne metue ergo (vir sine dubio sanctissime) vt ignominiosum sit Christo, quod Paulus, quia glorioſum ipsi fore censebat, ei libenter affixit: neque te risus moueant Iudæorũ, quibus vt hanc causam nos irridendi detrahas, illã aliã, ob quam ijdẽ nos irrident, quod quẽ ipsi cruci affixerũt, nos pro Deo colimus, ne si posses, velles subtrahere. Illis cæcis atque miseris sit Christus contemptui, quando eis

do eis propter ipsorum impietatem non datur, vt oculos suos ad tantum contuendum lumẽ attollant. Nos contẽnãt etiam atque derideant, quibus eadem cõditione esse, qua noster dux fuit, amplũ est, & optabile. Sed si Christus cruci affixus & legis detestationi subiectus, & pro maledicto habitus, Iudæis scandalũ, & gentibus stultitia videtur, vt Paulus alibi scribit, nobis tamen est virtus Dei. Itaque id non modo non erubescimus, aut celamus, sed prædicabile & gloriæ plenum esse censemus: prædicamusque vltro ipsi, ostentamusque. Dicimus enim subijsse Christum, vt crucis contemptum, sic etiam legis maledictionem. 1. Cor. 1.

Sed locus postulat vt explicemus qua id ratione verè dicatur. Duæ rationes sunt, vt mihi videtur, quibus fit, vt id de Christo dici, atque concedi possit. Vna vt verum sit, quod Hieronymus astruit, eos solum pro maledictis à lege esse habitos, qui sontes erant, & ob admissum scelus patibulo affigebantur: tamen Christum in his censeri quadam ratione posse. Nam ob scelus in crucem actus est, scelus inquam, non quod admisit ipse, sed quod quasi admisisset ita pro suo habuit, vt pœnam ei sceleri debitam sustinuerit. Vt enim apud Esaiam scribitur, propter peccata nostra, quæ supra illum Deus posuit, eum contriuit, id est, morte affecit ignominiosa, & acerba, Ex quo & ipse Christus maledictus à Deo hactenus dicitur, quatenus Deus odit, atque execratur peccata hominum ea, quæ Christus pro suis habere voluit, eorum vt pœnam suo corpore sueret. Etenim, vt Augustinus scribit, lex eum habebat pro maledicto, quem agebant in crucem, & ea ratione qua agebant: Christum autem, cum prius nos suprà se posuisset ipse, Iudæi in crucem egerunt. Itaque persona ipsa priuata Christi, minimè per se execrabilis Esai. 52. Aug. hic & lib. 4. con. Faustum.

Deo

Deo fuit, aut vlli eius maledictioni subiecta: Eam enim cũ aliàs semper charissimam, tùm eo ipso tempore quando in cruce animam agebat gratissimam Deus habuit: sed gerebat ibi personam omnium peccatorum publicam, & quia gerebat debita peccatis omnium luebat supplicia, nostraque in ipso scelera de ligno pendentia, nosque ipsos omnibus coopertos criminibus vnà cum ipso affixos cruci, hoc est, totum veterẽ hominem iure detestabatur Deus, & seuerus ad supplicium vocabat, vnde Christus in cruce nostra ex persona sic loquutus dicitur. Longe à salute mea verba delictorum meorum. Altera ratio est. Ma-
Psal.21. ledictio aut execratio est, detestatioque eius, quem quis improbat & abominatur: aut infamia & ignominia in eundẽ collata: maledictusque similiter aut is dicitur, quẽ execrantur alij, aut qui apud alios infamis habetur. Si quẽ alij execrantur, Christus dicitur maledictus à Deo, non quòd Deus execratus sit illum, sed quod permiserit eum vt alij detestarentur, Hebræorũ loquẽdi more minimè ignoto: sic enim induraſſe Deus corda hominum dicitur quod ea non emolliat: sic peccare, & errare facere, non quòd in errorem aut peccatum quenquam inducat, sed quod permittat vt erret. Vel maledictus à Deo esse Christus potuit dici, quia se ita cum illo mortis tempore Deus gesit, quasi odio ipsum haberet, ex quo voces Christi illę.
Matt.25. Deus meus, Deus meus, quare dereliquisti me? Et certè opinione multorũ pro derelicto habitus est, ipsum quando in cruce suffixum viderunt, itaque dixerũt Si filius Dei est, descendat nunc de cruce, sperauit in Deo, liberet eum. Quæ etiam loquendi ratio in sacris literis non est infrequens, vt Deus id dicatur facere, cuius ostentat speciem, quodque feciſſe velle prę se fert, vt in Gene si, pœnitentia ductus inducitur, quod hominẽ condiderit, non quòd re pœnituerit ipsum, (quî enim id posset?) sed quia quasi pœnituiſ-

nituisset, homines interemit, sin autẽ maledictus infamis sit & ignominiosus, id quod nonnulli illum esse volunt, verè hæc mala Deus sicuti & mortem in Christum inuexit, vt quæ nobis grauissima mala inerant, hac Christi ærũna, pius ipse & misericors aboleret. Quare sequitur. *Vt in gentibus benedictio Abrahæ fieret in Christo Iesu.* In gentibus, quidam sic, in hominibus vniuersis. Nam gentes latæ significationis vocabulum homines vniuersos significat. Rectius alij in Idolorum cultoribus, quos gentiles aut gentes sacri scriptores vocant, vt sensus sit. Mala illa opprobrium, ignominiam, multorum hominum execrationes Christum libenter esse passum, vt benedictio Abrahæ, id est, quæ Abrahamo promissa est fieret, id est, peruenireт etiam ad eos, qui idola colebant. Qua in re talis ordo seruatus est. Christus factus pro nobis maledictum, Iudæos quidem imprimis à maledictione ea liberauit, quam lex in eos, qui se transgrederentur ferebat: porrò illos à maledictione legis liberans, ab obligatione eiusdẽ seruandæ etiam exemit. Idque significat Paulus eos asserens à maledicto legis esse liberatos per Christum, quod consequens sit, maledictum, quæ legis violatæ pœna est, non incurrere, qui solutus est lege. Ergò Iudæos Christus lege primum soluit, vt deinde gentes participes esse possent benedictionis Abrahamo promissæ, id est, salutis, quæ conferebatur per Christum. Nam vt gentes in fidem intrare possent, & cum Iudæis vnum ouile conficere, necesse fuit Iudæos solui ea lege, quæ ipsos alienabat à gentibus, vsque eo, vt eam Paulus ad Ephesios scribens nominet parietem maceriæ, qui inter vtrosque constitutus eos coire non sineret. Quem parietem dirui necesse fuit, vt ex vtroque populo vnus populus coalesceret, dirutusque is à Christo est lege Mosayca ab ipso abrogata, vt sic, quæ ex ipso manat salus, peruenireт ad gen-

Universidad de Deusto
Biblioteca

Ephes. 2. tes. Qua de re Paulus ad Ephesios luculenter scribit, sic inquiens. Ipse enim est pax nostra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietē maceriæ soluens inimicitias in carne sua, legem mandatorum decretis euertens, vt duos condat in semetipso, in vnum nouum hominem faciens pacem, & reconcilians ambos in vno corpore. Ergo lex abrogata est & maceriæ paries de medio sublatus, vt vnà cum Iudæis benedicerentur Gentiles. At huius benedictionis quænam quæso vis est. Id declarat quod sequitur. *Vt*, inquit, *pollicitationem Spiritus accipiamus per fidem*. Pollicitationem Spiritus nominat Spiritus sancti luculentum donum, quod cum fide Christi ipso pro nobis nato homine in omnes orbis nationes effundendum esse prædixerunt & promiserunt prophetæ: quo dono benedictio illa continetur Abrahami promissa semini, id est, promissa omnibus, qui Abrahami fidem imitati essent, & ideò addidit, *per fidem*, quod fides illam agnationem efficiat: per fidem, inquam, quæ Iudæis potest esse communis cum gentibus, & non per legem, quæ gentes separat à Iudæis. Quasi Paulus argumentetur hoc modo. Lex communis omnibus esse nō potest. Est enim odiosa multis vsque eò, vt quiduis esse citius, quàm se Iudaicis legibus obligari malint. At salus atque benedi
Genes. 21 ctio Abrahamo promissa pertinebat ad vniuersos. Inte, inquit, benedicentur omnes tribus terræ. Igitur non conciliatrice & tanquam sequestre lege, quam repudiant ferè omnes orbis nationes, homines efficiendi iusti sunt, sed Christi fide, ad quam vndique concursus fiunt, auctore, atque duce, sequitur.

Fratres secundum hominem dico, tamen hominis confirmatum testamentum nemo spernit, aut superordinat. Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini eius. Non dixit in seminibus quasi in multis, sed quasi in vno, & semini tuo, quod est Christus. Hoc autem dico testa-

testamentum confirmatum à Deo, quæ post quadringentos & triginta annos facta est lex, nō irritum facit ad euacuādā promissionē.

Instituit aliud Paulus argumentum, quo suum propositum adhuc magis confirmat, & argumentatur hoc modo. Ea de quibus homines inter se paciscuntur rata atque firma manere solent, neque ea quis audet mutare, violare ve, igitur multo magis quæ semel Deus pepigit firma manebunt. Deinde Deus cum Abrahamo fœdus pepigit, ipsi futurū promittens, vt in semine eius, hoc est, in Christo ex illius stirpe nasciturο benedictio atque salus daretur gētibus: legem igitur, quam postea tulit, populoque dedit Iudaico, non ideò dedit, vt per eius obseruantiam homines consequerentur salutem & benedictionem: nam si eo dedisset, mutasset certè id, de quo cum Abrahamo pepigerat fore, vt per Christum homines seruarentur. Id autem pepigisse demonstrat Paulus promissi Syngrapha in mediū producta. Ea autē est. Et in semine tuo benedicentur omnes gentes. Nā ex eo manifestū est promitti ipsi fore vt nō per multos sed per vnum è suis posteris, quē Christū esse constat, humanū benediceretur genus.

Hæc in sūma Paulus argumentatur: sed nos singula quibus id argumētatur verba expēdamus. *Fratres*, inquit, *secūdū hominē dico* Id est. Vti volo exēplo ex eo, quod homines facere cēsueuerūt desūpto: exēplū autē tale est. *Tamē hominis cōfirmatū testamētū nemo spernit.* Tamē, id est, licet, hoc sē su. Testamētū licet humanū sit, hoc est, quāuis id scribant homines, qui volūtates atq; iudicia mutare sæpè solēt, tamen id nemo spernit, id est, futile esse cēset, omnes potius iudicāt ratū esse atq; firmū. Nemo enim qui modo bonꝰ atq; verax haberi vult, id mutet, aut abroget: omnes nāq; promissis stare curāt, & fidē fallere cauēt. Vel hoc modo potius. *Secūdū hominē dico.* id est, adfero exēplum hominū, qui quāuis corū fides non sit conferenda cum Deo, tamē

testamentum semel quod scripserunt non mutant, aut rescindunt, Testamentum porrò vocat pactum atque conuentum Hebraica loquendi proprietate, qua conuenta testamenta nominari solent, quod & Augustinus scripsit, quomodo id & in Genesi, & in Psalmis, & alibi sæpè poni conspicitur. Sed & Græcum διαθήκη pactum etiam interdum apud probatos significat. Igitur, inquit, quando hominum pacta firma manent, Dei conuenta rata manebunt. At quænam hæc sunt diuina conuenta, atque pacta? *Abrahæ*, inquit, *dictæ sunt promissiones* Dictæ, id est, factæ more Hebraico, vt in Euangelio, Dic vt hi duo filij mei sedeant. Factæ autem Abrahæ promissiones quæ obsecro, aut vbi? In Genesi duobus in locis. Et benedicētur in semine tuo omnes gētes: per Christum ergo sunt benedicendę. Nam subijcit. *Non dixit, in seminibus quasi in multis, sed quasi in vno, qui est Christus* At hæc probatio dupliciter peccare videtur. Primò quia semen in singulari numero sæpè pro multis ponitur. Gene. 12. & 13. & 15. Suspice cælum & numera stellas si potes, sic erit semē tuum. Deinde quia non sequitur, vt ponatur pro vno, poni pro Christo. D. Hieronymus pro ingenio corū, ad quos Paulus agebat, non nimis exactè argumētatū ipsum fuisse dicit. Agebat enim ad Galatas crasso & pingui ingenio homines. Itaque & ipse οὐ μαλα ακριβῶς sed τυπῳ quodammodo argumentatus est, vt scribit. Sed hæc non rectè de Paulo. Quare potius dici debet, primum, vocabulum semen etiam pro vno tantum solere poni, vt in Genesi. Sed, & filium ancillæ tuæ faciam in gentem magnam, quia semen tuum est. Deinde in illa promissione id vocabulum pro vno poni. Nam etsi ex vi vocabuli non sit necesse, tamen positum esse colligi è promissionis omnibus circunstantijs. Paulum certè diuinitus edoctū id pro vno, eoq; Christo positū esse vidisse: itaque

Aug. li. 1. locutionū in Genes.
Gene. 26.
Psal. 82.
Gene. 12. & 22.
Gene. 21.

itaque ex eo argumentatū esse quod Spiritu ipsum docente verum esse videbat. Hoc igitur benedictionis per Christum futuræ testamentum, & pactum, *Lex*, inquit, *quæ post quadringentos & triginta annos facta est non irritum fecit, ad eas cuandam promissionem.*

Hic occurrit acris & difficilis quæstio de isto annorū numero, vtrùm verum sit, quod Paulus scribit. Nam vt falsum videatur primo facit quod à promissione, quæ facta dicitur Abrahæ in capite duodecimo Geneseos, vsque ad ingressum filiorum Israël in AEgyptum numerantur quindecim anni supra ducentos: Ab ingressu autem vsque ad exitum fluxerunt anni quadringenti & triginta, nam per tot annos commorati sunt in AEgypto. Ab AEgypto porrò egressis lex data est: ergò à promissione ad legem latam sexcenti quadraginta quinque numerantur anni. Confirmemus singulas partes. A promissione ad ingressum quindecim suprà ducentos fluxisse annos apertè colligitur ex Genesis. 12. 21. 25. & 47. capitibus. Nam vt ex his locis ritè inter se collatis constat, à prima promissione vsque ad natum Isaac intercesserunt anni viginti quinque, & Isaac sexaginta annos natus genuit Iacob: ergo à promissione ad Iacob natum fluxerunt anni octoginta quinque. Iacob porrò trigesimum suprà centesimum annum agens ingressus AEgyptum est vnà cum filijs & nepotibus suis: colligūtur igitur à promissione ad ingressum anni quindecim suprà ducentos. Quod autem mora Iudęorum in AEgypto fuerit quadringētorum, & triginta annorū in Exodo apertè dicitur in cap. duodecimo in quo sic. Habitatio autem filiorum Israel, qua manserunt in AEgypto, fuit quadringentorum & triginta annorum. Deinde in Genesi in cap. 15. sic dicitur. Scito prænoscens, quod peregrinum futurum est semen tuum in terra non sua, & subijcient eos seruituti, & affligent quadringentis annis; verū- tamen.

„Exod. 12.
Gene. 15.

tamen gentem cui seruituti sunt ego iudicabo. Igitur, si in AEgypto quadringentis annis seruierunt Iudæi, plures quadringentis triginta annis intercesserunt inter promissionem & legem. Ad hæc in eodem dicitur capite. Generatione quarta reuertentur huc, quo significatur quatuor generationibus, id est, sæculis, quorum quodque centum constat annis in AEgypto completis in terram Chanaan Iudæos esse reuersuros. Præterea in Actorum libro ipsemet Paulus affirmasse scribitur Iudæos quatercentũ annos moratos esse in AEgypto. Nam dicit. Cum essent incolæ in AEgypto in brachio excelso eduxit eos, & per quadraginta annorum tempus mores eorum sustinuit in deserto, & destruens septem gentes in terra Chanaan sorte distribuit eis terram, quasi post quadringentos & quinquaginta annos. Nam addidit ad quadringentos AEgyptiacos, alios quadraginta annos in deserto consumptos, & ferè decem alios, quos bello subiugandis Chananæis consumpserant. Et certè idem videtur affirmasse D. Stephanus, vt in eodẽ traditur libro. Postremò. Sià promissione ad legem non plures fluxerunt anni, quam quadringenti & triginta, sequitur Iudæos in AEgypto commoratos esse tantum annis quindecim suprà ducentos Nam à quadringẽtorum actriginta annorũ summa, ducentis atque quindecim, qui à promissione ad ingressum fluxerunt, annis detractis, totidem alij fiunt reliqui, quibus tota Iudeorũ in AEgypto circũscribitur mora. At hoc nõ est verosimile. Quis enim credat septuaginta homines, qui primò AEgyptũ ingressi dicũtur intra tẽpus tã breue suum adeò propagasse genus, vt quãdo egressi de AEgypto sũt, sexies cẽtena millia bellatorũ præter fœminas ac pueros confecerint. Sic enim in libro Exodi scribitur. Profecti sunt filij Israel de Rameſſe in Sochoth sexcenta fere millia peditũ sine paruulis ac mulieribus. Sed nec id solũ intra tã exiguã diem

Act. 13.

Act. 7.

Exod. 13

diem auctos in immẽsum Hebræos concedendũ illis est, qui istũ annorũ numerũ à Paulo fixũ defendũt: sed etiam quod prodigiosius est nobis dabũt duabus tãtũ generationibus tanta vbertate illos pullulasse, vt eã summã confecerint. Nã ab ingressu Iacob ad Mosis egressũ duę tãtũ intercesserũt generationes, vna enim cũ Iacob auo & Leui patre Caath pueringressus AEgyptũ in Genesi dicitur. Caath autẽ Mosis auus fuit, genuit enim Amrã, à quo Moses genitus est, vt commemoratur in Exodo. Quî ergo credi, fierive posse septuaginta viros vno atq; altero ortu tãtã produxisse nepotũ siluã? Nã vt demus quinquagenos singulis filios, & in singulos filios centenos nepotes, nepotes omnes filijq; millia trecẽta & quinquaginta tria ad summũ cõficient. Nã septuaginta viri quinquagies ducti, ter mille suprà quingentos efficiũt quæ est summa filiorũ, rursus ter mille quingẽti ducti centies efficiũt millia trecẽta & quinquaginta nepotũ, quibus si superior filiorũ addatur numerus, existẽt. 353000. suprà quingentos. Atque his rationibus effici posse videtur plures quam quot Paulus scripsit annos fluxisse à promissione ad legislationem vsque.

Gene. 46. Exod. 6.

Sed ijs nõnulla obstãt. Primũ Pauli authoritas, quã sacrosanctã habeamus necesse est. Deinde annorũ, quos Mosis parẽtes atq; auiui vixisse dicũtur, calculus. Nã Caath auus Mosis vnà cũ Leui patre suo puer ingressus AEgyptũ dicitur, in Geneſis libro. Demus ingressũ bimũ, aut trimũ, is vixit annos. 33. supra centum. De eo enim scribitur. Anni quoq; vitę Caath. 133. Porrò Caath Amrã filiũ sustulit, quẽtamẽ extrema sua senectute sustulisse nõ est credẽdus, sed dem⁹ sustulisse vltimo vitæ suæ anno, quò magis de eo qđ intẽdimus cõstet: fluxerũt ergò ab ingressu Hebræorũ in AEgyptũ vsq; ad natũ Amrã 130. anni. Amrã autẽ, vt in eo dẽ scribitur loco, annos vixit centũ triginta septem, cuius filij Moses & Aaron fuerũt, quos etiã demus extrema sua

Gene. 46. Exod. 6.

Exod. 6.

senecta genitos ab ipso esse. Intercesserunt ergo inter nativitatem Amram & ortum Moysis anni centum triginta. Moses autem annos octoginta natus Hebræos eduxit ex AEgypto: igitur ab eorum ingressu vsque ad eorundem exitum non plures anni fluxerunt, quam quos isti tres quos diximus conficiũt numeri, id est, quam quot fluxerunt ab ingressu Caath ad natum Amram, & ab eo ad Mosis ortũ, & ad eundem octogenariũ, qui omnes in vnam collecti summam vix tercentum quadraginta conficiunt. Super hoc nostra ætate quidam vir doctus censet Hebræos incoluisse AEgyptum ad quadringẽtos triginta annos, vt scriptum esse videri potest in capite duodecimo Exodi, à cuius sententia neque Augustinus Eugubinus, neque è priscis scriptoribus Cyrillus multum vt mihi videtur, absunt. Et quod Paulus in hoc loco scribit sic accipit, vt in eo quod de lege lata post quadringẽtos & triginta annos commemorat, non significet post promissionẽ Abrahamo factam, sed post ingressum Hebræorum in AEgyptum, id tempus ad latam vsque legem fluxisse. Quasi ita scripsisset. Testamentum confirmatum Abrahę à Deo, non irritum fecit, quæ post quadringentos triginta annos ab ingressu Israelis in AEgyptum facta est lex.

Exo. 7.

Gene. li. 1 Chronog.

Exod. 12.

At isti interpretationi, non solũ nouitas obstat, sed etiã Pauli propositum, atque mens. Id enim Paulus agit, vt doceat promissionem præcessisse, legislationem sequutam esse, & prius à posteriori abrogatum non esse. Id autem, promissionem antecessisse in oratione sua Paulus non poneret, neque ex eo, quod hic scribit, verum esse liqueret, si post ingressum, id tempus fluxisse diceret. Quî enim constat ingressum promissione esse posterius? Dicet iure aliquis, nec enim id Paule à te constitutum est. Ad hæc de ingressu nulla fit mentio, de promissione proximè statim præcessit: qui

qui ergo possit intelligi ab ingressu, & non potius à promissione annos illos dici numerari? & si ab ingressu, cur magis ab ingressu intelligatur Iacobi, quã Abrahami, cuius proximè præcesserat nomen, cum constet & ipsum à Palæstina in AEgyptũ aliquando venisse. Itaq; illa exponẽdi Paulũ ratio, mihi vt videtur, est valde improbabilis. Nec minus quæ de spatio vitę Caath, & Amram cõminiscitur, id vt telum vitet, quo se confici videt. Scribit enim primò fieri posse, vt Caath non auus Mosis fuerit, sed tertius aut quartus auus, & vt scriptura more suo eorum reticuerit nomina, qui intercesserunt inter Caath & Amram, vt Matthæus nonnullos prætermisit nominare Christi auos in auorum Christi catalogo, & Esdras Zachariam, Addonis qui esset nepos, Addonis nominat filium. Deinde quãdo hoc ipsi dare nolimus, tamen ait Amram diutius vixisse, quàm quantum in Exodo, vt apparet, scribitur. Hoc est, vni rei commentitiæ nouum aliud commentum adiungit: idque ex eo confirmat quod Hebræi Amram numerare solent inter eos, qui vitam produxerunt longissimè. Quod autem Moyses in Exodo scribit. Et fuerunt anni vitæ Amram centum triginta septem: id præcisè ab eo scriptum esse, ac proinde addi deberi, aut quasi additum esset intelligendum dici, quando genuit Mosen. Sed mihi neutrum probatur. Non prius. Quia in libris Paralipomenon, quo loco Leuiticæ familiæ omnes ordine recensentur, hi ipsi, nec præterea alij Mosis numerantur parentes, auique. Deinde quia si plures intercessissent inter Caath, & Moysen, quàm qui in Exodo intercessisse dicũtur, non quarta generatione egressi de AEgypto Hebræi essent, id est, non quatuor hominum generationibus exactis ab eo tempore quando primum in AEgyptum venerunt, reliquissent AEgyptum, contra atque in Genesi fore prædictum erat. Nam demus Amram nepotem fuisse Caath, &

Gen.

Matt. 1.

Esd. 5.

Exod. 6.

1. Par. 6.

Gen. 15.

auum Moſis, & non, vt ſcribitur, Moſis patrem & filium Caath: igitur à Caath, quo puero Iacob AEgyptum ingreſſus eſt vſque ad Phinees Aaronis nepotem, quo item adoleſcente Iudæi ex AEgypto profecti ſunt, ſex numerantur generationes hominum: duæ ſcilicet à Caath ad Amram, ſuum vt fingimus nepotem: ab eo autem vſque ad Aaronem fratrem Moyſis item duæ, rurſuſque duæ aliæ ab ipſo ad Phinees, qui Eleazari filius fuit, & Aaronis nepos. Quibus fit, vt prius illud mihi probari non poſsit, poſterius vero multò minus. Nam præterquam quod illa interpretandi atque exponendi ſacram ſcripturam ratio nimis violenta eſt, & à conſuetudine ſermonis ſcripturarum aliena, vt liquere ex Geneſis libro poteſt, in iis locis, in quibus veterum hominum ſpatia vitæ ſcribũtur, & ſeorſum notantur certa tempora, quando filios generare cœperunt, eſt etiam eiuſmodi, vt, ne ſi detur vera eſſe, ex ea conficiatur, quod quæritur, Iudæos incoluiſſe quadringentis, ſcilicet, & triginta annis AEgyptum. Nam, vti è ſuperius ducto calculo conſtat, omnis ea ratio, atque numeratio vix ad ter cẽtum annorum aut paulò maiorem ſummam peruenit. Quare verius eſt, mihi certè magis probatur, Auguſtinus quod ſcribit Pauli commotus authoritate variis in locis, à promiſsione ad legiſlationem tantum quatercẽtum & triginta annos fluxiſſe, vti Paulus hic affirmat, & moratos Hebræos in AEgypto eſſe paulo plus ducentis annis, quod item doctores Hebræi ferè omnes concedunt.

Augu. de Ciuit. lib. 16. c. 24. qu eſt. ſuper Exod. Vtraque gloſſ. Rupertus. Euſeb. in Chronicis

Itaque ad ea, quæ contra allata ſunt, ego ita reſpondeo. Ad primũ nego Hebræos quadragẽteſimo anno poſtquã AEgyptum venerunt diſceſsiſſe ab Aegypto. Et quod dicitur in Exodo, Habitatio autẽ filiorũ Iſrael, qua manſerunt in AEgypto, fuit quadringentorum, & triginta annorum, id Auguſtinus interpretatur dici, nõ quòd in AEgypto totum id tẽpus cõſumpſerint, ſed quòd ſeruiẽtibus in AEgypto

pto ipſis, is annorũ numerus cõpletus fuerit, quo completo atq; exacto ſeruire deſierint: & adducit pro exemplo, quod de Tharã Abrahç patre in Geneſi dicitur. Et fuerunt dies Tharę in Carrã quinq; & ducẽti anni: non quia in Carrã omnes acti fuerint, inquit, Auguſti. ſed quia ſunt ibi cõpleti. Quare & Græci interpretes ita verterunt. Incolatus, quẽ incoluerũt filij Iſrael in AEgypto, & in terra Chanaã ipſi & patres eorũ, fuit. 430 annorũ. Et ad aliud, q̃ cõtra afferebatur, dici in Gene. ſeruituros in Ægypto per. 400. annos, Auguſ eodẽ modo reſpondet cõpletos eos annos in AEgypto eſſe, nõ actos vniuerſos. Id porrò, quod in Actis Paul. dixiſſe ſcribit. Datã Iudæis Palęſtinã poſsidendã poſt 400. annos, noſtrã nõ labefactat, ſed potiꝰ cõfirmat ſentẽtiã. Sẽtit enim Paul. datã poſt 400. à promiſsione, nõ autẽ ab ingreſſu in Aegyptũ. Nec verò nõ eſt veroſimile, vti vlti mo obiiciebatur loco, intra tã breue tẽporis ſpatiũ, tot homines è tã paucis eſſe propagatos. Nã etſi à Caath vſq; ad Moſen nõ ſint, niſi generationes duę, tamẽ à Caath vſq; ad eos qui vna cũ Moſe Ægypto profecti ſunt, cõſtat fluxiſſe generationes quatuor. Nam ante eã profectionẽ annis aliquot natus eſt Phinees Aaronis nepos Eleazaro patre. Et vt inter Caath & Moſen tantũ duæ intercedãt generationes, tamẽ inter reliquos, qui vnà cũ Caath AEgyptũ venerũt, & ipſorũ illos poſteros, qui in eandẽ cũ Moſe inciderũt ętatẽ, nõ neceſſe eſt duas interceſsiſſe generationes tãtũ, potuerũt intercedere plures, & verò interceſsiſſe eſt veroſimile, ex quo ille tãtus è tã paucis intra tã paucos annos ſuccreuit, & pullulauit Iſraelitarũ numerus, Deo præcipuè eius gẽtis res peculiari cura in maiꝰ ſemper promouẽte, & augẽte, quod & pollicitus fuerat facere quãdo cũ Abraham iſto modo loquutus eſt. Multiplicabo ſemẽ tuũ ſicut ſtellas cæli: & ſicut arenã, quę eſt in littore maris. idq; præſtari ab ipſo cęptũ eſſe in illo Ægyptiaco incolatu teſtatur ſcriptu-

„ *Gen. 11.*

Gen. 11.

„ *Gen. 22.*

Exod. 1. scriptura, quà post ingressum Iacobi in Aegyptũ, sic dicit. Filij autem Israel creuerunt, & quasi germinantes multiplicati sunt. Nam Hebraicum שרץ, quod multiplicare noster conuertit, de fœtura piscium propriè dicitur, itaque ebullire in morem piscium significat. Pisces porrò multiplices fœtus edunt. Quare & alij verterũt. Vermium more scaturiebant aucti in immensum. Sequitur.

Nam si ex lege hæreditas, iam non ex promissione, Abrahæ autem per promissionem donauit Deus.

Nonnulli hoc cum superiori argumento confundunt, sed rectius mea quidem sententia faciunt, qui hoc à superiori argumento distinguunt. Suprà argumentabatur, quę homines inter se paciscuntur rata & firma manent, ergò quæ cum Abrahamo Deus pepigit, ea postea, quando legem tulit, non immutauit. At pepigit futurum, vt omnes orbis nationes sanctificarentur per Christum: Christus ergo, & non Mosayca lex est qui sanctificat. Nunc ita argumentatur. Deus simpliciter, nullaque conditione addita, quæ ad nostra spectaret opera, aut quæ ex vllius legis obseruatione penderet, Abrahamo promisit fore vt homines iusti efficerentur per Christum, ergo lex non eo inducta & lata fuit, vt homines iustos efficeret, aliter non simpliciter & absolutè promisisset Deus sanctificare gentes per Christum. Sed si lex non eo inducta fuit, cuius rei efficiendæ causa, dicet aliquis, fuit inducta? Nam nullius rei efficiendæ gratia, eam fuisse inductam quis dicat? Hanc quæstionem & Paulus proponit, & ei respondet, sic dicens.

Quid igitur lex? propter transgressionem posita est, donec veniret semẽ, cui promiserat, ordinata per Angelos in manu mediatoris.

Lata est, inquit, quoad vsque veniret Christus, propter transgressiones, id est, propter peccata atque scelera, quibus iuris violatur ratio, vel coercẽda, vt nonnulli volunt, vel ostendenda, vt alij, & in lumine constituenda. Nam lex ostensione recti, & pœnarum adhibitione, etsi elidere peccatũ omninò & radicitus extirpare nõ poterat, at coercere in nõnullis poterat, & animũ vitiis diffluentẽ cõstringere. Poterat porrò omnibus notum facere vtrũ peccarent omni recti iuris ignoratione sublata. Vtrumq; autem erat necessariũ, quoniã vtrumq;, quodq; sua ratione, Christo venienti viam muniebat, in quibusdã minus peccando, in omnibus se esse peccatores agnoscendo. Ideoq; addidit.

Donec veniret semen, cui promiserat. Ideſt veniret Christus, cui in Abrahamo promissum fuerat, vt ex ipso ad omnes homines iustitia atque sanctitas emanaret: itaque donec is aduenirer, lex introducta fuit, quæ homines in officio, quoad fieri posset, continerer. Introducta autem fuit, per Angelos, ita enim ait. *Ordinata per Angelos in manu mediatoris,* id est, manu, hoc est potestate & authoritate Christi verbi stabilita, & quandiu ille statuit, atq; definiuit tandiu duratura, sed per Angelos ordinata, hoc est, illis ministris tradita atque lata. Nam & tubæ sonus auditus, quo die lex promulgata est: & nebulæ cacumen montis cingentes, & è nube erumpentes luminis radij, & terrę concussio, & excitati & in sublime elati fumi, igneſque micantes Angelorum opera atque ministerio extitere. Latio autem ipsa legis Christi verbi proprie fuit, qui idem cum Abrahamo & Iacobo congressus creditur, vt veteribus placuit ferè omnibus, Augustino tamen repugnante & contradicente nonnil. Sed addit.

Mediator autem vnius non est, Deus autem vnus est.

Quoniam mediatoris Christi mentionem fecerat, per digressionem quod sit munus mediatoris explicat. Esse enim ait eius, qui dissidentes duos inuicem conciliat, aut eius, qui pro altero apud alterum intercedit, aliorumque ad alios mandata vltro citroque perfert, neq; desistit commeare atque agere, quoadusque eorum inter se animos atque

atque sensus componat, ac fœdere vinciat. Ex quo, quod ad suam causam pertineat, Paulus intelligi vult, non legis, sed Christi vnius esse, quando vnus ipse mediator est, homines conciliare cum Deo, fœdus ferire inter ipsos, homi num Deo voluntates subiicere, Dei ad homines deducere sanctitatem, atque iustitiam. Quod si quis hæc ex aliorum, id est, ex aduersariorum suorū persona à Paulo dicta crediderit, & aduersum se suamque sententiā obiecta ab ipsomet, id quod sepè Paulus facit, & nonnunquam ita tectè personis tacitis, & earum notis remotis, vix vt possit cognosci. Hæc si quis dicat non improbabiliter, ista interpretetur hoc modo. Dixerat Paulus legē ordinatam fuisse per Angelos in manu mediatoris, hinc se effert aduersarius, ac in Paulum insurgit, ac sibi ex eo quod in legislatione mediatorem interc sisse, ac intercurrisse dictum est datum telum putat, quo ipsum confodiat, itaque instat. In lege ferenda mediator, vt fateris Paule, interuenit: at mediator vnius nō est, nam mediatoris munus est, non cum vno aliquo, eoque secum concordi agere (apud eos enim qui aut numero, aut animorum concordia vnum sunt, nullum mediatoris est munus) sed plures eosque diuisos animis atque sententiis componere, ac inuicem placare: igitur, si mediator interc sit in lege ferenda, profectò legislatione id actum est, vt Deus conciliaretur & placaretur hominibus, quibus erat merito eorum infensus. Id, inquam, actum est, vt lege à Deo lata, & à Iudæis quibus ferebatur mediatoris opera, atque interuentu probata & accepta, illorum obedientia & legis obseruantia placatus Deus, & ad amorem & benignitatem conuersus in ipsorū animos amanter influeret, eos sanctificans omni ipsorum detersa labe. Datur igitur per legem iustitia, tuque Paule vel inuitus & pro illa, & contra te testimoniū tulisti. Hoc Paulus animaduertens sibi posse obijci, & pro obiecto illud

illud habens, atque adeò obiiciens ipse sibi ex aduersariorum persona, tanquā acri petitus telo se totum collegit, ac vim irarum suscitans aduersariū referit, & vt referret par pari, ex eo ipso quod obiecerat, telū arripit, idq; in ipsum validè intorquet, hoc est, telum repellit telo, sic dicens.

Lex ergo aduersus promissa Dei? absit. Si enim data esset lex, quæ viuificare posset, verè ex lege esset iustitia.

Quasi dicat. Bellè tu quidem. Lex ergo leuitatis, ac vanitatis Deum arguet atque conuincet, siquidem, quod Christo pollicitus est, id legi dedit, vt efficeret. At quis isthuc ferat, Deum sententiam mutasse dici? Nam si lex vitam animi dat, dat profectò iustitiam, quæ est vita animi: itaque iam lex iustos facit, & non is, quem Deus principio declarauit, & statuit eius rei futurum effectorem. At hoc perspicuè falsum esse ipsa scriptura suprà citatis locis nos docuit. Et hoc est quod subiicit, cum ait.

Sed concluſit scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus.

Hoc est. Sed falsum est legem vlli homini contulisse iustitiam. Nam vniuersos, qui Christum antecesserunt variis inquinatos fuisse peccatis disertè, vti suprà diximus, scriptura docet, vtpote quę omnes sub peccato concludat, id est, sub peccati dominatu constituat, vt promissio, id est, promissa iustitia daretur per fidem Iesu Christi, id est, ita daretur atque contingeret, quomodo Deus olim se daturum promisit. Nec verò contentus Paulus, hoc tam acri aduersarium confodisse telo, id quod ab illo intortum, in se adhuc inhæsisse videbat, nunc à se omninò reuellet, hoc est, propriè diluit, sibi quod obiecerat, magis adhuc & vberius explanās, cuius rei causa, quaue fini lata lex esset. Hoc enim videbat explanari necesse esse, ne si eius ferendæ nulla alia probabilis appareret causa, lata crederetur gratia iustitiæ conferendæ. Itaque ait.

Prius

Prius autem quam veniret fides sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem, quæ revelanda erat. Itaque lex pædagogus noster fuit in Christo, vt ex fide iustificemur. At vbi venit fides, iam non sumus sub pædagogo, omnes enim filij Dei estis per fidem, quæ est in Christo Iesu. Quicunque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis. Non est Iudæus, neque Græcus, non est seruus, neque liber, non est masculus, neque fœmina.

Hoc est. Eo fine, si id quæritis & à me vobis explicari vultis, lex lata est, vt tantisper, dum Christi aduentus tempus appetebat, nos quasi domi conclusos, hoc est, intra septa suarum præscriptionum contentos seruaret saluos quoad fieri posset, & incolumes ei fidei & disciplinæ, quæ postea reuelanda erat. Cuius custodiæ, atque inclusionis ea vis erat, primùm secernere Iudæos à reliquis, quo diuini promissi cõstaret fides: nam promiserat Deus futurum vt ex illorum gente nasceretur Christus. Deinde eos, quorum è stirpe atque sanguine totius puritatis, atque sanctitatis nasciturus erat flos, à vitiis arcere quantum rei natura pateretur, & in officio continere, ac præcipuè in vnius cultu Dei. Postremò paulatim illis cultibus illos assuefacere ad veriorem, ac magis spiritualem Dei cultum recipiendum, qui animi puritate, & terræ præmiorũ contemptu, & omnium amorum præter vnius Dei abdicatione præcipuè continetur. Et quomodo qui fundum colunt ante sementem terram aratro proscindunt, offringunt deinde arq; occant, fimo item pinguem reddunt, ac præterea iacto semine liuant ipsum atque farriunt, segetes vt lætiores faciat: eodem modo Deus legis disciplina illorũ præparare voluit animos ad Euangelicæ fidei arq; doctrinæ fatum melius accipiendum, vt tanquam in subacto & præparato solo Christianæ doctrinæ semẽ postea iactum, vberius ac fœlicius fruticaret. Quod & euenit Nam, vt Augustinus prudenter animaduertit, scriptumq; reliquit, quòd

quòd Iudæi legis doctrina & obseruantia cultos haberent, & ob id aptiores redditos ad Euangelij doctrinam accipiendam animos, eò factum est, vt quæ ex Iudæis ad Christi fidem conuersis prima extitit Ecclesia, in omni perfectione Christianæ virtutis longè præstiterit cæteris Ecclesiis, quæ ex gentibus constiterunt. Nam de vna illa constat scriptum esse. Omnes etiam qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia, possessiones, & substantias vendebant, & diuidebant illa omnibus prout cuique opus erat: quotidie quoque perdurantes vnanimiter in templo, & frangentes circa domos panem, sumebant cibum cum exultatione & simplicitate cordis collaudantes Deum, & habentes gratiam ad omnem plebem. *Act. 2.*

Quare aptè Paulus subiungit. *Itaque lex pædagogus noster fuit in Christo, vt ex fide iustificemur.* Quia quomodo pædagogi pueris prima initia virtutis instillant, eosq; pro eo, quod ipsorum ætas fert, rudioribus officiis instituunt, vt iis assuefacti, absolutum & perfectum officium postea viri facti rectè præstare possint: sic ipsa lex rudes, atque imbecilles illius populi animos promissis terrenis, atque pœnis propositis condocefaciebat ad id, vt firmata ætate quando perfectior pietatis cultus ipsis traderetur, & eum auidè arriperent, & in eo se magno cum fructu exercerẽt. Et quoniam Paulus pædagogi officium legi dedit: pædagogi autem munus puerili eorum, qui instituuntur ætate terminari videbat, hoc est, non esse perpetuum eius munus, nec pertinere ad omnem ætatem. Puerorum enim est ea institutio: Itaque qui ex ephœbis excesserunt, pædagogo non indigent. Id igitur quia Paulus vidit & simul intellexit suam causam eo non mediocriter confirmari, in rem suam statim vertit, itaque addidit. *At vbi venit fides iam non sumus sub pædagogo.* Quasi ita diceret. Quod si lex pædagogus fuit, vt certè fuit, vel ex eo constare potest,

legi iam in nos ius non esse, vtpote qui pueriles excessimus ætatem, ex eo postquam peruenimus ad fidem Christi. Nã qui in ista fide sunt, filii Dei sunt. *Omnes enim filij Dei estis per fidem, quæ est in Christo Iesu.* Filios autem vos esse cum dico, id intelligo adulta ætate filios vos esse, & cælesti semine satos, maximique Deo patri charos, & cum ipso Christo penè vnum effectos, & ob id iam à pædagogorum institutione præceptisque liberos. Non enim modo filij Dei estis, sed & Christum induistis, immo ob id estis veri iam & genuini filii Dei, quia ipse verus Dei & genuinus filius in vobis habitans, & per omnes animi vestri sensus infusus vos ex sese format ac fingit, & in sui habitum speciem ac penè naturam transfert. *Quicunque enim baptizati estis Christum induistis, non est Iudæus neque Græcus: non est seruus neque liber: non est masculus, neque fœmina, omnes enim vos vnum estis in Christo Iesu.* Et quia vnum effecti estis cum illo, consequens est, vt sicut ille lege solutus est, sic & vos sitis in illo liberi, hoc est, vt iusti efficiamini, neque legis cultura indigentes, neque eius præceptionibus vllo modo subiecti, vtpote qui in vobis ipsis habeatis inditum in animo & penè in venas transfusum Christum benedictionis, id est, iustitiæ, sanctitatis, fœlicitatis Abrahamo promissæ, & in alios diffundendæ fontem & principem. *Quare si vos Christi, ergo semen Abrahæ estis secundum promissionem hæredes*, ac propterea lege non indigetis, quæ vos aut in Abrahami stirpem inserat, aut hæredes constituat, aut constitutos hæreditatem cernere faciat.

CA-

CAPVT. IV.

DIco autem quanto tempore hæres parvulus est nihil differt à seruo, cum sit Dominus omnium, sed sub tutoribus, & actoribus est, vsque ad præfinitum tempus à patre: ita etiam nos cum essemus parvuli sub elementis mundi huius eramus seruientes.

Suprà dixerat legem non fuisse datam Iudæis, eos vt iustos efficeret, sed vt eis pro pædagogo esset, qui pœnæ & flagrorum timore coerceret ipsos vti pueros, & in officio contineret eousquedum illi in aduentu Euangelij viri facti, relicto pædagogo fidem Christi colere inciperent, & qui erant filij Dei, non iam quasi serui haberentur, sed pro filijs se gererent. Et quoniam Galatæ à gentibus, & non à Iudæis orti dicerent. Si lex pædagogus erat, animos eorum, quos instituebat, ad fidem Christi accipiendam colens, & præparans, se etiam debuisse exerceri in lege, antequam amplecterentur fidem Christi. Animis enim ipsorum nulla legis cultura sub actis, & ad Euangelij accipiendum semen nunquam redditis idoneis difficile esse, vt Christi in ipsis fides ad frugem perueniat. Hæc igitur quia Galatæ dicerent, eos vt ab hoc errore liberaret etiam docuit, per fidem quam Christo habuerunt, iam id assequutos esse, vt essent veri filij Dei, & ob id legis cultura non egerent. Induisse enim illos sic in baptismo Christum, vt ei viderentur omninò similes, certè patrem cælestem propter Christum in eorum animis emicantem atque elucentem, eos pro Christo habere, & quasi ex se natos filios diligere. At quoniam rursus possent dicere, Pauloque opponere, Iudæos & ipsos filios fuisse Dei, & quamuis fuissent legi subiectos à Deo esse, & eius seruandæ necessitate constrictos: ideò huic quæstioni atque ob-

iectioni nunc Paulus respondet, dicens. *Dico autem quanto tempore h eres paruulus est nihil differt à seruo cum sit Dominus omnium*. In quo docet, Iudæos ante Euangelij manifestationem, quamuis ad spem filiorum & hæredum occultè educarentur, tamen conditione & specie fuisse seruis similes, & ideò legis seueritate fuisse constrictos: ipsos autem Galatas non solùm re, sed & conditione, & specie esse & haberi filios, & ob id legi seruire illos, neque decere, neq; necesse esse. Nam certè Iudæi ante aduentum Euāgelij ex vi legis non erant filij, sed ex vi fidei, quæ sicut tum occultabatur sub lege, sic filiationis illorum ratio latebat occulta, eruptura postea in maximum splendorem, quando fides Christi illis discussis vmbris luminis sui radios protulisset. Quod exemplum nullo quidem modo poterat ad Galatas trahi: erat enim eorum causa dissimilis, vtpote qui splendente iam Christi fide ad ipsum conuersi, & illustrem adoptionem filiorum nacti, quasi qui pueritiæ excessissent annos filii, eiusmodi legum institutione & pædagogia non egerent. Itaque id declarat exemplo à rebus humanis petito. Nam pueri quamuis paternæ substantiæ futuri hæredes, tamen dum pueri sunt, pædagogis seruiunt, illisque ad nutum parent. *Dico autem*. Sic loqui solet Paulus, cum aliquid obscurius dicit, seque interpretari auet. Quasi ita dicat. Quod autem dico, cum & vos per fidem filios factos dico, & Iudæos sub lege tanquam sub pædagogo fuisse constitutos affirmo, tale quiddam est. Non nego Iudæos fuisse filios, etiam antequam se in publicum daret Euangelium, sed quia dum id latebat, se in lucem proferre eorum filiatio non poterat, idcircò illi etsi filii erant, tamen vt serui habebantur, aut certè vt immatura ætate filii, & vt pueri paruuli. Atque vt hi, tametsi hæredes futuri, pædagogo subduntur, sic Iudæi, quasi si essent serui, sub legis Mosaycæ valde

minaci

minaci imperio constituti sunt, eousque quoad hoc tempus aduenirent, in quo & vos per fidem Christi, in quem antea nullo modo credebatis, effecti filij Dei, & illi per fidem in eundem, quem antea in legis venerabantur vmbris, ab occulta ad illustrem filiorum Dei conditionem translati, liberati planè estis ab obligatione Mosaycæ legis seruandæ. In quo etiam Paulus instituto suo seruit, & à maiori, vt mihi videtur, argumentatur. Nam si Iudæi, quibus propriè lex Mosayca data est, statim atque è pueris excesserunt, id est, statim atque fides Christi proferre lumen suum cœpit, ipso adueniente liberati sunt à legis onere, quis ferat Galatas, quibus de lege seruanda nihil vnquam præceptum fuerit, eodemmet tempore velle subiicilegi? *Dico autem, quanto tempore hæres paruulus est nihil differt à seruo*. Id est. Qui puer est, dum est puer non vt Dominus futurus imperat, sed vt seruus alijs paret, aliorumque imperio regitur. *Cum sit Dominus omnium*. Id est, quamuis in omni domo postea dominaturus sit. *Sed sub tutoribus*, id est, procuratoribus, & dispensatoribus domus, hoc est, iis quibus paterfamilias curam gubernandæ domus committit. *Ita & nos*. Confert simile, & cum, *Nos*, dicit, de Iudæis loquitur. *Cum essemus paruuli*, vel sapientia, vel moribus, vel certè vtroque: aut potius cum tempus aduentus Christi maturum nondum esset. *Sub elementis mundi huius eramus seruientes*. Elementa Paulus vocat religionis disciplinæque rudimenta & initia, vt facit ad Hebræos & ad Colossenses scribens. Ergò instituta Mosayca hîc appellat elementa, quòd Euangelij postea annuntiandi & patefaciendi rudimenta quædam erant, & veluti præludia. *Sub elementis mundi huius eramus seruientes*. Id est, Iudæi quòd pueri in inductione animi, & in affectu erga patrem Deum haberentur, Mosaycis institutis ceu pædagogo seruiebant. Sed cur ea instituta elementa mundi nominat, quando non humana ra- *Heb.5. Coloss.2.*

tione inuenta sunt, sed à Deo excogitata atque tradita? Quia mundo, id est, hominibus tradita sunt: Sic enim eos
Ioan. 1. istæ literæ nominant, vt in illo apparet. Et mundus eum non cognouit: Aut certè quia ad mundum refert Paulus quod est corporeum atque mortale, illa autem instituta in corporeis & visibilibus versabantur rebus, & caduca erant, & cedere Euangelio debebant, atque ipso exoriente cadere interireque. Sequitur.

At vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret, vt adoptionem filiorum reciperemus.

Exequitur vlterius simile quod posuit. Nam vt filii, mox vt viri esse incipiunt, aut certè postquam pueritiæ annos excedunt, pædagogorum imperio liberantur: Sic, inquit, Iudæi ad virilem vbi peruenerunt ætatem, id est, suo & maturo tempore à legum iussis liberati sunt. *At vbi venit plenitudo temporis*. Id est, temporis maturitas à Deo definita quando venit. *Misit Deus filium suum*, id est, legauit in mundum illum, non vt in mundo esset, sed vt noua ratione in mundo esse inciperet humana tectus & vestitus carne. *Factum ex muliere*, Id est, ortum è sanctissima virgine. Ex quo liquet in his literis mulieris vocabulum, & pro integra ac viri experte muliere poni, esseque nomen sexus, vt vocabulum fœmina: quod etiam liquet ex illo, quod in Genesi
Gen. 2. scribitur. Et ædificauit Dominus costam quam tulerat de Adā in mulierem. Quod & Augustinus adnotauit. *Factum sub lege*, id est, ortum ex iis, qui sub lege constituti erant, ex quo & ipse legi subiectus habitus est: certè legem & ipse coluit patrio ritu. *Vt eos qui sub lege erant redimeret*, id est, lege solueret, à legis seruandæ necessitate liberaret. Sed cur quæso ipse legem seruando Iudæos exoluit ab

ab obligatione seruandæ legis? aut quî hoc consentaneum illi sit? Quia seruauit vnus pro multis, ille enim lege non tenebatur. Quia ergò se sua voluntate Christus subiecit legi, eamque vnus, quod Iudæi exequi nunquam potuerunt, perfectè seruauit, idcircò ipse pro eis patri fecit satis. Itaque quemadmodum Christus, quia pœnas peccatis hominum debitas ipse subiit, à peccati seruitute vniuersos redemit homines: sic Iudæos onere leuauit legis, id suprà suos humeros tollens onus: & vt nasci homo debuit, hominis vt in se deleret culpam, ita oportuit, vt Iudæus nasceretur, id est, vt genus duceret à Iudæis, eos vt liberaret à lege. Nam sicut malis quibus subiecta est vita hominum perferendis, eximit nos ab omni malo: sic legibus seruandis Mosaycis, Mosaycæ legis seruandæ necessitatem remouit à Iudæis. Sed neque mala pertulisset, homo nisi esset, neque seruasset legem nisi à Iudæis ortum duxisset & originem. Itaque sua illi natiuitas, & quod Iudæos maiores habuit, causa fuit patrios vt ritus sequeretur, id est, vt seruaret maioribus suis legem traditam. Vnde rectè Paulus factum ipsum sub lege dicit, id est, natum Iudæum, ac proinde legibus Iudæorum, vt videbatur, subditum, vt eas cum seruasset ipse, eos qui sub lege erant redimeret. Igitur Iudæis Christus dupliciter saluti fuit, & quòd à peccati culpa mundauit eos, & quod legis onus ab ipsis remouit: gentibus autem in altero tantum, quod ad peccati atque culpæ abolitionem attinebat, salutem attulit, ad quas propriè quod sequitur pertinet. *Vt adoptionem filiorum reciperemus*. Nam Iudæi, antequam ex muliere factus & sub lege cōstitutus nasceretur Christus fide in ipsum nasciturū filii Dei habebātur & erant. Quare Christus nascens è fœmina, in eo Iudæos propriè iuuit, quod ipsos

Universidad de Deusto
Biblioteca

lege soluit. Gentes autem in eo quod ex inimicis, qui erāt, amicos Dei, & filios constituit. Qua Paulus distributione vsus, cum dixisset missum à Deo Christum ex muliere & sub lege factum, eius missionis atque ortus qualis fuerit, quidue ex eo boni peruenerit, ad vtrumque populum exponens subiicit. *Vt eos, qui sub lege erant, redimeret, & vt adoptionem filiorum reciperemus.* Quorum prius de Iudæis propriè dicit, posterius ad gentes, vt videtur, refert. Quanquam, vt ego quidem arbitror, & hoc posterius tam ad Iudæos quàm ad gentes pertinere potest. Nam adoptionem filiorum Dei hoc loco Paulus vocat, non vtcunque censeri inter filios Dei, sed filiationis diuinæ genus quoddam peculiare & eximium, quale ante Christum natum nemo fortasse consequutus est neque Iudæus, neque Græcus. Nam quamuis grati Deo semper fuerint, & ob eam rem eius filij, qui ipsum fide & amore prosequuti sunt vniuersi tamen illi eximiè filij sunt, qui vberiori sancti Spiritus accepto dono Christum, qui ipse Patri est vnicè charissimus filius, in se habitantem & innumera ex se bona præbentem ipsis propè sentiūt. Quod donum ante Christum natum nemini fortasse vnquam cōtigit: ex eo autem tempore plurimi id consequuti sunt Iudæi, Græciq́ue in Christum credentes, qua de re alias enucleatius & copiosius dicemus. Nunc autem Paulum de isto loqui genere docet, vt puto, quod subiicit. Nam, inquit. *Quoniam autē estis filij, misit Deus spiritum filij sui in corda vestra, clamantem Abba pater.* Quasi dicat ex eo liquere Galatas iam esse filios illo præstanti adoptionis modo, atque genere quòd spiritum filij, id est, vberius illud spiritus donum, quo agnatio cum Deo, & eximia filiatio illa constat à patre missum in se habeant, cientem ipsorum animos miris modis, & voces fiduciæ erga Deum, atque charitatis plenas edentem. Sed sequitur.

Itaque

Itaq; iam non est seruus, sed filius, quod si filius & hæres per Deū.

Nam quoniam satis euicerat fide in Christum esse consequutos Galatas, non solùm vt essent filij Dei, sed vt etiam dignam filijs erga Deum patrem fiduciam conciperent, & vt ipsum pleno ore appellarent Patrem, ideò iam ex eo id infert, in quod omnis Pauli oratio spectat, quod pertinet ad docendum nihil esse, cuius consequendi spe delabi Galatæ vellent ad ritus Mosaycos, quando omnia, quæ quis optare sibi posset, consequuti essent per fidem Euangelij: Itaque ait. Iam vos ò Galatæ non estis serui, sed filij, id est, non in eam vos ætatem incidistis, quæ ortum antecessit & natiuitatem Christi, in quam si incidisseris ętatē, etsi fidem habere venturo illi & amore ipsum prosequi in animum ipsi induxisseris vestrum, tamen futuri esseris seruis similes, varijs legibus & institutis ceu pædogogis subiecti. Non ergò conuersio in Deum vestra in illud incurrit tempus, sed in hanc ætatem potiùs incidit, quando coruscat Euangelium, & quando qui in Christum credunt, eam vim cælestis Spiritus ab eo accipiunt, vt non modo filij Dei, & eximia ratione filij efficiantur, sed etiam vt palàm se pro filijs gerant, ac Deum confidenter suum patrē vocitent, adoptati scilicet ab eodem modo quodam præstanti & perillustri. Quare filij, Gnisij ipsi estis, non re solū sed conditione atque specie etiam, ac proinde nullo modo serui. *Quod si filij, & hæredes per Deum*, manentem in vobis scilicet, & ob id iam quodammodo in possesionē sui, quæ est filiorum Dei hæreditas, vos mittentem. Nam is cælestis Spiritus, qui infusus vobis & per vestros animos permeans, eosque imbuens, atque mouens adoptionem istam in vobis perficit: idem iam nunc cælestem hæreditatem quod cernere vos facit. Est enim pignus eius hæreditatis, quam postea estis adituri. Quæ certè hæreditas, in animi vera iustitia, & sempiternæ vitæ fructu cōstituta Abra-

hæ filijs est promissa. Ex quo fit tandem culturam legis nul la ratione vobis esse necessariam, quando, vt constat, per fidem Euangelij, Abrahamo promissam, iustitiæ hæredita tem iam estis consequuti. Sequitur.

Sed tunc quidem ignorantes Deum ijs, qui natura non sunt dij, seruiebatis, nunc autem cum cognouerit is Deum, immo cogniti sitis à Deo, quomodo conuertimini ad infirma & egena elementa, quibus denuò seruire vultis?

Est & hoc aliud argumentum satis efficax ad id adhuc magis confirmandum, sibi Paulus quod proposuit, quod, vt videtur, ducitur ab absurdo. Absurdum enim vt apparer, est, qui Deũ pro patre habent, & eius vera cognitione satis imbuti sunt, eos seruire velle inutilibus cæremonijs. Iraq; sic argumẽtatur. Cùm verã ignorabatis religionẽ mi rum non erat vos falsas & inanes religiones coluisse: at nunc quando tanto estis lumine illustrati & perfusi, per absurdè facitis, quod vos vltro in seruitutem addicitis Mo saycis cæremonijs, cùm inutilibus, tùm obseruatu difficil limis. *Nunc autem cum cognouerit is Deum, immo cogniti sitis à Deo.* Græcè μᾶλλον δὲ, id est, magis autem: itaque accipi potest dictum, vel per correctionem, vel per comparationẽ: per correctionem, quasi dicat: aut vt verius dicam, cum vos Deus cognouerit, quod dicit, vt agnoscant Galatæ quod Deum ipsi cognouerint, id diuini fuisse beneficij atque muneris: Aut per comparationem isto modo. Cum cognoueritis Deum, & multo magis sitis cogniti à Deo, tùm quia prius ipse cognouit vos, & ad sui amorem per traxit: tùm quia eo vos amore dilexit, cui nunquam redde tis parem. Nam cognoscere hoc loco probare, & amare est, vt in Osea, & in Ioanne, & pluries in ipsomet Paulo. Reddit autem eo validius argumentum suum. Nam qui cognitus à Deo sit, id est, probatus atque dilectus, is stul tè & absurdè cæremonias Mosaycas, id est, desertam & vir-

Osea. 13. *Ioã* 5. & 10. *Rom* 3. 1. *Cor* 8. 2. *Cor.* 6.

& virgultis impeditam viam ingreditur ad perueniendum in gratiam Dei. *Quomodo conuertimini iterum ad infirma, & egena elementa?* Sed cur iterum dicit? Nam Galatæ non è Iudaismo, sed è Gentilismo conuersi sunt ad fidem Christi. Diuus Thomas refert quosdam dixisse Galatas reprehendi, quòd relabi ad Deorum cultum vellent. Perabsurdè. Iudaicis enim cæremonijs se addicere illi volebant iustitiæ consequendæ studio, & errore quodam inducti, vti ex hac epistola apertissimè constat. Nec fieri poterat, vt qui isto studio tenerentur, ijdem dijs sacra vellent facere, quod deorum cultus, vt liquet, cum Mosayca pugnat lege. Quare ideò Paulus dicit Galatas velle iterum ad egena elementa reuerti, non quòd ad Deos colendos redirent iterum, sed quòd suscipere, ac seruare vel lent alias cæremonias, ijs quibus vtebantur in deorum cul tu haud multũ dissimiles, in eo certe prorsus pares, quòd iustitiæ in animo efficiẽdæ neutræ vim habebant. Et ideò cum proposuisset sic. Sed tunc quidem ignorantes Deũ ijs, qui natura non sunt dij, seruiebatis, non intulit, nunc autem cognoscentes Deum ad eorum, qui dij non sunt, conuertimini cultum, sed intulit. Conuertimini iterum ad egena & infirma elementa, id est, ad religiones, ijs quas superioribus annis repudiastis, similes in eo q; imbecillę omnes sunt & infirmæ. Porrò cultum Mosaycum in becillum & egenum eò nominat, quia vi gratiæ conferen dæ carebat. Quæ autem ista elementa sint statim explicat dicens.

Dies obseruatis & menses & tempora & annos. Quæ pertinent ad legitimum festorum dierum ritum in Mosaycis li bris præscriptum, sed addit.

Timeo vos ne forte frustra laborauerim in vobis.

Et timet Paulus, & meliora sperat, & ob eam causam addubitat inter spẽ & metũ constitutus, idq; illud, ne forte subin-

subindicat. Timebat autem non quidem ne ad Iudaismū deficerent, nam defeciſſe iam eorum nonnullos ſciebat, ſed ne perſeuerarent in eo, ac ſibi perſuaderi ab ipſo non ſinerent, quod ſi feciſſent, tunc verè inanis futurus erat omnis à Paulo de Galatarum ſalute labor ſuſceptus. Id ergò timet ne fruſtra laboret, id eſt, ne tandem omnis ab illo impenſa cura in nihilum recidat, Galatis ſe ab errore reuocare nolentibus. Timetque id iure Paulus, quia libido ſe in horas vertit, perſuaſio autem veri, quando eam quis induit, hæret tenaciſsimè Sed dū argumētatur Paulus, & rationibus contra Galatarum errorem agit, iſte timor ſubito exortus, & in illius inuadens animum fecit, vt ſuæ argumentationi quodammodo diffidere inciperet, ac rationibus in animos eorum ſe introire poſſe non cenſeret. Quare paterna cura & amore anxius, & de eorum ſalute ſollicitus, quos genuerat Chriſto ipſe, & in interitum videbat ruere, & ne funditus interirent metuebat, ab argumentando ad preces ſe conuertit, ac dicit.

Eſtote ſicut ego, quia & ego ſicut vos fratres, obſecro vos, nihil me læſiſtis.

Orat enim vt ſe imitētur. Sed qua in re imitaturi ipſum ſint, non explicat, ſed quodammodo obſcurat, quòd addit, *ſicut & ego vos*. Nam ſi Paulus Galatas imitabatur, in idem cum illis ſtudium conſentiebat, eademque erant inſtituta vtrorumque. Quid ergò orat ſe vt imitentur, cum vtrique inter ſe conuenirent? Orat certè, vt quomodo ipſe, quamuis Iudæus eſſet quod ad delectum ciborum, & id genus Moſaycas obſeruantias attinebat, ipſorū, id eſt, gentium eſt imitatus libertatem, ſic illi viceverſa perſuaſionē, quam male induerunt, deponant, ac ipſi ſimiles eadem in re eſſe velint, vel ſine dubio orat, vt ſint animati erga ipſum, quomodo ipſe erga illos animatus eſt, id eſt, vt quando ipſe illos diligit amore ardentiſsimo, ſe illi pari charita-

te

te proſequantur: & quomodo ſe ab illis læſum ipſe non putat, ſic illi nulla in re ipſum læſiſſe credāt. Nam ſuberat læſæ amicitiæ & immutatæ Pauli erga Galatas voluntatis ſuſpicio nonnulla, quod ijs, qui Pauli doctrinæ atque perſonæ detrahebant, illi non aures modo, ſed aſſenſum etiam præbuiſſent. Cuius rei conſcientia ſenſim alienabat à Paulo animos Galatarum, quòd enim iniuriam ab ſe illi factam ſciebant, ideò eum ſibi iraſci putabant. Quod Paulus ſentiens, ac ſimul intelligens quā ea ſiue perſuaſio ſiue ſuſpicio Galatis nocitura, & ſalutari voci ſuæ ad eorū animos ſe inſinuare cupienti aditum intercluſura eſſet, obnixè illos orat, obteſtaturque vt id de ſe iudicent, quod de illis ipſe iudicat, ſe ab illis læſum non arbitrari, illos iratū ſibi ipſum putare non debere. Quare ſubiungit. *Obſecro fratres, nihil me læſiſtis.* Quaſi dicat me à vobis læſum eſſe non puto, & vt eſſem omnia vobis condono, tali me erga vos animo eſſe creditote tàm placabili, tàm amico, tàm beneuolo, tā offenſionum atque iniuriarū immemori, quali vos erga me, & eſſe, & fuiſſe ſemper non modo perſuaſum habeo, ſed exploratum etiam atque compertum. Et ſtatim eorum erga ſe præteriti temporis ſtudia & animi inductionem commemorat, eo vt doceat ſibi illa neque excidiſſe è memoria, neque effluxiſſe ex animo & omnino ſe amiciſsimè de illis, ac de eorum erga ipſum beneuolentia ſentire. Dicit itaque.

Scitis autem quia per infirmitatē carnis Euangelizaui vobis iam pridem, & tentationem meam in carne mea non ſpreuiſtis, neque reſpuiſtis, ſed ſicut Angelum Dei excepiſtis me, ſicut Chriſtum Ieſum.

Infirmitatem carnis Paulus ſuo more nominat iniurias, quibus caro, id eſt, humana ſubiecta eſt in hoc ſæculo vita, propter imbecillitatem conditionis ſuæ exilia, odia, carceres, flagra, criminationes, falſas delationes, proſcriptio-

nes,

Universidad de Deusto
Biblioteca

1. ad Cor. 11. nes,neces,denique aduersa omnia. Sicad Corinthios. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis in cõtumelijs,in necessitatibus, in persecutionibus, in angustiis pro Christo,cũ enim infirmor tunc potens sum. Et in eodẽ loco,cum enumerasset quas ærumnas & quos labores pro Christo exhausisset:dixissetque in laboribus plurimis, in carceribus abundantius,in plagis supra modum,in mortibus frequenter,& quæ sequuntur cætera,intulit ad extremũ.Si gloriari oportet,quæ infirmitatis meæ sunt gloria-
1. Cor. 13. bor.Et de Christo idẽ.Nam etsi crucifixus est ex infirmitate,sed viuit ex virtute Dei. Ergo premebant Paulũ vndiq; atque circunstabant inimici sui cum Græci tũ Iudæi, quo tempore Euangelii annuntiandi causa apud Galatas versabatur: & vt colligitur ex hoc loco, multi criminabantur illum,& eius nomen ad iudices deferebant, quod impostor esset & impiarum atque impurarum religionum inuentor: & forrasse vincula & plagas has ob res passus est Paulus,& pro nocenti habitus est. Quæ res tametsi cõremptibilem reddebãt ipsum,& efficiebant vt malè apud multos audiret,ita vt cuiusuis animũ alienare ab ipso possent,certè efficere,nemo vt sanus coniungere secũ illo vellet,aut ei aures præbere:tamen Galatæ non solùm non cõtempserunt ipsum,aut à se repulerunt, sed cõplexi potius omni officio sunt atq; venerati sicut Angelũ Dei, & sicut Christũ Iesum:quod Galatarum erga Paulum summæ obseruantiæ,summiq́ue amoris fuit signum certissimum. *Scitis*,inquit,*quia per infirmitatem carnis Euangelizaui vobis*.Idest, Meministis, neque enim obliuisci potestis, probrorum, quæ pertuli dum Euangelium annuntio vobis, vt fuerim contemptui habitus, & irrisioni omnium expositus, & vti imbellis & abiectus iniuriis expetitus omnibus: & tamen vt ipse optimè recordor, *tentationem meam in carne mea non spreuistis, neque respuistis*, id est,Me quod tenta-

tentatum vidistis in carne mea,hoc est,iis malis affectum, quibus caro potest subiici,vinctũ,flagris subditũ,&pro eo atque in sontes fit,ignominiosè tractatũ, abiectum atque afflictum, non spreuistis aut abiecistis. *Sed sicut Angelũ Dei excepistis me, sicut Christum Iesum*.Id est.Tantum abfuit ab eo, vt contemneretis me, vt summo potius honore sitis prosequuti: nec honore tantum prosequuti me estis, sed & amori indulsistis vsque eo, charior vt vobis esset mea salus quàm vestra vita:vtque cuperetis quacũque in re commodare mihi etiam magno vestro incõmodo,vosq́ue in eo beatos fore putaretis.Quare addit *Vbi est ergo beatitudo vestra? testimonium enim perhibeo vobis, quia, si fieri posset, oculos vestros eruissetis, & dedissetis mihi*. Græcè. τίς οὖν ἦν ὁ μακαρισμὸς ὑμῶν?Quæ igitur erat beatitudo vestra? Quasi dicat. Certè hæc erat, me iacentem subleuare, abiectum non spernere, contemptui habitum venerari, atq́ue colere, vestras fortunas cum afflictis meis rebus coniungere,& vel capitis periculo subleuare cupere, vosque ob eam rem fœliciss imos arbitrari. Hæc igitur cum recorder, immo hæc cum infixa habeam in animo, & ante oculos posita,qui possum iratus vobis ipse esse? aut minus benè de animo erga me vestro iudicare aut sentire? Quod si nulla res est, quæ animum meũ à vobis alienet, contra autem sunt plurimæ, quæ me vobiscum coniungant, quid est cur arbitremini vobis inimicum me esse, aut cur suspectam habeatis orationem meam, nec ab ea vobis persuaderi patiamini ? Quid vnquam egi alienati à vobis animi mei suspicionem quod afferret ? quid præmetuli, amicum quod non esset, atque beneuolum? vestræ saluti summo studio seruiui : causam vestræ libertatis liberrimè egi. *Ergò inimicus vobis factus sum, verum vobis dicens*. Id est. Ergò quando nullum meum in vos extat male factum, restat vt me vobis inimi-

inimicum arbitramini, quia benè vobis feci, quia benè de vobis merui, quia ingenuè & sine fuco & fallacijs vobiscū egi. *Ergò*, inquit, *inimicus factus sum vobis verum dicens.* Id est. Ergò ipsi opinamini me vobis esse inimicum, & omninò malè vobis velle, quod vos decipi non sum passus. Quod non sine admirationis quodam sensu dicitur, isque in illa vocula. Ergo, ineſt. Nam erat sane mirandum ob ea Paulum inimicum censeri, quæ ab ipso fiebant amicissimè: & inimicè illum credi agere, quia non, vt alij, agebat vafrè & assentatoriè. Et ideò subiungit.

AEmulantur vos non benè, sed excludere vos volunt vt illos æmulemini. Quasi dicat. Alios studiosos vestri creditis, me autē vobis aduersari magno errore putatis. Nam illi etsi speciem amicorum præseferant, tamen vos haudquaquā diligunt, sed se obseruari à vobis atque coli cupiunt. Infert autem illorum simulatæ amicitiæ hoc loco mentionem Paulus, quòd videbat Galatis impedimento esse, quominus sibi fidem haberent, quod arbitrarentur alios, nempe Pseudoapostolos illos sui studiosiores esse quàm ipsum. Quare huic nunc occurrit falsæ persuasioni atque noxiæ, & Pseudoapostolorum retegens simulatum animum Galatas docet, qui auertebant ipsos à vera fide, & in Iudaismum inducebant, eos non amore vllo id facere, neque quod ipsos saluos & florentes cuperent, sed partim id conari, quo ipsi Paulo hunc dolorem inurerent, partim quo sibi, commodisque suis in eo consulerent. Itaque ait. *AEmulantur vos non benè.* Fateor, inquit, esse qui præseferāt studium salutis vestræ, cæterùm re ipsa non illi vestram salutem quærunt, sed suam rem agunt. *Aemulantur vos.* AEmulandi verbum Latinorum vsu propriè significat contētionis quoddam studium ex inuidentia ortum, vt quando quis aliū in eo quod præstat, nititur superare, eo quod inuideat eius laudi, qua in significatione hic non ponitur.

Nam

Nam illi falsi Apostoli non contendebant de laude cum Galatis, eos vt in aliquo studio superare cuperent. Quare hic ponitur pro amore Zelotypia mixto, eoque vehementi. Nam ζηλόω, quo verbo Paulus vsus est, id inter alia Græcis significat, quomodo etiam קנא accipi Hebræis solet. Ergò inquit. *AEmulantur vos non benè*, id est, diligunt vos quidem, vt apparet satis impotenter, ita vt non patiantur ab alijs quam à se vos institui: sed in eo nec officiū sequuntur, nec vestri charitate ducuntur, sed rem agunt suam. Nam *excludere vos volunt, vt illos æmulemini.* Id est, studeant vos alienare vel à me, vel ab Euangelio, vel certè ab vtroque, vt à nobis excluſi *illos æmulemini*, id est, cultu & amore prosequamini vt duces, atque magistros. Sed nōne oportet æmulari, id est ducem aliquem atque magistrum studioſe sequi? Sanè oportet. Quare sequitur.

Bonum autem æmulamini in bono semper, & non tantum cum præsens sum apud vos.

Aut vt Græci. καλον δὲ τὸ ζηλοῦσθαι ἐν καλῷ πάντοτε. Id est, bonum certè est æmulari, quod bonum est, hoc est, æmulatores esse boni. Quasi dicat. Cùm dico illos non rectè facere, quod quærunt vt ipsos æmulemini, nō damno æmulandi studium omne. Nam vt aliquem æmulemini est necesse, id est, necesse est, vt quos duces sequimini, eos etiā studio & amore prosequamini: sed refert quos. Malos enim si æmulamini duces, peribitis & ipsi: sin autem bonos, salutem consequemini. Itaque quando æmulandum est, bonum æmulamini, idque semper, id est, non ad certum aliquod & breue tempus, sed semper: nō solùm cum is, quem æmulamini coràm adest, sed cum abest etiam, quando ego ipse, quem præsentem studio prosequuti estis, idem erga vos absens sum, qui coram fui, vnde subiungit.

Filioli, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis,

Vellem autem esse apud vos modo, & mutare vocem meam, quoniã confundor in vobis.

Mentio facta eorum, qui se Galatarum salutis studiosos & amatores fingebant, & ea re abducere illos à Paulo cupiebant, amorem erga eos in ipso excitauit. Nam accendit amorem æmulatio, & riualitas. Quare consentaneè post illa. *Æmulantur vos non bene*, amore ardens ita fatur. *Filioli, quos iterum parturio.* Mirus inest, atque elucet amor in his verbis, illos enim primum appellat filios, quod est maximæ charitatis nomen: Deinde ad teneritudinem in amore diminutiuo vtitur, dicens, *filioli.* Postremò, quoniam matrum est, quàm patrum in filios ardentior amor, à matre potissimum metaphoram ducit, ac dicit. *Quos iterum parturio.* Itaque penè ait. Iactant alij vos diligere, ac vestræ salutis studiosos se esse (ò prædicandam fallaciã) Ego ego sum, qui vos vsque eò diligo, nulla vt mater æquè suum filium amet, atque ego vos vniuersos charos habeo. Nec mirum. Nam nulli matri pluris constitit suus filius, quam mihi vos vniuersi. Ego enim vos multo meo labore Christo peperi, quando ad ipsius vos primum adduxi fidem. Ego, iam Christo natos, sed ad superstitiosas religiones conuersos iterum parturio, id est, iterum de vobis laboro, quoad vos Christo ita gignam, vt eius in vos imago plenè extet, & fides altè infixa permaneat. Et quia hæc cum scribebat, ardebat amore totus, & quia qui ardenter amant amorem suum, iis quos amant, omnibus quibus possunt modis, testificari cupiunt, quod Paulus absens quod esset efficere minus poterat, (nam habet aliquid suum & proprium vultus, & oculorum atque vocis ardor, quod non potest exprimi scripto) ideò adiecit. *Vellem autem esse apud vos modo, & mutare vocem meam.* Quasi dicat. Sed quod scribo præ eo quod sentio minus est, & ideò peruellem præsens præ-

præsentes alloqui, vt ex oculis, & vultu animi mei erga vos sensum cognosceretis: vellem coràm mutare vocem meam, id est, ipsa vocis mutatione declarare quali animo sim erga vos, aut potius vellem pro eo quod expedire visum esset orationem meam flectere, eamque vertere in omnem formam, vel supplicando, vel conquerendo, vel blandiendo, vel deflendo, si ita opus esset, & lamentando & sortem vestram, & conditionem meam. Nam nunc quidem, qui sim absens quid consilij capiam ignoro. Id enim significat cum dicit. *Quoniam confundor in vobis.* Nam Græcum, ἀποροῦμαι, hærere est in rebus dubijs, & inopem consilij esse. Itaque ait. Explicare consilium non possum, hæsito, quid agam, qualesve literas mittere debeam non satis constitutum habeo. Sed sequitur.

Dicite mihi qui sub lege vultis esse, legem non legistis, scriptum est enim quoniam Abraham duos filios habuit, vnum de ancilla, & vnum de libera: sed qui de ancilla secundum carnem natus est, qui autem de libera per repromissionem, quæ sunt per allegoriam dicta.

Redit Paulus ad intermissam confirmationem, & ad superiora argumenta nouum addit argumentum ductum ex ijs, quæ tradebantur in lege, quo ijs qui legis cultores volebant videri magis persuaderet, idque argumentum toto hoc capite latissimò exequitur. Eius autem argumenti conclusio talis est. Duo filij, quos habuit Abraham, Ismael nimirum & Isaac duos significant populos, quorum alter obseruat legem, alter fide Christum colit. Isaac huius, alterius autem imaginem sustinet Ismael. Ergò quales illi, tales & hi populi futuri sunt. At Ismael susceptus de ancilla, conditioneque seruus paternæ hæreditatis expers fuit, idem carnalis habitus est, quia ipsum Abraham vi sua genuit, contra Isaac

à sene præter naturæ ordinem procreatus, & ob id spiritualis habitus, & natura & conditione liber fuit, & paternæ domus hæres extitit. Igitur similiter, qui in Christum credit populus, & spiritualis est, & à legis seruiture liber. *Dicite mihi qui sub lege vultis esse.* Id est, qui vsque eò studiosos legis vos esse ostenditis, vt subijcere vos illi velitis, *legem non legistis?* Id est, ignoratis ne ea quæ traduntur & continentur in lege? Legem nominat quinque libros Moysis, nam illis, quod sequitur, continetur? *Scriptum est enim quoniam Abraham duos filios habuit.* id est, *habuisse illum quantum ad hoc, de quo agitur, pertinet duos filios.* Nã Sara vita functa plures suscepisse liberos legitur, sed ex omni illo numero duo tantum huius rei imaginem sustinent. *Vnum de ancilla,* id est, Ismaelem de Agar suæ vxoris ancillula. *Vnum de libera.* Id est. De Sara eius legitima vxore, sed horum Abrahami liberorum vt conditio dispar, sic generationis ratio fuit multum diuersa. Nam inquit. *Qui de ancilla secundum carnem natus est*, id est, genitus vi naturæ (illam enim sustulit Abraham ætate cum vireret è puella fœcunda.) *Qui autem de libera per repromissionem*, id est, genitus est præter naturæ ordinem, Deo exoluente fidem promissi sui. Nam præter naturam est, senex vt vir ex fœmina item anu, & sterili, qualis erat Sara, liberos procrearet. *Quæ sunt per allegoriam dicta.* Id est. Quæ etsi reita gesta sint, tamen relata sunt ab Spiritu sancto ad alias significandas res. Ex quo intelligimus primum in diuinis literis esse allegoriam rerum, id est, esse res veras ab Spiritu sancto institutas ad aliarum rerum imaginem sustinendam. Deinde sacros scriptores è sensu allegorico fidei dogmata confirmare solere, quod viris illis conceditur, vt pote qui certò sciant, quæ quibus Spiritus sanctus contulerit. Sed addit.

Hæc

Hæc autem sunt duo testamenta, vnum quidem in monte Sina in seruitutem generans, quæ est Agar. (Sina enim mons est in Arabia, qui coniunctus est ei, qui nunc est Hierusalem) & seruit cum filijs suis.

Exposita historia confert nunc similitudinem, & explicat Allegoriam dicens. *Hæc autem sunt duo testamenta.* Id est. Istæ duæ mulieres, vt Chrysostomus exponit, è quibus Abraham duos sustulit filios, duo testamenta significant. Testamentum autem Paulus vocat æternæ, hereditatis consequendæ rationem à Deo stabilitam ratam atq, firmam. Sed inquit. *Vnum quidem in mõte Sina in seruitutem generans quæ est Agar.* Id est. Agar significat ex iis, quæ dixi, id testamentum, quod est in monte Sina conditum. Nam eo in monte Deus eas sciuit leges quas Moses postea promulgauit. Quod testamentum *generat in seruitutem*, id est, in seruitutem eos quibus datum est redigit, tùm propter legum, quas continet, varietatem, tùm propter Spiritum timoris, quẽ inserit. Itaque generat seruos sicut & Agar, quę eius testamẽti sustinebat imaginem, & serua ipsa erat, & genera uit seruum Ismaëlem. Præterquam quod & ipsum montem, in quo scitæ sunt atque latę veteris testamẽti leges omnes, Syri atque Arabes Agar nominant, vt, & Theophilatus docet, & scholia Græcorũ. Vnde Agar duplici ratione refertur ad vetus illud significandum testamentum, vnà quod genuit in seruitutem, id est, quia conditione serua erat. Altera quia nomen commune habet cum eo monte, in quo id confectum est testamentum. Quod etiam significasse visus est Paulus cum dicit. *Quæ est Agar.* Id est, qui mons Sina etiam Agar nominatur. Idque adhuc magis declarat subiiciens. *Sina enim mons est in Arabia.* Nam Græci codices, quod & Græci explanatores, & è Latinis Ambrosius agnoscunt, hîc sic habent. Τὸ δὲ Ἁγὰρ Σινᾶ ὄρος ἐστὶν ἐν τῇ Ἀραβίᾳ, id est, ipsum enim Agar

Universidad de Deusto
Biblioteca

Sina mõs est in Arabia. Iterum Agar posito nomine, quo planè significant Agar eius montis, quem Hebræi Sina nominant, etiam esse nomen. Quod & Syriaca editio confirmat, in qua sic. Agar mons est Sinai in Arabia. At verò quod addit eodem de monte dicens. *Qui coniunctus est ei, qui nunc est Hierusalem*, explicari non facile potest. Nam & Mello, & Sion, & Moria montes, in quibus Hierosolymæ sitæ sunt, multorum dierum itinere à Sina monte distant. Quî ergo dici possint inter se coniuncti, qui ne vicini quidem sint? Quidam sic. *Qui coniunctus est*, scilicet radicibus non iugis. Nam etsi iuga eorum montium inuicē distant, tamen multorum montium mutuo coniunctorum tractu, atque serie copulantur. Ita OEcumenius. Alij quia is mons ad Hierusalem spectat, cum ea coniungi dici contēdunt? At hi quomodo spectet non explicant. Alij coniungi dicunt, quia Arabia, in qua Sina est, attingit Iudæam à meridie. Sunt qui contendant, quia ab Sina profecti Israelitæ Palæstinam venerunt, ideò Sina coniungi cum Hierosolymis, non loci vicinia, sed viæ sinuosæ flexu atque tractu perpetuo. Ineptè & frigidè. Plures coniunctum interpretantur non loco, sed allegoria, & similitudine, quod nõ abest à vero. Porrò quid ipse sentiam sic explico. Συστοιχεῖν, quo Paulus verbo vsus est, inter alia significat consensum in natura, aut ingenio, ex quo ἐν ταῖς κατεγωρίαις, quæ in eodem sunt ordine atque serie vocantur Σύστοιχα. Ergò quia Paulus dixerat, Agaris nomine atque persona vetus esse significatum testamentum, quod Deus in Monte confecit Synai, id vt explicaret, & confirmaret magis probationes, subiecit dicens. *Agar Sina mons est in Arabia, qui coniunctus est ei, qui nunc est Hierusalem* Quasi diceret. Agar, inquam, meritò typus est eius testamenti, in Sina confectum fuisse quod dixi, quia commune habet cum illo mõte nomen. Nam & Sina mons Syris Agar nomina-

minatur. Is porrò mons illud significat testamentum, tùm quia ibi id confectum est, tùm quia est in Arabia, id est, extra Palæstinam in loco deserto & inculto, in quo eidem est simile testamento, quod & horridum quodammodo & incultum erat, quoniam non satis excolebat ad iustitiã suos, & eos pœnarum metu & horrore terrebat: & erat extra Palæstinam cælestem situm, quia suos cultores in cælum non inferebat: quas ob causas is mons per omnia similis est atque coniunctus, id est, positus in eadem serie & ordine cum Hierusalem, vt pote qui cognationem naturalem, vti ostensum est, habeat cum illa. Nam per metonymiam Hierusalem pro eo ponitur, cuius in Hierusalem potissimum vigebat cultus, id est, pro institutis Mosaycis. Ita que Hierusalem, Mosayca lex, mons Sinai, Abrahami ancilla Agar *σύστοιχα* sunt, quia ad eandem seriem atque ordinem pertinent, quod ex subiecta tabella fiet planum.

	SERVITVS.	ABRAHAM.	LIBERTAS.
Historia.	Agar serua.	Fœminæ duæ.	Sara libera.
	Minus sollemne cum Agar.	Coniugia duo	Sollẽne & legitimẽ cum Sara.
	Ismael in carne seruus.	Filij duo.	Isaac ex repromiss. ingenuus.
	Hierusalem terrena serua.	Ciuitates duæ.	Hierusalem cælestis libera.
Allegoria.	Lex in Sina Cæremoniæ.	Testamenta duo.	Euangelium Spiritus.
	Iudæi, qui in cæremonijs manent.	Filij duo.	Fideles qui in lege gratiæ sunt.

Et seruit cum filijs suis. Quidam sic. Et Sina mons & Arabiæ regio omnis seruituti subiecta est, vt etiam hac ratione vetus testamentum referat expressius. Sed rectius videtur, vt Hierusalem dicatur cum filiis suis seruire, quæ certè tunc duplicem seruiebat seruitutem & ciuilem & legitimam: Nam & Romanis parebat, & Mosaycos, seruabat ritus. Porrò iuuat hoc loco cernere quibus Paulus gradibus ad id, quod sibi proposuit, peruenit: quantoque cum iudicio allegoriam exposuit. Nam primò docuit in Agar imaginem inesse montis Sinai, quod Agar etiam is mons Arabicè vocaretur. Deinde via progrediens ostendit illi monti cum terrena Hierusalem natura conuenire. Postremò demõstrauit eam Hierusalem seruituti addictam esse, & ob id vetus in ea significari testamentum, cuius etiam testamenti ipsa erat præcipua sedes, atque domicilium. E quibus omnibus in vnum collatis, sibi quod proposuit, collegit, in Agar inesse veteris imaginem testamenti. Sed pergit.

Illa autem, quæ sursum est Hierusalem libera est, quæ est mater nostra. Scriptum est enim. Lætare sterilis quæ non paris, erumpe, & clama, quæ non parturis, quia multi filij desertæ magis, quàm eius quæ habebat virum.

Docuit vetus testamentum significatum fuisse in Agar, & pro conditione Agar similiter generasse in seruitutem, idest, non liberasse suos cultores à peccato, sed oppressisse eos & seruili metu, & graui legis onere: Nunc accedit ad aliam partem Allegoriæ, docetque in Sara nouum testamentum significatum esse, ipsumque fuisse liberum, idest, libertatis efficiens, sicut & ipsa Sara libera fuit. Atque quemadmodum vetus testamentum Hierusalem terrenã figuratè nominauit, sic nouo nomen indit Hierusalem, quæ sursum est: quo nomine significat piorum Ecclesiã, in qua & id viget testamẽtum, & ea floret libertas. Itaque

ait. *Illa autem Hierusalem, quæ sursum est, libera est.* Opponit Ecclesiam Synagogæ, testamentum vetus nouo, quasi dicat. Hæc Hierusalem terrena, & quæ apud eam religio viget, seruit cum filiis suis, sicut & Agar, quæ eius fuit imago, seruiebat. At Hierusalem, quæ sursum est, quia de supernis ad nos descendit locis, sic enim piorum Ecclesiam vocat, quia de cælo tota pendet, quiaque cælestis est eius fides atque testamentum, quo tota illius continetur religio, libera planè est, vti & Sara, quæ typum gessit eius, libera fuit. Sed occurrit quæstio, vtra Ecclesia hic Hierusalem superna nominetur, quæ militat in terra, an quæ triumphat in cælo. Sunt qui triumphantem significatam velint. Sed rectius sentiunt, vt mea fert opinio, qui militantem affirmant. Nam de eo agit Paulus, vt doceat Ecclesiam fidelium præstare Synagogæ, & fidelibus legis cultū esse inutilem: quam ad rem triumphans Ecclesia parùm aptè in contentionem adduceretur. Igitur quæ militat, ea Hierusalem superna nominatur, quod eius ciues nō è carne aut è sanguine nati sint, sed potius ex Deo geniti, & in Deum atque in cælum semper intenti. Ex quo idem. Con-
Philip. 3. *Colos. 3.* uersatio nostra in cælis est. Et rursus. Quæ sursum sunt quę rite, non quæ super terram, sed restabat, vt doceret pertinere Galatas ad filios Ecclesiæ, quo sic constaret & ipsos esse liberos, & futurum, legi si addixissent se, vt eam libertatem amitterent, & seruorum conditionem subirent, in quem finem tota hæc spectat oratio. Id ergo docet subiiciens. *Quæ est mater nostra.* Quasi diceret, Ecclesia superna libera est, & ea est mater nostra, ex quo efficitur, vt & ipsi liberi simus. Nam nostram cum dicit, non se modo aut è Iudaismo fideles, sed sine exceptione vniuersos, qui in Christum credunt, intelligit. Quod vt constet eam matrem esse omnium, id est, omnis generis fidelium, vt in eis etiam Galatæ intelligantur inclusi, adducit Esaiæ testimonium,

nium, dicens. *Scriptum est enim. Lætare sterilis, quæ non paris, erumpe & clama, quæ non parturis, quia multi filij desertæ, magis quàm eius quæ habebat virum.* Quibus verbis Esaias in capite quinto cum Ecclesia loquitur, eique gratulatur de multitudine filiorum, quos erat habitura: tū ipsam cum Synagoga neutrius expresso nomine cōfert, ac futurū prædicit, vt fœcūditate, & credētium multitudine Ecclesia superet Synagogā. Itaq; sermone ad illam cōuerso cum ipsa vt cū fœmina ita fatur. *Lætare sterilis quæ non paris,* & quæ sequuntur.

Sed quæritur quam ob causam Ecclesia dicatur sterilis? Nonnulli ob id, quia ante Christi aduētū nullos filios Deo peperit. Sed falso id & ineruditè. Nam qui ante Christi aduentum extiterunt iusti, quorum fuit multitudo maxima, ad Ecclesiam Christi omnes pertinuerunt, vt rectè docuit Augustinus, quia ob fidem in Christum omnes illi effecti iusti sunt. Quod si ante Christum natum filios Ecclesia nō habuit, sequitur ne fuisse ipsam ante natū Christū, quando nihil aliud est Ecclesia quā fidelium conuentus. Quare alij sterilē dicunt, quia Sara, quę typus eius fuit, & ipsa erat sterilis. At Sara eius in eo nō esset typus, nisi inesset in Ecclesia aliquid vnde nominaretur sterilis. Pleriq; affirmāt hæc dici de Ecclesia cōgregata ex gentibus: nā hæ ante Christū natum, quod ad iustitiæ ac sanctitatis attinebat germina, haud dubiè fuerunt steriles. Itaq; Ecclesia propriè non est sterilis, nā conuentus fideliū Ecclesia dicitur, sed conuentus gentiū antequam Christum coleret, is sterilis fuit. Qui tamen conuentus vocatur Ecclesia figura quadā, quoniā futurū erat vt esset Christi Ecclesia, ex illo enim maxima ex parte ducta est atque orta. Verum hęc explanatio à Pauli sententia est aliena. Nam Paulus sine dubio de ea Ecclesia Esaiam arbitratur loqui, qua de Ecclesia ipse loquitur. At ipse de Ecclesia loquitur iam fideli, ac de ea, quæ vniuersos fideles siuè è gentibus, siuè è Iudæis collectos com-

complectitur. Id declarat quod dicit. *Quæ est mater nostra.* Paulus enim natura Iudæus ad collectam è gentibus Ecclesiam non pertinebat. Quapropter dici, vt opinor, debet nominari sterilem quomodo & typus eius Sara sterilis nominatur. Quæ certè dicta est sterilis non quòd nullũ fœtum edidit, sed quòd quem edidit non naturæ suæ edidit fœcunditate, sed cælitus accepta facultate gignẽdi: sic Ecclesia quotquot gignit filios, eos omnes cælesti fatu gignit, non naturæ facultate atque vi. Nemo enim pertinet ad Ecclesiam familiæ aut generis iure, quomodo ad Synagogam pertinebãt omnes, qui ad Iacobum Isaachi filium
Colos. 3. suum referebant genus, sed vt Paulus ad Colossenses scribit. Ibi, id est, in Ecclesia Christi, non est Gẽtilis, & Iudæus, circuncisio, aut prępurium, Barbarus, & Scytha, seruus &
Ioan. 1. liber, sed omnia, & in omnibus Christus. Et vt Ioannes de fidelibus. Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt. Itaque ait. *Lætare sterilis quæ non paris*, id est, quæ non vi naturæ, & consueto nascendi more, sed virtute cælesti gignis filios. *Erumpe & clama*, præ lætitia, scilicet, *Quæ non parturis.* Nam etsi natura sis prorsus infœcunda, ac nulla certa in gente, ac natione collocata, & hac ex parte deserta, tamen plures es habitura filios, ac ciues. *Quàm ea quæ habet virum*, id est, quam Synagoga quæ carne fœcunda est, quæque habet hominum genus quoddam, ad quod quicũque pertinet, idem ad ipsam pertinere censetur. Sequitur.

Nos autem fratres secundum Isaac promissionis filij sumus. Sed quemadmodum tunc is, qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum, qui secundum spiritum, ita & nunc. Sed quid dicit scriptura? Eijce ancillam & filium eius, non enim erit hæres filius ancillæ cum filio liberæ.

Exposita allegoria, ad id nunc explanandum accedit, cuius causa mentionem eius fecit, itaque dicit. *Nos autem fratres*

fratres secundum Isaac promissionis filij sumus. Id est. Sicut Isaac non naturæ vi, aut consueto nascendi more natus est, sed promissionis virtute: sic & nos ad id genus Ecclesię pertinemus, cuius filij non carnis propagatione, sed virtute spiritus, & fidei nascuntur. Quod ita se habere vt magis explanet, in medium profert aliud quiddam, in quo illi duo Abrahami filii horum populorum imaginem sustinuerunt. Nam Ismael puer adhuc cùm esset, molestus erat Isaac & ipsi puero, quam rem ægrè ferens Isaachi mater Sara Ismaelẽ paterna domo exegit, vt in Genesi scribitur: Sic ergo, inquit, & nunc Iudæi legis studiosi iis, qui iuxta promissionem Abrahami filii sunt, id est, Euangelii cultoribus molestiam exhibent, sed quod tunc accidit, idem nunc etiam euenit. *Nam scriptum est. Eijce ancillam & filium eius, non enim erit hæres filius ancillæ cum filio liberæ.* Sic & hi, quorum ille imago fuit ipsorum antiquato testamento, è paterna ipsi domo exturbati, & expulsi, Abrahamo promissam non consequentur hæreditatem. Addit tandem.

Itaque fratres non sumus ancillæ filij, sed liberæ, qua libertate Christus nos liberauit.

Concludit argumentationem, idque subiicit, cuius efficiendi causa posuerat superiora omnia. Sic propè inquiens. Ex hoc fratres conficitur vos non esse ancillæ filios, neque ad id pertinere testamẽtum, quod seruit, quin legibus solutos esse Mosaycis, esseque filios liberæ, id est, promissionis filios, & noui testamenti alumnos veros, ac proinde liberos ab omni veteri obseruantia, in quam libertatem Christus vos asseruit. Ex quo consentaneè.

CA-

Universidad de Deusto
Biblioteca

CAPVT. V.

STate & nolite iterum iugo seruitutis contineri.

Quasi dicat. Quare cum hæc ita sint, vestrę memores dignitatis, libertatisque, ne subijciatis vos legis seruituti. Iugum seruitutis legem Mosaycam nominat, quod esset obseruatu difficilis. Hortatur autem eos ne iterum in eam seruitutem recidant, non quod ipsi antea legi seruierint, sed quòd antea eas religiones coluerint, quæ & ipse certos deligebant & obseruari præcipiebant dies, & sacrificandi ritus præscribebant varios, atque molestos. Porrò quod Paulus hîc Galatas adhortatur, id ad Christianos pertinet vniuersos, quos à peccati semel liberatos iugo non decet, vitiis se iterum in seruitutem addicere quorum & grauissima est seruitus, & turpissima. Sed quod Galatæ fortasse dicerent, se tãtum circũcidi velle, vt pro filijs haberentur Abrahami, qui & ipse circuncisus est, cæteras legis obseruãtias obseruare nolle: circuncidi autem velle, ita vt conseruarent tamen fidem in Christum, id Paulus magna cum asseueratione reiicit, dicens.

Ecce ego Paulus dico vobis quoniam si circuncidimini, Christus vobis nihil proderit. Testificor autem rursus omni homini circuncidenti se, quoniam debitor est vniuersæ legis faciendæ.

Ne existimetis, inquit, obseruantias legis posse diuidi, aut cum illis Christi fidem coniungi posse, si vnam circunciſionem susceperitis, & cæteræ legis onera, necesse est, vt subeatis. Et vel vna circuncisione susceptа, salus animi amittitur ea quam attulit Christus: itaque Christus vobis nihil proderit. Quod vt magis adhuc explicet, addit.

Euacuati estis à Christo, qui in lege iustificamini, à gratia excidistis.

Id est, Spoliati illo estis, Christum amisistis, redditus est

est vobis ociosus & inutilis Christus. *Euacuati estis.* Hoc est, non solùm nullum ex Christo in posterum haurietis bonum, sed & quæ hactenus hausistis, amittetis omnia, vacuique omninò remanebitis. *Euacuati estis*, verbum Græcum καταργεισθαι, aboleri propriè significat, & pro ocioso & inutili haberi, ἀργὸς enim ociosus est. Scholia porrò Græca ita id interpretantur, ac si dictum à Paulo esset, abscisi estis à Christo, ducta metaphora à vite: nam & Christus vitis dicitur, à quo qui abscisi sunt, quia in ipsum non credunt, & ipsi ociosi Christo sunt, & illis Christus, quod neque ipsi salutares iustitiæ edunt fructus, neque Christus influit in ipsis, vt in palmites vitis influit. *Qui in lege iustificamini.* Id est, qui legem obseruatis spe iustitiæ consequendæ. Itaque iustificamini dixit non pro re, sed pro opinione, & existimatione ipsorum, nam lex neminem iustificat. Ergò, inquit, inutilis vobis Christus erit, & à gratia excidetis illius, si spem iustitiæ obtinendæ reponitis in lege, & ideò eius cultores esse cupitis. Nam Græci, è quibus erant Galatæ, cur Mosaycam seruare legem vellent nihil habebant, nisi quod à pseudoapostolis in errorem inducti credebant legem vim habere ad efficiẽdam iustitiã, à quo errore semel liberati si essent, reliquus Euangelicæ doctrinæ atque vitæ cursus planus erat & inoffensus illis. Quare id tantũ, aut certè id potissimùm agit Paulus, vt ex eorum euellat animis, hanc malè susceptam, ac penitus imbibitam de legis iustitia opinionem. Sequitur.

Nos enim spiritu ex fide spẽ iustitiæ expectamus. Id est, Nos ex fide, & non ex obseruãtia legis, accepto Spiritu sancto, scilicet (quo nomine cũ ipsum spiritũ, tũ illius dona charitatis, & gratiæ cõplectimur) igitur eo accepto, & ipsi iusti sumus, & spẽ cõcipimus, spẽ iustitiæ habituros esse nos, id est speratã iustitiã, aut ꝙ ob iustitiã speratur prẽmiũ, sicut alibi coronã iustitiæ vocat, quod redditur ꝓ iustitia, quoniã 2. Tim. 4.

germi-

Universidad de Deusto
Biblioteca

germinat ex illa, est enim gratia semen gloriæ. Itaque opponit fidelem hominem cum eo, qui ex fideli in Iudaismum delabitur, & de hoc, quia spem consequendæ iustitiæ in lege ponit, affirmat, spiritum Christi si quem habebat amittere, & æternæ vitæ præmium non consequi. At de illo qui in vno Christo spem cõstituit salutis suæ, dicit, & spiritum gratiæ habere ipsum, & ex eo vitæ æternæ consequendæ certam spem. Itaque ex viua in Christum fide tanquam è radice pullulare omnia. Vnde sequitur.

Nam in Christo Iesu neque circuncisio aliquid valet, neque præputium, sed fides quæ per charitatem operatur.

In Christo Iesu, id est, apud Christum, neque generis neque obseruantiarum ratio aliqua valet quidquam, nisi viua in ipsum fides adsit. Vel, in Christo, id est, ad percipiẽdum fructũ è Christi morte, nihil illa valent. Præputium vocat gentes, gentium q́ue vitæ instituta, circuncisionem autem Iudæos, & Iudæorum legitimos ritus: fidẽ autem per charitatem operantem vocat, fidem viuam, quæ, scilicet à charitate vim operandi habet. Nam Lutherani hoc Pauli testimonium, quo illorum detegitur & coarguitur error, falsis interpretationibus variè peruertunt. Dicũt iustitiam constare sola fide: at quia ex fide necessario charitas oritur, ideò fidem per charitatem operari dici, id est, fructicare charitatem, ex quo non sequi charitate iustitiam contineri. At Catholici, quoniã fidem esse posse sine charitate fatentur, ex fide necessario oriri charitatem negant, contra potius docent omne bene operandi principium, omnem q́ue vim duci à charitate, quando neq; ipsa fides operari quidquã cælesti præmio dignum potest, nisi eam & excitet, & fulciat, & imbuat charitas, idq́ue Paulum docere cum dicit, fidem operari per charitatem. Sequitur.

Currebatis bene, quis vos impediuit veritati non obedire? Nemini consenseritis: persuasio hæc non est ex eo qui vocat vos.

Abso-

Absoluta confirmatione, & quod Paulus proposuerat legem non iustificare, & inutiliter atque noxiè cum Euangelio coniungi, firmissimis rationibus confirmato, conuertit sermonem suum ad Galatas, eosq; vt ad pristinam mentem redeant adhortatur, & adhortationi intermiscet affectus dulcissimos. *Currebatis*, inquit, *benè*. Cursum figuratè vocat fidem in Christum & institutum Christianę vitę, quomodo & alibi de se loquens scribit. Bonum certamẽ certaui, cursum consummaui, metaphora ducta à pugilibus & cursoribus, quorum illa ætate vsus in sacris certaminibus erat frequens. Et alibi. Sic currite vt cõprehendatis, & omninò bonorum viuendi ratio cursus vocabulo in sacris literis nominatur. In Canticis. Trahe me post te, curremus. Idq́; nominatur propter duplicẽ causam. Vna, quia nunquã ociantur, semper alia aliis bona opera adiungũt, tempus à bono opere vacuum præterire non sinunt: cum quiescunt, laborant, cũ feriantur negotiosi sunt, qua de re sponsa dicebat. Ego dormio, & cor meũ vigilat. Id est. Cum dormio, vigilo: cum deses videor, curro, cum ocior, tum bonis operibus maximè insisto, bonorum enim ocia negotiosa sunt, & fructuosa. Altera, quia in huius vitæ bonis non immorantur vti reliqui, qui in eis domicilium vitæ suæ, & quietis sedem constituũt. Nam etsi ea bona fugacia sint, tamen eorum studiosi prę terlabi sibi ea non sinunt, & repetendis voluptatibus, volupratumq́; vsu secum ipsa retinent quoad possunt. Iraq; illa quidem, quod necesse est, ipsos deserunt, ipsi autem se ab illis deseri nunquã patiuntur, ne mortui quidem: eorum enim cupiditatem secum vnà ferunt, quæ ipsos excruciet. Iusti vero cursim ista omnia degustant, aut ne degustant quidem, itaq; ad illos Paulus. Hoc autem dico fratres, tẽpus breue est, reliquum est, vt qui habent vxorem tanquam non habentes sint, & qui vtuntur hoc mundo, tãquam non vtantur, præterit enim figura.

2. ad Timo. 4.
1. ad Cor. 9.
Can. 1.
Can. 5.
1. ad Cor. 7.

figura huius mundi. *Currebatis benè*, inquit, *quis vos impediuit.* Id est, prohibuit ne progrederetis vlterius, aut certè aliò conuertit cursum vestrum. Et addit interpretationis gratia. *Non obedire veritati*, id est, cùm in veritate cognoscenda, & sequenda tantos progressus fecissetis ab eius obedientia eximere quis vos potuit? *Obedire.* Græcum πειθεσθαι, & obtemperare significat & sibi persuaderi sinere, quorum alterum ad affectum spectat, alterum ad mentem pertinet, veritas enim Euangelij in vtraque animi nostri parte dominari debet. Nam quæ vera esse quis iudicat, ijs nisi pareat, nisiq; ex eorum præscripto vitam suam regat, grauioris pœnæ reum ipsum constituent. Addit. *Nemini consenseritis*. Hæc desunt in nonnullis exemplaribus Latinis, & in omnibus Græcis atque Syris: & qui ante Hieronymi tempora hanc explanarũt epistolam, eorum non meminere, quibus etiam addendi sunt Augustinus, Theodoretus, atque Chrysostomus, tùm etiam Primasius, Theophilatusque. Itaque Diuus Hieronymus sic scribit hoc loco. Quia neque in Græcis libris, neque in iis, qui in Apostolum commentati sunt, hoc scriptum inuenimus, prætereundum videtur. Quare sequitur. *Persuasio hæc non est ex eo qui vocauit vos.* Id est. Vel ex eo intelligere poteritis hanc vestram persuasionem de Iudaismo sociando cum Euangelio prauam ac pernicioſam esse, quia non congruit cum priore vocatione vestra, ac proinde non est ab eo authore, qui vos de principio vocauit. Non congruere cum priore vocatione manifestum illis erat. Priorem autem vocationem authore Deo fuisse factam, ex eo cognoscere poterant, quòd ea donum Spiritus sancti consequuti sunt. Sequitur.

Modicum fermentum totam massam corrumpit, ego confido in vobis in Domino, quod nihil aliud sapietis, qui autem conturbat vos, portabit iudicium suum quicunque est ille.

Fermenti nomen, & res in sacris literis transfertur ad animi significanda vitia, quod ea quamuis specie parua, tamen in animo recondita fermenti instar, facile ipsum inficiant, & contaminent. Ponitur autem interdum pro vitiis in genere, vt id ponit Paulus in illo. Expurgate vetus fermentum, id est, omnem labem animi. Interdum pro vno certo hypocrisis vitio, vt Christus apud Lucam. Cauete vobis à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis, interdum verò pro errore doctrinæ, vt fit in hoc loco. Dicit ergò Paulus, modico fermento totam corrumpi massam, id est, errore quamuis paruo inficiri veritatem doctrinæ, quia Galatæ non quidem legis omnes admittebant ritus, sed circunciſionis tantum obseruantiam, qua vna admissa vt affirmat, Euangelicæ doctrinæ contaminabatur puritas. *Ego confido in vobis in Domino quod nihil aliud sapietis.* Dicit se non habere illos pro desperatis, quo tacitè ipsos ad mutandam sententiam cohortatur & inuitat. Aliorum enim de nobis bonæ opinioni atque expectationi respondere ipsi natura cupimus. *In vobis.* Id est, de vobis, Hebraico loquendi more. Ergò dicit se benè sperare de illis in Domino, id est, ferè exploratum ipsi esse, futurum vt Dominus eorum mentem mutet, eisque ostendat quanto versentur in errore. *Qui autem conturbat vos portabit iudicium suum quicunque est ille.* Id est, vos, vti spero, mentem in melius mutabitis, at qui vos decepit, in erroremque induxit, is grauissimas pœnas dabit. *Portabit iudicium suum.* Hebraismus est, pro grauiter punietur. Sequitur. 1. ad Cor. 5. Luc. 12.

Ego autem fratres, si circunciſionem adhuc prædico, quid adhuc persecutionem patior? Ergo euacuatum est scandalum cru-

Universidad de Deusto
Biblioteca

cis, vtinam & abscindantur, qui vos conturbant.

Seductores illi, quò facilius Galatis persuaderent, dicebant & ipsum Paulum probare circunciſionem, vtpote qui Timotheum iam Christianum factum circũcidi feciſſet, de qua re mentionem suprà fecimus. Huius ergo rei suſpicionem à ſe remouet, dicens. *Si circunciſionem adhuc prædico, quid adhuc perſecutionem patior?* Id eſt. Si author ſum ſuſcipiendę circunciſionis, vti iſti qui ſeducunt vos dictitãt, quid adhuc perſecutionem patior, id eſt, cur mihi infeſti ſunt legis ſtudioſi Iudæi? Colligit igitur falſum eſſe, quod de circunciſione à ſe probata iactabãt ex odio Iudæorum aduerſus ipſum. Nam quod opinio percrebuerat apud Iudæos Paulum inutilem eſſe circuciſionem dicere, & abrogatam legem eſſe docere, idcircò illum Iudæi extinctũ cupiebant. Et eodem ſpectat, quod addit. *Ergo euacuatum eſt ſcandalum crucis.* Euacuatum eſt, id eſt, ſublatũ eſt id, quod Iudæos offendit & abſterret à fide Chriſti crucifixi. Nam quod Iudæos maximè auertebat à Chriſto, id, ſcilicet erat, quod is ſua morte legem antiquaſſe, & abrogaſſe diceretur. Sed ſubiicit. *Vtinam abſcindantur, qui vos conturbant.* Id eſt. Me authorem eſſe volunt circunciſionis ſuſcipiendæ ſtudioſi ipſi circunciſionis. Itaque, & vos decipiunt, & de me falſa loquuntur, opto ergò, vt tales qui ſunt, quiq; tantum circunciſionis ſtudium præ ſe ferunt, me vt etiam trahere ſtudeant ad ſuas partes, penitus abſcindantur, id eſt, non ſolùm circuncidantur, ſed abſcindantur etiam. Luſit ex ambiguo, aut ex affini elegantiſsimè, quod ad id genus falſæ orationis pertinet, quod cum acerbitate coniungitur: quodque φοβερὰς χάριτας vocat Demetrius. Hoc tamen ipſum quidam ſic exponunt. Vtinam non ſolum circuncidantur iſti, qui circunciſioni tantopere ſtudent, ſed etiam abſcindantur, id eſt, exſecentur virilibus penitus amputatis. Sic Chryſoſtomus, Theodoret⁹, Hieronymus, OEcu-

OEcumenius, ſcholiaq; Græca, quorum aſcribam verba. de vobis mihi cura eſt, de iis autem qui vos labefactant nõ amplius laboro: Illi itaque non ſolùm circuncidantur, ſed vtinã etiam ſeipſos exſecuiſſent. Et D. Thom. qui ſic. Vtinam non ſolum circuncidantur, ſed etiã totaliter caſtrentur. Neq; Auguſ ab his diſsidet, niſi quod exſectionem in bonam partem accipit, & Metaphoricè interpretatur pro obſeruãtia Euangelij, quod qui colunt, ſe caſtraſſe propter cælorum regnũ dicuntur. Cui Anſelmus accedit, & quod vocant Gloſſema ordinarium Sed pudentius, mea ſententia, Ambroſius, & noui quidam interpretes abſcindãtur, exponunt, ſeparentur & repellantur. Nam & hoc Pauli pudorem & grauitatem magis decet, & eſt ſimile illi. Qui non amat Chriſtum Ieſum, ſit anathema. 1. Cor. 16.

Sed occurrit quæſtio, an Paulo malè precari licuerit contra Chriſti, atq; adeò ipſiuſmet Pauli præſcriptũ. Nam ad Romanos ſcribit. Benedicite, & nolite maledicere. Et alibi. Maledici regnũ Dei non poſsidebunt. Hierony. non ſatis excuſaſſe à vitio Paulũ videtur. Auguſ. dictũ interpretatur in bonam partẽ: optare enim ait, Euangelici vt fiant ſpadones, id eſt, Chriſti cultores. Sed nõ neceſſe eſt ad iſta confugere. Conſtat enim optare licere primũ vt mali in malum incidant, quod eos in viam reuocet: deinde, vt deleantur mali, nõ ipſorum odio, ſed vitiorum, quo peccati regnum aboleatur. Poſtremò ſubintellecta cõditione niſi reſipiſcant vt funditus intereant. Adde ſæpè in ſacris literis imprecationes huiuſmodi non eſſe maledicta, ſed rerum futurarum vaticinia, cuius rei exempla ſunt obuia. *Vtinam excindantur, qui vos conturbant.* Græcè, οἱ ἀναστατοῦντες ὑμᾶς, id eſt, qui vos de ſtatu dimouent, & vt interpretatur Chryſoſtomus, qui vos patria pulſos, & libertate ſpoliatos in exilium mittunt. Nam vera patria Eccleſia Chriſti eſt, & vera libertas non ſeruire peccato, quibus hi ſedu- Rom. 12. S. Tho. 2ª. 2. q. 83. ar. 3.

ctores Galatas ſpoliabant bonis. Quare rectè ſubiungit,

Vos autem in libertatem vocati eſtis fratres, tantum ne libertatem in occaſionem detis carnis, ſed per charitatem ſpiritus ſeruite inuicem.

Id eſt. Nulla cauſa eſt, quare iſtorum monita & perſuaſiones ſequamini, quibus vos ad ſeruitutem legis vocant, hoc eſt, in exilium mittunt, propriis ſedibus pulſos, alioqui ciues conſcriptos in Hieruſalem ſuperna, & vera donatos libertate per Chriſtum. *Vos autem in libertatem vocati eſtis*. Cuius libertatis ea vis eſt, non vt putetis licere vobis intemperanter agere, & malis cupiditatibus indulgere, ſed vt, quæ honeſta ſunt, liberè tanquã filij, & non vt ſerui flagrorum metu faciatis. Itaque adiungit. *Tantum ne libertatem in occaſionem detis carnis* Nam quoniam ſæpius affirmarat liberos ipſos eſſe, ſæpiuſq; ſuæ illos admonuerat libertatis, iure veretur ne eius nominis vi non ſatis intellecta, decepti arbitrentur ſe legibus ſolutos ſic eſſe, vt ſibi liceat quidquid libeat. Quare id corrigit, & hanc Chriſtianorum hominum libertatem, duabus aſtringit legibus. Vna ne ad carnem pertinere hanc libertatem putẽt, id eſt, ne arbitrentur quod Moſaycis ſint ſoluti legibus, ideò cupiditatibus indulgere poſſe ſuis. Altera, vt intelligant, ſi minus legum Moſaycarum imperio atque metu vt antea, tamen charitatis ductu atque iuſſu alios aliis mutuò ſeruire debere. Qua de re ſequitur. *Sed per charitatem ſpiritus ſeruite inuicem*. Id eſt, iſtam quam prædico Chriſtiani hominis libertatem, non ego illam ab officiorum honeſtate liberam eſſe volo, ſed potius cum mutuæ beneficentiæ charitate coniungo. Quid igitur eſt ſeruire legi, dicet aliquis, ſi hoc non eſt? aut quæ eſt iſta Chriſtianorum libertas, quæ tuo arbitratu quidquid velis agere non ſinit: ſed cupiditatibus frænum iniicit, officiorum in alios graue nobis onus imponit? Id vt rectè intelligatur, (nam

prauè

prauè hoc dum intelligunt Lutherani leges Eccleſiæ omnes reiiciunt) aduerti debet, Chriſtianæ libertatis omnem vim atque rationem cõſiſtere primum in eo, vt peccatum non dominetur in membris noſtris. Dominatur autem peccatum in animo, quando ipſum maculat atque inficit, & vis illius in ipſo viget nullis gratiæ vinculis coercita, aut aſtricta. Deinde in eo, vt non timore coacti vt ſerui, ſed amore virtutis inducti vt filij quæ ſunt recta faciamus. Poſtremò in eo, vt Moſaycis non iam amplius conſtricti legibus teneamur. Quæ omnia Chriſtus Ieſus iis tribuit, qui ſe diligũt, & ea planè efficit in ipſorum animis, ſuorum meritorum, atque virtutis ſumma efficacia. Nam & eos ſoluit lege Moſayca, quia quæ illa adumbrabat, re ipſe perfecit, itaque euanuit vmbra, aduentu veritatis: & eoſdem liberat à dominatu peccati, eorum mundans animos, & ſpiritum cæleſtem indens in eis, & cupiditatem honeſti inſerẽs in cordibus eorundem per gratiæ infuſionem, qua cum peccatum delet, tum etiam malam libidinem, id eſt, peccati concupiſcentiam coercet. Hæc igitur eſt Chriſtianę ratio libertatis, atq; his terminis continetur. Ex quo primum efficitur nõ eſſe huius libertatis indulgere poſſe carnis cupiditatibus, ſed id potius cum illa pugnare maximè. Nam eius eſt non eſſe ſub dominatu peccati, cui tunc certè ſubiicimur quãdo libidini obſequimur: qui enim ei obſequũtur, ſeruiũt utẽ ſeruiũt & quidẽ duriſsimam. Deinde efficitur nõ eſſe itẽ libertatis huius rationis ductũ nõ ſequi, aut eius legibus non teneri. Nã hãc libertatẽ cupiditates conſtituũt frẽnatę, iuxta rationis præſcriptũ, vti ſtatim dicebã, id autẽ præſcriptum lex rationis eſt atq; naturæ, ex quo fit neceſſe eſſe, vt qui Chriſtianè liber eſt, his legib⁹ & præſcriptis obtẽperet. Poſtremò efficitur hac libertate humanis & Eccleſiæ legibus ſolui neminẽ, quia leges iſtę legi naturę ſeruiũt & ſuffragant. Quare ſi ad prę ſcriptũ rationis

Universidad de Deusto
Biblioteca

ſtudio virtutis directa vita Chriſtianam efficit atque continet libertatem, quæ ad ea præſcripta exequenda & melius ſeruanda conducunt, ea non minuunt, ſed potius augent, & amplificant libertatem iſtam. *Vos autem in libertatem vocati eſtis fratres.* Id eſt, vocati eſtis ad religionem, nõ quæ ſeruire vos legi Moſaycæ cogat, ſed quæ ab ea liberet. *Tantum ne libertatem in occaſionem detis carnis.* Id eſt. Tamen abuti ad ſcelus, & ad cupiditates veſtras explendas hac libertate vobis conceſſa nolitote: tunc enim profectò verè eſſetis turpiſsimorum dominorum ſerui. *Sed per charitatem ſpiritus ſeruite inuicẽ.* Id eſt, Sed veſtrũ munus ſit ſponte & ſtudioſe & nullo coacti metu, ſed libera inducti charitate ſeruire inuicẽ In quo duo docet. Primò quod & quale curriculum ſit, in quo decurrere, ac exercere ſe, Chriſtianus debeat homo, ne iuſti vita Moſaycis ſoluta legibus ocioſa exiſtimetur. Nam fortaſſe dicerent, ſi Chriſtiani non tenẽtur præſcripta Moſayca ſeruare, nullum ergo erit Chriſtiani hominis munus, nullum opus proprium? Quibus Paulus. Exercete vos in benefaciendo, & in mutuis officiis. Secundò docet, idipſum nõ coactè atq; ægrè, ſed liberè, & ſponteneè eſſe faciendum. Ac ne quis putaret leue id præceptum, aut nullius momenti eſſe, aut certè ita ſimplex, & factu facile, vt occupatos nos reddere non poſſet, rectiſsimè adiunxit.

Omnis enim lex in vno ſermone impletur. Diliges proximum tuum ſicut teipſum. Quod ſi inuicem mordetis & comeditis, videte ne ab inuicem conſummamini.

Quaſi dicat, præcipio vobis vt ſeruetis inuicem charitatem: & qui vos à cæremoniis legis liberos eſſe dico, hæc officia vobis, in quibus vos exerceatis, & veſtræ pietatis in Deum documentum edatis præſcribo, quæ certè officia neque pauca numero ſunt, vt vos ſatis occupatos tenere non poſsint, neque contemnenda atque leuia. Nam primùm

mùm totam legem iſta officia continent: itaque ſi legis obſeruatores eſſe cupitis, his officijs exercendis legem ſeruatis, nam legis ſumma hæc eſt. Diliges proximum ſicut te ipſum, deinde, quia ſi illa negligitis, neque inter vos amatis, pernicioſi vobiſmetipſis eritis, voſque conſumetis inuicem. Itaque duobus nominibus commẽdat id, quod ad officium Chriſtiani hominis pertinere dicit: vno quòd totius legis obſeruantiam id vnum in ſe contineat: altero quòd ad benè atque beatè vitam degendam ſit imprimis neceſſarium. Sed & id adhuc magis explanat ſubijciens.

Dico autem in Chriſto, Spiritu ambulate & deſideria carnis non perficietis. Caro enim concupiſcit aduerſus Spiritum, Spiritus autem aduerſus carnem. Hæc enim ſibi inuicem aduerſantur, vt non quæcunque vultis illa faciatis: quod ſi Spiritu ducimini, non eſtis ſub lege.

Id eſt. Quod dico hoc eſt, verba mea huc ſpectant, hæc eſt illorum ſumma, vt Spiritu ambuletis, hoc enim vno cõtinentur, quæ dixi, vniuerſa. Duo præcepta Galatis Paulus dederat, vnum, ne carnis cupiditatibus fræna libertatis laxarent: alterum, vt charitatis officijs inuicem ſeruirent. Hæc autem duo vna docet re contineri, vniuerſa enim effici ſi Spiritu ambulent. Nam Spiritu ambulare eſt, Spiritum ſanctum, qui in animis iuſtorum ineſt ducem ſequi. Vnde infrà dicit. Si Spiritu ducimini non eſtis ſub lege, ideſt, ſi illius interiora monita, atque ductum ſequimini. Igitur qui Spiritu iſto modo ambulet, eum facilè duo illa effecturum dicit. Ac primum de priori agit ita dicens. *Et deſideria carnis non perficietis.* Non dixit, nulla carnis deſideria habebitis, turbidos enim animi, atque libidinis motus etiam iuſti ſentiunt: ſed non perficietis, dixit, id eſt non mandabitis executioni. Quod autem deſideria interpres Latinus poſuit, id Græcè ſingulari numero dicitur: Vocat autem Paulus carnis deſiderium, fomitem

mitem malæ libidinis à primo peccato in noſtra natura inditum, quem ideò carnis nominat deſiderium, quamuis non in vna inſit carne, ſed in vtraque hominis parte reſideat, quia quod vitioſum eſt, & corruptioni obnoxium, quodque ſpiritui opponitur, id in ſacris literis caro vocatur. Sed confirmat quod dixerat, qui Spiritu ambulent, eos carnis deſiderium non perficere, quia Spiritus, inquit, aduerſatur carni. Sic enim ait. *Caro enim concupiſcit aduerſus Spiritum: ſpiritus autem aduerſus carnem.* Si enim iſta pugnant inter ſe, vt certe pugnant, rectè ſequitur qui alterutrius eorum impulſum ſequatur, eum deſiderijs alterius obſequuturum non eſſe. Et quo magis doceat, non poſſe fieri, vt quis ſimul vtriſque dicto audiens ſit, magis adhuc explicat quàm iſta duo inter ſe pugnent. Itaque ait. *Hæc enim ſibi inuicem pugnãt, vt non quæcunque vultis illa faciatis.* Id eſt, pugnant vſque eò vt nobis ſæpè non permittatur ea quæ cupimus facere. Qui enim ſequitur Spiritum, quæ caro atque ſenſus malè cupit, non facit: contra qui carnis ſeruit affectibus, quæ Spiritus cuperet fieri, minimè exequitur. Ac de tota iſta pugna plura, & enucleatiora idem ad Romanos ſcribit. *Rom. 7.*

Quod ſi Spiritu ducimini non eſtis ſub lege, id eſt, vt quidam volunt, ſi autem Spiritus vi ducti atque roborati deſiderijs repugnatis carnis, legibus ſoluti procul dubio eſtis, hoc eſt, non ſolum à Moſayca eſtis lege liberi, ſed etiam à conditione legali: non ſolum Moſaycarum cæremoniarum præſcripta atque vincula vos non obligant à quibus ſemper fuiſtis ſoluti vinculis, ſed & à ſeruiendi illa legitima ratione, quæ metu animos conſtringit, & ad honeſta exequenda impellit formidine pœnæ, eſtis liberati: nam in ijs quos Spiritus ducit, dux eſt amor. Reſpondet enim, & occurrit quæſtioni cuidam

dam tacitæ, quod fortaſſe quis diceret valde moleſtum eſſe, qui cupiditatibus inflammetur, repugnare cupiditatibus debere, nec exequi eas poſſe: nec minus eum ſeruire, quam qui legibus Moſaycis tenetur. Vt enim ille, etſi graue ducat legitimos obire ritus, exequitur illos tamen dolenter atque grauatè: ſic & hunc ſeruitutis genus ſeruire quoddam. Nam & ad turpia carne moueri, & ſimul cohiberi Spiritu ab eo ſequendo motu, quin ſeruitus ſit grauiſsima negari non poſſe: diceretur autem, vereque liber eſſet homo, ſi Spiritus iſtius quem prædicas Paule dono vacuitatem affectuum aſſequeretur: Ad hoc igitur Paulus, vt reſpondeat, idque diluat dicit.

Si Spiritu ducimini non eſtis ſub lege. In quo breuiter docet id, quod obijcitur tale non eſſe, vt ſeruire ob eam cauſam dici poſsint fideles. Nam quod ad malæ libidinis cupiditates atque motus attinet, non ideò quis ſeruit quòd eos ſentiat in ſeſe, dummodo illis nullo modo obſequatur, ſed eos potius coerceat ac, frænet, & eorum imminuat vires quotidiè, id quod omnes, qui ſe ab Spiritu duci ſinunt, facillimè faciunt. Quod autem ſpectat ad iuſsiones & præceptiones legum in cupiditates latarum, eas lex atque ducatus Spiritus minimè quidem abrogat, ſed effi-cit nos ne premant, neue moleſtæ nobis ſint, hoc eſt, non ſinit nos ſub illis quaſi onere atque metu preſſos iacere, ideoque eos qui ducuntur Spiritu non dixit lege ſolui, ſed ſub lege non eſſe, id eſt, illarum non teneri imperio atque minis: nec vt ſeruos ſed ſicut liberos, omnique pœna atque metu ſuperiores redditos, ac vnius recti, honeſtique amore incitatos, non tam aliunde petere, aut è præſcriptionibus legum ſumere

Universidad de Deusto
Biblioteca

mere quid in vita sequantur, quàm ex se promere, ac in semetipsis, in animi inductione in propensione, in studio, in gnauitate, alacritateque id descriptum atque expressum ostendere. Nemo autem in eo seruit, quod cupidè, & alacriter facit: itaque iusti tenentur lege, sed sub lege nō sunt, id est, eos lex non premit, neque in seruitutem metu redigit, quod in ipsis efficit Spiritus Christi is, quo ducūtur, quique suo digito, hoc est, summa sua efficientia, atque adeò semetipso omnem recti legem inscalpit in ipsorum animo. Qua de re & alibi, iusto, dixit legem non esse positam, eo quod ipse sibi lex sit summa, atque maxima. Sequitur.

Manifesta sunt autem opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, comessationes, & his similia, quæ prædico vobis sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.

Quoniam admonuit ne solutionem à lege Mosayca in libertatem carnis conuerterent, & docuit, eo, quem acceperunt, Spiritu facilè carnem frænari, nequis carnis appellatione aliud ab eo quod ipse vult intelligeret, quæ isto carnis nomine comprehendat, sigillatim enumerat. Iraque ait. *Manifesta sunt autem opera carnis.* Quasi dicat. Carnium dico vobis seruiendum non esse, opera carnis intelligo esse vitanda vobis, quæ autem ea sint opera manifestum est, nam sunt hæc: *Fornicatio, immunditia, &c.* Distinctè atque gradatim suam sententiam explicuit, ne quis error in eius intelligentia subesse posset. Primò enim dixerat, *Ne libertatem in occasionem carnis detis.* In quo, quoniam interdicere videri poterat quidquid ad carnem pertineret, mox explanatius ac magis strictè dixit. *Desideria carnis non perficietis.* Quo docuit se carnis naturam non damnare, sed

sed desideria eius velle excindi. At quoniam ne hoc satis apertè (non enim liquebat vtrùm vniuersa damnaret desideria, eaque vellet excindi funditus) ideò tandem nomen desiderij atque carnis remouit, operumq; vocabulo vsus est, quo doceret non ipsum de carne ipsa agere, quæ certè extinguenda non est, neque de omni prorsus carnis affectu: nec enim omnes sunt vitiosi, & vt sint ad mediocritatem potius reducendi sunt, quàm omninò elidendi, aut euellendi, extirpari certè radicitùs, atque eradicari vix possunt. Itaque Paulus opera carnis tantum damnat, eaque nominatim recensет. *Manifesta sunt*, inquit, *opera carnis*, scilicet, quod eorum turpitudo operum, si minus omnibus hominibus, certè fidelibus vniuersis nota sit & manifesta. Nominat autem carnis opera non solum ea, quæ humanus animus communiter cum carne operatur, sed & quæ per se ipse, qua ex primo peccato lāguet atque infirmatur operari solet, quales hæreses sunt. Nam opera carnis hic opera hominis carnalis & peccato corrupti sunt, vt interpretatur Augustinus. Primum igitur horum est, *fornicatio*, quod vocabulum latè quidam accipiunt pro quocunque illicito concubitu, ac fœminæ, marisque congressu, quidā strictè & propriè, isque rectius, mihi vt videtur. Nam mox subijcit adulterium, & fornicari licere vulgò putabatur, & ob eam causam ne cesse fuit, vt propriè de illo omnes admonerētur. *immūditia*, sic noster quod Græcè est ἀκαθαρσια, conuertit, quo nomine, quæ sine pudore nequeunt nominari, complectitur innaturales libidines, vti censet Hieronymus. *Impudicitia*. Hoc deest in Græcis & in plerisque Latinis, & proximè superiori contineri videtur. *Luxuria* Græcè ἀσελγια, quæ propriè est lasciuia. Nam luxuria latius patet, nec solū in re Venerea, sed in cultu atque sumptu profusio omnis luxuria dicitur, ex quo & luxus: ἀσελγια verò tantū ad Venerem spectat, inestque in ea, ex Venereorū nimia

Lib. 4. de ciuita. c. 2 & 3.

nimia cupiditate absterso omni pudore procacitas & petulantia quædam. *Idolorum seruitus*. Videri potest positũ figuratè pro vitio auaritiæ, quod Paulo sæpè alibi idolorum seruitus nominatur. Nam Galatis, qui idola colere iã olim desijssent, eaque exosa haberent, vt ab eorum cultu abstinerent se, nominatim præcipere parũ videbatur necessarium. *Veneficia*. Cùm potionibus necantur homines occultè, aut reddũtur insani, quod affine est superioribꝰ, nã amor Venereus veneficijs sępè quæritur. Sed quæ sequuntur, hominum inter se charitatem discindunt, nimirum, *inimicitiæ, contentiones*. E quibus inimicitiæ ad odia pertinent occulta, contentiones autem ad lites externas, de quibus Paulus alibi. Seruum, inquit, domini non oportet rixari, sed esse mansuetum ad omnes. *Æmulationes*. Grecè ζῆλος, quod etsi in bonam sæpè capiatur partem, tamẽ hic Paulus in malam ponit, pro studiosa cupiditate aliorum prauè facta imitandi. *Iræ*, acres scilicet excãdescentię. *Rixæ*. Græcè ἐριθεῖαι, id autem propriè est concertandi, & contra dicendi studium, & vt inquit Hieronymus, cum quis semper ad contradicendum paratus stomacho delectatur alieno. *Dissensiones sectæ*, aut vt alij codices, hæreses, sic dictæ ab eligendo, quod quis suo iudicio, & non authoritate maiorum eligat disciplinam & sententiam quam mauult, potestque id in vtramque partem accipi, sed hîc in malã ponitur. *Inimicitiæ, homicidia*. Quibus maximè alterius charitas læditur. *Ebrietates*, in immodico potu. *Comessationes*, in nimio cibo. Pro comessationibus Syra editio habet lasciuas cantiones, est enim luxurioſi conuiuij comes cantus, atque lasciuia. Quodsi lasciuæ cantiones aditu cælorum regni nos prohibent, quomodo qui lasciua spectacula, aut exercent, aut spectant, aut permittunt, se à peccato graui immunes esse arbitrãtur? Corrumpunt bonos mores colloquia praua, vt Paulus ad Corint.

Coloss. 3.

1. Cor. 15.

quan-

quãto ergo magis corrũpẽt spectacula lasciua, & à lasciuis edita fœminis, quarũ non solũ sermo turpis est, sed & gestus, & aspectus impudicus vsq; eo, vt quæ agunt, ea, nõ tã tũ verbis ad auditorũ aures deferant, sed actione atq; gestu subijciant oculis, atq; infigant animis? Quare exterminari ea res sine dubio debet à populo Christiano, in quẽ nõ ante multos hos annos apud nos se pernicioſè insinuauit, est enim Christiano planè indigna nomine. Cui qui patrocinantur viri, vt fertur, religioſi atque graues, si tamen in tam turpi patrocinio grauis quisquam esse potest, sed tamen, qui religioſi cum sint, aut se certè profiteantur esse, ijs fauent spectaculis, & suæ personæ obliuiscuntur, & quid dicant non satis attendunt, portabunt certè iudicium suum. Sed his enumeratis operibus subijcit. *Qui talia agunt regnum Dei non consequentur*. In quo iure quis dubitet quomodo id sit verum, quando nonnulla istorum lethalia non esse constat. Ad quod dicendum est Paulum istorum improbare studium, & addictũ ijs vitijs animum, non autem cuiusuis generis istorum actiones damnare singulas, aut eas capitaleis esse dicere, earum enim quasdam vel genere vel certe materia leues esse, sed eis studioſè vacare quenquam rebus, seque istis vitijs addicere nunquam esse leue, sed capitale semper: vt exẽpli gratia ebrioſum, id est, ebrietati ita studẽtem ac deditum, paratus vt sit, quacunq; oblata bibendi causa bibere sine delectu, nulla suiue l aliorũ nocumenti ratione habita, nõ quidẽ quoties bibit, aut grauiter peccare ipsum, aut peccare omnino: at ipsa animi inductione atq; proposito in graui peccato semper esse. Sequitur.

Fructus autem Spiritus est charitas, Gaudium, Pax, Patientia, Longanimitas, Bonitas, Benignitas, Mansuetudo, Fides, Modestia, continentia, castitas, aduersus huiusmodi non est lex.

Expositis carnis operibus, subijcit nunc contrarios illis fructus

Universidad de Deusto
Biblioteca

fructus Spiritus, vt quàm inter se pugnent Spiritus atque caro magis ex eo constet: atque etiam vt eo confirmet, quod ante Galatis præceperat, se vt exercerent in charitatis officijs, facile præstaturos ipsos esse, si Spiritu ambulēt, id quod sibi, vti supra diximus, ad confirmandum proposuit. Itaque ait. *Fructus autem Spiritus est charitas.* In quo primò aduerti debet, quæ à carne proficiscuntur, ea opera appellasse, quæ oriuntur ab Spiritu nominasse fructus, idque non temerè: potest enim eius rei probabilis causa reddi. Nam factum videri potest, primo, vt constet, quæ carnis sunt, intra breue tempus perire, interireque, manere autē, & vigere quæ edit Spiritus. Opera enim motu constant, cuius ratio instabilis est: fructus verò res sunt permanentes. Deinde, vt intelligatur, quæ Spiritus profert germina, ea vtilia, & iucūda esse omnia: nā quod suaue capitur quacūq; è re, id fructus trāslatè nominatur. Postremò, vt quod ex carne existit, omni ex parte esse nostrū, ac nobis imputādum cognascatur, idcircò operum appellatione censetur: cætera vero dicuntur fructus, quia non tam nostra industria nobis insunt quàm à gratia & Spiritu S. tanquam à radice in nobis germinant. Sed nec illud prorsus ineptè quidam interpres aduertit, carnis opera plurali verbo esse nominata, quod mala sint, mali autem plurimas esse vias: at fructus Spiritus singulari, quia ń plura in vnum concurrant, ratio boni non constat, vel certè quia Spiritus sancti vnus est, & germanus fructus charitatis, nam fructus reliqui à charitate omnes oriuntur. Sicut enim ipse sanctus Spiritus amor est, ita charitas est id quod in nobis producit propriè, quo in bono cætera bona continētur, ex quo
1.Cor.12. alibi idem excellentiorem viam nominat charitatem. E charitate porrò gaudium sequitur, qui enim charitate pollent, eos nulla res incidens ægritudine afficit, cuncta enim accipiunt in bonam partem, quæ illos malè habet, vna res est,

est, qua de re alibi Paulus scribit, sic dicens. Non gaudet iu per iniquitate, congaudet autem veritati. Rursus ex ea- 1.Cor.13.
dē pax nascitur, qui tertius Spiritus sancti fructus à Paulò ponitur. Nam charitas cupiditates comprimit, id est, litium atque discordiarum causas remouet. Etenim vt alibi scribitur. Charitas non inuidet, non agit perperam, non inflatur, nō quærit quæ sua sunt. Nec solum cum alijs charitas pacem constituit, sed & in ipso cui inest gignit illam, ipsum secum & cum Deo concilians, dum affectus inter se dissidentes componit, & Deum ex irato propitium reddit. Sequuntur. *Patientia, & Longanimitas.* Pro his duobus Græcè vna est μακροθυμία, ideſt longanimitas. Ea autē est animi quædam lenitas, qua quis quamuis grauia & diuturna mala fert constantissimè: quæ etiam virtus è charitate existit, qua de dicitur, charitas omnia perfert. *Bonitas.* Qua quis prodest, & benefacit alijs. Nam Christianę virtutis est non solum mala tolerare patienter, sed & pro acceptis incommodis bona reddere liberaliter: ex quo iustos hæ literæ sæpè oues nominant, & spoliatæ ipsę alios vestiunt, & occisæ alunt. Huic succedit, *Benignitas.* Græcè χρηστοτης, quæ & ipsa parum à bonitate differt. Nā benigni idem sunt, qui liberales, nisi quod benignitas ad beneficium addit quandam dulcedinem, & animi in benefaciendo alacritatem. Benignus enim est, qui non solùm alteri benefacit, sed benefacit prolixè & alacriter, estque id proprium charitatis beneficentia lætari. *Mansuetudo.* Id est, lenitas ac morum facilitas, quæ non in sermone existit solùm, sed & in omni vitæ actione perspicitur. *Fides,* siuè moralis, qua fiunt dicta, quæ est constantia conuentorum atque dictorum: siuè theologica qua Deo credimus, nam vtroque potest modo accipi. Tandem addit. *Modestia, cōtinentia, castitas.* Pro quibus Græcè vna ponitur εγκρατεια, id est, temperantia, qua fit vt animus superari

Universidad de Deusto
Biblioteca

se illecebris voluptatum non sinat: quæ eadem modestiam, castitatemque continet. *Aduersus huiusmodi*, inquit, *non est lex*. Primò quia lege non esset opus, si ex harum virtutum vita duceretur præscripto. Rectè Chrysostomus, sicut equi, inquit, morigeri scutica non egent: sic qui Spiritu ducitur non eget admonitione. Deinde quia lex in hæc non animaduertit, & ob id neque legi seruiunt, neque legis truces minas metuunt. Præterea, quia præuertũt ipsam legem, dũ iniustę legis iussa exequuntur: Postremò quia quę his aduersetur nulla potest lex cõstitui. Sequitur.

Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs, & concupiscentijs. Si Spiritu viuimus, Spiritu ambulemus.

Munit adhuc magis quod admonuerat, ne liberationem à lege in occasionem carnis verteremus. Nam quia videbat illa doctrina de legis abolitione dari viam, qua se in animis insinuare posset, iste error, ideò præter id quod supra fecerat, eum aditum magis obstruit, ne qua rima remaneat Itaque duas rationes de nouo affert, quibus confirmet Christianis, quamuis lege solutis, non licere cupiditates carnis sequi. Vna est, quia sunt Christi, cuius ea vis est, vt pro ea qualis ille fuit tales & ipsi sint: ille carnem suam cruci affixit, qui eius sunt, & ipsi cõcupiscentias suas cruci affixas habere debent, id est, emortuas habere aut certè temperantiæ tanquam clauis ita confixas, vt commouere se vix possint. Altera ratio est. *Si Spiritu viuimus, Spiritu ambulemus*, cuius hæc vis est. Actio consentanea vitę esse debet, nam à vita actio proficiscitur. Quare si Spiritu viuimus, id est, quando constat Spiritum sanctum Christi dono nobis infusum nostris animis dare vitam, res ipsa postulat, vt in agendo atque operando eius impulsum sequamur: vt quem vitæ habemus ducem, eundem habeamus actionum omnium authorem. *Si Spiritu viuimus, Spiritu ambulemus*. Græcè στοιχωμεν, id est, ordinem teneamus seruemus ve, quo is, quem diximus, sensus innuitur, vt nostra, scilicet, opera sint vitæ quam viuimus consentanea, & ad eundem ordinem pertinentia: vtque incedamus ordine nostro, id est, eo qui illos decet, qui Spiritu viuunt, esse enim absurdum, quorum est vita diuina, eorũ esse humana & carnalia opera. Quare sequitur.

Nõ efficiamini inanis gloriæ cupidi inuicẽ prouocãtes, inuicẽ inuidẽtes.

Quod in genere præceperat, vt sub prætextu Euangelicæ libertatis, carnis non exequerentur opera, id nunc magis explicat, à quibusdam illos operibus nominatim reuocans: ad quæ pro ipsorum conditione atque ratione, & pro temporis illius circunstantijs erant magis fortasse proni Galatæ. Itaque ex hoc loco ad mores accedit componendos. *Non efficiamini*, inquit, *inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes*. Verosimile est, propter nouã doctrinam de seruanda lege Mosayca discordasse Galatas inter se, alijs aliud sentientibus, & pro sua sententia pugnantibus: & è dissensione in sententia animorum alienationes exortas, & ex eo odia sequuta est verosimile. Quare medicinam morbo conuenientem adhibet dicens. *Non efficiamini inanis gloriæ cupidi*. Quasi dicat, quod in vniuersum præcepi, vt opera carnis non perficiatis, cùm propter alia huius generis dixi omnia, tùm propriè propter hæc, quæ subijciam. Primum enim volo vos non inuidere, neq; prouocare inter vos, sed cum tranquillitate, ac sine odio & tumultu ea exquirere, quæ ad Euangelij doctrinam pertinent, veri cupiditate, non inanis studio gloriæ. Par enim est plurimos illorum gloriolæ studio, & vt se plus alijs scire mõstrarent, atque vt studiosiores religionis reliquis haberentur, sequutos fuisse hanc nouam doctrinam de seruãda lege Mosayca. Nã glorię immodica cupiditas orta à superbia in errorẽ sẽper induxit eos, qui fidei doctrinę veræ ac regiæ relicta via hæresũ diuerticula sunt ingressi. Adhęc

ista prę cipit Paulus, quia vincendi studio paulatim accenso contentione ipsa, non iam disceptabant, aut altercabantur Galatæ inter se veri cognoscendi causa, sed alios superandi cupiditate potius mutuò cõtendebant, & alter utri alteros superarent, illis qui superarentur, mœrori ac dolori erat propter ęstimationis suæ iacturã, quã faciebãt.

CAPVT. VI.

FRatres & si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui Spirituales estis, huiusmodi instruite in Spiritu lenitatis, considerans teipsum ne & tu tenteris.

Nam & hoc malum ex dissensione & discordia animorum nasci sæpè solet, vt qui inter se dissident, alij in aliorum vitam inquirant & singulorum dicta atque facta rimentur, & quæ ab alijs prauè facta cognoscunt, ea in publicum efferant, augeantque interdum ac verbis maiora faciant, seque exhibeant censores seueros, & implacabiles. Quare Galatas admonet Paulus, ne aliorum peccata seuerè exaggerent, sed potius vt erga peccantes leneis se, & blandos præstent. Et, vt videtur posse colligi ex ijs quæ ad Romanos scribit, qui in eadem ferè qua Galatæ conditione fuisse videntur, hanc admonitionem prior Paulus ad eos dirigit, quicum rectè de fide sentirent, reliquorum Galatarum errorem atque lapsum insectabãtur crimino sè atq; odio sè. In quo eos Paulus multa peccare videbat. Primò enim sibi ipsi vanè placebãt: deinde cõtẽnebant alios: ad hęc ex aliorũ lapsu ipsi volebãt crescere, se inaniter efferẽtes cũ iactatione, & tumore: postremò eare aliorum animos cum à se, tum à veritate ipsa magis alienabant. Igitur inquit. *Fratres si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto.* Id est, si quis vestrũ ab impostoribus deceptus istis in errorẽ abductus fuit, aut omnino deliquit in ali-

Rom. 14. & 15.

in aliquo prius quàm sibi præcauere satis posset. *Vos qui Spirituales estis*, id est, qui non in lege carnali, sed in Spiritu fidei spem iustitiæ reponitis, vel certè qui Spiritu imbuti sancto eoque renouati, carnale quod in vobis à primo inerat, propè omne exuistis, *Instruite illum*, id est, non acerbè sed leniter & blandè admonete, nempe *In Spiritu lenitatis*. Id est, vobis digno modo, qui enim Spiritus vnctione perfunduntur, eos acerbos ac rigidos esse quî deceat? Nam & ipse Spiritus amor est, & ob amorem nobis inditur & non intrat nisi amantes animos. Quis igitur acerbitati potest esse locus in eo, quem amoris tanta vis obsidet? *Si præoccupatus fuerit.* Admonet Chrysostomus non dixisse, si fecerit, sed si præ occupatus, id est, abreptus ignorantiæ, aut infirmitatis impetu aliquo, vt excludat destinatam malitiam, cum qua certè seuerius est agendum. Itaque propriè agit de ijs, qui ignorantia, aut infirmitate delinquunt, quod & delicti vocabulum demonstrat, pro quo Græcè est παράπτωμα, quo lapsus is significatur, cum quis pede impingens corruit, quæ pedis offensio aut imbecillitate virium semper, aut inanimaduersione accidit. Cum iis igitur lenius, & mansuetius, quod vt abs te impetres, inquit, *Considera teipsum ne & tu tenteris.* In quo Paulus simul, & rationem indicat qua quis vt sit lenis in alios possit assequi: & demonstrat periculum in quo ni lenis sit in alios, versetur, hoc est, & docet quæ res efficiant lenitatem istam, & proposito periculo suadet illis, lenes vt esse velint. Nam efficitur ista lenitas in vnoquoque consideratione sui met. Vt enim verè Augustinus, nihil ita ad mansuetudinem inclinat, quam propriæ infirmitatis cogitatio & consideratio, vnde in Ecclesiastico dicitur. Intellige quæ sunt proximi tui ex teipso. Debet porrò quisque se præstare le- *Eccle. 31.*

nem in alios, ne si propriæ infirmitatis oblitus nimium fuerit acerbus, in simile ipse aut etiam grauius peccatum, Dei permissu postea incidens intempestiuę acerbitatis suę pœnas det. Sed est certè aduertendum quanta accuratione & diligentia tumentes Galatarum animos, & iurgia, & delinquentium reprehensiones pronos leniat, & singulis propè verbis ad mansuetudinem reuocet. Nam primò ponit, *si præoccupatus fuerit*, id est, nec opinatò oppressus, & abreptus quasi per vim, ipsa enim infirmitas venia digna est. Deinde subiungit, *homo*, & ipsum index imbecillitatis vocabulum. Addit, *in aliquo delicto*, in aliquo, id est nō crebro, atque sæpè, id enim, lenius ferri debet, *delicto*, id est, omissione alicuius faciendū quod esset, id enim delinquere est: cui certè generi, vt vere Diuus Thomas scribit, facilius ignoscitur: est enim leuius altero. Ad hæc dicit. *Vos qui Spirituales estis*, vt ipso nomine Spiritus, qui suauis esse in libro Sapientiæ perhibetur, ipsos admoneat lenitatis. Præterea. *Instruite*, inquit, quod non animaduersionis, aut pœnæ verbum est, sed doctrinæ, quam nisi mansuetè atque leniter nemo tradit. Postremò adijcit. *Considerans te ipsum, ne & tu tenteris.* Quæ propriè infirmitatis ac periculi cogitatio suapte natura animi acerbitatem lenit, ac ipsum ferocia exultātem deprimit, atque modestum efficit. Nec his contentus vrget idem ac dicit.

Sapi. 12.

Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. Nam si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit. opus autem suum probet vnusquisque, & sic in semetipso tantum gloriam habebit, & non in altero, vnusquisque enim onus suum portabit.

Onera vocat peccata, nec peccata solum sed etiam mo-

mores aliorum graues & molestos, alij enim ad alia propensi natura sunt, quæ communiter omnibus grata esse nequeunt Portare autem, quod dicit, non solum est aliorum onus perferre ipse & tolerare patiēter, sed etiam subire humeris, atque baiulare, vt partito pondere fiat leuius. Sed interest vtrùm portes peccata, an mores aliorū. Nam portat mores, qui æquo animo perfert, neque sua impatientia exacerbat. Peccata portat, qui alienis tāquam propriis indoluit. Ait ergò. *Alter alterius onera portate*, id est, cum alii lapsi sunt, & vos lapsos putato te: itaque porrigite illis, benignam manū, nam & illi vobis alias auxilio erunt. Adhortatur ergò stantes & in rectæ fidei doctrina permanentes Galatas, vt si quos suorum ab ea deflexisse per imprudentiam vident, eos tolerent, hoc est, ne acerbos nimium, & permolestos se illis exhibeant, sed cùm lenibus verbis, tùm animo mansueto eos corrigant, sicque existiment malum illud commune illis esse cum ipsis, seq; in aliis rebus labi, & ob id aliorum item lenitate, & auxilio indigere, diuisos ruinę patere, at si auxilio mutuo sibi sint, vix posse vinci. Quare subiecit. *Et sic adimplebitis legem Christi*, id est, si vos mutuò iuuabitis, & cadētibus vniuersis, alii aliis in rebus si vobis mutuò auxilio fueritis, legem Christi omnes implebitis, tùm quia mutua subleuati opera, atque adiuti legis transgressionem facilius vitabitis: tùm quia hoc ipsum, singulorum mala communia ducere, & aliorum lapsionibus quasi suis affici, charitatis munus est eius, quam propriè præcepit Christus, Mandatum dicens, nouum dare se, vti diligeremus inter nos. *Adimplebitis.* Græcè ἀναπληρώσατε, Id autē ad verbū est readimplebitis. Aptè verò readimpleri ab eo lex dicitur qui in peccatū cū esset lapsus, erigitur aliorū blāda admonitione: eo enim vnde ceciderat redit, id est, iterū obseruat eā legē, cuius cū

Ioan. 13.

à principio cultor extitisset, postea trãgressor effectus est. Diuus porrò Chrysostomus non ἀναπληρώσατε videtur legisse, sed ἅμα πληρώσατε, quod est simul atque vnà adimplete, sic enim scribit. Non dixit implete, sed adimplete, id est, communiter omnes implete. Nam certè si inuicem omnes sibi auxilio sunt cum labuntur, siquc aliorum odiosos mores mutuò perferunt, alij ab alijs adiuti omnes stabunt, ac legem Christi adimplebunt. Nam profectò nemo est, qui aut ipse non cadat alicubi, aut non iis moribus sit præditus, vt nisi toleretur sit casurus. Quare meritò addidit. *Nam si quis existimat se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit.* Nam succurrit Paulo dicturum aliquem, se nullo onere premi, & ob id ope aliorum non egere, ac proinde certare officiis cum aliis nolle, aut mutuas operas tradere. Quam arrogantiam, & animi elationem inanẽ comprimit docens, qui de se talia credit, falsa sui opinione ipsum decipi. Etenim vsque eò verum esse aliorum auxilio egere omneis, vt qui contra existimet, ipsum sibi satis, esse aut certè nulla in re ita labi, vt aliorum ope fulciẽdus sit, eo ipso labatur. *Nãsi quis existimat se esse aliquid.* Quasi dicat. Quod si quis eam de se opinionẽ habet, itaque magnificè sentit, vt hoc meum præceptum ad se pertinere nõ putet, *cum nihil sit*, id est, vt ait Diuus Thomas, cũ ipse ex se, ac viribus suis nihil præmio dignũ agat aut habeat: vel certè cũ ea opinione sui, eius animi quãta sit inanitas doceat: *ipse se seducit*, id est, semet demittit in erroris foueam, seq; ipse non agnoscit, quo nihil turpius esse potest, est enim virtutis fundamentum agnitio vera sui. Quare ad id omnes Paulus reuocat, itaque ait. *Opus autem suum probet vnusquisque, & sic in semet ipso tantum gloriam habebit & non in altero.* Id est, qui sibi vanè placet, ad semet oculos diligenter con-

uertat, suamque in examen adducat vitam: sic enim verè de se statuet vtrùm talis sit, qui alterius auxilio non egeat, sitque laude dignus aliqua. *Et sic*, inquit, *gloriam habebit.* Id est, gloriationem. Nam si se isto examine præmisso inuenerit ex omni parte integrum, tum gloriari certè poterit in semetipso, & non in altero, id est, de suis bonis, & non de aliorum malis atq; lapsionibus placere sibi poterit. Nam Galatæ ij, quibuscum Paulus nunc agit, & superbi qui sunt vniuersi, ex aliorum peccatis se bonos atq; magnos viros ducunt, ac ob id cum iis qui peccarunt se inhumanius, & insolentius gerunt, qui error est maximus. Nam nostra virtus nostris operibus constat, non alterius. Vnde ἐμφατικῶς, vt mihi videtur, dixit opus suum. Suum inquam, id est, quod propriè ab ipso sine alterius ope, atq; auxilio editur, quodque sua virtute facit, aut facturus certè esset nisi adiuuaretur à Deo: hæc enim sunt propria cuiusque opera, in quibus nemo est, qui non sæpius offendat. Ex quo in eo quod addidit. *Et sic gloriam habebit in semetipso, & non in altero.* Quidam rectè mea sententia, ironiam subesse putant. Quasi dicat. Vires suas quisque exploret, & earum infirmitudinem, & crebros lapsus, vbi satis exploratos habuerit, tunc glorietur sanè in semetipso si potest, id est, tunc planè cognoscet se & vituperatione esse dignum, & alterius opis valde indigum: quod & scholia insinuant Græca, quæ ista interpretantur sic. Aduersus semetipsum habebit gloriationem, id est, se intuebitur infirmum & egentem, & ob id seipsum accusabit, & ab aliorum accusatione abstinebit. Quare rectè addit. *Vnusquisque onus suum portabit.* In quo duo docet. Vnum, neminem esse qui non aliquo prematur onere. Alterum, ex eo quod quisque peccat, & non ex peccatis alterius de ipso rectè, aut secus esse statuendum. Nam quia dixerat, vt ad se quisque & ad suos mores cõuerteret oculos, & ex eo qualem

se esse vidisset, aut placeret sibi, aut accusaret se, & non pro eo quod alij peccassent, benè de se ipse opinaretur: ideò adiecit fore, vt vnusquisque suum onus portet, quo doceret iudicandum vnumquemque à Deo ex sua cuiusque vita, & non ex factis aliorum. Quasi dicens. Ne glorieris in altero, hoc est, ne tibi aliorum placeas ruina, non enim tu propterea iustus eris, quod alius prauus sit, sed ex tuo ipsius facto tua causa pendetur. *Vnusquisque enim opus suum portabit.* Dicat aliquis hæc videri pugnare cum illo superiori. *Alter alterius onera portate.* Nam si quisque suum portare debet onus, quid attinet hortari, vt alterius quisque onus subeat? Ad hoc alii aliter. Quidam sic. Onus suum quisque portabit, facilius, scilicet, si quod supra præceptum est, alij aliorum onera portabunt, seque mutuò iuuabunt, itaque hęc vsque eò non pugnare, vt è superiori illo hoc posterius sequatur. Alij isto modo. Vnusquisque portabit onus suum, id est, omnes suum onus portant, & quia nemo alicuius oneris expers est, idcircò rectè suprà præceptum est, vt mutuò opem feramus nobismetipsis, ne quis se non indigere aliorum ope arbitretur, quomodo rectè ista consonant inter se. Sed rectius, mea vt fert opinio, qui sic. Alterum portare onera est aliis laborantibus pro virili tua parte opem aliquam ferre, aut si minus id possis, aliorum mores tolerare patienter: portare autem vnumquemque onus suum, est pœnam peccatis subire debitam: nemo enim ob alterius culpam à iudice Deo pœna plectitur. s. s. E. Non portabit filius iniquitatem patris, neque pater iniquitatem filii, id est, neuter pro altero punietur. Itaque, vt Diuus Thomas ait, ibi loquitur de onere sustinendo infirmitatis, quod mutuò portare debemus: hic de onere reddendæ rationis, quam quisq; pro se reddet. A quo D. Hieronymi explanatio non abhorret, qui dicit in altero præcipi, quid in hac vita facere

Ezec. 18.

cere inter nos debeamus, quidque mutua exigat charitas, vt alii aliorum quoad fieri potest subeamus onera admonendo, exhortando, orando: in altero autem ostendi quomodo in futura vita de vnoquoque sententia ferenda sit, ex suis enim quisque & non ex aliorum factis malus iudicabitur, idque Paulus hoc loco docet. Itaque neque pugnantia loquitur, neque hæc superioribus sunt aduersa. Non enim portandi verbum eandem vim habet, aut eodem modo accipitur in vtroque loco. Quod si vnusquisque portaturus est suum onus, consequens est, vt, quod præclarè scribit Augustinus, non laudari ab aliis cupiamus ipsi, sed adiuuari, & subleuari quæramus. Nam qui nos laudant, onere non leuant, sed sæpè grauãt magis, aliudq; addunt super alio. Non enim laudatores nostri, inquit Augustinus, minuũt onera conscientiæ nostræ, atq; vtinã non etiam accumulẽt, cum plerumq; ne illis offensis laus nostra minuatur, cũ obiurgatione illoscurare negligimus, aut iactanter eis aliquid nostri ostentamus. Sequitur.

Communicet autem is, qui catechizatur verbo ei, qui se catechizat in omnibus bonis. Nolite errare, Deus non irridetur.

Hoc accipi potest primò, quasi dictum exempli causa ad planius faciendũ, quod modo dixerat, vnunquemq; onus suum facilius portaturũ, si omnes sibi inuicem auxilio fuissent: vt, verbi gratia, inquit, accidere videmus doctoribus cũ discipulis, quando inter se tradunt operas mutuas: Doctor cõmunicat, id est, impertitur doctrinã, discipulus victũ suppeditat: alter indigẽtiã subleuat, alter depellit ignorantiã: vterq; adiut⁹ ab altero onus suũ leui⁹ tolerat: vel potest certè accipi vt aliud ac nouũ pręceptũ. Nã sicut ex dissensione sentẽtiarũ & opinionũ mutua apud Galatas odia oriebãtur, quę fuit causa Paulo, vt superius pręceptũ poneret de mutua charitate: ita ex eodẽ fonte sequebat, par certè erat sequi, vt qui à vera se doctrina alienabãt, veros item

docto-

doctores negligerent, nec victum eis suppeditarent necessarium, quæ fuit causa Paulo huius alterius præcepti ponendi. *Communicet is, qui catechizatur ei qui se catechizat in omnibus bonis.* Catechizare, est verbo tradere doctrinam fidei, ex quo & catechumeni, qui in ea instituuntur. Ergò præcipit, vt is qui docetur ijs, qui ipsum docent gratam rependat vicem. *Communicet*, inquit, *in omnibus bonis.* Rectè scholia Græca non dixisse aiunt, largiatur, quod esset liberalitatis, sed communicet, quod hæc sit communio bonorum mutua: ille docet, hic alit, suaque vterque in alterum bona confert *In omnibus bonis.* Bona nominat, quomodo, & vulgò nominantur quæ sunt ad victum necessaria. Hæc enim Ecclesiæ ministris à populo debetur merces. 1. Cor. 9. Qui Euangelio seruiunt de Euangelio viuunt: & dignus est operarius cibo suo. Sed & cũ bona nominat tacitè, mihi vt videtur, significat fideles ea tãtum Ecclesiæ ministris suppeditare debere, quę quibus dãtur bona sunt futura, hoc est, necessaria tãtum. Nam superflua inutilia ipsis sæpè sunt, atque noxia. Sed addit. *Nolite errare, Deus non irridetur.* Hoc quidam adiungunt cum eo quod statim dixerat de communicatione bonorum, quasi eo Paulus occurrat nonnullorum auaritiæ, qui quæsitis coloribus vel denegabant, vel denegaturi credebantur ministris Ecclesiæ, ad victum quod esset necessarium: itaque dicat. Quod si quis obtento colore aliquo pertinere ad se non putat, suos vt doctores alat: is videat ne erret. Sciat enim imponi non posse Deo, qui illius auaram intimè videt mentem. Alij censent Paulum ad superiora regredi: hisque verbis adhuc exequi quod suprà dixerat, vt se probaret quisque, vt gloriaretur in se & non in altero, vt portaret quisque onus suum, nec quod alij laberentur, atque peccarent, id circo pro bono ac iusto quisquam se gereret: itaq; in eam sententiam adiungere, errare nollent, non enim irrideri Deum,

Deum, id est, hominibus illudi fortasse posse, qui de aliorum factis alios sæpè æstimant, at Deo non posse illudi. Vnde consentaneè sequitur.

Quæ enim seminauerit homo, hæc & metet, quoniam qui seminat in carne sua, de carne & metet corruptionem, qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. Bonum autem facientes non deficiamus, tempore enim suo metemus non deficientes. Ergò dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei.

Si Paulus adhuc insistit in illo superiori de inuicem portandis oneribus, & de eo vt se quisq; ex suis factis pendat non ex aliorum peccatis seminare pro operari posuit figuratè, quomodo in his literis sæpè ponitur, vt in Osea. „ *Osc. 8.*
Qui ventum seminauerũt & turbinem metent. Et in Pro- „
uerbiis. Qui seminãt iniquitatem, metent iniquitatem, id *Prou. 22.*
est, qui operãtur. Sin autem hoc ad posterius præceptum „
de victu ministris suppeditando refert, seminãdi verbum
strictius accepit pro largitione & eleemosyna, eaque metaphora est vna ex iis, quibus propriè sacræ vtuntur literæ. Habent enim illæ quasdam metaphoras sibi proprias vt stillare, aut imbres immittere, pro facundè loqui vt in Psalmo. 73. & vbera pro amoribus, Canticorum primo, & molam versare, pro libidini seruire Esaiæ quadragesimo septimo: sic seminare pro liberaliter largiri, vt in illo. Qui administrat semen seminanti multiplicabit semen vestrũ. 2. Cor. 9.
Et in illo. Mane semina semen tuum, & vesperi ne cesset „ *Eccl. 11.*
manus tua, & paulò suprà Mitte panem tuum super tran- „
seuntes aquas, quia post tempora multa inuenies illum. „
Sicut enim agricolæ autumni tempore, vt primum imbres cadunt, triticum serunt, nec procrastinantur, sed maturant: vtque alij autumni initio, alij medio, alij hyeme appetente semina spargunt: omnes tamen fructum æstate legunt, alius alio vberiorem pro sua quisque gnaui-

gnauitate, & induſtria: ſic in eleemoſyna facienda omnis occaſio captanda eſt, & vt quiſque in eo ſe exhibuerit diligentem, ac ſedulum, ita fructum percipiet ſuo tempore. Eſt autem hæc nimis apta tranſlatio. Nã vt eſt laborioſum ſemina ſerere, ſic largiri ſua eſt difficile: & vt qui ſementem facit domo producit atque ſpargit per agros & tanquam diripienda obiicit nullo cuſtode, quæ domi aſſeruabat condita: ſic in eleemoſyna quædam videtur profuſio ineſſe, & ſuarum negligentia rerum: & vt ſulcis mandata ſemina agricola aliud agente primò radices agunt, deinde ſe in lucem proferunt, ac poſtremò vberes fruges gignunt, quas meſsis tempore legunt agricolæ: ſic quæ in pauperes conferuntur, iis, qui conferunt nihil cogitantibus magnos ſuo tempore fructus afferunt, id eſt, magno præſidio ſunt in aduerſis atque ærumnoſis
Prou.11. „ rebus. s. s. e. Seminanti iuſtitiam merces fidelis eſt. Nam
„ iuſtitia in his literis eleemoſyna eſt, vt in illo apparet.
Mat.6. „ Attendite ne iuſtitiam veſtram faciatis coram homini-
„ bus: qui enim ſua largitur aliis, is aliena certè non diripiet, ſed ſuum vnicuique tribuet, quod eſt proprium iuſtitiæ. Ergò, inquit, Paulus. *Quæ ſeminauerit homo, hæc & metet.* Id eſt, merces reſpondebit operi, pro eo qualis quiſque fuerit in vtramque partem, talis eius futurus eſt exitus. *Quæ ſeminauerit homo hæc & metet.* Rectè opus cum ſemente, & mercedem cum fruge contulit, quo doceret, ſicut ſemen natura fruges producit, ſic præmia ex ipſis operibus quodammodo naſci: èque illis ordine oriri. Nam quod ad opera bona à gratia profecta attinet, ea certum eſt cum præmio gloriæ affinitatem habere quandam. Vnde & gratia ſemen dicitur eſſe gloriæ, & merces operum fructus nominatur, quod ea
Heb.12. oriatur ex bonis operibus: quod vero ad praua opera
2.Cor.9. pertinet, pœna, quæ mala facta ſequitur, ex illis etiam gigni

gigni dicitur. s. s. e. Peccatum cum conſummatum fuerit, generat mortem. Id enim natura ipſa rerum poſtulat, quia in peccato à Deo, qui vita animi eſt, homo ſeparat ſe: item corpus ipſum, corporiſque ſenſus non parent menti, à qua in corpus vita deriuatur. Ex quo fit, vt peccatum cum ad ſummum peruenit, perfectam in vtraque hominis parte mortem generet, quæ & mors ſecunda iure nominatur. Primùm quia animam extinguit, dum ipſam à Deo dirimit eouſque, vt ab eo nullum vitæ influxum accipiat præter neceſſarium ad id, ſe vt cognoſcat eſſe miſeram. Corpori porrò etiam lethum affert, diſiungit enim ab animo atque diſſociat ipſum, & efficit vt ex eo corpus nihil ad ſe deriuet præter ſenſum dolendi. In quo Deus mirum in modum ſuæ iuſtitiæ oſtendit rectitudinem. Vt enim nemo queri poſſet ſe quam pro ſuo merito acerbius puniri, iis in peccata pœnis animaduertit quæ ipſa ex ſeſe germinant atque pariunt peccata: ipſoſque ſui ſtatuit eſſe carnifices peccatores. Vnde Eſaias. Fructum, inquit, adinuentionum ſuarum comedent. Et apud Iob dicitur. Virum ſtultum interficiet iracundia, id eſt, litium ſtudioſum virum, rixæ extinctum dabunt. Nam ſtultus eo loci pro litigioſo, ponitur & pro contentiones amante, quod idem ſatis hic Paulus declarat, dum dicit. *Qui ſeminant in carne ſua de carne metent corruptionem.* Conſentaneum, ſcilicet, ſementi fructum, nam carnis eſt corrumpi. *Qui autem ſeminat in ſpiritu, in ſpiritu metet vitam æternam.* Spiritualia enim bona opera pro ratione eius à quo gignũtur ſpiritu, qui immortalis eſt, & ipſa fructum edunt vitæ immortalis. *Qui ſeminat in carne.* Id poteſt accipi dupliciter, pro vario τὸ in vſu. Nã more Hebraico pro τὸ de capitur in his literis: ergo aut ſic, ſeminat in carne, id eſt, de carne, quod fit dum ea quæ edit opera quę mala libido ſuggerit ratione quãuis repugnãte, aut
Iac.1.
Eſa.3.
Iob.5.

Universidad de Deusto
Biblioteca

aut isto modo potius. Seminat in carne, hoc est, in ea serit tanquam in subacto aruo, quod fit, quãdo quis suis indulgens sensibus, carnemque molliter fouens suam, omne suum studium consumit in cultu corporis. Ac similiter seminare in spiritu est, vel de spiritu promere quod semines, id est, quod operaris duce facere spiritu: vel in ipso ornando & excolendo ponere tuam operam, & studium. Nam pro natura soli, quod seritur segetes prouenire solẽt. *Qui seminat in spiritu metet vitam æternam.* Vitam æternam corruptioni opposuit, itaque præmium bonorum, vitam, pœnam malorum, corruptionem appellauit, sed cur quæso malorum pœnam mortem & corruptionem appellat? Num mali cùm è vita decedunt omnino extinguũtur, an potius viuunt eorum animi morituri nunquam è viuunt certè, sed eorum pœnam, iure sacræ literæ appellant non solum corruptionem atque mortem, sed mortem secundam, hoc est, mortem acerbissimam, idque multas ob causas. Vna quia obscuro in loco mali concluſi vincti tenentur, qua in re mortuos imitantur. Altera, quia sempiterna obliuione sepulti iacent, quod etiam mortuorum est proprium. Tertia quia quos sensus, quasque animæ facultates habẽt, ad dolorem ad acerbitatem, ad cruciatum sui ipsorum habent, non autem ad aliquem rectum aut iucundum vsum. Nam oculis præter ea quæ horrorem animis incutiunt, nihil vident: auribus nisi auditu tristia, & ingrata, & formidolosa non excipiunt: rationis porro & intelligentiæ vis id efficit, vt in suorum malorum cogitatione perpetuo defixi, miseros se esse & agnoscant, & doleant. Quare si sensibus carere mori est: & illi ita sensus habent, vt non habere præstaret, sine dubio mortui censendi sunt, mortis genere omniũ acerbissimo. Quod mors secunda dicitur, non quia priorem mortem, qua à corpore separatur animus sequitur, sed quia est geminata mors.

Nam

Nam illa prior simplex quædã mors est, id est, mors sensibus expers, caret enim sensu suis: at hæc est viua mors, id est, mors mortem, hoc est, semetipsam, suaque mala sentiens atque cognoscens. *Qui seminat in Spiritu metet vitam æternã.* Sine exceptione dicit fructum vitæ æternæ colligi ex eo, quodcunque in Spiritu seminatur, vt intelligatur remissa Spiritus opera ab hoc fructu immeritò à nonnullis excludi. Quod & planius facit quod sequitur. *Bonum autem facientes non deficiamus, tempore suo metemus non deficientes.* In quo & adhortatur vniuersos, in bonis operibus vt insistant, quod bona cũcta opera à Dei gratia profecta sua manẽat vitæ æternæ præmia, & monet itẽ vt in eo ipso vsq; ad vltimũ vitæ perseuerẽt. Nã & in hoc similis est bonorũ vitæ ratio sationi. Vt enim agricolæ non statim atque triticũ serunt, sed multò post fruges colligunt: sic præmium officij, atque operis studiosè facti non statim datur atque quis rectè & honestè quid fecit, sed reseruatur dãdum in aliud tempus. *Bonum*, inquit, *facientes non deficiamus*, id est, non desistamus à benefaciendo, ipso operandi labore debilitati, atque fracti. Rectè autem coniungit, aut potius interse cõmittit tanquã contraria illa duo, bonum facere, & deficere, vt vel ipsa collatione ac nominũ vi tacite induceret Galatas ad virtuti nauandam cõstantem operam. Nam cui male succedit institutum opus, is ab eo desistat iure. Artẽ desinat, qui quod facit, facit praue. At cui pro voto succedit opus, quique omnia ex arte facit, ac vbiq; artificis egregij laudem assequitur, is si desistat, absurdè faciat & ineptè. Sed & adhibet Paulus in his verbis aliam rationem eodẽ pertinentem, cum dicit. *Tempore suo metemus non deficientes*, eo significans perseuerandum in bono esse: tùm ob ipsum per se bonum, tùm ob maximos, qui ex eo capiuntur fructus. *Tempore*, inquit, *suo*. Nam aliud meriti tẽpus est, aliud præmij: neque nisi statum exhibeatur, ideò nunquã exhibẽ

Mmm dum

Universidad de Deusto
Biblioteca

dum est, sua potiustẽ pora vnicuique distributa sunt, ne si vtrũque simul cõfunderetur, neutrius satis cõstaret ratio. Dum viuitur bene merendi tẽpus est ergò hîc sudandum, laborandũ, nunquã otiandum, vt agricolæ sementis faciẽdæ tẽpore faciunt, nullũ enim sibi diẽ labore vacuum præterire patiuntur, Rectè autem, *Metemus*, dixit, verbo ab agricultura translato, vt eo etiam nos ad alacrius in bono perseuerandum inducat. Nam agricolæ messis tẽpore fruges metunt: messis autem non longè distat à semẽte. Ergo cũ dicit fore vt metamus suo tẽpore, iubet bono vt animo & confidenti, atque alacri simus, spẽque in eo nostram fouet, non solum quia futurũ affirmat, vt noster nobis labor fructuosus sit, sed quia breuitalẽ eũ esse futurũ cõfirmat. Volat enim ætas, nihilq; ea aut breuius est, aut esse potest fugacius. Itaque metendi tẽpus cunctis propè adest s s.ɛ. Apo. vlt. Ecce veniõ cito, & merces mea mecũ est. Quod autem addit, *Non deficientes*, id dupliciter accipi potest. Vno modo. Metemus non deficientes, idest, sine fine metemus, vt hoc orationis membrũ ad superius relatũ membrum, quo dixerat. *Bonum facientes non deficiamus*, illi respondeat, itaque dicat. Perseuerare in bono decet, si enim ab eo in vita non deficimus, nos in æternitate non destituet merces. Ergò vnusquisque quod sibi ad benè operandũ spatij datũ est, id in eo ponat & collocet, securus sibi eo in spatio, quod præmijs percipiendis constitutum est, præmiũ nunquam defuturum. Alio modo accipiatur quomodo id accepit Chrysostomus. *Non deficientes*, id est, non defatigati, aut, vt Ambrosius legit, infatigabiles. Nam quoniam dixerat, *Metemus*, verbo ab agricultura translato, & agricolæ & cum serunt laborant, & cum metunt grauiter æstu vexantur, ne quis crederet & nos messuros cum labore, aut eius rei gratia æstus graues subituros addidit, *nõ deficientes*. Quasi si explanatius dixisset. Metemus cũ dico, non id futurum intelligo.

ligo, vt fit in messe, in qua interdum plus laboratur, quàm in satione, sed sine labore atque sine defatigatione nostra aliqua, immò magno cũ nostro gaudio atq; lætitia nostra nobis reddentur præmia, quale est illud, Veniẽtes autẽ venient cũ exultatione portãtes manipulos suos, cui explanationi Syra editio suffragatur, in qua sic. Metemus tẽpore suo & nõ erit nobis tædio. Ex quo etiam alterius & à superioribus diuersæ explanationis ratio elucet nobis, ita vt dicat Paulus. Magna nos manere præmia suo à nobis tẽpore percipienda, quæ nos præmia tædio afficient nunquam, vt certè afficiunt nos tædio corporis & fortunæ bona, corũ postquã cõpotes efficimur. Posit etiã illud, nõ deficiẽtes, sic explanari. Deficere hîc, dissolui esse videtur, vti è Grẽco ἐκλυόμαι, cuius loco ponitur, cõstat: docet ergo Paulus, qui sementẽ bonorũ operũ in hoc sæculo fecerint, eos magna messuros in morte præmia, qua in morte, inquit, nõ deficiẽt, id est, nõ ita dissoluentur atq; omninò extinguẽtur, vt bonorũ atq; præmiorũ nullus sensus in illis sit. Etenim immortalis est animus. Nam Paulo in eã orationẽ ingresso, quæ futuri spe monet præsentia contẽnere, id restabat docere, animos scilicet hominum perpetuò permanere. Quare illo verbo immortales esse animos firmat, quod ni si firmasset, illius hæc adhortatio plane esset inanis. Nec solũ, immortalitatẽ animorũ illis affirmat verbis, sed & eorũdẽ ad sua corpora aliquãdo futuræ reuersionis spẽ indubiã facit, mihi vt videtur perinde ac si dicat. Metemus præmia suo tẽpore nõ dissoluti, hoc est, nõ sic affecti, quomodo mors afficit atque dissoluit nos, non animo solum, sed corpore etiam, quod in perpetua cum animo coniunctione, atq; vnà cũ illo gloriæ præmiũ metet sempiternũ. Nã illud futuræ corporũ resurrectionis tẽpus in sacris literis præmijs conferendis propriè assignatur. s s.ɛ. Vos qui sequuti estis me, in regeneratione, cum sederit filius homi- *Matt. 19.*

Universidad de Deusto
Biblioteca

2.Tim.4. nis in sede maiestatis suę, &c. Et Paulus de se, Reposita est, inquit, mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex. Ergò & hîc. *Metemus*, inquit, *suo tempore non dissoluti*, id est, metemus, quando corporibus, quæ mors dissoluit colligatis, & cum animo iterum coniunctis vitæ restituti fuerimus. Ac tandem concludens, dicit. *Ergò dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei.* Quibus planum facit, quæ superius de semente facienda disseruit, ad id quod ante præceperat de victu suppeditando ministris retulisse omnia. Nam eorum, quæ disseruit, hanc esse summam vult, vt ad omnes bonum operemur, id est, vt simus largi in omnes atque benefici: vtque eorũ maximè indigentiam subleuemus, quibuscum fides atque religio nobis communis est. Eos enim nominat domesticos fidei, id est, fidei socios & eiusdem religionis communione penè familiares, vt vel hoc ipso doceat, quàm inter se omnes fideles debeant consentire, vtpote, qui non tantum sint conciues, sed etiam incolæ eiusdem domus. Omnes enim vna in domo, patrefamilias vno, domestica eadem disciplina enutriti sumus atque instituti. Quam ad significandam animorum cõcordiam, nec concordiam solum, sed etiam familiarem conuictum, & necessitudinem omnium rerum ipsa Ecclesia, vna ab eodem ipso Paulo domus appellatur.

1.Tim.3. Quæ est, inquit, domus Dei viui. Et Dauid in quodã Psal-
Psal. 76. mo similiter. Qui habitare facit vnius morisin domo. Qua si hæc fuerit Christi laus propria, quod varias & multiplices, & cũ ingeniorũ habitu, tũ instituto vitæ inter se gẽtes differẽtes ad eã redegerit animorũ & charitatis cõsensionẽ: vt tãquã, qui vnius domus, atq; familiæ sunt, ita vnũ morẽ inter se omnes & eãdẽ voluntatẽ cõseruẽt, id quod in illis effecit Christus, dum eas ab studio rerũ terrenarũ auertit, & ad amãda cęlestia excitauit. Nã studiũ terrenorũ semi-

narium

narium est dissensionum ac discordiarum omnium SSE. Vnde bella & lites in vobis nisi ex concupiscentijs vestris, Vnde & in hoc Psalmi versu, pro eo quod interpretes Grę- Iacob.2.
ci verterunt μονοτροπους, id est, vnius moris, Hæbraicè est יחידים, quod propriè vnicos, & solitarios & omninò orbos significat. Qui enim se ijs, quæ apperuntur in vita orbant, ac se pro solitarijs atque hospitibus gerunt, ij facile inter se concordare possunt, atque tenere vnum morem. Itaque habitare facit Christus, vti canit Dauid, in domo, id est, in sua Ecclesia varia hominum genera magna animorum concordia, quia solitarios, & ob id vnanimes ipsos efficit, id est, quia omni mala cupiditate vacuos cum reddit, eo ipso causas præcidit omnium discordiarum. Atque huius animorum concordiæ ex terrenarum cupiditatũ abdicatione ortæ in primæ Ecclesiæ fidelibus illustre exemplum conspicitur, de quibus sic D. Lucas scribit. Mul „ Act. 4.
titudinis credẽtium erat cor vnum & anima vna, nec quis „
quam eorum, quæ possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Ideo enim omnium qui credebant erat vnum cor, quia nemo aliquid propriè possidebat, hoc est, quia cupiditatem ab se abdicabant rerum omnium. Sequitur.

Videte qualibus literis scripsi vobis mea manu.

Postquã ea præscripsit, quæ ad moralẽ doctrinã pertinebãt, redit Paulus iterũ ad principalẽ quæstionẽ de legaliũ cessatione, cuius obliuisci nõ poterat, & ex eo quod tantã epistolã super ea re sua manu ad eos scripserit, quãti ea res faciẽda sit illos docet, nec enim nisi magni momẽti res esset, tãta Paulus sua scriberet manu. *Videte*, inquit, *qualibus literis scripsi vobis mea manu*, ex hoc enim poteritis intelligere & hîc agi magna de re, & multũ pertinente ad salutẽ vestrã & me de vobis, deq; salute vestra valde laborare. Nã dum commendat suum erga illos studium, eorum tacitè

Universidad de Deusto
Biblioteca

captat beneuolentiam,atque in suam eos sentẽtiam inducit,*Videte qualibus*.Hieronymus hoc ad quantitatem & magnitudinem literarum refert,sequutus, vt ipse ait,significationem Græcæ vocis, quasi dicat Paulus:videte quam grãdem epistolam scripserim mea manu. Nam amanuense vti solitus erat Paulus in scribendis epistolis, hanc autem sua ipse scripsit manu, nequis suspicaretur supposititiam esse,nam in tanta impostorum turba,& in tanta dissensione opinionum & animorum super re tam difficili,id vereri, Paulo succurrit.Hilarius in Psalmos illud, qualibus, refert ad magnitudinem sensuum.At Chrysostomus ad qualitatem,id est,ad characterum figuram inconcinnã,& parum bellam.Erat,inquit,Pauli non optima manus. Quo sensu ait.Videte qualibus,id est, quam deformibus vobis scribam literis,nam studio salutis incensus vestræ imperare animo nequiui meo,amanuensem vt manerem,sed ipse statim arripui calamum, vsque cò omnia mihi tarda videbantur, dum vos alloquerer,& literis reuocarem ab errore isto tam pernicioso:itaque malui mea,id est, parum scita manu citius ad vos scribere,quàm serius aliena atque optima.Augustinus ad qualitatem & ipse refert hoc Pauli verbum,sed non de figura characterum illum loqui censet,sed de genere literarum aperto & ingenuo.Quasi sic dicat.Videte quàm apertè causam egerim Euangelicæ libertatis,neque vestram indignationem veritus neque Iudæorum offensione commotus:ex quo etiam intelligeris Euãgelij causam in hac præcipuè versari quæstione,quòd is semel admissus error vniuersam Christianam euertat disciplinã.Cui explanationi consentanea sunt quæ sequuntur.

Quicunque volunt placere in carne vestra, ij cogunt vos circuncidi,tantum vt crucis Christi persecutionem non patiantur.Nec enim qui circunciduntur,legem custodiunt, sed volunt vos circunci di,vt in carne vestra glorientur.

Nam

Nã suæ libertati,& ingenuitati opponit aliorũ timorẽ, & simulationẽ.Nam ego,inquit,non sum veritus his literis circũcisionẽ apertè reijcere, tametsi non ignorẽ multos mihi mortales ob eam rem futuros inimicos. At qui circunci sionem suadent vobis, non ex animo, aut quod ita sentiant suadent, placere enim hac ratione Iudæis volunt, & illorum vitare indignationẽ.*Placere*,inquit,*volunt in carne vestra,qui cogunt vos circuncidi.* Id est,de iniuria & molestia carnis vestræ conciliare sibi apud Iudęos gratiam volunt,& se probare illis quod sint seruandæ legis authores, & sic declinare molestias,quas Iudæi exhibent ijs, qui ingenuè prædicant crucem Christi, quique eam esse affirmant instar omnium legis sacrificiorum.Id enim Paulus persecutionẽ crucis nominat,vel certè persecutionem illi similem, quæ in crucem egit ipsum Christum.Itaque,inquit,huius rei sollicitati metu atque inducti circuncisionem prædicant,non quòd eam probent, aut vim iustitiæ conferendæ in ea inesse putent.*Nam qui circunciduntur legẽ non obseruant.* Id est,qui vos circuncidi cogunt,quique circunciduntur,ipsi,legem non custodiunt: ex quo apparet ipsos non duci legis studio, sed comparare sibi apud Iudæos gratiam & laudẽ velle, certè vẽditare se illis atque iactare cupere, à quo certè ingenuus Christi cultor abesse debet plurimum.Quare subiungit.

Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi,per quem mihi mundus crucifixus est,& ego mundo.

Quasi dicat.Illi laudem apud Iudæos sibi quærant ex iniuria atque dolore acerbo carnis vestræ:at ego nihil in laude pono, nihil cupio mihi laudi tribui præter ingenuam crucis Christi prædicationem, cæteras hominum laudes & approbationes nihil moror,vt enim illi me pro cruci affixo habent,id est, despicabilẽ & contẽptibilem, & crucis supplicio dignum ducunt:ita ego vicissim ipsos miseros

iudico,& maximo infortunio mactandos video, & aperit qua inductus ratione illos flocifaciat, quia scilicet quæ Christus probat, ea tantum iudicat pretio digna esse:& vt subiungit.

In Christo enim Iesu neque circuncisio aliquid valet, neque præputium, sed noua creatura.

Circuncisionē Iudæorum leges nominat, præputium gentilium ritus, nouam creaturam Spiritus sancti infusione per fidem Christi animum hominis interius renouatum,id est, nouam gratiæ vitam,hoc est,fidem per charitatem operantem.Nam ea animi constitutio vnicè grata est Deo ob imaginem Christi quam refert. Vocat autē vitam gratiæ nouam creaturam:creaturam, quia cum primum esse incipit in nobis tota est à Deo : nouam ,quia senescit nunquam.Etenim hominum studia reliqua,etsi aliquando florere videantur,atque vigere,tamen paulo post quodam veluti senio contabescunt, & conficiuntur: At gratiæ vita nunquam tendit ad interitum, sed ad meliora semper & potiora progreditur:itaque quod ad se attinet neque veterascit vnquam neque extinguitur. Sequitur.

Et quicunque hanc regulam sequuti fuerint,pax super illos, & misericordia,& super Israel Dei,de cætero nemo mihi molestus sit. Ego enim stigmata Domini nostri Iesu Christi in corpore meo porto.

Concludit tandem,& disputationem institutam,& epistolam ipsam bene precando ijs , qui suam istam doctrinā amplexi fuerint. *Quicunque*,inquit, *hanc regulam sequuti fuerint*,id est,hanc doctrinam de legis imbecillitate & efficacia fidei Christi, *Pax super illos*,id est, contingat,atq; adeò continget illis pax ea, quæ est tranquillitas mentis turbidis affectibus vacuę,*& misericordia*,id est,diuinæ naturæ impressio,& Spiritus S.communio indita ipsis, quæ misericordia iure nominatur, quia à misericordia Dei erga nos oritur maximè. *Et super Israel Dei.* Quidam sic. Pax super illos,

illos qui hāc sequuti fuerint regulā,qui & ipsi alio nomine Israel vocari possunt. Sed verius mihi videtur à singulis ad vniuersos conuertisse Paulum votum &precationem suā more in hac scriptura recepto . Nam quæ benè precatus est vni hominum generi , charitate sublatus vniuerso generi piorum benè precatur . Sic Dauid in quodam Psalmo ad extremum concluſit. Et pax super Israel. Et in alio. Et super populum tuum benedictio tua. Denique epistolam claudit,ac dicit. *De cætero nemo mihi molestus sit.* De cætero,id est,quod reliquum est, vt tandem finiam, volo vt nemo mihi molestiam exhibeat, falso iactans de me superiora illa , nimirum legalia obseruare me , nec idem semper sentire, sed versare me ad tempus, & aliud simulare, aliud sæpè agere. Quid enim attinet ista confingere, quæ rebus ipsis vt falsa refelluntur, nihil tàm præ se ferunt facta atque mores mei, quàm me gratiæ & crucis Christi præconem esse , vsque eò vt liuores eius & stigmata impressa geram in meo corpore. Vocat autem stigmata,quæ ob prædicationem crucis Christi passus fuerat mala omnia, de quibus ad Corinthios sic scribit. In vinculis sæpè, in carceribus abundantius : quorum notas, cum inustas circunferret, perspicuum erat ingenuè ipsum agere Christi causam non simulatè atque vafrè, illi vt impostores dicebant. Quibus dictis tandem sic finit. *Psal.* 124. „ *Psal.*3. 2 *Cor.* 11.

Gratia Domini nostri Iesu Christi sit cum spiritu vestro fratres. Amen.

Exorsus à gratia in gratiam desinit, quod ea Christiani hominis totam vitam contineat, cuius nobis copiam semper sufficiat Deus benignitate summa Christi,

cui omnis gloria per sempiterna debetur sæcula.

Amen.

INDEX RERVM PRAECIPVARVM, QVAE IN HOC TOMO continentur.

Numerus paginam indicat.

A.

A Promissione Abrahamo facta vsque ad datam legem, quot anni interceſſerint. 837

Ab arbore crucis ductam fuiſſe cauſam, vt Chriſtus ſuum amorem ad gentes præcipuè transferret. 427

abrahami duplex fides. 122

abrahami exemplum qui proſit ad confirmãdum fide iuſtitiam adquiri. 804

abrahamum non ex operibus ſed ex lege conſequutum eſſe iuſtitiam, quomodo ſit intelligendum. 809

abdias quis, & quo tempore vixerit. 515

abdias cur prophetiæ donum acceperit. 517

abdiam non ſcribere in propriè Idumæos. 520

abdias ſuam vaticinationem cur nõ appellet onus. 545

abdias in quos vaticinetur. 526

Acceſſum hominum ad Chriſtũ per Euangelium appellari curſum. 110. & 741.

Aduerſus Chriſtum duorum populorum acerba odia fuiſſe excitata. 319.

aduerſus Iudæorum errorem Meſſiæ aduentum expectantium. 339

aduerſus fictam imputationem Lutheri. 244. & 698

aduerſus hoſtes noſtros nulla eſſe arma meliora, quam cuſtodiam legis Dei. 494

Agar qui referatur ad vetus teſtamentum ſignificandum. 869

Albus color in arcano ſermone quid. 536

allegoriæ duplex genus. 1

allegoricè ſcripta duplicem habere ſenſum. 2. & 88

alle-

Universidad de Deusto
Biblioteca

allegoricè scripta diuidi in sonum, & sententiam. 2
allegoriæ sonum, & sententiam valde differre. 89
allegoriæ non omnia transferendæ ad id, quod subest. 2
allegorias ipsos scriptores interdum interpretari, interdum distingue re notis rerum, de quibus verè agunt. 14
allegoriæ traditionis duplex modus. 76
allegorias sacras interdum ad AEnigmata propius accedere. 77
allegoriis verborum, quæ dicuntur, similitudinem necessario habitura cum re, quam significant. 77
allegoriarum explanationes duabus debere constare rebus. 90
allegoriarum in duplici explanatione moderationem esse adhibendam. 92
alma Hebræis quid. 35
Amantes peraquè gaudio, atque lætitia lædi. 130
amatores Dei duabus rebus ab amãdo impediri. 278
amantium animos cũ iis, quos amãt versari, atque adeò ob id languere. 4
amantes quid rerum natura ferat non semper attendere. 7. & 11
amantes rerum à se gestarum commemoratione gaudere. 396
amen Hebræis quid significet. 698
aminadabi quadrigæ figuratè quid. 361.
aminadab non esse viri proprium nomen. 334
amoris tres gradus in Cantico Canticorum explicari. 26
amoris singulos gradus constare vocatione, desiderio, probatione, illapsu, amatorio sermone, raptu. 28.
amorem Dei erga Ecclesiam, & erga singulos iustos in Cantico Canticorum explicari. 24
amorem erga Deum ipsa tractatione rerum diuinarum augeri. 54
amores humanos ad diuinos adumbrandos prodesse, neque in eo aliquid latere periculi. 97
amor corporeus & incorporeus qui conueniant, & differant inter se. 97. & 133
amor Christi erga nos qualis. 694
amygdali nomen Hebræis à vigilando deduci. 638
Anathema quid propriè. 716
anathema nomẽ quomodo ad sacras literas sit translatum. 716
animæ humanæ tres esse partes. 49
animæ vocabuli varium esse vsum in sacris literis. 334. & 362
animam agentem cum Deo ipso colloquio perfici. 243
animarum duo genera sagacissima ad odorandum Deum. 35
animi imago sermo ipse. 236
animi vitæ quibus rebus comparari possit. 776
Ανακαλυπτειν apud Priscos scriptores inueniri pro detegere. 724
apostoli nomen in sacris literis prærogatiuam quandã cum principe potestate coniunctam significare. 686
Aquarum nomine Spiritum sanctum significari in sacris literis. 295
aquarum nomine etiam tribulationes significari. 431
aquila in arcano sermone quid. 581
Arabicæ feræ descriptio. 263
argentum in arcano sermone quid. 197
Auditus nomen ab Hebræis variè vsurpari. 555
augustini sententia de Petri à gẽtibus subtractatione refellitur. 759
aurum in arcano sermone quid. 197. & 292.
aurum tribus nominibus vocari ab Hebræis. 293

B.

BAalhamon vineti nomen. 400
babylon figuratè pro qua re accipiatur. 533
Beatæ vitæ consequendæ ratio quibus in rebus sit constituẽda. 458
benignitas à liberalitate qui differat. 897
Bibere in sacris literis variè accipi. 636
Bonorum vitæ rationem sationi similem esse. 910
bona externa translatè scissuras petrarum appellari. 575
bonis quæ nomina tribuantur in sacris literis. 607
bonos aduersis magis esse obnoxios. 405
bonos exterius despicabiles videri, esse tamẽ interius admirãdos. 565
bonos minimè omnium dignos improborum iniurijs. 607
bonos ad mala toleranda natos, improbos autem ad inferenda. 607
bonorum viuendi rationem in sacris literis cursum appellari. 881
bosphorus quid sit. 679
Bussa apud Hebræos propriè quid. 609
bussa quod dicitur, improborum propria, & digna pœna. 609.

C.

CAietani sententiam de interpretatione Prophetarũ non esse admittendam. 541
çama Hebræis quid. 215
canales quid translatè significent. 370
candor in arcano sermone quid. 292. & 323.
canticorũ scripturæ genus ad dramaticum genus pertinere. 101
capillos nigros in Orientalibus regionibus formosos haberi. 218
capilli in arcano sermone quid. 229. & 385
carmellus mons qui trãsferatur ad Christum significandum. 385
carnis & sanguinis nominibus homines in sacris literis significari. 732
carnis & sanguinis nomina nõ semper in malam partem accipi, vti censet Hieronymus. 732
Cedrus in arcano sermone quid. 197
cella vinaria in arcano sermone quid. 129
certamina eorum, qui Deum amãt, esse

Universidad de Deusto
Biblioteca

esse dispariæ pro ratione cuiusque gradus. 180
Charitatem quæ optat, Dei causa optare. 39
charitatem Dei potissimũ declarari, quod pro nobis mori voluerit. 407
Christi morte omnem hominum delerã culpam, & eius vita omnem comparatam iustitiam, in origine tamen. 701
christi vitæ processus humani corporis membris explicantur. 323
christianam virtutem, & humilem & excelsam. 375
christianam disciplinã in vno Christo tradendo, explicando, & pectoribus inserẽdo consistere. 323
christianos qui se profiteri cupiunt, labores, non molle aliquid ostentari. 381
christo solùm dari, vt ipsamet Dei vita, atque luce viuat, & illustretur. 462
christus rore madefieri qua ratione dicatur. 314
christũ ægre à Iudæis admissum. 314
christum neque vllos diligere, neque in suam gratiam admittere, præterquam Abrahæ posteros secundum fidem. 351
christum ipso actu moriendi suos, & præcipue humani generis hostes debellasse. 463
christum Dei Patris ad homines legatum esse, ac dici. 556
christum quæ passus est, ita passum pro omnibus, ac si pro vnoquoque tantum illorum pateretur. 784
christum pro hominibus esse factum maledictum qua ratione dicatur. 824. 831.
chus vocabulo Hebræi quid significent. 667
Cognitionẽ naturæ rerum addi veluti cumulum visioni Dei. 478
columbas Syriacas præstare nitore oculorum. 22
colũba in arcano sermone quid. 152
columbarum in amando mores, & ingenium. 141
columbarum oculis Spiritum sanctum significari. 295
colles in arcano sermone quid. 233
collum in arcano sermone quid. 238. & 384
copher quid. 21. & 119
confusionis nomen varie accipi in sacris literis. 608
consolari pro dolere Hebræos ponere. 401
conuiuas Hebræos vnguento perfundere in ipso accubitu. 20
Currus AEgyptios nobiles tempore Solomonis. 14
cultum externum ex interiori fluere. 236
Cyprus arbor Iosepho. 21
cyprus in arcano sermone quid. 62.

D.

DE argumẽto Cãtici Canticorũ variæ refellũtur sentẽtiæ. 68
delicta perfectorum esse prope immedicabilia. 414
dei amatores inuitari sæpe ab ipso, vt terrenis abiectis per otium illi vacent. 56
dei naturæ consentaneum esse non solam vt vniuersis benefaciat, sed & offensus ijs, qui se læserunt, facilè placetur. 560
despicere, aut videre in sacris literis quid proprie. 619
dentes in arcano sermone quid. 233
deum quò magis illi se animus submittit, eò intimius in ipsum illabi. 275. & 310
deum in maius prouehere eos, qui quæ acceperunt ab ipso bonaritè collocant. 149
deum, cum auget gratiam, augere etiam virtutem humilitatis. 154
deum duobus modis intrare in animam iusti. 284
deum in Canticis suum amorẽ erga Ecclesiã similitudine ab humanis amoribus ducta patefacere. 84
deum sui amoris similitudinem petere non ab amore lasciuo, sed ab honesto, qualis est coniugum. 87
deum seruis suis in medio malorum constitutis omnem adimere malorum sensum. 481
deum seuerè in illos animaduertere, qui in calamitosos iniuriỳ sunt. 604.
deum animaduertere in eam statim gentem, aut rempublicam, cum ad id, quod Humaz. in flagitio est, peruenerunt. 606
deum & maledicere dici, & eius nomen cum maledictionis nomine cõiungi sæpè in sacris literis contra Hieronymi sententiam. 829
deum cũ de aliquo sumere pœnas statuit, ea celeritate id exequi, nihil vt eo possit esse celerius. 558
deum in puniendo eam seruare rationem, vt contraria adhibeat contrariỳs. 578
deũ peccare, & errare facere quando dicit scriptura, quomodo intelligatur ex Hebraica proprietate. 832.
deus quid facturus sit, significari in sacris literis ex habitu, quo inducitur. 672. & 832
deus oleum effusum qui dicatur. 34
Diabolus quos occultè, & quos apertè ad peccandum inuitat. 156
dici pro facere more Hebraico poni. 836
diei nomen varie in sacris literis accipi. 629
dionysius, qui in Canticis monstra scribi dicit, qua ratione sit intelligendus. 98
Doctrina, quam falsi docto. Galatas edocebant, qui aliud Euãgelium appelletur. 710
dolentis esse eadẽ repetere cum orationis incremento. 592
domus Ioseph translate quid. 646
domus Iacob translate quid. 646
Duo esse tẽpora, in quibus suis opem fert Deus. Alterum tamen altero magis & illis, & Deo conueniens. 466.

E.

ECclesia militans Hierusalem superna appellatur. 874
ecclesia militans quam ob causam dicatur sterilis. 875

ecclesiam Christi domum in sacris literis nominari. 916
ecclesiæ militātis historiam ab exordio vsque ad mundi finē in Cāticorum Cantico contineri. 102
ecclesia primo sui exordio quare nigra dicatur. 112
ecclesia equæ eleganti qua ratione conferatur. 116
ecclesiā in AEgypto commorantem esse velut lilium inter spinas. 160
ecclesiam, nisi fide & amore erga Deum præstet consistere non posse. 249
ecclesiam permanere perpetuò in vno certo & delecto populo non esse necesse. 195
ecclesiæ per deserta iter agentis descriptio, & cum fœmineis membris comparatio. 252
ecclesiæ ætates quatuor fuse declarantur. 300
ecclesiæ ætatem vltimam fœliciſsimā futuram in bonis gratiæ. 304
ecstasis duplex genus. 147
Edonis nomine qui significentur, varię sententiæ. 518
edom figuratè quid vera sententia. 534
Elate quid. 269
electa Hebræos procera quæ sunt vocare. 272
eleemosynam in sacris literis iustitiam dici. 910
eloquium quid propriè. 219
Engaddi vrbs ad mare mortuū. 21
Ephod quod vestis genus apud Hebræos. 454
epistola Pauli ad Galatas quo tempore fuerit scripta. 738
Esaiam præcipuum inter sacros vates de noui orbis ad Christum facta conuersione meminisse. 663
esaiæ caput. 18. de facta ad Christū gentium nuper conuersione fuse explicatur. 664
esaiam, quod longisima viderit commendari ab Ecclesiastico. 664
esbon vrbs in sorte Ruben. 367
Euangelicæ legis efficaciam à Christi meritorum magnitudine promanare. 693
euangelicæ legis ratio simplicior, quam Mosayca. 44
euangelij propriam esse in medijs malis gaudendi laudem. 482
euangely tres diuulgationes explicantur. 661
euangelium discere, & accipere qua ratione differant. 723
Ex vi Mosaycæ legis, & eorum, qui illi parebant facultate omnes in ipsius legis maledictiones incidisse. 812
ex desiderio timorem, & spem nasci. 47
ex superbia securitatem erisi. 573
excindi proprie Hebræis quid. 610
Euphratæ Græcis quid. 728.

F.

FAscinare Latinis quid. 788
fascinationem aliquando ex laudatione esse. 789
Fermenti nomē in sacris literis translate quid. 883

Fides Dauidis quanta. 41
fidem & vni Deo addictam voluntatem à Deo omnia extorquere posse. 355
fideles, quos ad fidem conuertunt infideles deuorare dicuntur in sacris literis. 648
fiduciam aduersis augeri. 40
filiæ Hebræis quæ dicantur. 332
filios in demortui patris locum succedentes, lucernas appellari. 649
Flagitiosos homines viuere pro natura rerum quas amant. 772
Fœmora in arcano sermone quid. 376.
Fraternitatis rationem animorum concordia contineri. 691
Fugere pro festinare Hebræis. 144 401.
futura pro imperatiuis sumi in sacris literis. 622
futura pro præteritis quando sumantur apud Hebræos. 623

G.

GAlaaditis non dominatos esse Iudæos. 651
galatia Asiæ minoris regio, & vnde dicta. 684
galati fascinati à Paulo cur appellentur. 789
Geminationis eiusdem verbi varius vsus. 249
gena in arcano sermone quid. 295
gentem noui orbis Ecclesiæ sororem appellari. 433
gentium noui orbis natura describitur. 434. 668
Gladius in arcano sermone quid. 194
Gradum proficientium veris appellatione significari. 151
gratiæ vitam nouam esse creaturam. 920
greges pecudum in arcano sermone quid. 56. & 115
גיל Guil quid propriè. 45

H.

HAbazeleth Hebræis quid. 159
hamaz quid propriè. 605
haruzim colli ornamentū quale. 19
Hebræos in similitudine conferendæ indices similitudinis partes vel vnam. l. ambas sæpè reticere. 802
hebræos in amatorio sermone dicere solitos, mi rex, mi frater. 7
hebræorum conuentum verbi Dei matrem esse & appellari. 210
hebræi qua vtantur phrasi ad ingens supplicij genus significandū. 635
הרם herem Hebræis quid. 528
Hieronymi sententia de significatione çama, vtrum probari debeat. 215
hieronymi sententia de significatione sepharad, quomodo sit intelligenda. 678
hieronymi sententia de Petri à gentibus subtractione non admittitur. 753. 760
hispania alarum cymbalo similis. 665
hispaniā Sepharad ab Hebræis nominari. 676
hispaniā rectè Bosphorum appellari. 679

Universidad de Deusto
Biblioteca

Hôi Hebraicè cuius rei sit nota. 666
homo tandiu dicitur viuere, quandiu benè viuit. 773
hominem ad iustitiam redeuntẽ manere præmia ob bona opera quæ ante peccatum fecit. 800
Hortus in arcano sermone quid. 359
Humalhazen Arabicum capitis ornamentum quale. 18
humilitas quibus rebus comparetur. 58

I.

IAcere in sacris literis qui dicantur. 166
ianua in arcano sermone quid. 419
Idolorum cultum, cui se addicebant Iudæi in hortis significari. 438
idolorum cultores, & impij, qui contemptu digni sint. 664
idumæos non prædici delendos propter bellum quod Syris ducibus aduersus Iudæos gesserunt, neque quia Chaldæis contra Hierosolymam opem tulerunt. 520
idumæos vicinis gentibus inferiores fuisse. 563
idumæorum regionẽ montibus abundare. 570
idumæos calliditate, & prudentia fuisse præstantes. 596
idumæos non fuisse deletos ante Hierosolymorum per Chaldæos excisionem. 625
idumæis deuictis nunquam superstitisse Iudæos. 641
Illapsus diuini duplicẽ esse vim. 58
Imaginum quibus illustrantur prophetæ tria esse genera. 547
Impij quibus nominibus notentur in sacris literis. 607
impios de Ecclesiæ interitu nũquam capturos lætitiam. 628
impios specie tenus magnos, re & veritate viles. 566
imprecationes in sacris literis sæpè non tam esse maledicta quam rerum futurarum vaticinia. 885
improbos in sacris literis nominibus vilissimis significari. 568
improbos omnes prodi à viris pacis ipsorum. 591
improbos ob immisericordiam præcipuè pœna sempiterna mulctandos. 605
improborum pœnam duplicem esse. 608
improborum post mortem nullas remanere reliquias. 611
improbis quidquid aduersi aduenit nimis citò aduenisse videri. 629
In, Hebraico more in significatione instrumenti vsurpari. 709
in Christi resurrectione præluisse Deum iustitiam nostram. 690
in similitudinibus Cantici Canticorum non altitudinem, aut magnitudinem, sed speciem & rectitudinem attendi. 97
in Hœdis cupiditatis inesse symbolum. 115
in omni gente fuisse aliquos, quibus humani generis fore aliquem saluatorem Deus patefaceret. 670
in incarnatione omnes virtutes Dei elucere. 200
incarnationem sui vnigeniti Deus hominibus, & antequam peccarent, patefecit, & postea pollicitus est. 105
incipientes in amore Dei, quo genere voluptatis perfundantur. 33
incipientium amor erga Deum imperfectus. 33
incipientes quare nigri dicantur. 47
incipientes viuere in conuentu aliorum oportere.
incipientes vexari turba vanissimarum cogitationum, proficientes non sic. 230
indorum ad Christum conuersionem maximam habuisse difficultatem. 433
indorum & noui orbis conuersionem non latuisse Prophetas. 663
indos Palæstinæ regioni partim Antipodes, partim Antisios. 670
infirmorum salutis cura sollicitari perfectos. 417
innocenti homini esse molestius ipsa morte ob falsi criminis impositionem ad supplicium rapi. 497
innocentes homines in medijs constitutos malis, non tam ipsis malis cruciari, quàm quod existiment se à Deo deseri. 504
Israelitas quadringentis annis incoluisse Aegyptum, quomodo debeat intelligi. 842
israel quid propriè & figuratè. 531
Iudaismum quid appellet Paulus. 726
iudæorum populum vineæ, & horti nomimbus in sacris literis sæpe significari. 361. & 436
iudæorum populo intra Ecclesiam admisso totius orbis instare finem. 439
iudæi quid proprie, & figurate. 532
iudæi, antequam in Romanorum potestatem venirent, à quibus sint appetiti bello. 625
iudæorum statui non conuenire, quæ de domo Iacob, & Ioseph prædicit Abdias. 650
iudæos in Hispania sæpius exulasse. 679
iudæos ante Christi aduentum ex vi legis non esse filios sed seruos. 852
iudæis Christum duabus in rebus saluti fuisse & in earum altera tantum gentibus. 855
iudæa à quatuor mundi plagis, quibus contermina sit gentibus. 657
iudicari pro condemnari apud Hebræos. 630
iudicari pro absolui, & approbari poni. 633
iusti quomodo de rebus à Deo salutis omnium causa factis loqui soleant. 784
iustos ferculi nomine significari. 197.
iustorum bona eius esse naturæ, vt ab

Universidad de Deusto
Biblioteca

ipsorum hostibus eripi nequaquam possint. 472
iustos inuictos perstare esse difficile. 503
iusti in tribulatione positi quid faciant. 183.506
iusti quare dicti vbertatũ flores. 145
iusti quare rebus aduersis torquentur. 182.352
iusti quod viuant, qui dignosci possit. 775
iusti in sacris literis quare oues nominentur. 897
iustorum ab impijs discrimen. 504
iustos homines post mortem habere reliquias dici in sacris literis. 611
iustitia pro condemnatione apud Hebræos. 632
iustitiæ incrementum ex vario quo quis è Christo nascitur modo prouenire. 703
iustitiæ eadem qua Christus affectus est olim quasi in seminibus homines esse imbutos. 703.

L.

LAudem ex iustorum bonis operibus Deum sibi vni velle tribui. 275
Lectulus translatè quid. 56.123 190.
legem Mosaycam à Paulo maceriæ parietem appellari. 833
legis vnum tantum Christum subijsse maledictum è duobus quæ habebat. 824
legali iustitiæ quod sit præmium constitutum. 816
lege Moysis absolui omnes per Christi mortem. 768.822
legem Mosaycam transgressionis ipsius quodammodo occasionem dicisse. 771
legem Mosaycam ex vi ipsius, nulli vnquam iustitiam contulisse. 813
legitima opera quæ sint. 815
legem à legis operibus ex fide factis distingui. ibidem
lege Mosayca quomodo non contineatur fides. 817
legem Mosaycam nudè & per se spectatam duo habere maxima incommoda. 818
legis Mosaycæ obseruantiam veræ vitæ efficientem non esse. 819
lemesarim de vino dictum Hebræis quid significet. 371
lenitas Christiana qualis. 788
lenitatis consequendæ ratio quæ sit. 901
leuissimis de causis homines iustitiã deserere & ad scelus conuerti. 706
lex Mosayca qua fini constituta sit. 848
Libertatem, & seruitutem Ecclesiæ veris & hyemis appellatione significari. 167
libertatem triplicem humanũ adquisisse genus per Christi mortẽ. 696
libertatis Christianæ ratio in quo sita sit. 887. 891
lilium translatè quid. 160
lybanus alius in Iudæa, qui & saltus Lybani. 225
lybanus mons quare trãsferatur ad Christum significandum. 298.

M.

MAlè alicui precari quomodo liceat. 885
mazeg Hebræis quid. 356
Meghaim Hebræis quid. 296
mentiri pro subijcere se victori Hebræis. 401
meretrices olim capite inuoluto in viarum biuijs residere solitas. 12
meretrices olim in tugurtiolo extra vrbem & iuxta viam habitare solitas fuisse. 81
meritum bonorum operum aduersus Lutherum defenditur. 244
meritorum Christi efficacia, & vera laus. 245.699
meßis nomen in sacris literis translatè pro quo accipiatur. 673
metaphoras quasdam esse sacris literis proprias & familiares. 909
Migdaloth quid. 271
mispath & cedaca iudiciorum verba Hebræis quid. 632
Monilia translatè quid. 60
mons sanctus translatè quid. 635
mors & vita duplex in sacris literis memoratur. 774
mortis, quæ cum Christo est, quæ sit vis. 774
mortem, quæ peccati consummationem consequitur, mortem secundam appellari. 911
mortis nomine pœnam malorum significari. 912
mosaycam legem ijs qui se custodiunt, spiritum seruitutis conferre. 693
Mosaycas seruare cæremonias licitum esse quodammodo Apostolorum tempore. 757
Mulieribus domestica negotia esse curanda, & viris forensia. 23
mulieris nomẽ esse nomẽ sexus. 854
murus in arcano sermone quid. 219
Myrrha transiens quid. 205
myrrhæ flores qui. 21
myrrha in arcano sermone quid. 61.

mysticum scribendi genus sacras literas decere maximè. 71. & 76

N.

נעם Hebræis quid proprie. 20
Nardus vnguentum quale. 20
nardus in arcano sermone quid. 61 & 118. 316
nasus translate quid. 368
nasus in arcano sermone quid. 385
naturæ, & gratiæ ingenium explicatur. 283
Negationem positam in priori versu repeti in posteriori à communi ex Hebraici sermonis proprietate. 743
Nomina gentium aut populorum in sacris literis solere poni pro alijs cum quibus aliquam habent similitudinem. 531
nouum orbem cum nostro olim fuisse continentem. 670
nox in arcano sermone quid. 179.

O.

OBseruatio quædam ad plurã scripturæ facile enodanda loca. 613

Universidad de Deusto
Biblioteca

obtestationis quæ sit ratio. 134
Oculi in arcano sermone quid. 62
oculi in Ecclesia qui sint. 355
Odor translate quid. 34. & 118
odor in arcano sermone quid. 275
Offensionis ex alterius facto duplex esse potest causa. 759
officij Christiani descriptio. 39. 472 888.
Operum tria genera. 810
opera carnis regni Dei priuare qui sit intelligendum. 895
Oscula translatè quid. 106
Oratio virtus Christianorum propria. 237
orationis perfectæ conditiones. 239
oris nomen variè accipi in sacris literis. 620.

P.

PAlæstina mons Myrrhæ & collis thuris appellatur. 253
Palæstinos ante Iudæorum libertatem fuisse deletos. 651
palma cur transferatur ad Ecclesiam significandam. 386
παρὰ Græcis aliquando significare idem quod contra. 718
pastorum personas in Canticorũ Cantico ad allegoriam assumi. 100
pastoris persona cur potius assumatur ad Christi amores adumbrandos. 100
paulum à solo Deo instructum, & legatum Apostolum. 687
paulus cur & quando Apostoli nomine vtatur in suis Epistolis. 688
paulum qui Deus permisit tot annos in impietate remanere. 730
pauli ascesum ad Hierosolymam, de quo meminit ad Galatas, quis sit ex iis quos referuntur in Actis Apostolicis. 736
pax per Christum constituenda qualis. 340
Peccatores quare & Christum iterum crucifigere & peccati serui dicantur. 779
peccati fons & origo.
peccatum omne ab animi natura alienum. 48
peccatum in sacris literis omniũ malarũ rerũ notari nominibus. 590
pedes in arcano sermone quid. 374 & 382
perfectionis summa in quo sita sit. 778
perfecti cur vrbi similes. 337
perfectos paucioribus rebus egere, vt induci in amorem Dei possint. 415
perfecti quanta animi pace fruantur. 339
perfectos, & palàm, & semper amare Deum cupere. 402
personas à Solomone in Canticis inductas, sicut qui se amant loqui solent, & ipsas loqui. 82
petra in arcano sermone quid. 480 & 574
petrũ ad annuntiandũ Iudæis Euangelium, & Paulum gentibus aptiores fuisse, licet vtriq; prædicãdi plenã habuerint potestatẽ. 748
petrum in simulatione Iudæorũ causa facta, peccasse quæ rationes probare, quæq; dissuadere videãtur. 751
petrum cum se subtraxit à conspectu gentium, neque peccasse, neque simulatò reprehensum à Paulo. 717
petrus in illa à gentibus subtractione quomodo potuisset peccare. 762
Poeticæ præstantiam in imitanda natura consistere. 130
portare iudicium suum phrasin esse scripturæ pro grauiter punietur. 883
Prælati Ecclesiæ quales esse debeant. 124
prælati mali quantum noceant populo Dei. 288
prælati quo fortitudinis genere præstare debeant. 192
præputium, & circuncisio in scriptura quid significent. 747
præter apud Latinos etiam significare contra. 718
præterita pro præsentibus vsurpari apud Hebræos. 359
præterita pro futuris vsurpare prophetis familiare. 562
promptitudo in obtemperando monenti, aut vocanti Deo quanta esse debeat. 557
promissio de Christo nascituro facta primis parentibus quot modis Dei erga homines amorem declaret. 409
propitiatorium lectulum Solomonis figuratè dici. 208
prophetas in Ecclesia oculos nominari. 385
prophetas ad prædicendum duabus rebus necessario diuinitus informari. 546
prophetas suas vaticinationes terminare solitos rerum à Christo gerẽdarũ latissima acclamatione. 641
prophetas cito futurum id dicere, quod non nisi post multa sæcula eueniet. 629
prophetarum insomnia qui ab aliorũ insomnijs discerni queant. 548
prophetas, cũ futura eloquuntur sæpe neque distinguere tempora, neque loca. 628
prophetiæ omne genus visionem appellari. 549
prophetas narrandis ita gestis rebus alia maiora illis similia futuro gerenda tempore significare solere. 537
prophetas nouem loquutos esse de Edonis rebus. 552
prophetas quando ab vna re de qua propriè, ad aliam illi similem sublimiorem tamen inducuntur, multa sæpe dicere quæ priori non satis conueniant. 627
proprium esse sacræ scripturæ quasdam res eo oris habitu significare qui eis more, aut natura debetur. 620. (59
Purgatoriæ virtutis quod sit munus.
purgatoriæ virtutes quare odoratæ dicantur. 61
purpura in arcano sermone quid. 197
Πυρόφοροι in bello qui dicti. 649

Universidad de Deusto
Biblioteca

πυροφόρος quid proprie. 649
Pythagoræ animarum ex alijs in alia corpora transmigrationes quid significent. 773

Q.

QVæ operum genera iustitiam gignant. 80
quæ facere debemus ipsi, Deus vsitato sacrarum literarum more facere dicitur. 253
quæ de aliquare dicuntur quæ signum alterius est, vtrique esse communia, licet prius de signo dici censeantur. 541
quinis & si peccator in laboribus constitutus quid facere debeat. 459.
quibus sunt immissa diuinitus in somnis non statim habendos pro Prophetis. 548
qui turpia spectacula aut exercent, aut spectant, aut permittunt à graui peccato immunes non esse. 894
qui docendi exercent munus eatantum tradituros, quæ hauserunt ex doctrina sanctorum, & ex scriptis diuinis. 551
quibus boni aliquid conferēdum est Hebraica proprietate expectare dici. 669
quomodo in sacramento Eucharistiæ humanum continebatur genus, quādo id Christus instituit. 700
quos Christus vicit inimicos, nobis & omnibus & solis vicisse. 486
quo die peccauit Adam, eo iacta fuisse salutis nostræ fundamēta. 409
quò aliqua respublica ad maiorē fœlicitatem peruenit eo ruinæ propriorem esse. 579
quos Deus ob sua in alios malefacta in hac vita punit, talibus eos malis vexare, qualia ipsi intulerunt. 634
quæ præter Euangelium traduntur, non esse admittenda, qua ratione sit intelligendum. 718
quæ nos in fide Christi maximè stabiliant. 783
quæ à carne oriuntur opera appellari, quæ vero à spiritu fructus. 896
quæ debeat esse inter fideles animorum consensio. 916.

R.

RAbbinum Ionatham Vzielis filium antiquiorem esse Hieronymo. 677
Rectè instituta ratio vnum bonum desiderat. 474
reginarum, concubinarumque nominibus Ecclesiam veterem significari. 356
reliquias nullas remanere quando dicit scriptura, quomodo sit intelligendum vbi quorundam falsa eluitur interpretatio. 526
resurrectionis futuræ tēpus præmijs conferēdis assignari propriè. 916
retributionis nomen in his literis quomodo accipiatur. 635
Romanos & Chaldæos Aquilonis & Austri ventorum nominibus significari. 259
Rubor in arcano sermone quid. 292 323
rubeus color in arcano sermone quid. 535.
rus ab Hebræis desertum appellari. 174

S.

SAcerdotes & Iudæorum principes custodes vrbium & murorum cur dicti sint. 319
Sacrificium epulum esse quoddam. 118
Sæculum & sæculorum sæculū quid sit. 96
salutatione eadē cur Paulus in suis semper epistolis vtatur. 692
sancti ipsi tesus nomine quare significentur. 681
sanctorum & scripturæ testimonia Christum nostrā esse iustitiā affirmantia, qui debeant intelligi. 702
sareptæ vrbes duæ. 660
Scelerati qua ratione simul, & cæci, & videntes sint. 790
seminare pro operari in sacris literis accipi. 909
seminandi verbum pro largitione & eleemosyna interdum accipi. 909
seminis nomen in singulari pro vno tantum solere poni. 836
sententiam eorum, qui censent in cāticis non eos attendi sermones quos amantium aut mos aut natura ferat, nullatenus esse admittendam. 73
sexaginta viri, qui ambiunt lectulum Solomonis, in arcano sermone quid. 192
Similitudines canticorum, cur interdum nobis perabsurdæ videātur. 97. & 212
sina Mons quomodo Hierusalem dicatur coniunctus. 870
sina qua ratione vetus significet testamentum. 871
singularis numeri voce plura, quàm pluralis significari interdū. 644
Sol in arcano sermone quid. 53. & 113
spiritus sancti, vnum, & germanum fructum charitatem esse. 896
splendor virtutis se ipse prodit. 186
superbiam è cordis vitio manare potissimùm, non à bonis externis. 571
superbiæ vitium maximè cum hominis natura, & ratione pugnare. 576
συστοιχέν Græcis quid. 870

T.

TAbernacula quæ dicantur. 56
tacere in sacris literis, & silere pro extingui sæpè poni. 587
Terræ nomen Hebræis interdum masculini generis. 667
terra viuentium quæ sit. 501
terram viuentium ab aliquibus appellari Iudæam. 500
terrena quæ dicuntur bona speciem solam, & vmbram habere bonorum. 475
Tharsis lapis pretiosus. 272
theologiæ cognitionem episcopis esse per-

Universidad de Deusto
Biblioteca

perneceſſariam. 194
theologicam traditionem eſſe duplicem. 75
themāvariæ ſignificationis vox. 600
thirſa vrbs regia. 319
thus in arcano ſermone quid. 242
Trahere quid propriè. 37
tria cellariæ ad quæ incipientes introducuntur. 42
tria cellaria ad quæ Eccleſia introducitur. 111
turtur in arcano ſermone quid. 60.
turtures hyeme à Palæſtina recedere. 140
turtures ornamentū muliebre apud Hebræos. 17
turtures quod & quale ornamenti genus. 18

V.

Vbera in Eccleſia quæ nominentur. 384
vbera in arcano ſermone quid. 107. & 240
velatos religionis nomine inimicos veræ Chriſtianitatis multos latere. 440
venter Eccleſiæ qui ſint. 384
verba alia pro alijs ponere Hebræos, cum res affines ſignificant. 40. 632
verbum item vno in verſu bis poſitū alias alia in ſignificatione accipi diuinis literis in vſu eſſe. 638
veram doctrinā lactis, & mellis dulcedine ſignificari. 257
vere excitari animantia ad cantum. 140
veros Chriſti cultores aduentum illius optare, atque petere. 423
Vinum tranſlatè quid. 107
virtutem qui colunt, vera pace frui. 692
viuere dici vere, qui iuſtitiam colūt, improbos autē appellari mortuos. 772.
viuere in carne quid. 780
vitam quæ ex Deo eſt, morte cū Chriſto comparari. 774
vitam noſtram reuixiſſe vt in cauſa Chriſto ad vitam redeunte, reuertente aduenie iuſtitia. 703. & 778
vltimi aduentus Chriſti ſpe in aduerſis bonos ſuſtentari, & eius memoria gaudere. 441
vltimi Aduentus Chriſti mentionē acerbā impijs, formidoloſam dæmonibus eſſe. 443
vltimi iudicij diē inſtare facta tertiæ Euangelij diuulgatione. 680
vmbra tranſlate quid. 146
vocationē fere ſemper Deo Patri à Paulo tribui. 708
vocationis primæ ad iuſtitiā, & aliarum vocationum diſcrimen. 29
voluptatis oſtentatione Deum peccatores ad iuſtitiam ſolere vocare. 32
Vulpibus abundare Iudæam. 142
vulpes in arcano ſermone quid. 155

INDEX LOCORVM SACRAE SCRIPTVRAE QVAE IN HOC tomo obiter declarantur.

GENESIS.

Ap. i. d. 31. vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. 245
ca. ij. a. 5. Non enim pluerat Dominus ſuper terram, & homo non erat qui operaretur terram: ſed fons aſcendebat è terra irrigans vniuerſam ſuperficiē terræ. 743
b. xxij. Et ædificauit Dñs coſtā quā tulerat de Adā in mulierē. 854
ca. iij. a. 6. Et vidit mulier lignum quod eſſet bonum ad veſcendū, pulchrum oculis, aſpectuq; delectabile. 791
b. 7. Et aperti ſūt oculi amborū. 791
c. 15. Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum & ſemen illius: ipſa conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo eius. 103. 408. 464
ca. v. d. 29. Hic conſolabitur nos à laboribus in terra, cui maledixit Dominus. 829
ca. vi c. 13 Finis vniuerſæ carnis venit coram me, quoniam repleta eſt omnis terra Hamaz. 606
ca. vij. d. 11. Rupti ſunt omnes fontes Abyſſi magnæ & cataractæ cæli apertæ ſunt, & facta eſt pluuia ſuper terrā quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. 558
ca. viij. d. 21 Neque vltra maledicam terræ propter homines. 829
ca. xi. a. 6. Ecce vnus eſt populus, cœperuntq; hoc facere, nec deſiſtent à cogitationibus ſuis donec eas opere compleant. 579
ca. xij. a 1. Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & dabo te in gentem magnam. 56. 122
3 Benedicam benedicentibus tibi & maledicam maledicentibus tibi. 829
ca. xv. a. 4 Non erit hic hæres tuus, ſed qui egredietur ex vtero tuo ipſum habebis hæredem, vſq; ſic erit ſemen tuum. 122. 805

Universidad de Deusto
Biblioteca

fides quam habuit Abraham liberorum promissioni à Deo factæ, quomodo reputata sit illi ad iustitiam. 805
c.13 scito prænoscens quod peregrinum futurum est semen tuum in terra non sua, & subycient eos seruituti, & affligent quadringentis annis. 837
cap.xvij. a.1. Ego Dominus omnipotens. Ambula coramme, & esto perfectus, ponamq; fœdus meum inter me, & te. 783
cap.xviij. d.19. vt custodiant viã Domini, & faciant iudicium, & iustitiam. 631
cap.xx. c.9. Quæ non debuisti facere feciſti nobis. 623
cap xxi. c.18. quia in gentem magnam faciam eum. 836
cap.xxij. c. 16. Per memetipsum iuraui, dicit Dominus, quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo propter me. &c.122 806.
17 Multiplicabo semen tuum super stellas cæli & sicut arenã, quæ est in littore maris. 843
cap.xxv. Quomodo Abraham dicatur mortuus esse plenus dierum. 773
c.23. Duæ gentes sunt in vtero tuo, & duo populi. &c. 537
cap.xxvi. c. 24. Ego sum Deus patris tui Abraham, noli timere. 783
cap.xxvij. f.40. viues in gladio & fratri tuo seruies, tempusque veniet cum excutias iugum eius de ceruicibus tuis. 525
cap.xxxij. f.26. Dimitte me quia iam ascendit aurora. 333
cap.xlv. a.2. Ego sum fortissimus Deus patris tui, noli timere. 783
ca.xlix.b.10. Et ipse erit expectatio gentiũ. 670
b.12. Pulchriores sunt oculi eius vino, & dentes lactecandidiores. 233

EXODI.

cap.i. a.7. Filij autem Israel creuerunt, & quasi germinantes multiplicati sunt. 844
cap.iij. b.6. Ego sum Deus patris tui, Deus Abrahã, & Deus Isaac, & Deus Iacob. 784
7. vidi afflictionem populi mei, in Aegypto, vsque in terram bonam, & spatiosam. 163
c.16. Dominus Deus patrum vestrorum apparuit mihi, &c. vsque in terram Chananæi. 163
cap.vi. c.18. Anni quoque vitæ Caath, cẽtum triginta tres. 839
cap v. videat Dominus & iudicet, quoniam fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone, &c. 165
cap.viij. d.14. congregauerunt Rana rum aggeres aggeres. 149
ca.xij.f.37. Profecti sunt filij Israel de Rameſſe in Sochoth sexcenta fere millia peditũ sine paruulis, ac mulieribus. 838
f.40. habitatio autem filiorum Israel qua manserunt in AEgypto fuit quadringentorum, & triginta annorum. 837
ca. xiiij. a.3. Dicturus est Pharao super filijs Israel, coarctati sunt in terra, concluſit eos desertum, & indurabo cor eius, ac persequetur vos, & glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu eius. 468
b.10. Cumque appropinquasset Pharao, filij Israel leuantes oculos suos, &c. vsq; in solitudine. 203
d.19. Tollensque se Angelus Domini, qui præcedebat castra Israel, abyt post eos. &c. 204
ca.xv. b. 9 Dixit inimicus persequar, diuidam spolia implebitur anima mea, euaginabo gladium meum, & quæ sequuntur. 467
ca.xxxiij. b.8. Cumque egrederetur Moyses ad Tabernaculum, surgebat vniuersa plebs, & stabat vnusquisque in ostio papylionis sui, aspiciebantque tergum Moysi, donec ingrederetur tentoriũ. 210

LEVITICI.

ca.xviij. a.5. Custodite leges meas atque iudicia, quæ faciens homo viuet in eis. 819
ca xxvij d.28. Omne quod quis cõsecrauerit domino. 717

NVMERI.

ca v. c.21. Det te Dominus in maledictionem. 829
ca.ix. c.15. Die quæ erectum est Dei Tabernaculum, operuit illud nubes &c. vsque quotquot diebus fuisset nubes super tabernaculũ. 206
ca.xij. b.6. Si quis fuerit inter vos Propheta, in visione apparebo ei vel per somnium loquar ad illũ. At non talis &c. 547
ca.xxiij.b.8. Quomodo maledicam, cui nõ maledixit Dominus. 829
ca.xxiiij. a.5. Quam pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Israel, vt valles nemorosæ. &c. 250
c.17. Videbo illum sed non modo, intuebor illum, sed non propè, orietur stella ex Iacob. 550

DEVTERONOMII.

ca ij. a.4. Transibitis per terminos patrum vestrorum, filiorum Esau, qui habitant in Seir, & timebunt vos. 563
ca.vi. a.4. Audi Israel, Dominus Deus tuus vnus est. 817
ca.vij a.2. Cum tradiderit eas Dominus Deus tuus tibi, percuties eas vsque ad internecionẽ. 528
ca.xxi. d.22. Quando peccauerit homo quod morte plectendũ est, & adiudicatus morti suspensus fuerit, &c. 825
ca.xxv. c.13. Non erit in sacculo lapis, & lapis. 249
ca.xxviij. c.49. Adducet Dominus super te gentem de longinquo, & de

Universidad de Deusto
Biblioteca

de extremis terræ finibus in similitudinem aquilæ volantis. 586

IOSVE.

ca.vi.c.21. Ceperuntque ciuitatem & interfecerunt omnia quæ erãt in ea à viro vsque ad mulierem, ab infante vsque ad senem, boues quoque & oues in ore gladij perfusserunt. 527
d.26. Maledictus vir coram dõmino, qui ædificauerit Ierichõ. 829
ca.10.e.28. Eodẽ die Macedã quoq; cepit Iosue, & percussit in ore gladij, regemque illius interfecit & omnes habitatores eius, non dimisit in ea saltim paruas reliquias. 526
f.30. Percusseruntque vrbem in ore gladij, & omnes habitatores eius non dimiserunt in ea vllas reliquias, &c. vsque sicut præceperat ei Dominus Deus Israel. 527
ca.xi.b.8. Itaque percussit omnes, vt nullas dimitteret ex eis reliquias. 527
b.11. Percussitque omnes animas, quæ ibi morabantur, non dimisit in ea vllas reliquias, sed vsque ad internecionem vniuersa vastauit. 527

I. REGVM.

ca.xiij. Quomodo Saul vnius anni regnare cœpisse dicatur. 773
ca.xv.a.3. Nunc ergo vade & percute Amalech & demolire vniuersa eius, non parcas ei, & non concupiscas ex rebus ipsius aliquid. &c. 528
d.18. Misit te Dominus in viam, & ait, vade, & interfice peccatores Amalech, & pugnabis contra eos vsque ad internecionem eorum. 528
ca.xviij.b.7. & cantabant in Choris. Saul cæcidit mille, Dauid decem millia. 496
ca.xxiiij.b.7. Aut veniet dies ipsius & morietur. 630
ca.xxvi.c.19. Si Dominus incitat te aduersus me, odoretur sacrificiũ: si autem filij hominum, maledicti sint in conspectu Domini. 497. 829.

II. REGVM.

ca.i.c.21. Mõtes Gelboe nec ros nec pluuia cadat super vos. 226.
d.25. Quomodo ceciderunt fortes in prælio? Ionathas in excelsis tuis occisus est? 592
ca.vij.b.13. Et stabiliam thronum eius vsque in sempiternum. 538
ca.viij.d.15. faciebat quoq; Dauid iudicium, & iustitiam omni populo. 631
ca.xviij.c.33. Quis mihi tribuat, vt ego moriar pro te Absalõ fili mi, fili mi Absalom.
ca.xxiij.a.3. Mihi loquutus est fortis Israel, sicut lux auroræ oriente sole mane absque nubibus rutilat.

III. REGVM.

ca.xi.g.36. Vt remaneat lucerna Dauid seruo meo, cunctis diebus coram me. 649

IIII. REGVM.

ca.ii.d.24. Qui cum respexisset, vidit eos, & malexit eis in nomine Domini. 829
ca.viij.c.19. Noluit autẽ Dominus disperdere domum Iuda propter Dauid seruũ suum, sicut promiserat ei vt daret illi lucernam, & filiis eius cunctis diebus. 649
ca.x.b.11. Percussit igitur Iehu omnes, qui reliqui erant de domo Achab in Iezrael & vniuersos optimates eius, & notos, & sacerdotes, donec non remanerent ex eo reliquiæ, & quæ sequũtur. 529
d.17. Et percussit omnes, qui reliqui erant de Achab in Samaria vsque ad vnum iuxta verbum Domini. 529
ca.xxv.g.27. Subleuauit Euilmerodach caput Ioachim. 485

IOB.

ca.v.a.2. Virum stultum interficit iracundia.
a.3. Ego vidi stultum firma radice & maledixi pulcritudini eius statim. 680
b.13. Qui apprehendit sapientes in astutia eorum. 598
ca.viij.d.18. Si absorbuerit eum de loco suo, negabit eum, & dicet, non noui te. Hæc est enim lætitia viæ eius vt rursus de terra alij germinentur. 612
ca.xviii.d.20. Super die eius obstupescent posteri. 630
cap.xx.a.6. Si ascenderit vsque ad cælũ superbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quasi sterquilinium in fine perdetur. 677
b.14. Panis eius in vtero eius vertetur in fel aspidum intrinsecus. 593
ca.xxii.c.20. Nonne succisa est erectio eorum, & reliquias eorum deuorabit ignis. 612
ca.xxvii.a.2. Abstulit Dominus iudicium meum. 633
ca.xxxii.d.19. En vẽter meus quasi mustо plenus. 297
ca.xxxix.d.30. Nunquid ad præceptum tuum volabit aquila. 582

PSALMORVM.

Psal.ij.c.11. Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. 547
psal.iii.b.9. Et super populum tuum benedictio tua. 921
psal.vii.c.17. Cõuertetur dolor eius in caput eius & in verticem ipsius iniquitas eius descẽdet. 635
psal.ix.d.19. Non in finem obliuio erit pauperis, & patientia pauperum peribit in finem. 743
psal.xi.a.3. In corde, & corde locuti sunt. 250
b.7. Eloquia Domini argentum igne examinatum. 197

Universidad de Deusto
Biblioteca

Psal.xij. a.2. Vsquequo Domine obliuisceris mei in finem? vsquequo auertis faciem tuam à me? 179
6. Qui tribulant me exultabunt, si motus fuero. 618
Psal. xiij. b 7. Viam pacis non cognouerunt. 692
Psal. xvi. b.8. Custodi me Domine vt pupillam oculi. 189
Psal.xvij. d.46. Filij alieni mentiti sunt mihi. 401
Psal.xviij. a.2. Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum. 34. & 56
c.8. Et dulciora super mel & fauum &c. 257
Psal.xxi. a.2. Longè à salute mea verba delictorum meorum. 832
14. Aperuerunt super me os suum sicut Leo rapiens, & rugiens 620
Psal.xxiij. a.3 Qui sustinent te nõ confundentur. 594
Psal.xxvi. De titulo, & argumento huius Psalmi. 453
Psal.xxviij.b.9. Vox Domini cõfrin gẽtis Cedros, cõfringet Dominus Cedros Lybani. 601
Psal.xxix. b 6. Quoniam ira in indignatione eius, & vita in voluntate eius. 561
Ad vesperum demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. ibidem.
Psal.xxx. a.1. In te Domine speraui, non confundar in æternum. 594
b.10. Anima mea, & venter meus. 297
Psal. xxxiij. c.21. Dilatauerunt super me os suum, dixerunt. Euge Euge. 619
d.26. Induantur confusione, & reuerentia qui maligna loquuntur super me. 609
Psal.xxxvi.d.34. Cum perierint peccatores videbis. 619
37. Custodi innocentiam, & vide æquitatem, quoniã sunt reliquiæ homini pacifico. 612
Psal.xxxviij. a 6. Ecce mensurabiles posuisti dies meos. 630
Psal.xxxix. b.7. Sacrificiũ, & oblationem noluisti, aures autem aptasti mihi. 770
Psal.xliij. c.19. Et non recessit retro cor nostrum, & declinasti semitas nostras à via tua. 743
d.25. Humiliatus est in terra venter noster. 297
Psal.xliiij. a.3. Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis. 291. 296
b.5 Propter veritatem & mansuetudinem, & deducet te mirabiliter dextera tua. 788
8. Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis. 119
Psal.l.c. 16. Libera me de sanguinibus. 536
Psal.lvii.a.4. Alienati sunt peccatores à vulua. 729
b.11. Lætabitur iustus cum viderit vindictam. &c. 189. 619
Psal.lxiiij. b.9. Exitus matutini & vespere delectabis. 301
Psal.lxv.a.3. Mentientur tibi inimici tui. 401
Psal.lxx.b.6. De ventre matris meæ protector meus est. 729
Psal.lxxi.a.3. Assument montes pacem populo, & colles iustitiam. 234.384
Psal.lxxiij.b.9. Hunc humiliat, & hunc exaltat, quia calix in manu Domini vini meri plenus misto.
c. Et inclinauit ex hoc in hoc, verumtamen fæx eius non est exinanita: bibent omnes peccatores terræ. 636
Psal.lxxvij.a.2. Aperiam in parabolis os meum. 620
e.49. Et immissiones per Angelos malos. 556
Psal.lxxviij.c.11. Intret in conspectu tuo gemitus cõpeditorũ. 607
Psal.lxxxiii.a.3. Cor meum & caro mea exultauerunt in Deum viuum. 45
Psal.lxxxiiij. c.11. Iustitia & pax osculatæ sunt. 692
Psal.lxxxviij.c.15. Iustitia, & iudicium præparatio sedis tuæ. 631
Psal.xciij.c.17. Nisi quia Dominus adiuuit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea. 588
Psal.cij.a.5. Renouabitur vt Aquilæ iuuentus tua. 581
Psal.ciij.d.31. Sit gloria Domini in sæculum &c. 698
Psal. cxviij. a. 32. Viam mandatorum tuorum cucurri cũ dilatasti cor meum. 741
Psal. cxxv. a. 6. Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.
Psal.cxxxij.a.1. Ecce quam bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum.
Psal.cxxxiij.c. 16. Os habent, & non loquentur, oculos habent, & non videbunt. 622
Psal.cxxxvi.b.7. Recordare Domine filiorum Edom in die Hierusalem: qui dicunt, exinanite, exinanite vsque ad fundamentum in ea. 520.630
8. Filia Babylonis misera, quis retribuet tibi retributionem tuam, quam retribuisti nobis. 635
Psal. cxl.a. 2. Fiat Domine oratio mea sicut incensum in conspectu tuo. 242

PROVERBIORVM.

cap.v.a.3. Fauus stillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius, nouissima autem eius amara quasi absynthium. 567
c.15. Bibe aquam de cisterna tua, & fluenta putei tui.
16 Deriuentur fontes tui foras & in plateis aquas tuas diuide. &c. 17
d.19. Cerua charissima, & gratissimus hinnulus, vbera eius inebrient te omni tempore. 95
ca.viij.d.31. Et deliciæ meæ esse cũ filijs hominum. 201
ca.xi.c.18. Seminanti iustitiam merces filio est. 910

Universidad de Deusto
Biblioteca

INDEX LOCORVM

ca.xij.a.5. Cogitationes iustorum iudicium. 232
ca.xx.c.27. Inuestigat omnia secreta ventris. 297
ca.xxii.b.8. Qui seminant iniquitatem metent iniquitatem. 909
ca.xxiij.d.31. Ne aspicias cum flaueſcit & cum splendet in vitro: ingreditur enim blandè, sed in nouissimo mordebit vt coluber, &c. 371
ca.xxiiij.b.16. Septies in die cadet iustus, & resurget: impij autem corruent in malum. 611
ca.xxv.b.14. Nubes, & ventus & pluuiæ sequentur, vir glorioſus & promiſſa non complens. 803
ca.xxvij.b.9. Vnguento & bonis odoribus delectabitur cor, & bonis amici consilijs anima dulcorabitur. 803
ca.xxx.c.17. comedant eum filij Aquilæ. 582

ECCLESIASTES.

ca.vij.a.2. Melius est nomen bonum, quàm vnguenta pretiosa. 108
ca.x.a.2. Cor sapientis in dextera eius, stulti autẽ in sinistra illius. 572
ca.xi.b.6. Mane semina semen tuum, & vespere ne cesset manus tua. 909
ca.xii.a.3. Nutabunt viri fortissimi &c. 602.376

CANTICORVM.

a.4. Trahe me post te curremus. 881
5. Nigra sum sed formosa, filiæ Hierusalem sicut tabernacula cedar, sicut pelles Solomonis. 565
ca.v.a.2. Ego dormio & cor meum vigilat. 881

SAPIENTIÆ.

ca.iiij.b.11. Fascinatio nugacitatis obscurat bona. 707
ca.v.b.7. Ambulauimus vias difficiles, viam autẽ veritatis ignorauimus. 696
8 Quid profuit nobis superbia? & diuitiarum iactantia quid contulit nobis. 575
c.13. Et nos nati continuò desiuimus esse. 629
ca.vij.d.26. candor est lucis æternæ. 292

ECCLESIASTICI.

ca.iii.b.12. Ne glorieris in cõtumelia patris tui, non enim est tibi gloria, sed confusio. 608
c.18. Maledictus homo qui exasperat matrem. 829
ca.iiij.c.25. Est confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gloriam, & gratiam. 608
ca x.c.22. Non est creata naturæ hominum superbia, neque iracundia nationi mulierum. 576
ca.xi.d.32. Sicut perdix adducitur in caueam, & sicut caprea in laqueum, sic & cor superborum. &c. 573
ca.xiij.a.1. Qui tetigerit picẽ, inquinabitur ab ea, & qui cõmunicauerit superbo, induet superbiam. 518.803

ca.xxxi.b.18. Intellige quæ sunt proximi tui ex teipso. 901
ca.xli.a.1. O mors quàm amara est memoria tua homini pacem habenti in delicijs suis. 594

ESAIÆ.

ca.i.c.10. Audite verbum Domini principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei populus Gomorrha. 533
e.18. Si peccata vestra fuerint vt coccinum, quasi nix dealbabuntur, & si fuerint rubra quasi vermiculus, sicut lana alba erũt. 536.
f.24. Ego consolabor de hostibus meis. 401
g.29. Confundentur ab Idolis quibus sacrificauerunt, & erubescetis super hortos quos elegeratis. 438.594
ca.ij.a.1. Et erit in nouissimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & eleuabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi, & dicent, &c. 387
a.5. Quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Hierusalem. 363.645
d.22. Quiescite ab homine, cuius spiritus in naribus eius. 368
ca.iij.a.1. Ecce dominator Dominus exercitu ũauferet à Hierusalẽ, & à Iudæa validum, & fortem, &c. 597
b.10. Dicite iusto quoniam benè quoniam fructum adinuentionũ suarum comedẽt, væ impio in malũ, retributio enim manuum eius fiet ei. 594.911
ca.v.a.1. Vinea facta est dilecto meo in cornu filio olei & sepiuit eam, & lapides elegit ex illa, &c. 79
b.7. Vinea Domini Exercituum domus Israel est, & vir Iuda germẽ eius. 16
Expectaui vt faceret iudicium, & ecce iniquitas, & iustitiam, & ecce clamor. 632
f.26. Et eleuabit signum in nationibus procul, & sibilabit ad eum de finibus terræ, & ecce festinus velociter veniet, &c. vsque & nõ erit qui eruat. 558
ca.x.e.22. Si fuerit numerus filiorũ Israel sicut arena maris, reliquiæ saluæ fient. 528
ca.xi.a.2. Et requiesceet super eum spiritus timoris Domini, spiritus sapientiæ, spiritus fortitudinis. 295
b.9. Et repleta est omnis terra scientia Domini. 322
ca.xiij.b.9. Ecce dies Dñi venit crudelis, & indignationis plenus & iræ furoris. 629
ca.xiiii.c.22. Et perdam Babylonis nomen, & reliquias, & germen dicit Dominus. 612
ca.xvi.c.11. venter meus ad Moab 297

Universidad de Deusto
Biblioteca

cap.xviij.a.1. Væ terræ cymbalo alarũ, quæ est transflumina AEthiopiæ, quæ mittit in mare legatos & in vasis papyris super aquas, & quæ sequuntur vsque ad finem capitis. 664.
ca.xxviij.c.9. Quem docebit scientiam, & quem intelligere faciet auditum. 555
ca.xxxij.d.17. Et erit opus iustitiæ pax. 692
ca.xxxiij.a.2. Quia indignatio Domini super omnes gentes, & furor super omnem militiam eorũ, &c. 535.
b.6. Victima Domini in Bosra, & interfectio magna in Edom. 535
ca.xxxv.a.1. Lætabitur deserta, & inuia, & exultabit solitudo, & florebit quasi lilium, germinans germinabit, &c. 349.390
ca. xl. a. 4. Omnis collis humiliatur & omnis vallis implebitur. 234
f.31. Qui sperant in Domino mutabunt fortitudinem, assument pẽnas sicut Aquilæ. 582
ca.xli.d.18. Ponam desertum in stagna aquarum, & terram in viam in riuos aquarum, dabo in solitudinem Cedrum, & spinam, & Myrthum, &c. 426
ca.xlii.a.1. Iudicium gentibus proferet. 633
2. Non clamabit nõ audietur vox eius foras, calamum quassatum non conteret, &c. 324
ca. xliij. c. 22. Non me inuocasti Iacob, nec laborasti in me Israel. Non obtulisti mihi arietem holocausti tui, & victimis tuis non glorificasti me, & quæ sequuntur vsque ad finem capitis. 531
ca.xlviij.d.22. Non est pax impijs, dicit Dominus. 692
ca.xlix.d.15. Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? & si illa oblita fuerit, ego non obliuiscar tui.
ca.li.a.1. Attendite ad petram vnde excisi. 574
ca. lii. b. 7. Quam pulchri sunt pedes Euangelizantium pacem, &c. 321
ca.liii.a.1. Quis credidit auditui nostro. 555
ca. lv. c. 9. Sicut exaltantur cæli à terra, sic viæ meæ à viis vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris. 294
ca.lx. b. 9. Me insulæ expectant. 670
c.17. Ponam visitationem tuam pacem, & præpositos tuos iustitiam, &c. 644.
ca. lxi. c. 9. Et scietur in gentibus semen eorum, & germen eorum in medio populorum: omnes qui viderint eos cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus. 357
ca.lxiii.a.1. Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra. 533

3. Torcular calcaui solus, & è gentibus non est vir mecum. Calcaui eos in furore meo, &c. 534
ca.lxv. a.3. Populus qui ad iracundiã prouocat me ante faciem meam semper, qui immolant in hortis. 438
b.13. Serui mei comedent, vos esurietis: serui mei bibent, vos sitietis. 636
ca.lxvi. c.17. Qui sanctificabantur, & mundos se putabant in hortis post ianuam intrinsecus. 438

IEREMIÆ.

ca.i. b.12. Virgam vigilantem ego video: benè vidisti, vigilabo ego super populum meum. 638
cap.iij. d.13. Velociores Aquilis equi illius. 581
ca.v. c.10. Auferte propagines eius, nam non sunt Domini. 675
ca.viij. e.14. Dominus Deus noster silere nos fecit. 587
ca.xv. b.11. Si non reliquiæ tuæ in bonum. 612
ca.xvij. c.15. Quoniam tu es laus mea, & diem hominis non desideraui. 633
cap.xxiij. f.28. Propheta apud quẽ est somnium, narret somnium, & qui habet sermonem meum, loquatur sermonem meum. 547
cap.xxx. d.23. In capite impiorum conquassatio. 635
ca.xxxi. a.3. Ideò attraxi te miserans. 37
ca.xlviij. a.2. Ergò silens conticesces, sequeturq; te gladius. 587
ca.xlix. b.7. Nunquid non vltra est sapientia in Theman. 595
c.12. Ecce quibus nõ erat iudicium vt biberent, bibentes bibent, & tu quasi innocens relinqueris? non eris innocẽs, sed bibens, bibes. 637

THRENORVM.

cap.iij. c.26. Bonum est viro cum portauerit iugum ab adolescentia sua, sedebit solitarius, & tacebit quia leuabit se supra se, ponet in puluere os suum, si forte sit spes. 620
ca.iiij. d.21. Gaude & lætare filia Edom, quæ habitas in terra Hus, ad te quoque perueniet calix, inebriaberis, atque nudaberis. 625

EZECHIELIS.

cap.i. c.10. Et facies Aquilæ desuper ipsorum quatuor. 582
cap.xvi. a.iij. Quando nata es in die ortus tui non est præcisus vmbilicus tuus, & aqua non es lota in salutem, neque sale salita, nec inuoluta pannis, & quæ sequuntur vsque exposuisti fornicationem tuam omni transeunti. 80
cap.xxij. a.6. Viti in brachio suo fient in te ad effundendum sanguinem tuum. 602
cap.xxvij. a.5. Abietibus de Sanir extruxerunt te: Cedrum de Libano tulerunt, vt facerent tibi malum, vsque habitatores Sidonis, & Aradii fuerunt remiges

Universidad de Deusto
Biblioteca

tui. 79
cap.xxxi. a.3. Ecce Assur quasi Cedrus in Libano, pulcher ramis, & frondibus nemorosus, &c. vsque & sub frondibus eius genuerunt omnes bestiæ saltuum. 79

DANIELIS.

ca.ii. Visio statuæ explicatur. 300
cap.vii. c.8. Considerabam cornua eius, & ecce cornu aliud paruulum ortum est de medio eorum, & tria de cornibus primis euulsa sunt à facie eius. 565
ca.viij. c.9. Egressum est cornu vnũ modicum, & factum est grande contra Meridiem, & cõtra Orientem, & contra fortitudinem, &c. 565
ca.xi. g.41. Et introibit in terram gloriosam, & multi corruent, hæ autem solæ saluabuntur de manu eius Edom, & Moab, & principium filiorum Amon. 525

OSEÆ.

ca.iiij. a.2. Sanguis sanguinem tetigit. 536
ca.viij. b.7. Quia ventum seminabunt, & turbinem metent. 909
ca.xi. a.4. In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis. 35

IOELIS.

cap.ij. g.28. Et effundam de spiritu meo super omnem carnem. 307

AMOS.

ca.i. d.11. Super tribus sceleribus Edom, & super quartum non conuertam eum, &c. 604
ca.viij. a.3. Et stridebunt cardines templi in die illa multi morientur, & in omni loco proijcietur silentium. 587

MICHEÆ.

ca.vij. c.16. Videbunt gentes, & confundentur, ponent manum suam super os suum. 620

ABACVC.

ca.ij. a.4. Iustus in fide sua viuet. 816
ca.iij. d.17. Ficus enim non florebit & in vineis non erit germen, mentietur opus oliuæ. 644

ZACHARIÆ.

ca.iij. d.9. Super lapidem vnum septem oculi. 295
ca.xii. c.10. Et effundam super domum Dauid & super habitatores Hierusalem spiritum gratiæ & precum, & aspiciẽt in eum quem confixerunt. 306

MALACHIÆ.

cap.i. a.4 Quod si dixerit Idumæa, destructi sumus sed reuertentes ædificabimus quæ destructa sunt. Hæc dicit Dominus exercituum, &c. 585
cap.iiij. b.6. Et conuertentur corda patrum in filios. 437

I. MACHABÆORUM.

cap.v. c.45. Et congregauit Iudas vniuersos Israelitas qui erant in Galaaditide, à minimo vsque ad maximum, & vxores eorum, & gnatos, &c. 652

EVANGELIVM SECUNDUM Matthæum.

ca.5. a.2. Aperiens os suum docebat eos. 620
3. Beati pauperes spiritu. 573
b.14. Vos estis lux mundi. 317
16. Sic luceat lux vestra coram hominibus vt videant opera vestra bona, &c. 124.276
cap.vi. a.1. Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus. 910
c.22. Si oculus tuus simplex est, & totum corpus tuum lucidum erit. 63
ca.viij. c.22. Dimitte mortuos sepelire mortuos suos. 639
cap.x. d.34. Non veni pacem mittere in terram sed gladium. 556
ca.xvi. c.17. Caro & sanguis non reuelauit tibi. 732
cap.xvii. a 5. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui. 728.775
cap.xix. c.21. Si vis perfectus esse vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus, & sequere me. 279
d.28. Vos qui secuti estis me in regeneratione cum sederit filius hominis in die maiestatis suæ, &c. 681
ca.xx. c 21. Dic vt sedeant hi duo filij mei. 836
cap.xxi. d.41. Malos malè perdet, & vineam suam locabit alijs agricolis, & quæ sequuntur. 428
44. Qui ceciderit super illum conteretur. 464
cap.xxiii. d.31. Quia testimonio estis quod estis filij eorum qui prophetas occiderunt. 614
ca.xxiiii. b.12. Et quoniam abundabit iniquitas refrigescet charitas multorum.
cap.xxv. c.29. Habenti dabitur, & abundabit. 191
d.40. Quod vni ex minimis meis fecistis mihi fecistis. 607
42. Ite maledicti patris mei in ignẽ æternum. 605.829
ca.xxvii. e 46. Deus Deus meus, vt quid dereliquisti me? 832

EVANGELIVM SECUNDUM Lucam.

cap.vij. f.35. Et iustificata est sapientia à filijs suis. 632
cap.xi. f.47. Væ vobis qui ædificatis monumenta prophetarum, patres autem vestri occiderunt illos. Profecto testificamini, quod con-

Universidad de Deusto
Biblioteca

consentitis operibus patrum vestrorum, quoniam ipsi eos occiderunt, vos autem ædificatis eorum sepulchra. Propterea, &c. 614
ca. xij. a. 1. Attẽdite vobis à fermento Pharisæorum, quod est Hypocrisis. 883
f. 49. Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur. 556. 647
ca. xiij. g. 34. Hierusalem, Hierusalem quæ occidis prophetas & lapidas eos, qui mittũtur ad te. 289
ca. xiiij. Parabola de conuiuio facto explicatur. 304. 315
e. 21. Exi cito in plateas, & vicos ciuitatis, & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos introduc huc. 568
cap. xxi. e. 24. Et conculcabitur à gentibus donec impleantur tempora nationum. 436
ca. xxii. e. 49. Si percutimus in gladio. 709

EVANGELIVM SEcundum Ioannem.

Cap. i. b. 10. Et mundus eum non cognouit. 854
13. Qui non ex sanguinibus, neque ex voluptate carnis sed ex Deo nati sunt. 876. 535
14. Et verbum caro factum est. 732
ca. iiij. b. 13. Omnis qui biberit ex hac aqua sitiet iterũ, qui autẽ biberit ex aqua quam ego dabo, &c. 638
14. Aqua quam ego dabo ei fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. 248. 295
d. 32. Ego cibum habeo quem vos nescitis, & infra, meus cibus est vt faciam voluntatem, &c. 638
e. 35. Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor menses sunt, & non est messis? Ecce dico vobis leuate oculos vestros & videte regiones, quia albæ sunt ad messem. 638
ca. vij. f. 38. Qui credit in me flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. 295
39. Nondum erat spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus. 106
cap. viij. c. 16. Abraham exultauit vt videret diem meum. 630
d. 34. Qui facit peccatum seruus est peccati. 779
ca. xii. e. 32. Et ego si exaltatus fuero à terra omnia traham ad meipsum. 110
f. 35. Ambulate dum dies est, ne vos tenebræ comprehendant. 630
ca. xiii. b. 10. Qui lotus est non indiget nisi vt lauet pedes. 374
ca. xiiii. d. 30. Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquam. 486
ca xv. a. 5. Ego sum vitis & vos palmites qui manserit in me hic fert fructum magnum. 247
ca. xvi. d. 33. Nolite timere, ego vici mundum. 298
ca. xviii. e 30. Si hic non esset malefactor, non tibi tradidissemus eum. 825

ACTO-

ACTORVM APOstolorum.

ca. ix. c. 15. Vas electionis mihi est, vt portet nomen meum coram gentibus & regibus, & filijs Israel. 729. 748
cap. x. b. 13. Surge Petre, occide & manduca. 648. 748
g. 45. Obstupuerunt qui ex circuncisione erant fideles, quia & in nationes gratia Spiritus sancti effusa est. 362
ca. xi. c. 18. Ergò & gentibus pœnitentiam Deus dedit ad vitã. 427
ca. xiii. a. 2. Ministrantibus autem illis Domino, & ieiunantibus dixit Spiritus sanctus. Segregate mihi Saulum & Barnabã in opus ad quod assumpsi eos. 687
e. 17. Cũ essent incolæ in terra Aegypti in brachio excelso eduxit eos ex ea & per quadraginta annorũ tempus mores eorum sustinuit in deserto. 838
g. 46. Vobis primum oportuit prædicari, sed quoniam indignos vos effeciſtis, ecce conuertimur ad gentes. 428

EPISTOL. PAVLI ad Romanos.

cap. ij. d. 28. Qui in abscondito Iudæus est. 532
ca. iiij. a. 4. Ei autem qui operatur merces nõ imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum. Ei vero qui non operatur, credẽti autem in eum qui iustificat impium, reputatur fides eius ad iustitiam secũdum propositum gratiæ Dei. 809
c. 18. Qui contra spem in spem credidit, vt fieret pater multarum gentium, &c. 806
d. 25. Mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. 691
cap. v. a. 1. Iustificati ergo ex fide pacem ad Deum habemus. 339
3. Non solum autem sed & gloriamur in tribulationibus. 482
Tribulatio patientiam operatur, patientia spem spes autem non confunditur. 353. 470
b. 8 Commendat autem Deus charitatem suam in nobis, quoniam cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est. 407
ca. vi. a. 5. Si complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus. 777. 699
b. 10. Quod enim mortuus est. 780
11. Quod autem viuit viuit Deo. 780
d. 22. Nunc vero liberati à peccato, serui autem facti Deo habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam. Stipendium enim peccati mors. 697
cap. 7. a. 1. An ignoratis fratres (scientibus enim legem loquor) quia lex in homine dominatur

quanto tempore viuit? Nam quæ sub viro est mulier, viuente viro alligata est legi, &c. 708
4. Itaque fratres mei & vos mortificati estis legi per corpus Christi, vt sitis alterius qui è mortuis resurrexit. 769
cap. viij. c. 13. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini, si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuetis. 774
15. Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore sed spiritum adoptionis filiorum. 693
17. Si tamen compatimur vt glorificemur. 699
d. 20. Vanitati creatura subiecta est. 405
e 28. Quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti. 708
f. 29. Quos præsciuit & prædestinauit conformes fieri imagini filij sui. 247. 776
30. Quos prædestinauit hos & vocauit, quos vocauit hos & iustificauit, quos autem iustificauit, hos & glorificauit. 191
32. Qui etiam proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? 695
cap. x. a. 4. Finis enim legis est Christus. 325
cap. xi. a. 1. Dico nunquid Deus repulit populum suum? Absit. Nam & ego Israelita sum ex semine Abraham, &c. 350
b. 12. Quod si delictum illorum, diuitiæ sunt mundi, & diminutio eorum diuitiæ gentium, quanto magis plenitudo eorum? 307
15. si enim amissio eorum reconciliatio est mundi, quæ assumptio nisi vita ex mortuis? 307
c. 25. Nolo vos ignorare fratres mysterium hoc, vt non sitis vobis ipsis sapientes, quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret. 428. 532
ca. xiii. d. 4. Induimini Dominum Iesum Christum. 779

AD CORINthios I.

ca. i. d 25. Quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. 777
cap iij. b. 7. Neque qui plantat, neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus. 274
8. Dei agricultura estis. 274
cap. iiii. a. 3. Mihi autem pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano die, sed neque me ipsum iudico, &c. 630
c. 13. Tanquam purgamenta huius mundi facti sumus omnium peripsema vsque adhuc. 607
cap. v. c. 6. Modicum fermentum totam massam corrumpit. 518
7. Expurgate vetus fermentum. 883
ca. ix. d. 25. Sic currite vt comprehendatis. 471
26. Sic curro, non quasi in incertum: sic pugno non quasi aerem verberans. 741
cap. xi. a. 4. Caput Christi Deus. 292
cap. xii. d. 28. Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos. 686
cap. xv. f. 50. Caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt. 732
g. 55. Absorpta est mors in victoria, vbi est mors victoria tua? vbi est mors stimulus tuus? 483
cap. xvi. d 22. Si quis non amat Dominum Iesum sit anathema. 885.

AD CORINthios II.

cap. ij. d. 15. Bonus odor Christi sumus. 275
cap. iij b 7. Habemus thesaurum in vasis fictilibus, vt sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis. 501. 781
cap. 5. b 11. Hominibus suademus, Deo manifesti sumus 720
12 Vt habeatis ad eos, qui in facie gloriantur, & non in corde. 714
c. 14. Si vnus pro omnibus mortuus est, ergò & omnes mortui sunt. 776.
21. Eum qui non nouerat peccatum pro nobis peccatum fecit. 825
cap. ix. c 10. Qui administrat semen seminanti, multiplicabit semen vestrum. 909
cap. x. a. 3. In carne ambulantes non secundum carnem militamus. 781
4. Arma militiæ nostræ non carnalia, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, &c. 305. 564.
b. 7. Quæ secundum faciem sunt, videtis. 754
cap. xii. c. 10. Propter quod placeo mihi in infirmitatibus meis, &c. 862
d. 11. Cum enim infirmor, tunc fortior sum. 775
cap. xiii. b. 4. Nam etsi crucifixus est ex infirmitate, sed viuit ex virtute Dei. 862

AD EPHESIOS.

cap. ij. a. 5. Cum essemus mortui peccatis. 772
c. 14. Ipse enim est pax nostra, qui fecit vtraque vnum, & medium parietem maceriæ soluens inimicitias in carne sua, &c. 834
cap. v. a. 2 Qui dilexit nos & tradidit semetipsum pro nobis. 694.

Universidad de Deusto
Biblioteca

d.14. Surge qui dormis, & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus. 772
ca.vi.b. 12. Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem. 732

AD PHILIPPENSES.

cap. i. c. 22. Quod si viuere in carne hic mihi fructus operis est. 780
ca.iii.d.19. Et gloria in confusione ipsorum. 608

AD COLOSSENSES.

ca.ij. c.15. Spolians principatur, & potestates, traduxit confidenter palam, triumphans illos in semetipso. 463
ca.iij. a.3. Mortui estis, & vita vestra abscondita est cum Christo. 774

AD THESSALONIC. I.

ca.iiij.a.3. Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra. 699
ca.v.a.5. Vos filij lucis estis, & filij diei. 630

AD THESSALONICENSES. II.

ca.ij.c.13. Nos autem debemus gratias agere Deo pro vobis fratres dilecti à Deo, quod elegerit nos Deus, ad quod & vocauit vos. 708

AD TIMOTHEUM. I.

ca.iiij.a. 1. Spiritus manifestè prædicit, quia in nouissimis temporibus discedent quidã à fide &c. 432.

AD TIMOTHEUM. II.

ca.iij. a.1. Hoc autem scito quod in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa. &c. 432
ca.iiij. b.7. Bonum certamen certaui, cursum consummaui. 881.

AD HEBRÆOS.

ca.i.a.2. Nouissimè autem in diebus istis loquutus est nobis in filio. 550
ca.ij.c.10. Qui pro omnibus gustaret mortem. 483
d.14. Quia ergo pueri participauerunt carni & sanguini. 732
ca.vi.a. 4. Impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donum cæleste, & participes facti sunt Spiritus sancti. 415
b. Iterũ crucifigentes filiũ Dei. 779
b.7. Terra enim sæpè venientem super se bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo, &c. 558

CATHOLICÆ Iacobi.

ca.i.c.15. Peccatum cum consummatum fuerit generat mortem. 911
ca. v. a. 3. Aurum & argentum vestrum æruginabitur, & ærugo eorum in testimonium vobis erit. 593

PETRI. I.

ca.v. d.13. Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone collecta. 533

PETRI. II.

ca.iij. a.3. Hoc primum scientes quod venient in nouissimis diebus in deceptionem illusores iuxta proprias concupiscentias ambulantes. 432

EPISTOLÆ Iudæ.

c.13. Despumantes suas cõfusiones. 609

APOCALYPSIS.

ca.i. d.16. Gladius vtraque parte acutus. 194
ca.ij.b. 10. Dicunt se esse Iudæos & non sunt, sed Synagoga Sathanæ.
ca.3. a.4. Ambulabunt mecum in albis, quia digni sunt. 536
d. 18. Suadeo tibi emere à me aurũ ignitum. 197.292
Vt non appareat confusio nuditatis tuæ. 609
ca.v.b. 8. Habentes singuli phialas aureas plenas odoramentorum. 242
ca. xij. Huius loci visio explicatur. 583
ca.xix. b.11. Et vidi & ecce equus albus, & qui sedebat super eum vocabatur fidelis, & verax. &c. 534

FINIS.

Universidad de Deusto
Biblioteca

SALMANTICÆ,

Apud Guillelmum Foquel.

M. D. LXXXIX.

ERRATA.

Pagina.	Lin.	Erratum.	Correctio.
50	19	cupiditas	cupiditatem
66	30	nec opinata	& inopinata
74	8	amores	amoris
74	19	dicerentur	ducerentur
85	16	vna	vita
98	21	quæ	qua
104	10	adeo	a Deo
105	7	primus	primis
115	24	restituerent	restituerentur
110	9	vocabulum	vocabulo
112	18	minus	minusque
112	31	nemo de me	nemo me
113	28	eum	cum
114	15	id	idco
171	12	abisse	obijsse
178	15	explanatio	altera explanatio
201	21	& poëtico more in versc	inuerse & poëtico more
348	19	ob e tetur	obiectet
425	21	religionis	religiones
435	vl.	esset	essent.
436	9	toto	toti
438	8	quæ	quæ in
490	27	m nere	manere
510	18	dicunt fis	dicunt singulis fis
532	24	acceptum	proprie acceptum.
559	5	abreget	arroget
571	30	elatio	& elatio
576	50	לאוה	גאוה
581	13	item	im
587	15	constituisses	coniicuisses
593	12	in nonnullis victuro carpit.	victurum putat
596	18	nominant	nominat
602	18	vniuersa	vniuersi
625	10	Romanis vrbem obsidentibus atque vastantibus Idumæos auxilio veniſſe	Idumæos auxilio veniſſe Romanis vrbē obsidentibus atque vastantibus
628	vl.	subibunt	subient
633	20	ingens	ingentis
646	19	tunc	tum
654	30	Palæstinis	Palæstinæ
661	31	quos ipsi	vique eos ipsi
674	30	ignificare	significari
674	vl.	הכשישות	הנשישות
677	2	p oximos	proximè supe iores
677	25	mimum	minimum
686	6	is laudat	is cui detrahitur laudat
690	23	hominem esse	hominem
706	4	ad	ab.
727	31	toto doctore	toto illo tempore doctore
728	5	&	et
731	26	effectum & confirmatum	effictum & conformatum
748	30	doc n lo gentes.	docendis gentibus
759	29	quid animo	quid animi
786	19	co ent	coleres
791	15	videsent	vident
796	29	ceperant colere.	colere ceperunt
798	7	in Christum	in Christi
799	8	prota isse	pertaliſſe
805	31	in	ita in
807	6	p omit itur	promittit
807	7	quod	quid
809	10	pr posítum	secundum propositum
815	30	&	vt
818	6	&	& vt
844	3	שרט	שרצ
857	31	qu d	qu d mmodo
867	24	latisime	Latisimè
811	32	quæ	quis

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca

Universidad de Deusto
Biblioteca